

SENAT·POP·Q·ANTVERP·SCHOL·SOC·IESV·MECOENAT·PER·P·


EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD

Title page
designed
by P. P. Rubens

Fine copy

CRVX TRIVMPHANS ET GLORIOSA

A

IACOBO BOSIO

DESCRIPTA.


CRVX
TRIVMPHANS
ET
GLORIOSA,
A IACOBO BOSIO descripta
LIBRIS SEX;
Ad sacræ et profanæ historiæ lucem,
et Christianæ pietatis augmentum,
vtilissimis.
ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem et Ioannem Moretos.
M.DC.XVII.
CVM PRIVILEGIO CÆSAREO ET PRINCIPVM BELGARVM.
Pet. Paul. Rubenius inuenit.
Corn. Galleus sculpsit.

IESV CHRISTO
DOMINO DEO
CREATORI
ET
SALVATORI NOSTRO

IACOBVS BOSIVS *genuflexus, & humi prouolutus, omnem laudem, honorem, gloriam, & imperium in æternum dicit.*



EATVS vir, inquit Regius Pſaltes, cuius Pſalm. 39.
eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. O vtinam, Domine, hanc planè diuinam vocem auribus cordis maturiùs percepiſſem; nec tui pænè oblitus, & à vijs tuis abductus, mundi vanitates & falſas prorſus inſanias ad hanc vſque extremam & ſenio confectam ætatem miſer ſecutus eſſem: quarum inani ſpe ac doloſa illecebrarum captione deluſus, eò tandem, veluti Sirenum cantu, deductus ſum; vbi annorum ac bonorum ferè omnium facta iactura,

æterni naufragij (quod abſit) diſcrimen imminere mihi proſpicio, ni vel ſerò tandem reſipiſcam. Sed
Thren. 3. miſericordia tua, Domine, quia adhuc non ſumus conſumpti. Speciali enim gratiæ tuæ munere, admonitionem illam tuam auribus meis nunc perſonantem, & me ipſum præcipuè alloquentem au-
Pſalm. 93. dio, atque animo complector: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* Qua tandem aliquando expergefactus & excitatus, his omnibus nuntium remittens, breue hoc quod mihi ſupereſt iter, ad Te
Iob 14. omnino dirigendum cenſui. Tu verò, qui omnes præteritos greſſus meos dinumeraſti, parce, obſecro, peccatis meis; & erranti benignam misericor-
Pſalm. 5. diæ tuæ porrigens dexteram, dirige in conſpectu tuo viam meam. Ego enim in firmiſſimæ huius voluntatis meæ teſtimonium & pignus, de TRIVMPHANTE ET GLORIOSA TVA CRVCE Tractatum hunc, iam anteà à me Italico idiomate editum, & homini dicatum; eumdem nunc Latinum, &, ni fallor, meliorem effectum, Tibi bonorum omnium Effectori & Largitori, Deo optimo
Pſalm. 129. maximo, apud quem infinita eſt miſericordia, copioſa redemptio, bonorúmque operum omnium
Apoc. 22. tutiſſima retributio; Tibi, inquam, qui citò venies, & merces tua tecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua; qualiſcumque ille ſit, ante thronum excelſæ gloriæ ac Maieſtatis tuæ humiliter prouolutus, ſincero & integerrimo cordis affectu dedico,

dico, consecro, àc sanctè deuoueo. Nulli enim decentiùs iustiúsque, quàm Tibi ipsi, de sancta Cruce Tractatus dicandus erat, qui Crucem ipsam, iam ante mundi constitutionem, tamquam Imperatorium thronum, ac Regium trophæum delegisti, in qua Tu Imperator & Rex noster, Regnum & potestatem Tibi in ea, secundùm humanitatem, in cælo & in terra acquireres; hostes prosterneres, mundum Deo Patri reconciliares, cælestiáque simul ac terrestria vno fœdere coniungeres, pactum confirmares, chirographum damnationis nostræ deleres, & mortis vincula dissolueres: quíque ipsam tam mirificè dilexisti, & honorasti, vt non proprijs humeris tantùm deferre dignatus sis, sed à cunctis etiam electis tuis ferendam statueris, & neminem, qui illam non amanter tulerit, tui discipulum esse posse declaraueris. Ne dedigneris igitur misericors Pater, & clementissime Domine, Deus Creator meus, Redemptor meus, & virtus salutis meæ, hoc exiguum immensi mei erga te officij ac debiti muneris argumentum clementer ac benignè suscipere. Nosti enim Tu, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, me pro exigui talenti à te mihi concrediti fœnore, longè locupletiorem censum & vectigal diuinæ Maiestati tuæ pendere semper optasse; sed ingenioli mei agellus angustus, pro sterilitate sua, vberiora hactenus promere nequiuit; vberrimam sanè laudum & gratiarum mes-

Coloss. 1.
Coloss. 2.
Lucæ 14.

* 4 sem,

ſem, poſt manipulum hunc, Tibi quandoque laturus, ſi me, vt ſpero atque confido, non tamquam
Matth.25. torpentem ac nequam ſeruum damnaueris, & in tenebras exteriores eijciendum edixeris, ſed inter bonos ac fideles ſeruos (vt obſecro) in gaudium tuum clementer ingredi iuſſeris. Ibi enim in æternum laudem dicam Tibi, qui es glorioſus & benedictus in ſæcula. Amen.



GENE-



GENEROSIS, PIIS, CATHOLICISQVE LECTORIBVS.

Breuis & compendiaria rerum prænotio, quæ hoc Tractatu continentur: de Operis titulo, de diuisione & ordine, déque Auctoris ipsius intentione.



QVOD *nostro hoc in Codice pertractatur, nobilissimi ornatissimiq́ue Lectores, illud ipsum est, quod ad Corinthios iam scribens inquit Apostolus:* Nos autem prædicamus vobis Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. *Vtq́ue id exprimatur apertiùs, nullum aliud huius argumentum est Operis, quàm declaratio ac pia meditatio altissimi admirabilisq́ue mysterij, per quod Deus optimus maximus, iam ab ipso rerum initio, præter omnis creati intellectus captum, redemptionem nostram per passionem, Crucem & mortem Domini nostri Iesu Christi operari statuerat. Quod quidem imperscrutabile sacramentum, cùm à primis ipsis sæculis, in omnibus generationibus (vt idem subdit Apostolus) absconditum extitisset; demum cùm infinitæ Dei bonitati & misericordiæ fuit placitum, mundo patefactum est, & per sanctos Apostolos Gentibus prædicatum.* 1.Cor.1. Coloss.1.

Operis autem huiusce titulus est: DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE LIBRI SEX. *A prima enim Crucis origine auspicantes, & quàm horribilis, probrosa, infamisq́ue olim apud homines fuerit edocentes, agimus posteà de honore, de triumpho*

& gloria, quam adepta est, postquam redemptionis nostræ effecta est instrumentum, per quod Christus Dominus, suis nostrisq; deuictis atque prostratis hostibus, immortalem gloriam & cælestem triumphum reuexit.

Vniuersa hæc sublimis materia hoc ordine pertractatur. In primo libro ostenditur quid sit Crux: quomodo à priscis Græcis atque Latinis sit appellata: quot Crucium formæ ac species antiquitus extiterint; & de singulis quibusq; singillatim agitur: in qua Crucis specie ac forma Saluator noster crucifixus fuerit: ex quonam ligno Crux sancta constructa. Quàm antiquus mos fuerit homines in Crucem agendi, atque necandi: quando introductus: apud quas nationes præcipuè vsu receptus. De Regibus, ac magnis Principibus quibusdam, qui in Crucem sunt acti. Quidnam causæ esse potuerit, quòd Christo Domino nostro Crucem potiùs, quàm aliud mortis genus elegisse placuerit, vt in ea Redemptionis nostræ mysterium perageret. Agitur de Crucis Titulo: de triginta Argenteis, quibus Dominus noster venumdatus est; & de singulis Passionis eius insignioribus instrumentis, deq; eorum significationibus mysteriis refertissimis.

In secundo autem libro ostenditur, Deum optimum maximum, ante omnia sæcula, mundum seruare & humanum genus per Crucis instrumentum redimere cùm decreuisset, illud iam ab initio, in rerum creatione, innuisse; ipsiusq; Crucis clara, manifesta, & visibilia signa in cælis, in homine, in animalibus, in plantis, in herbis, in floribus, in ceterisq; aliis creaturis constituisse.

In tertio agitur de omnibus Crucis figuris & significationibus, quæ veteris & noui Testamenti sacris paginis continentur; cum expositionibus ac declarationibus, quas sancti Patres sacriq; Doctores Ecclesiastici his addiderunt.

In quarto, prophetiæ, vaticinia, & oracula, quibus Crux sancta à Prophetis in sacris Scripturis prænuntiata, & à Sibyllis apud Gentiles mirabiliter prædicta est, vnà cum sanctorum Patrum testimoniis, auctoritatibus, & expositionibus, referuntur.

In quinto tractatur de origine idololatriæ, quæ in Aegypto exorta, per ceteras mundi prouincias sese diffuderat: de fabulosa & vana Aegyptiorum Theologia: de diuersis brutis animalibus, aliisq; monstrosis chimæris, quas stolidè nimis & impiè adorabant: de Crucis imaginibus atque figuris, quas ad Gentilium intellectus aperiendos, mentesq; eorum subleuandas ad redemptionis nostræ mysteria agnoscenda, quæ per Crucem ipsam peragenda erant, forsitan permisit

Deus,

Deus, vt in Aegyptiorum symbolis, & idolorum simulacris mirabiliter insculperentur ac cælarentur: de impiæ idololatriæ Aegyptiacæ euersione: de Crucis imaginibus & figuris, quæ in Serapidis templi demolitione detectæ apparuerunt. Demumq; ostenditur, ac probatur, priscos Ethnicos, non intelligentes quid agerent, Crucis imaginem in multis adhibuisse.

In sexto ostenditur, post Christi Domini nostri passionem, mortem, & resurrectionem, Crucis infamiam & ignominiam in honorem, gloriam, & triumphum, atque in summam venerationem fuisse commutatam. Agitur de peruetusto ac pio more, quem prisci Christi fideles primitiuæ Ecclesiæ inuexerant, signo Crucis se consignandi; proditurq; cur id facerent, & à quo idipsum didicerint. Ostenditur Crucis signi virtus atque potentia; non sanctorum Patrum auctoritatibus tantùm, sed infinitis propemodum miraculis comprobata. Differitur de antiqua Christianorum consuetudine, Cruces præaltas ligneas vel lapideas in titulum defigendi, quibus Ecclesias aliaq; pia loca exædificanda statuissent; ex qua Titulorum vocabulum & origo defluxit, quibus ad hanc vsque diem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Illustrissimi insigniri ac denominari solent. Probatur, priscos Christianos, ob humilitatem & modestiam, annulos ferreos in digitis deferre consueuisse, in quibus Crucis signum erat insculptum; hisq; miracula perpetrasse. Tractatur de Crucibus coronatis, & gemmatis, quas sculpere ac pingere solebant; docetúrque quanam ratione id facerent. De Crucis signo, quod magno Constantino Imperatori in cælo apparuit: de labaro, & ceteris signis militaribus, quæ ad Crucis formam adaptari iussit; & de victorijs, quas eiusdem Crucis signi virtute adeptus est. De varijs Crucis apparitionibus, quæ in cælo atque in mundo diuersis temporibus conspectæ sunt, ac de rerum euentibus, quos præsignificauère. De Cruce à sancta Helena reperta. Probatur Crucem adorandam esse, docetúrque quomodo, & quonam cultu sit adoranda: ac demum sanctorum Patrum auctoritate probatur, sanctam Crucem in nouissimis vniuersalis Iudicij diebus, stellis lucidiorem, soléque ac luna fulgentiorem in cælo apparituram.

Et hæc quidem ad ea innuenda, quæ præsenti hoc Tractatu continentur, maiore qua fieri potuit breuitate, hactenus dixisse sufficiat. Cuius rei clariorem prænotionem nanciscetur Lector ex Capitulorum tabula, & longè maiorem etiam ex Indice generali, Deo annuente, in calce operis adijciendo.

Huius

Huius autem exantlandi laboris, ſanè Auctoris nulla alia mens fuit (benigniſsimi Lectores) quàm vt exile talentum ſibi à Deo optimo maximo concreditum, ſincero charitatis affectu in hoc impenderet, vt aliquid delectationis ac ſpiritualis emolumenti proximo afferret; his verò præſertim, qui non inimici, ſed amici Crucis Chriſti, paſsionis Chriſto amariſsimæ, nobis autem dulciſsimæ, myſteriorum contemplatione præcipuè delectantur; vt dum hîc legendo, excelſas admirabilitates perſpicient, quas pro ſalute noſtra Deus per Crucem operari dignatus eſt, maiore pietatis ac dilectionis affectu in ſanctam Crucem ipſam accendantur, ita vt Crucem ſuam ſinguli hilariter amplectentes, illamq́; per aſperum & arduum huius humanæ peregrinationis iter conſtanti animo deferentes, de virtute in virtutem progrediantur, donec diuina eos deducente
Pſalm.83. *gratia, eò tandem perueniant, vbi* videbitur Deus deorum in Sion.

Neque opus hoc ſuperfluum cenſendum, aut minùs gratè excipiendum erit, eò quòd aliqui doctrina inſignes viri de eadem re iam ante nos ſcripſerint; præſertim verò doctiſsimus Lipſius, & poſt eum, copioſè ſanè atque ornatè, Jacobus Gretſerus *è Societate* IESV. *Etenim Reipublicæ & populo haudquaquam ingratum eſſe deberet, abſumpſiſſe nimirum quempiam omnes facultates ſuas in pomario aliquo parando, non nouo prorſus & inuſitato culturæ genere, ſed aliqua tantùm ex parte immutato; nempe florum aliquot amœniſsimorum lectiſsimorumq́; adiunctione, peregrinarum arborum atque frugiferarum ſatione & conſitione locupletato, quòd omni hominum generi perpetuò pateret. Mihi verò mens ac deſiderium ineſt, omnes pro viribus iuuandi, eos præſertim, quibus ingens adeò librorum copia non ſuppetit. Neque tamen ſcientia eminentiores, ac Bibliothecis ditiores viri pedem etiam in hoc incultum viridarium noſtrum inferre dedignentur. Nobiles enim & magnos viros oblectandi ac recreandi animi gratia ambulantes, pauperculi hominis cuiuſpiam hortulum fortè ingredi, ibiq́; non ſolùm iucundos ac ſuaues flores, ſed perutiles etiam, & excellenti guſtui eorum gratiſsimos fructus, præter ſpem quandoque decerpere contingit.*

Quòd ſi quiſpiam fuerit, cui Liber hic noſter nimius videatur, is remedio illo vti poterit, quod Martialis docuit: qui cùm ſuorum Epigrammatum omni lepôre affluentium Librum decimum aliquantiſper auctum denuò editurus eſſet, quaſi in ipſius Libri perſona ſobrios ac delicatiores Lectores allocutus, qui prolixioribus lectioni-

lectionibus stomachum sibi prægrauari vererentur, inquit:

Si nimius videor, seráque coronide longus
Esse Liber: legito pauca, Libellus ero.

Marcialis Epigram. lib. 10. in princip.

Valete, felicemq; vitam ducite, generosi Lectores: & si quis vestrûm (quod ego sanè inter faustos ac fortunatos euentus meos deputauerim) ex harum lucubrationum mearum lectione aliquod solatium ac spirituale emolumentum perceperit; Deo optimo maximo, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, non autem ab imperitia mea, debitas laudes & gratiarum actiones referat; ac mercedis meæ loco, illum pro peccatorum meorum venia deprecetur. Amen.

De OPERIS huius Latina versione & stylo, ad pium itidem Lectorem, Auctoris contestatio.



VM superioribus annis hunc de Triumphante & Gloriosa Cruce Tractatum Italico idiomate edidissem, protinus à nonnullis doctrina & pietate insignibus viris, ex diuersis Christiani orbis partibus per epistolas vrgeri cœpi, vt eumdem in Latinum sermonem conuerterem; quò pijs etiam Christi fidelibus extra Italiam degentibus vsui esse posset. Quamobrem licet in hac iam annis confecta & afflicta ætate, quæ si non velocem, propinquam certè tabernaculi mei depositionem denuntiat, onus hoc iure optimo detrectare potuissem; tamen ne in his quæ ad proximos iuuandos Christiani muneris sunt, etiam vsque in senectam & senium deessem, prouinciam hanc, quamquam viribus meis imparem, libens suscepi, vt Apostolicis monitionibus, Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, *obtemperarem.* Galat. 6.
Itaque Christiane Lector, quicumque felici sorte tua Romanæ Ecclesiæ Catholicæ communionem habes, laborem hunc, quem tua causa sincero corde subiuimus, benigno & grato animo complectere; humileq; dicendi genus ne spernito: sed in his lucubrationibus, animæ potiùs emolumentum, ad quod mens nostra dirigitur, quàm styli ornamentum perquirito. Etenim Codex hic noster, qui sanctorum Ecclesiæ Patrum sententiis totus est refertissimus, nullo sanè alio quàm Ecclesiastico stylo, atque ipsorum Patrum loquendi genere conscribendus erat. Namq; ipsius diui Hieronymi documentum in hoc potissimùm

In Quæstionibus ad Damasum, Quæst 2. in fine Tom. 3. *mum secuti sumus, ad institutum hoc sic scribentis:* De Scripturis differentem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano eloquentiæ ducendus est riuulus: nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet; non quæ verborum compositione frondescat. Sint alij diserti; laudentur, vt volunt, & inflatis buccis spumantia verba trutinent: mihi sufficiat sic loqui, vt intelligar; vt de Scripturis loquens & disputans, Scripturarum imiter simplicitatem. *Hæc ille. Tu verò si quid in his scriptionibus nostris inuenies, quod politiore sermonis elegantia dici potuisse tibi videatur, omnia æqui boniq; consulens, illius Sapientis sententiæ* Prouerb. 19 *iugiter memor esto:* Qui tantùm verba sectatur, nihil habebit; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona. *Deus autem omnipotens det tibi vt piè semper viuas, atque vt plenum dierum, dies tandem vna suscipiat, dies inquam illa melior in atrijs Domini super millia.*



IACO-


HOC SIGNVM ERIT IN COELO

IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Propoſitio, Inuocatio, Narrationiſq́ initium.



C STATVI equidem mecum de eo mihi ſcribendum, quod inter omnia Dei opera admiranda, & quibus meritò obſtupeſcimus, fuit, eſt, atque in æternum erit ab intellectuum cunctorum, ſpirituumq́; cæleſtium, terreſtrium, & infernorum captu remotum, & admirandum: quod cæli mirantur, quod reueretur terra, & perhorreſcit infernus: quod inſtaurauit Angelos, ſeruauit homines, & dæmones conculcauit. De illa nimirum triumphante & glorioſa Cruce, quæ perfidis quidem Iudæis fuit ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia: ſed quæ veris Chriſti fidelibus procul dubio certiſſima erit ſalus, vera corona, & ſempiterna gloria. Et quamquam animoſus hic conatus meus, pro ingenioli mei tenuitate, arduam nimis, perdifficilem, ac propriis viribus imparem prouinciam, audacter admodum ac temerè fortaſſe ſuſcepiſſe videa- *Propoſitio.*
D tur: pietas tamen mouet me, deſiderium excitat, amor vrget, cogit impellitque officium, vt manum calamo admouens, ſcribere audeam; atque ſcribendo, in immenſum illud admirandarum, ſuſpiciendarum, & planè inexplicabilium rerum audacter ingrediar pelagus, quas Deus optimus maximus, mirabilis in cunctis actibus ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, per hoc ſacroſanctum ac myſteriis refertiſſimum Crucis ſignum operari dignatus eſt. At quonam pacto ego paruus homuncio, ac potiùs vilis vermiculus, ignorantiæ nebulis & inſcitiæ craſſiore offuſus caligine, peccatorumque tenebris obcæcatus, hiſce meis profanis manibus, impuriſque labiis, ſine cæleſti præſidio, ac ſine præcipua ope diuina, tam ſancta, tam ſublimia, tamque digna ſcribere vel attingere potero? *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego ſum.* *Iſaiæ 6.*

Inuocatio. Ad te igitur humi prouolutus, cor meum erigo, & brachia mea in Crucis formam expandens, ad te deuotissimè confugio, Dei optimi maximi summam infinitamque Sapientiam, incarnatum Verbum, totiusque misericordiæ fontem; qui solus nostros miseratus errores, solusque miserrimas hominum miserias paternis visceribus condolens, pro tui excelsi, profundi, & incomprehensibilis dispensatione consilij redimere voluisti hominem per lignum, qui per lignum in grauissimam tui offensam miserabiliter incurrerat; & qui pro nobis sponte mori volens in Cruce, Crucis opprobrium in honorem, eiusdemque Crucis infamiam & ignominiam in gloriam mirabiliter conuertisti. Transfer, ah, obsecro, tenebras meas in lucem, crimen in gratiam, ignorationem in sapientiam, vitium in virtutem. Atque vt priscis illis temporibus, sancto ac dilecto illi Prophetæ tuo, vnum è sanctis Seraphim volantem misisti, qui carbonem, siue ignitam petram ex altari forcipibus sumens, & os eius attingens, propriam ab eo abstulit iniquitatem, & ipsius peccata omnia expiauit: sic oro supplicíter, vt à me quoque omnem iniquitatem auferas, meque item omni crimine exuere digneris: & per Spiritus sancti tui ignitum calculum, ab altari gratiæ tuæ desumptum, forcipe, quæ duplicis ferri instrumentum est, da mihi vtriusque Testamenti spiritualem intelligentiam, atque talem tantamque virtutem & gratiam, vt decenter & rectè ea perscribere valeam, quæ ad tui nominis laudem & gloriam, & ad sanctæ Crucis honorem, dignè referantur; atque ad salutem animæ meæ, & omnium fidelium tuorum vtiliter proficiant; eorumque in primis, qui librum hunc meum recta intentione, ac sincero corde perlegerint: atque enixè & humiliter precor, vt in eos amplam tuæ benedictionis gratiam, tuique sancti Spiritus copiosam & affluentem virtutem infundere & conferre digneris. Amen.

Narratio de infelici primorum parentum & totius humani generis lapsu. Cùm tortuosus ac nequissimus ille serpens antiquus, qui liuore tabescens, felicioris status conditionem homini inuidebat, iniquis ac falsis suasionibus suis primos parentes nostros seduxisset, subdolè ac dolosè eos ad inobedientiam alliciens & inducens, versuteque eis suadens vt de vetito arboris fructu comederent; atque ob id diuinam contra eos extimulasset iustitiam; quæ illos propterea iustæ quidem, sed duræ & horribili mortis sententiæ, cum omni eorum posteritate subiecerat: cumque misera atque infelix hominum natura eo pacto cerneret se acerbissimam mortis damnationem incurrisse; à Paradiso expulsam, &, quod horribilius erat, in Dei omnipotentis grauissimam indignationem incidisse; exulemque in hac miseriarum & lacrymarum valle relegatam ac deportatam; candidaque innocentiæ & originalis iustitiæ veste exutam; atq; virtutum potentiis viribusque pænè omnibus debilitatam & eneruatam: cùm denique propter commissi peccati fomitem, quasi corrupta, fœdeque stuprata & adulterata sponsa quædam, iam vitiis esset assueta, atque ad patrati sceleris obscœnitatem & concupiscentiam procliuior: facile admodum fuit, vt idem insidiosus & improbus inimicus, eam sic malè affectam, de flagitio in flagitium, ac de graui peccato in grauiora scelera impelleret; imò in vastissimum ac profundum vitiorum & scelerum quoddam præcipitaret atque mergeret pelagus. Hinc in orbe terrarum passim pullulauere & insurrexere fratricidia, homicidia, stupra, adulteria, rapinæ, furta, sacrilegia, odia, rancores, persecutiones, falsitates, insidiæ, fraudes, ceteræque iniquitates & abominationes, quibus pro infelicitate ac miseria nostra mundus scatet; iuxta quod iam Propheta dixerat:

Osee 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

Summa diaboli insolentia. Neque verò tot fraudibus, totque tyrannicis victoriis expletus insolens ac feralis

A feralis hoſtis, ſibi integrè ſatisfactum putauerat; ſed quaſi victor ac triumphator tyrannus, qui deuictis ſubactiſque populis, eorum ſupremum exitium meditaretur, & abſolutè ad omnia, pro ipſius libidine, propriæ ambitioni ac ſuperbiæ per omne nefas ſubiicienda aſpiraret; ex innumerabilium peccatorum, quæ ipſe in orbem terrarum inuexerat, graueolentia, fœtore, ac fœditate ſpurciſſima, velut immẽſum quemdam fumum, ſiue obſcuram nebulam excitauerat, quæ mundi huius domum vniuerſam replens, habitantibus intrinſecus, intuendi Conditorem, aſpectum liberum non dabat. Quin etiam eiuſdem fumi caligine hominum intellectus obcæcati, veram lucem; veramque agnitionem Dei, & Creatoris noſtri amiſerant notitiam: ſicque in ſceleſtiſſimam idololatriæ impietatem ſenſim prolapſi ceciderant; ac demum tantæ cæcitatis ſeſe obruerant tenebris, vt manuum ſuarum opera atque ſculptilia dementiſſimè adorarent. Quam quidem veſanam ſocordiam, ac portentoſa deliramenta, his B mœſtiſſimis verbis lamentabatur Propheta: *Et repleta eſt terra idolis; opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum.*

S. Petrus Apoſt. apud S.Clemẽt. Rom. Recognit. lib. I.

Hominum cæcitas atq; impietas.

Iſaiæ 8.

Quamobrem cùm tantas abominationes nauſeaſſet Deus, cumque ſui ipſius notitiam hominibus, præterquam paucis quibuſdam electis ſuis, ſubtraxiſſet, & iuſtiſſimæ iræ ſuæ furori habenas laxaſſet; ſeueriſſima & horribilia indignationis ſuæ in orbem terrarum immiſerat ſupplicia: atque in hominum peccata adeò ſeuerè animaduertere cœperat, vt exinde vltionum Deus diceretur; quemadmodum Pſalmiſta eum palàm vocauerat, dicens: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Quod & Propheta ille pariter his verbis innuerat: *Deus æmulator, & vlciſcens Dominus, vlciſcens Dominus, & habens furorem; vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis.* & paulò inferiùs ſubiunxerat, dicens: *Ante faciem indignationis eius quis ſtabit, & quis reſiſtet in ira furoris eius?* Atque inter ceteras diuinæ vltionis animaduerſiones, quibus homi-C num peccata & delicta plectebantur, præcipuum & frequentiſſimum erat Crucis ſupplicium: ſic diuina permittente ac diſponente iuſtitia, vt quemadmodum homo in ligno peccauerat, ita & in ligno delictorum ſuorum pœnam exolueret. Quare hinc factum eſt, vt priſcis ac peruetuſtis illis temporibus, infinita pænè hominum multitudo, ligni & Crucis ſupplicio, diro ſanè atrociſſimoque mortis genere, affecta fuerit. Quamobrem Crux ipſa tantum horroris atque abominationis contraxerat, vt apud illuſtriores celebrioreſque orbis totius nationes, nullum mortis inſtrumentum aut vilius, aut abiectius, aut turpius, aut ignominioſius, vel infame magis inueniri poſſe crederetur; vt magis diſtinctè inferiùs ſuo loco dicemus.

à Deo vindice punita:

Pſalm. 93.

Nahum I.

atque inprimis ſupplicio Crucis.

CAPVT II.

D *Quid Crux: quomodo ab antiquis, tum Græcis tum Latinis, appellata. Quot formæ Crucis fuerint, & ad quot ſpecies reducantur.*

VOX iſta ſiue dictio *Crux,* ſic à Latinis appellata, vt appoſitè doctiſſimus Lipſius in libello ſuo de Cruce animaduerterat, apud ipſos duplici ſignificatione capi ſolebat; laxa ſcilicet, & adſtricta. Largè enim ſumpta, innuere volebant omnem angorem ac tormentum, & omne quo affligimur, torquemur, & cruciamur; atque ipſum interitum: vt apud Plautum, Terentium, & ceteros Comicos paſſim eſt videre. Strictè verò & vſitata ſignificatione, per dictionem hanc, *Crux,* intelligebant, vt nos etiam vulgò receptiſſima conſuetu-

Duplex Crucis ſignificatio Latinis.

dine præcipuè intelligimus, instrumentum illud, quo homines morte afficie- A
bantur in ligno. Quod Crux fortasse dicebatur, à nimia cruciatus ac tormenti acerbitate, qua miseri & infelices damnati, teterrimo illo supplicio torquebantur; in quo tarda morte, ac planè cum sensu efflabant animam: & de quo sic diuus Augustinus: *Denique vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à Cruce nominatus: pendentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibusq; confixi, producta morte necabantur.* & sanctus Anselmus: *Crux à cruciatu corporis nomen accepit.* Hanc vetustiores Latini alio nomine dixerunt *Gabalum*; vt præcipuè notari licet eo loco, quem ex Varrone citat Nonius: *Nos Barbari, quòd nocentes in Gabalum suffigimus homines; vos non Barbari noxios absoluitis.* Dixerunt & aliter, *infelicem arborem, infelix lignum, infelicem stipitem*, & *infamem stipitem*; vt ex Tito Liuio, ex Cicerone, ex Seneca, aliisque Latinis auctoribus colligere licet.

Crux à cruciatu dicta.

Tractat. in Ioã. 36. c. 8.

In Matthæi cap 10.

Gabalum appellata.

Infelix arbor, lignũ, stipes

Demum verò, vt magis atrox mortis instrumentum, maiusque patibulum quod reperiri posset, per antonomasiam vocauere *Patibulum.* Sic Cicero, sic B
Tacitus, sic Plautus, aliique auctores complures. Inter quos Sallustius (vt Nonius refert) hoc dixerat: *Patibulo eminus affigebatur.* Græci autem Crucem duobus nominibus passim appellare solebant, videlicet σταυρὸς & σκόλοψ. sed primo frequentiùs. Quæ tamen nomina, propriè non nisi stipitem singularem significant, siue acutum lignum, vel erectum, ac terræ infixum palum; cui affigi vel suspendi consueuerant, qui Crucis afficiebantur supplicio, vt Eustathius in Homerum declarauit.

Patibulũ.

Græcis σταυρὸς & σκόλοψ.

In Odyss. 3

Varias diuersasque Crucium formas, suggerente diabolo, hominum crudelitas, in ipsorum proprium ludibrium, dirum cruciatum, & atrocissimum interitum adinuenit exercuitque. Quæ tamen omnes ad hanc primam generalémque diuisionem (vt eumdem doctissimum Lipsium sequamur) videntur reduci posse; videlicet: Cruces omnes aut *simplices*, aut *compositæ* fuerunt. Simplices verò Cruces, illas appellamus, quæ antiquitus frequenter in promptu erant; C
cùm vno simplici, erecto, & humi infixo ligno homines necabantur. Quæ Crucis forma antiquior fortasse fuerat, & primitus introducta: à qua rudi atque informi, ad alias politiores & affabrè factas posteà deuentum est. Sed hæc quoque duplex erat. Nam alia ad *affixionem*, alia ad *infixionem* inseruiebant. Ad affixionem erat, cùm homo affigebatur Cruci; ad infixionem verò, cùm illa homini infigebatur. Affigere quandoque solebant homines, manus pedésque eorum alligantes funibus: quandoque verò clauis terebrantes; idque palis terræ infixis, seu stipitibus; vel illos ipsis configentes arboribus, quibus in hunc frequenter abutebantur vsum, præsertim cùm ingens hominum numerus crucifigendus esset, ne tot palis siue stipitibus humi figendis fatigarentur. Quod innuere voluit Propertius, cùm dixit:

Variæ Crucis formæ.

Crux simplex.

In Cruce affixio.

Lib. 3. Elegia 21.

Arboreasque Cruces Sinis, & non hospita Graiis
Saxa, & curuatas in sua fata trabes. D

Arboribus autem loco Crucium abusus est Tiberius; cùm Prouinciam Africam Proconsulari imperio obtinens, maleficos Saturni sacerdotes, qui immani crudelitate pueros idolo illi palàm sacrificabant, iussit eisdem arboribus crucifigi, quæ illius vani ac mendacis dei templum adumbrabant. Cuius facinoris his verbis meminit Tertullianus: *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palàm, vsque ad Proconsulatum Tiberij, qui eosdem sacerdotes, in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votiuis crucibus exposuit.* Quòd Carthaginensibus immanissimus mos esset humanas victimas impiè nimis, ac planè execrabiliter idolis, Saturno autem præcipuè, sacrificandi, Lactantius Firmianus Pescennij Festi auctoritate suffultus, amplam fidem astruit his verbis: *Pescennius Festus in libro*

Saturni sacerdotes à Tiberio arboribus affixi.

In Apolog. aduersus Gẽtes, c. 9.

Diuin. instit. lib. 1. c. 21.

A *libro Historiarum per satyram refert, Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: & cùm victi essent ab Agathocle Siculorum Rege, iratum sibi Deum putauisse: itaque vt diligentiùs piaculum soluerent, ducentos nobilium filios immolasse.*

Arboribus quoque pro Crucibus, sanctos Martyres quamplurimos suffixos fuisse constat: inter quos primas sibi iure optimo vindicet fortissimus Christi Martyr Paphnutius: qui dum in Ægypti solitudine sanctam atque ab hominibus remotam vitam duceret, cùm intellexisset, multos Christianos quotidie ob fidei confessionem carceribus mancipari; diuino concitatus Spiritu, sponte se coram Præside constituit: ac liberè se Christianum esse contestans, primùm catenis vinctus, deinde equuleo diu tortus, demumque Diocletiano Imperatori, vnà cum plurimis aliis Christianis transmissus, ipse palmæ arbori configitur, ceteri ferro obtruncantur. Quorum in Romano Martyrologio his verbis fit commemoratio: *Ipse palmæ affigitur, ceteri autem ferro necantur*. Ad arborem *Martyres arboribus affixi.* *S. Paphnutius.* xxiv. Septembris.
B pariter alligatus, crucifixus est sanctus Papa, siue Papus Martyr; in cuius passionis memoriam atque honorem, Deus eamdem arborem, quæ priùs sterilis erat, fructuosam reddidit. De eodem etiam in Romano Martyrologio fit mentio: *Deinde arbori alligatus, migrans ad Dominum, eamdem arborem ex sterili reddidit fructuosam.* Aguntque de eo Græci pariter in Menologio, vbi complures alij eiusdem Martyris cruciatus narrantur. Sed inter ceterorum sanctorum Martyrum multitudinem, qui simili mortis genere pro Christo necati sunt, de his duobus obiter meminisse sufficiat, dum de crucifixione ad arbores egimus, quæ apud veteres erat in vsu. Idque tantùm dixisse satis sit de prima illa simplici Crucium forma, ad quas homines affigi consueuerant. *S. Papus.* xvi. Martij.

Reliquum nunc est, vt de secunda illa simplici pariter agamus, quæ hominum corporibus infigebatur: quæ quidem erat palus erectus, & acutus, qui per obscœna hominis nudi violenter adactus, ac per dorsi spinam penetrans, emer- *In Cruce infixio.*
C gebat denique per os miserrimi ac planè infelicis illius hominis, quem dira & crudelis sors ad tam immane atque horribile supplicium destinabat. Eodem pænè truculentissimo mortis genere, quo Turcæ hodie in damnatos suos animaduertere solent: quod apud nos Italos dicitur *impalare*. Cuius Crucium speciei siue formæ obiter meminit Seneca, in libello suo de Consolatione ad Marciam, his verbis: *Alij per obscœna stipitem egerunt*. atque alibi latiùs ac lucidiùs hoc modo: *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & equuleos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem.* Sic itaque veluti in verubus assandos hœdos, erecto humique infixo stipite, morte extinguendos, ac putredine absumendos relinquebant. Hæc ab Antiquis Crux *acuta* dicebatur; vt ex verbis Mæcenatis, quæ refert Seneca, clarè colligitur: qui turpi admodum, & viro forti prorsus indigna voce, dicere solebat: Non renuere se manibus, pedibus, coxendicibusque truncari, aut quibuscumque doloribus subiici, ac demum *Turcis vsitata.* *Crux acuta.*
D acuta infigi Cruce, dummodò inter mala illa spiritus retineretur, vitaque prorogaretur. Cuius Mæcenatis carmina, inter eiusdem Senecæ opera, volenti cuique videre liceat, sic à Mureto correcta:

Debilem facito manu, Seneca epist. 101.
Debilem facito pede, coxa;
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, sustineo Crucem.

Et hæc quidem de primo membro generalis Crucium diuisionis, quam su-

periùs proposuimus, hactenus potissimùm dixisse sufficiat. Agemus nunc de Crucibus *compositis*, quæ manibus construebantur; idque duplici è ligno, vt patet ex lectione libri Iosuę, ex Hebraico in Græcum per Septuaginta Interpretes traducta: nam vbi in vulgata editione est *Lignum*, & in Chaldæo Paraphraste *Crux*, ipsi verterunt ξύλον δίδυμον, id est *duplex lignum*, siue *duo ligna*, quibus vera Crux formabatur, in qua brachia etiam explicabantur. De qua Origenes hoc modo: *Post omnia autem etiam Rex Hay in ligno gemino dicitur esse suspensus.* Compactæ istæ & ex duobus lignis compositæ Cruces, variis diuersisque constabant formis: quas tamen ad triplicem speciem reducere possumus. Quarum prima illa est, quam Latini *Decussatam* Crucem appellabant. Hæc quidem duobus rectis & æqualibus in medio connexis erat compacta lignis, quæ inter se obliquabantur, in eorumque extremitatibus dilatabantur; ad formam litterę X. Secunda verò est, quam *Commissam* Crucem dicebant; constabátq; ex erecto ac longo ligno altero, cui breuius alterum supernè, & in ipso capite, ex transuerso committebatur; ita vt ex primo illo erecto nihil superiùs extaret superemineréтve: referebátque adamussim formam nostræ litteræ T. Tertiam autem, *Immissam* Crucem appellabant, quæ formabatur ex ligno altero erecto, cui alterum transuersum iniungebatur atque immittebatur; ita vt ex primo illo erecto ligno pars aliqua supra transuersum emineret: ea compage videlicet, vt quemadmodum commissa Crux ternos tantùm angulos siue fines habebat, sic in ista essent quaterni. Et vt paucis absoluamus; Crux ista constructa erat ad eam formam, quam hodie picturæ pariter & sculpturæ oculis nostris passim ingerunt; quámque nos Christi fideles, tamquam nostræ redemptionis instrumentum, & Christi crucifixi imaginem, veneramur, ac quatenus honor ad Christum ipsum refertur, piissimè adoramus, nempe forma tali ✠. De qua trina Crucium forma & specie, atque de earum singulis, singillatim & seorsum agemus.

Crux composita. — In Iesu Naue cap. 8. Homilia 8. — *Crux decussata.* — *Crux commissa.* — *Crux immissa.*

A B C

CAPVT III.

De Cruce decussata.

DECVSSATA Crux, sic appellata est à Latina dictione *Decussis*, quæ decem significat; à qua verbum *Decusso, decussas*, quod propriè est in duas partes scindere, & ad Decussis figuram redigere. Vt puta; per demonstrationis modum: si duæ ducantur lineæ, quarum altera à Septemtrionis dextera extensa, ad Austri sinistram terminetur; altera verò à sinistra Septemtrionis, ad dexteram Austri pertingat plagam; vt in centro vno sese inuicem coniungentes, atque obliquè intersecantes, ad formam litteræ X reducantur, vt docuit Plinius, cùm dixit: *Ducantur deinde duæ aliæ lineæ in decusses obliquæ, ita vt à Septemtrionis dextera læuâque, ad Austri dexteram læuamque descendant, & omnes currant per eumdem vmbilicum.* Quamobrem cùm diuus Hieronymus ageret de benedictione, quam filiis Ioseph dederat Iacob Patriarcha (qui vt primogeniti iura transferret in Ephraim, secundo loco genitum, brachia sua in Crucis figuram conformauerat; dexteramque suam super caput eius qui stabat ad sinistram extenderat) hoc decussationis vocabulo vsus est, dicens: *Sed in mysterio Crucis, decussatis manibus, qui stabat ad sinistram Iacob, dexteræ manus suscepit benedictionem.* Veteres autem, vt & nos quoque, hac figura numerum denarium significabant; quia ex duobus quinariis simul iunctis conformatur, vt experimento videre licet. Nam si figuram hanc per medium seces, duæ litteræ V relinquentur; ex quarum qualibet figura quinarius numerus commonstratur. Quocircà non nisi

Decussata vnde dicta. — *Eius forma.* — Libro 18. cap. 34. — *A Iacob filiis Ioseph benedicente, adũbrata.* — In Ierem. cap. 31. — *Numerus denarius hac Crucis figura expressus.*

D

A niſi ſolidæ admodum rationi Veteres innixi, hiſce duobus coniunctis figuris numerum hunc ſignificandum demonſtrandumque cenſuere denarium. Quandoquidem omnes numeri, quibus denarius ipſe conflatur, ſi ſimul in vnam colligantur ſummam, vltrò per ſe ipſos in duos quinarios diuiduntur, vt hîc videre licet.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
55

Myſteriis ſanè quamplurimis referta, immò myſteriis omnium refertiſſima eſt hæc littera X. Nam, vt ſanctus Iſidorus ait, ipſa ſui figura Crucem repræſentat, & numero decem ſignat. Namque in ordine Alphabeti noſtri vigeſima prima littera eſt; ſignificatione verò eſt denarius. Quocircà Dei vnitatem in eſſentia, & Trinitatem in Perſonis, nobis myſticè demonſtrat. Numerus enim vigeſimusprimus in ſeipſum collectus, nihil aliud eſt quàm ternarius. Etenim ſi duæ hæ figuræ 2. & 1. quibus numerus iſte componitur, in ſummam vnam colligantur, in tres rediguntur; denarius autem in

Littera X myſteriis plena.

B vnitatem redit. Quamobrem Plato cenſuit, denarium numerum ea potiſſimùm ratione perfectum eſſe, quòd ab vnitate ſuum ſumens exordium, tot ſimplicibus, coaceruatiſque monadibus conſtruitur, donec decade completa, in ipſam denuò, à qua proceſſit, refluat vnitatem. Hinc recentiores Arithmetici, denarium numerum efformare volentes, ſola vnitate, adiecto circulo, hoc pacto demonſtrare ſolent, 10. Qua quidem figura apertè innuitur, numerum hunc non minùs quàm vnitatem circularem eſſe. Quandoquidem coaceruatus, atque in ſeipſum ſtrictè coagmentatus, quaſi per circulum ad vnitatem redit, à qua principium ſuum ſuamque traxerat originem. Quemadmodum verò denarius numerus denuò in vnitatem refluit, à qua proceſſit; ſic omne fluens reuertitur ad id, à quo ſui fluxus principium obtinuit. Sic aqua ad mare currit, à quo traxit originem: corpus ad terram, de qua formatum eſt, reuertitur: tempus ad eamdem redit, à qua fluxit, æternitatem: anima ad Deum, à quo creata

Denarius numerus perfectiſſimus.

C eſt, regreditur. Omnia denique creata, in nihilum reuerterentur, perinde ac de nihilo creata ſunt; niſi à diuino æternoque Verbo, in quo vniuerſa ſunt condita, ſuſtentarentur conſeruarenturque. At, vt de hac re ſummatim dicam; neſcio quid diuini huic denario numero ineſſe videtur. Nam ſicut denarius ab vnitate incipiens, in ipſam vnitatem deſinit; ſic omnia à Deo principium obtinent, & in Deo ipſo finem habent. Quamobrem vltra denarium dari non poteſt numerus. Sanè cùm denarius non minùs quàm vnitas ipſa Deo ſit conſecratus; hinc eſt, quòd veteri Lege decimas omnium, non ſecùs ac primitias, Deus ipſe ſibi offerri præceperat, dicens: *Decimas & primitias non tardabis offerre*. Et hoc quidem, vt primitiæ tamquam numerorum principium, & decimæ tamquam finis eorum, illi redderentur, qui rerum omnium principium & finis eſt.

Decimæ & primitiæ Deo ſacræ. Exodi 22.

Sed vt ad litteram ipſam X reuertamur, illa (vt paucis rem perſtringamus)

D nihil aliud eſt, quàm quattuor lineæ, quæ à centro ſiue à puncto vno egreſſæ, in quattuor partes extenduntur: vel quattuor lineæ ſunt, quæ ex quattuor diuerſis partibus exeuntes, in centrum vnum ductæ, inuicem connectuntur. Qua in re duo planè altiſſima reuelantur myſteria. Quorum primum illud eſt, Veteres non ſine diuino afflatu hiſce quattuor lineis denarium numerum ſignificare voluiſſe; quandoquidem id quod denarius eſt actu, idem & quaternarius eſt potentia: quaternario enim denarius virtualiter & eſſentialiter continetur. Quoniam ſi omnes numeros, qui quaternario continentur, ſingillatim, atque ſimul computauerimus, inueniemus profectò illos conficere denarium. Qui numerus, vt ſuperiùs iam innuimus, immenſitatis omnium numerorum perfectio ac terminus eſt: circa quem omnes per gyrum vertuntur atque terminantur

Alia myſteria litteræ X.

numeri. Quapropter optima ſanè ratione inducti Græci Philoſophi, quaternarium ἀποτελεσματικὸν, id eſt, perficientem dixere. A

Secundum verò, atque altius myſterium illud eſt, quòd quemadmodum denarius ab vnitate fluens, in eamdem vnitatem refluit; atque vt quattuor iſtæ lineæ à quattuor diuerſis partibus deductæ, in vnum centrum coëunt; ſic per hanc myſteriis refertiſſimam figuram X nobis innui videtur, Chriſtum Dominum noſtrum per ſanctæ Crucis ſuæ inſtrumentum, ad ſui gregis vnitatem reducturum fuiſſe Gentes, quæ velut errantia pecora per quattuor mundi partes in erroribus peccatorum, ac diaboli captiuitate longiùs aberrantes, miſerabiliter vagabantur. Quod præclarè quidem, licet neſciens quid diceret, in Concilio Scribarum & Phariſæorum pronuntiauerat Caiphas, cùm dixit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Quorum verborum admirandum planè myſterium vt nobis exponeret ac declararet Euangeliſta ſanctus, doceretque quonam pacto homo ille impurus tanta prædicere potuerit, inquit: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, quia Ieſus moriturus erat pro Gente, & non tantùm pro Gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* B

Gentium conuerſionem quodammodò deſignat.

Ioan. 11.

Ea eſt aliquorum ſententia, vt huic Decuſſatæ Cruci textus ille Platonis in Timæo applicari debeat, vbi inquit: Ἐχίασεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί. id eſt: *Decuſſauit eum in vniuerſo.* Cuius textus totam clauſulam Marſilius Ficinus ſic vertit: *Tunc ſeriem hanc vniuerſam in longum ſecuit, & vna duas fecit, mediamque mediæ in ſpeciem X Græcæ litteræ commendauit*. At Cicero in Tractatu ſuo de Vniuerſitate, iam pridem ante eum eamdem ſic interpretatus fuerat: *Hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffidit, mediæque accommodans, mediam quaſi decuſſauit.* Sanctus verò Iuſtinus Martyr inter ceteros aſſerit, hoc loco Platonem phyſica & naturali ratione de Dei Filio loquētem, ſupradicta verba de eo ſcripſiſſe, poſtquam legerat figuratum & ſymbolicum illud Moyſis facinus, quo C æneum ſerpentem exaltauit in deſerto. Sed quia clarè id percipere non poterat, nec intellexerat, illud Crucis eſſe figuram, ſed quamdam decuſſationem tantummodò, cuius formam X littera repræſentat; neque ſolo humano captu ſuo attingere valens diuinæ virtutis myſterium, quod in figura illa latebat, proptereà dixit: *Decuſſauit eum in vniuerſo.* Verba autem eiuſdem ſancti Iuſtini, ex Græco in Latinum conuerſa, hæc ſunt: *Et quod in Timæo Plato phyſica naturalique ratione de Filio Dei dixit, cùm ait: Decuſſauit eum in vniuerſo*. Narrata verò ſummatim exaltatione Serpentis à Moyſe facta, vt diximus, in deſerto, hæc ſubiungit: *Ad hunc etiam videlicet modum, hiſce lectis, ſcripſit Plato. Verùm quòd non certò noſſet neque intelligeret Crucis eſſe figuram, ſed decuſſationis formam, quæ litteram X refert, intelligentia complecteretur, eam quæ ſecundùm Principem Deum eſt virtutem, decuſſatam in vniuerſo dixit.*

Platonis verba ad Crucis decuſſatæ myſterium referenda.

S. Iuſtinus Apolog. 2. pro Chriſtianis, ad Antoninū Pium Imp.

Hæc decuſſata Crux, *Andreana*, ſiue Crux *ſancti Andreæ* vulgò paſſim appellatur; quòd conſtans & ſermone omnium celebris fama ſit, eumdem Apoſtolum, in Cruce ad hanc figuram efformata, pro Chriſti Domini fide ſubiiſſe martyrium. Quamquam non deſint qui ſcripſerint, non in Cruce huius formæ, ſed in quadam arbore eum fuiſſe crucifixum. Inter quos S. Petrus Chryſologus in fine cuiuſdam ſermonis ſui, qui in ordine eſt CXXXIII. de eodem hæc protulit verba: *Petrus namque Crucem, arborem conſcendit Andreas.* Quod, vt Baronius in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis animaduertit, videtur deſumpſiſſe ex quodam Commētariolo Hippolyti Martyris Grecè manuſcripto, quod extat in Bibliotheca Cardinalis Sirleti, quæ hodie eſt penes heredes Illuſtriſſimi quondam Cardinalis Aſcanij Columnę. In quo Commētariolo verba hæc D

In ea Andreas Apoſtolus martyrium paſſus:

Etſi Chryſologus arbori affixū ſentiat.

A hæc Græca quidem ibi,ſed hoc modo in Latinum conuerſa leguntur : *Andreas crucifixus eſt Patris in Achaia,ad arborem oliuæ rectus.* Verùm ea mihi ineſt ſententia, Romani videlicet Martyrologij auctoritatem maioris ponderis eſſe debere; vbi dicitur,beatiſſimum Apoſtolum in Cruce ſublatum fuiſſe ; in qua pendens, biduo ſuperuixit,prædicans ac docens populum. Quod certè ei opinioni,quam iam omnes pæne communiter imbiberunt,magis congruit. Cui & illud etiam magis conſentaneum eſt,quod legitur in libro,qui ſub nomine Abdiæ Babylonici circumfertur : vbi pari modo aſſeritur eum in Crucem actum eſſe ; in qua, iubente Egea Proconſule, non clauis manibus pedibúſve infixis, ſed funibus ſubſtrictum fuiſſe,vt diutiùs in eadem Cruce torqueretur. Cuius libri hæc ſunt verba : *Et hæc dicens, beatiſſimus Apoſtolus Andreas expolians ſe, tradidit miniſtris, qui ligantes manus & pedes eius, ſecundùm quod eis fuerat præceptum, ſuſpenderunt eum in Cruce.* Sed & hoc etiam apertiùs aſſeritur in paſſione eiuſdem ſancti Apoſtoli, à Presbyteris ac Diaconis Eccleſiarum Achaiæ conſcripta, quam Lipomanus Epiſcopus ac Laurentius Surius referunt in Sanctorum ab eis collectis Vitis,ſub die xxx. Nouembris. Quorum verba,quæ ad inſtitutum hoc attinent, hæc ſunt : *Et hæc dicens,expoliauit ſe,& veſtimenta ſua tradidit carnificibus,qui accedentes leuauerunt eum in Cruce; & extendentes funibus totum corpus eius (ſicut eis iuſſum fuerat) ſuſpenderunt.* Et hæc quidem de Decuſſata Cruce hactenus.

Abdias Babylonicus Apoſtolicæ hiſtoriæ lib. 3.

B

CAPVT IV.

De Commiſſa Cruce.

COMMISSA Crux, vt ſuperiùs diximus, figuram litteræ T repræſentabat, quæ vitæ, felicitatis, & ſalutis ſignum ac ſymbolum erat. Quamobrem C veteris militiæ Notarij ſiue Scribæ apud antiquos Ethnicos, penes quos erat album, cui nomina eorum qui militiæ nomen dederant, inſcribi ſolebant; quibus id curæ demandatum erat, vt viuorum ac mortuorum ſedulam inirent rationem, qua in promptu eſſet ſcire quot ſuperſtites milites eſſent, quotque in bello cecidiſſent ; in ipſo margine, è regione, atque in capite nominis cuiuſque viuentis militis,litteram T annotare conſueuerant. Ad caput verò cuiuſque demortui,Θ litteram adſcribebant : cuius figura, quaſi telo quodam per medium transfixa demonſtratur; nempe à ſigno mortis, quam Græci Θάνατον appellant. Quocircà admonere volens Perſius, vitium in nobis penitus extingui debere, dixit :

Commiſſa Crux figurā litteræ T repræſentat, quæ vitæ & ſalutis ſymbolum.

Θ mortis nota.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta. Satyra 4.

Vitale hoc & veræ ſalutis ſignum T illud eſt, quo magnus atque miſericors Deus, ab ipſo rerum exordio nobis innuere voluit,ſe quandoque mandaturum D eſſe, vt eodem frons illorum ſignaretur, quos pro pietatis ac miſericordiæ ſuæ munificentia,donoque gratuito, à furore iuſtæ iræ ac diuinæ vltionis ſuæ ſeruatos & liberos eſſe vellet. Quod altiſſimum planè myſterium Ezechieli Prophetæ præcipuè tunc monſtratum eſt, cùm ſex illos homines videret, qui ad Ieroſolymæ ciuitatis populum interficiendum miſſi fuerant : in quorum medio vnus erat lineis indutus,& ſcriptoris atramentarium ad renes eius ; cui Deus iniunxerat,vt tranſiens per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, ſignaret Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus,quæ fiebant in ea. Ceteris verò qui cum illo erant, mandauerat,vt ſequentes eum, omnes percuterent atque interficerent, nulla prorſus ſiue ſenum ſiue iuuenum, ſiue feminarum aut maſculorum habita ratione; diſtrictè tamen eis inter-

Frontes ſaluandorum ſalutari ſigno Tau Deus inſigniri iuſſit.

interdicens, ne quemquam occiderent quem Tau ſignatum vidiſſent; vt in A
Ezech.c.9. ipſius Prophetæ textu latiùs continetur, cuius hæc ſunt verba: *Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit, audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite. Non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentem, & virginem, paruulum, & mulieres interficite, vſque ad internecionem. Omnem autem ſuper quem videritis Tau, ne occidatis, & à Sanctuario meo incipite.*

Iudæorum de eo opinio. Iudæi autumant, Deum inſcribi feciſſe ſignum Tau frontibus illorum, qui ex horribili ſtrage atque internecione illa euaſuri erant, vt oſtenderet eos ſolos ex vniuerſo populo illo, ab eadem publica calamitate meritò ſeruandos ac liberandos eſſe, quia ſoli diuinam eius legem obſeruaſſent: quandoquidem littera Tau prima eſt, qua dictio iſta תורה *Thora* ſcribitur, quæ diuinam legem ſignificat. Et quoniam littera Tau omnium Hebraicarum litterarum vltima eſt, B atque Hebraici Alphabeti finis & complementum; ideò Iudæi ipſi putabant, voluiſſe Deum hac figura inſigniri eos, qui omnem diuinæ legis voluntatem, quantum fert humana fragilitas, adamuſſim impleſſent; quippe omnia diuina mandata, à prima vſque ad vltimam litteram, exactiſſimè obſeruaſſent. Quamobrem de hac re ita diuus Hieronymus: *Siue vt Hebræi autumant, quia lex apud eos appellatur* תורה, *quæ hac in principio nominis ſui littera ſcribitur; illi hoc accepere ſignaculum, qui legis præcepta compleuerant.* (In Ezech. c.9.)

Chriſtianorum ſententia. At nos dicimus, Deum optimum maximum, viſione hac, quam Prophetæ oſtenderat, myſticè innuere voluiſſe, neminem ab interfectione magna, à morte ſcilicet æterna, vel ab ira tremenda quæ in die Iudicij hominum ſcelera acerrimè vindicabit, ſeruandum, ni ſigno Tau, id eſt, Cruce Chriſti Domini ſancta, conſignatus fuerit; ſi Crucis, paſſioniſque & mortis Chriſti fidem interiùs impreſſam non habuerit; ſi exteriùs in fronte, quæ interioris fidei, interioris charitatis, internæque conſtantiæ index & argumentum eſt, Chriſti Crucem ſculptam non præferat, illamque liberè & palàm non confiteatur & prædicet: ac C denique, ſi omnem ſpem ſalutis & gloriæ ſuæ, Crucem eſſe non putans, illum veſtigiis aſſequi non adnitatur, qui ad ſequendum ſe milites ſuos cohortans dixit: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* (Matth.16.) Quibus profectò verbis, monitos nos eſſe voluit, neminem cum Chriſto æternam vitam ingredi poſſe, qui priùs per tribulationum ſemitam in hoc mundo, veſtigia illius non preſſerit, qui viam nos docuit; Crucemque humeris, manibus, ore, & corde non tulerit.

Quòd ſignum Tau pro Cruce ſit accipiendum, omnes ferè Doctores Eccleſiaſtici teſtantur. Quocircà Tertullianus inquit: *Ipſa enim littera Græcorum Tau, noſtra autem T ſpecies Crucis.* (Aduerſus Marcioné, lib.3.c.22.) Quin etiam illud ſciendum eſt, vt diuus Hieronymus locis pluribus admonet, Hebræos, antequam in Babylonicam ſeruitutem D captiui adducerêtur, habuiſſe litterarum characteres, ab his quibus hodie vtuntur, forma atque figura valdè diſſimiles. Habebant enim tunc adhuc, ſimulque cum Samaritanis iiſdem characteribus vtebantur, quos ab ipſo Moyſe acceperant. Verùm Eſdras, Hebræis ipſis poſtliminio reuerſis, ea potiſſimùm ratione nouos characteres dedit: vt quemadmodum diuino cultu diſpari, diſparibuſq; moribus à Samaritanis viuebant; ſic diſſimilibus quoque in ſcribendo litteris & characteribus vterentur, ab illis qui infideles, idololatræ, & Hebraici nominis hoſtes habebantur. Quamobrem vetuſtiores illi characteres diutiùs apud eoſdem remanſere Samaritanos, quibus adhuc vſque ad ſancti Hieronymi tempora vtebantur. Idcircò teſtatur ipſe inter characteres illos, qui apud Samaritanos,

Eſdras Hebræorum characteres innouauit, ne iiſdem quibus Samaritani vterentur.

A ritanos, ipsis etiam temporibus suis, erant in vsu; Tau litteram, Crucis formam & imaginem retulisse. Sic enim inquit: *Et vt ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie Samaritani vtuntur, extrema Tau littera Crucis habet similitudinem, quæ Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Cuius quidem mutationis Hebraicorum characterum formæ, quam fecerat Esdras, ac de Crucis figura, id est Græcæ litteræ X, quam antiqua littera Tau referebat, ipsi etiam Rabbini Hebræi fidem faciunt, ac inter eos præcipuè Rabbinus Azarias in suo Abecedario.

In Ezech. c.9.

Vetus Hebræorum Tau Crucis formam referebat.

Quòd signum Tau, quo in fronte ab Angelo signati fuerant hi qui seruandi erant, & de quo mentionem facit Ezechiel, Crucis fuerit signum, diuus etiam Cyprianus his verbis affirmat: *Quòd in hoc signo Crucis, salus sit omnibus qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Deus.* Apertiùs autem id quoque dixit Origenes; cuius verba Latinitati reddita, hæc sunt: *Deinde in Ezechiele*
B *Propheta, cùm omnes qui missus fuerat Angelus occidisset, & interfectio cœpisset à Sanctis, illi tantummodò sospites reseruantur, quos Tau littera, id est Crucis pictura signauerat.* Sic paucis quidem, sed clarè, idem pariter affirmat sanctus Isidorus, cùm ait: *Tau littera speciem Crucis demonstrat.*

Testim. aduersus Iudæos, lib.2. cap.22.

Origenes in Homilia de Epiphania Domini.

Quin & litteram T speciem esse Crucis, ipsi etiam Ethnici notauere scriptores: inter quos Lucianus, in paruo illo Tractatu suo, cui titulus est Δίκη Φωνηέντων, id est *Iudicium Vocalium*, fingit in iudicium aliquando vocatam litteram hanc Tau à Sigma: cumque ambæ coram Iudicibus constitutæ essent, atque in contentionem ac disceptationem venissent, grauissimam & atrocissimam ipsi Tau à Sigma esse intentatam querelam, illudque furti ac rapinæ insimulatum; vtpote quòd aliena dolosè inuadens atque surripiens, litteram ipsam Sigma à compluribus dictionibus violenter expulisset; & loco illius, ipsum Tau nullo voto legitimo, nulloque intercedente decreto, temerè se ingessisse & intrusisse.
C Quocircà æquum videri sibi vt tanti furti ac latrocinij meritas pœnas daret, in eomet patibulo, cuius ipsum formam & figuram referebat; id est, in Cruce. Sic enim ille: *Plorant homines atque vices dolent, atque ipsum Cadmum execrantur, quòd Tau in litterarum genus induxerit. Aiunt enim Tyrannos, eius litteræ corpus secutos, atque figuram imitatos, posteà simili figura ligna fabricasse, in quibus homines suspendant: atque ex hoc huic tam perniciosæ fabricæ pessimum nomen obuenisse. Propter ista omnia, quot mortibus ipsum Tau dignum iudicatis? Ego quidem existimo, meritò hoc solum ad supplicium ipsius Tau relinqui, vt pœnam in sua illa figura sustineat, quòd Crux ab eo fabricata est, & ab eo nomen illi homines imposuerint.* Hæc Lucianus. Pro Tau Virgilius etiam Crucem intellexit; quod his versibus suis, licet subobscurè aliquantulùm, expressit, Crucem ipsam Tau Gallicum appellans:

Tau speciē esse Crucis, etiam Gentiles agnouere.

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste, iste Rhetor: namque quatenus totus
D *Thucydides Tyrannus Atticæ febris*
Tau Gallicum spinæ ipsemet malè illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

Tau Gallicum.

In Catalect. ad Tuccam.

Quamobrem cùm Ioannes Goropius Becanus rationem diligenter inquireret, cur Virgilius Crucem ipsam Tau Gallicum, quàm Tau Græcum, vel etiam Tau Hebraicum appellare maluerit; testatur, rerum antiquissimarum maiorem cognitionem, quàm nemo alius Latinorum auctorum, habuisse Virgilium: quippe qui non solùm diligentissimè euoluerat atque peruestigauerat omnia quæ de scientiarum principiis, deque antiquitatum notabilibus monumentis, prisci tum Græci tum Latini Auctores scripta reliquerant; verùm etiam in rerum sacrarum ac reconditarum illarum notitiam & cognitionem penetraue-

Hieroglyphicorum lib.16.

trauerat, quæ his tantummodò, qui solemnibus cæremoniis illis initiabantur, A atque ad illarum professionem peculiari ritu admittebantur, cognita erant. Quocircà cùm pleraque Vaticinia, quæ Sibyllæ scripserant, surripuisset; ea ipsa sibi adsciuit, atque inter opera sua publicauit. Quare putare se dicit idem Becanus, intellexisse Virgilium à quopiam illorum sacerdotum qui Druides appellabantur, vel fortè aliunde habuisse notitiam, illos characteres scilicet, illasque litterarum figuras, inter quas erat Tau, priùs apud Gallos quàm apud Græcos in vsu fuisse; ideoque Tau Gallicum, Crucem ipsam appellare voluisse. Addit prætereà, credere se, Virgilium Crucem Tau Gallicum ea potissimùm ratione appellasse, quòd natione Gallus existens, primam litterarum inuentionem Gallis ipsis adscribere voluerit, qui à Comero Gallo originem ducere gloriabantur.

In Gallicis lib. 5.

Verùm de re hac verba concludens, ait, Crucem iure optimo Tau Gallicum appellari posse; quandoquidem Galli, populos placentes & gratos significant: cùm nulla res alia sit, quæ homines magis Deo placentes ac gratos reddere possit, quàm Crux ipsa: quæ cognomen istud non tantùm à Gentibus illis obtinuit, qui Galli vocantur; sed generaliter à populis omnibus, qui Deo placentes B & grati sunt. At Cælius Rhodiginus tradit, Crucem ideò Tau Gallicum appellatam esse, quia Galli Crucem ipsam ad Tau formam construere solebant: atque hinc factum esse dicit, cur apud plerosque celebres Auctores ipsum Tau pro Cruce ponatur.

Lib. 6. c. 8.

Tau Græcis trecentum.

Gedeon cur trecentos viros aduersus Madianitas delegerit.

In Sermone Feriæ 2. post Dominicam Passionis.

Scribit sanctus Augustinus, litteram Tau apud Græcos significasse trecentum: ideoque intelligens atque præuidens hoc mysterium Gedeon, cùm inuasurus esset Madianitas, exquisitissimo militum delectu primùm habito, pro conflictu ac prælio illo trecentos viros tantummodò sibi adsciuisse; vt innueret, mundum non in viribus numerosæ multitudinis, ab impetu atque oppressione immanium hostium, sed per Crucis sacramentum, liberandum esse: *Præuidit*, inquit, *mysterium sanctus Gedeon: denique elegit trecentos viros ad prælium, vt* C *ostenderet, non in numero multitudinis, sed in sacramento Crucis, mundum ab incursu grauium hostium liberandum. Trecenti enim in Græca Tau, similitudinem Crucis ostendunt.* Idem quoq; scripsit sanctus Paulinus Nolanus Episcopus; asserens, Christum non in multitudine copiarum, aut legionum robore debellasse prostrauisseque aduersarios Principes, dæmones scilicet, Principes ac rectores tenebrarum; sed in sacramento Crucis, cuius figura trecentorum numero per Tau Græcam litteram repræsentatur exprimiturque: *Sicut ille* (inquit sanctus Paulinus) *non multitudine, nec virtute legionum, sed iam tunc in sacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduersarios Principes debellauit.*

Ad Sulpitium Seuerum, ep. 2.

Crucis ad litteræ T formam compactæ mysteria.

Crux ista ad formam litteræ T compacta, duobus componebatur lignis; altero erecto, altero verò transuersali; quæ in tres fines siue extremitates terminantia extendebantur. Quo profectò innui videbatur, secundam sanctissimæ Trinitatis personam, quæ per erectum significabatur lignum, assumpturam esse D humanam naturam, transuersali ligno denotatam: atque in hoc sacro ac prorsus admirabili trium acuminum triumque capitum instrumento exaltata, redemptionis nostræ mysterium operari debebat; subiiciens ac subiugans excelsæ Maiestati diuini imperij sui tria illa Regna, quæ innuere voluit Apostolus, cùm dixit: *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quæ omnia quia Christus Dominus deuicturus erat, proptereà mortem, mortisque instrumentum tanto mysterio aptissimum, sibi delegit. Nam in sacro hoc instrumento altiùs subleuatus atque exaltatus, aëreas potestates vicit, & expoliauit; extendensque hinc inde tota die manus suas ad populum non credentem,

Ad Philip. cap. 2.

A tem, & contradicentem sibi, terrenorum hominum iniquitates ac peccata destruxit. Ea verò Crucis extremitate, quæ humi erat infixa, debellauit & expoliauit infernum.

Erat etiam admirabile instrumentum istud, duobus lignis compactum, quæ in tres extremitates terminabantur; vt inde aliud mundo altissimum ostenderetur mysterium. Etenim per duo hæc ligna, duo illi mystici signabantur dies; de quibus Dominus ipse noster intelligere voluit, cùm dixit: *Hodie & cras signa facio*. Quorum dierum primo, naturalis legis tempus denotauit, quod ab ipsius mundi exordio ad Moysis vsque tempora fluxit; quo tot signa in Ægypto, tantaque in deserto facta fuere prodigia. Secundo verò, tempus legis scriptæ designatum esse voluit; quod ad sui ipsius aduentum vsque, ex quo lex per eum Moysi data est, perdurauit, in quo per Eliam, per Elisæum, perque ceteros Prophetas eorum successores multa signa, multáque patrata fuere miracula. Lucæ 13.

B Demum verò idem ipse Dominus subiunxit, dicens: *Et tertia die consummor*. Qua sanè tertia die, tempus felicissimi ac beatissimi aduentus sui innuere voluit, in quo omnia quę de ipso scripta & prophetata fuerant, consummari atque impleri debebant. In quo insuper per sanctissimæ Humanitatis suæ exaltationem, in sacro hoc & mysteriis refertissimo instrumento, inque duplici hoc, atq; ternario ligno, redemptionem nostram operari debebat. Quod iam inde à sęculis quamplurimis anteà, Spiritus sanctus Oseæ Prophetæ reuelauerat. Quamobrem inquit: *Viuificabit nos Dominus post duos dies, in die tertia suscitabit nos*. Ex quibus profectò verbis, cùm in ternario numero, principium, medium, finemque contineri constet; clarè perspicitur, per tertiam diem, intelligere voluisse Prophetam, beatissimam illam temporum plenitudinem, in qua æternum diuinumque Verbum, virginali carne suscepta, atque amoris nostri gratia, humanitate assumpta, eademque in sanctæ Crucis ligno exaltata, euersam atque C prostratam naturam nostram reparando ac restaurando erexit. Oseæ 6.

Hoc idem præsignificauit etiam magnus ille Propheta Moyses, cùm dixit, Deum tertia die in locum vnum simul congregasse omnes aquas, quæ erant sub firmamento. Etenim post primam diem legis naturalis, secundamque legis scriptæ; in tertia denique Euangelicæ legis & gratiæ, nos Gentiles, qui tamquam dilabentes aquę super terram dispersi eramus, in congregationem vnam, id est, fidei vnitatem per sanctæ Crucis mysterium, & per Euangelij rete piscarium, in vnum congregati atque aggregati sumus. Ternis cuspidibus, ternísque finibus hæc T figura extenditur ac terminatur: cuius dictio & nomen Tau, ternis quoque characteribus conscribitur; quo sanè triplicem Crucem illam significat, quam in nobis ferre debemus. Quarum prima, Crux animæ appellatur, quæ est timor Dei. quoniam scriptum est: *Timor Dei configit animam, vt non respiciat ad dexteram, neq; ad sinistram*. Secunda, Crux carnis dicitur; & est mem- D brorum nostrorum mortificatio. Tertia verò, Crux spiritus appellatur; estque charitas illa qua Christum Dominum ardenter amare debemus; ita vt in Cruce ipsi semper inseparabili vnitate coniungamur; vt cum Apostolo dicere possimus: *Christo confixi sumus. Quis nos separabit à charitate Christi?* *Triplex nobis Crux subeunda; animæ, carnis, & spiritus.* Galat. 2. Rom. 8.

Magnum planè sacramentum dicit sanctus Ioannes Chrysostomus, hac figura celatur. Nam ternis acuminibus, ternísque extremitatibus suis, magnam altitudinem, magnam latitudinem, magnámque Crucis profunditatem significat. Magna, inquit, erat Crucis altitudo; vt Christus inde clamaret ac diceret: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Magna erat latitudo; quoniam maiorem charitatem nemo habere potest, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. Magnáque erat profunditas, vt Ecclesia sancta ad Deum ipsum clamare *Tres Crucis extremitates.* S. Chrysost. in Symbol. Apost. Homilia 2.

 posset:

possEt: *De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Neque sanè minore animaduersione aut consideratione dignum illud est; intueri scilicet nos, litteram hanc T fulcri illius siue baculi formam atque imaginem referre, quem manci, debiles, atque infirmi sub axillis deferentes, illius adminiculo suffulti, sustentantur. Quod, vt Ioannes Goropius testatur, Cimbrica voce Crux dicitur. In Hetruria, Gruccia; at in plerisque locis Italiæ, Crocia appellatur. ex cuius baculi denominatione atque officio, apertè intelligere & clarè perspicere possumus, Crucem illud verum fulcimentum esse, quod debilem, mancam, caducam atque prostratam naturam nostram erigere ac subleuare debebat: ipsámque illam procul dubio esse solidum ac securum sustentaculum, firmum atque robustissimum baculum, cui fragilitas nostra, ne cadat, néve in æternum præcipitium ruat, indesinenter & assiduè inniti debet. Hic insuper baculus ille est, quo antiquus hostis primum parentem nostrum Adam proditoriè inuasum, atque enormiter verberatum, omni existimatione, omni honore, atque omni prorsus gloria expoliauerat: cúmque in peccati prolapsionem impulisset, candida innocentiæ veste, originali iustitia atque diuina gratia eum orbauerat. A B

Littera Tau fulcri debilium formam refert.

Crux Christi, verum infirmitatis humanæ fulcrum.

At iustus & misericors Deus, tantam iniuriam, tantámque ignominiam dilectæ creaturæ suæ iniquissimè irrogatam, inultam, ac sine iusta & congrua animaduersione relinquere nolens; id fecit, quod huius sæculi Magnates plerumque facere consueuere: qui si forte aliquem ex consanguineis, vel dilectum quempiam famulum, baculo proditoriè percussum, ac per summam contumeliam enormissimè tractatum viderint; eamdem ignominiam sibi illatam ferentes, vt sibi ipsis integrè satisfiat, illum ipsum baculum, quo eorum consanguineus vel seruus verberatus fuerat, ad manus suas habere nituntur, eúmque penes se ad tempus opportunum studiosè seruantes, eodem postea occasione oblata iniquum percussorem illum repercutientes, iniuriæ quam alteri iniustè ac temerè irrogauerat, iustissimam mulctam exigunt. Ligno sanè diabolus, primos parentes nostros insidiis ac dolis circumuentos, in extremum exitium impulerat. At Dei optimi maximi incomprehensibili dispensatione, ligno ipse quoque castigatus atque deuictus est. In cuius præexcelsi facinoris, atque admirandi mysterij memoriam, Ecclesia sancta inexplebili superabundans gaudio, & quod in Saluatoris nostri æternam gloriam vertit, canit nunc sæpè, semperque hoc elogium lætissimè concinet: *Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, per Christum Dominum nostrum.* C

In ligno, quo diabolus vicit, à Deo vincitur.

Sciendum tamen est vocem hanc Tau, Hebraica quidem lingua, non vltimam tantùm Hæbraici Alphabeti significare litteram; verùm etiam quodlibet aliud signum. Quamobrem Septuaginta Interpretes, ac post eos Aquila & Symmachus, textum Ezechielis supradictum interpretantes, pro dictione Tau, dixere Signum. Theodotion verò, pro vltima Alphabeti Hebraici id intellexit. Idcircò cùm ipse etiam textum eumdem traduceret; pro vocabulo signum, vt Septuaginta Interpretes, Aquila Symmachusque interpretati fuerant, eamdem Hebraicam dictionem תו Tau ipse posuit: vt ostenderet, sicut diuus testatur Hieronymus, homines illos qui hoc Tau signati fuerant, perfectam habuisse scientiam: *Pro signo* (inquit Hieronymus) *quod Septuaginta, Aquila & Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit* תו Tau, *quæ extrema est apud Hebræos viginti & duarum litterarum; vt perfectam in viris gementibus & dolentibus scientiam demonstraret.* Atque hinc profectò perfidi ac peruicacissimi Iudæi, ne pertinacis perfidiæ conuincantur, contendunt, signum illud, Dei mandato, frontibus virorum illorum, de quibus Propheta loquitur, ab Angelo impressum, D

Tau quodlibet etiam signum Hebræis.

In Ezech. cap. 9.

A impressum, nequaquam fuisse litteram Tau, sed quoddam aliud signum: asserentes, in ipso textu Ezechielis positam non esse figuram siue characterem litteræ Tau simpliciter & solùm, hoc modo videlicet scriptum ת, sed integram dictionem תו Tau. At mirandum sanè non est, si infelix eorum peruicacia sub vanæ vmbræ huius cæcitate delitescere gestiat; quandoquidem iam à Prophetis prænuntiatum fuerat, illos in admirandi huius signi sacramentum, in quo hominum vita instauranda atque stabilienda erat, credituros non esse. Quamobrem magnus illis prædixerat Moyses, propter eorum perfidiam, à terra, quam Deus ipsis daturus erat, quandoque expellendos: ob eamque causam fore, vt per orbem vniuersum disperderentur: atque oculorum aciem tanta caligine eis perstringendam & occæcandam esse, vt videntes vitam suam (Christum scilicet Dominum nostrum) pendentem in ligno, illi non crederent. Quocircà Tertullianus inquit: *Huius autem signi sacramentum varijs modis prædicatum est, in quo* B *vita hominibus præstruebatur, in quod Iudæi non essent credituri. Sicut Moyses antè nuntiabat in* Exodo dicens: Eijciemini de terra, in quam introibitis, & in nationibus illis non eritis in requiem. Et non erit stabilitas vestigio pedis tui; & dabit tibi Deus cor tædians, & tabescentem animam, & oculos deficientes, vt non videant; & erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.*

Iudæorum Crucis signum reijcientium perfidia & cæcitas.

Aduersus Iudæos, cap. 11.

*Lapsus memoriæ Tertulliani, quia non in Exodo, sed in Deuteronomio cap. 28. hæc verba habentur.

Hoc illud signum est immaculati Agni, quem Hebræi in Ægypto immolauerant; cuius sanguine foribus domorum obsignatis, ab occidione percutientis Angeli in Ægyptiorum primogenitos perpetrata, seruati sunt. Quo felici & sacrosancto signo, quicumque frontem & cor consignatum feret, ab æterna se internecione seruandum sciat; atque euasurum ex rapacibus ac diris manibus percutientis angeli satanæ: qui cùm sit, & tunc præcipuè erit diuinæ iustitiæ minister, percutiens angelus iure dici potest. Atque hoc illud est Dei viui signum, de quo Archipropheta & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ magnus Cancel- C larius, in magna illa visione sua, clamantem Angelum audiuit, monentemque quattuor Angelos illos, quibus nocendi terræ ac mari potestas data fuerat, ne alicui nocerent, donec hoc beato signo seruos magni Dei in frontibus eorum signassent; dicens: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Signum sanè certissimæ victoriæ atque triumphi; quo quicumque ritè ac legitimè consignatus erit, inimicorum omnium visibilium atque inuisibilium impetus omnes retundet, irruptiones omnes reprimet, armaque eorum offensiua omnia elidet, obteret, perfringet; vt neque peccatum, neque mors, neque diabolus, neque infernus ipse in eum præualere possit. Signum hoc (inquit diuus Hieronymus) Christus Dominus noster, cùm ad Patrem ascenderet, nobis reliquit, illudque frontibus nostris impressit; vt liberè dicere possimus: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Non est igitur cur miremur, si sacrum ac mysteriis refertissimum signum hoc D apud antiquos Ægyptios tantæ existimationis ac venerationis esset, vt inter hieroglyphicas siue sacras litteras, præcipua quadam ac magna significatione religiosissimum haberetur; atque si in eorum peruetustis antiquitatibus, tot locis impressum ac passim insculptum id adhuc nobis videre liceat, vt suo loco dicemus.

Signi Crucis virtutes.

Apocal. cap. 7.

In Isaiam, cap. 60.

Psal. 4.

In maximo olim pretio apud Ægyptios.

A

CAPVT V.

De Cruce immissa.

Crucis immissæ forma.

IMMISSA Crux denique duobus lignis erat compacta: quorum alterum, vt superiùs diximus, rectum erat; alterum verò recta linea primum intersecans, è transuerso distendebatur: ea sanè constructione atque compage alterum in alterum immissum, vt quattuor rectorum laterum figuram referrent: quæ quattuor rectis construebatur lineis, quæ ab vno eodemque centro egredientes, in quattuor diuersas partes, altera ab altera æqualiter distante, in suos fines terminabantur; hac forma videlicet ✠, figura planè tali, quæ pro ipsius dignitate atque excellentia à nullo satis laudari potest: vtpote quæ omnem dicendi facultatem excedit; quæque altiores admirabilitates, profundioraque in B se continet mysteria, quàm humanus intellectus vllus capere possit; quamque humana lingua hucusque potuerit, aut in futurum possit exprimere. Continet namque illa in se vnitatem, quaternarium, & denarium; numeros, quibus rerum omnium origo, operatio, atque perfectio comprehenditur. Vnitatem profectò habet in centro, quaternarium in corpore & extremitate, denariumq; in essentia continet. Vnitas autem Deum significat; quoniam, vt Mercurius Trismegistus asserit, vnitas rerum omnium principium, radix, & origo est: principium namque in se, & omnem numerum continet, ipsa verò à nullo continetur: numeros omnes generat, & à nullo generatur. Omne quod crescit in numeris, virtute vnitatis augetur: omne verò quod deest, ab ipsa numeri imbecillitate procedit, cùm vnitatem vlterius capere non possit. Proprietates peculiares sanè, quæ omnes Deo admirabiliter conueniunt. Quamobrem ipse idem Trismegistus, Tatio filio suo scribens de vnitatis materia, sic concludit: C *Hæc tibi, ô Tati, pro viribus imago Dei subscripta sit: quam si diligenter consideraueris, oculisque internis prænoueris, crede mihi, fili, ascensum ad excelsa comperies; quin etiam imago ipsa te perducet.*

Vnitatem, quaternariū, & denarium in se continet.

Vnitas Deū significat.

Pimandri cap.4.

Quaternarius iustitiæ & virtutum omnium symbolum.

Denarius numerus est perfectionis.


Gregor. Moralium lib.1.cap.6.

Deus per Crucē maxima quæque operatur.

Quaternarij & denarij mysteria.

Quaternarius autem, præter quòd compositus, efficiens atque operatiuus est omnium virtutum quæ numeris continentur; vnde ab antiquis Philosophis, vt superiùs diximus, ἀποτελεσματικὸς dictus fuit; est etiam æqualitatis, iustitiæ, atque virtutum omnium symbolum. Denarius verò, vt à nobis etiam dictum est, numerus perfectionis æstimatur, qui Diuinitatis in se plurimum continet. Ideoq; sanctus Gregorius inquit: *Denario autem numero summa perfectionis exprimitur.* Quamobrem ex numeris, quos Crux sancta in se continet ac repræsentat, non aliter ac si numeri ipsi loquerentur, perspicuè nobis demonstratur, Crucem ipsam, sacrosanctum instrumentum esse, per quod Deo optimo maximo placitum est, iugiterque nunc etiam placet, actiones virtutesque omni prorsus stu- D pore atque altissima admiratione plenissimas operari; quibus ipsius æquitas, iustitia, misericordia, omnipotentia, atque perfectio ex parte detegatur & cognoscatur. Quaternarius insuper omnium numerorum in se continet potentiam; quandoquidem vt superiùs docuimus, denarium in se virtualiter complectitur, imò essentialiter ipsum generat. Ex quo factum est, vt Pythagorici denarium ipsum primam quadraturam appellauerint. Quaternarius verò, cùm denarium generet, consequenter etiam omnes numeros vsque ad infiniti immensitatem procreat. Nam quemadmodum 1.2.3.4. decem faciunt; sic 10.20.30.40. centum conflant; quod est denarij quadratura. Atque simili hinc quaternaria progressione, ex 100.200. 300.& 400. millenarius generatur, qui est æternitatis cubus.

A cubus: figura vndequaque quadrata, & ſanctæ Crucis imago, in qua eiuſdem quaternariæ extenſionis virtute, ad millenarij denarium pertingimus; ex quo numeri ipſi ad denarium, atque ad vnitatem denique regredientes, figuram vndequaque quadratam, atque ſanctæ Crucis imaginem formant, vt hîc videre licet.



Per quam myſteriis affluentem figuram, Dei infinitæ miſericordiæ placitum fuit ad veritatem ipſam & ad effectum id denique perducere, quod iam anteà tot tranſactis ſæculis promiſerat, quando dixit: *Ego Dominus faciens miſericordiam in millia, iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* (Exodi 20.)
B Sed animaduertentes nos hanc æternitatem, infinitum hoc, & hunc regreſſum ad denarium & ad vnitatem ipſam, qui ex quaternario numero atque ex hac admiranda figura naſcitur; dicimus inſuper, quaternarium numerum continere in ſe ſpeciem corporeæ atque incorporeæ naturæ: in ſe ipſo enim primum par, primumq; impar complectitur: quandoquidem, vt Plato aſſeruit, vnitas & dualitas non ſunt numeri, ſed numerorum principia. Cùm ergo quaternarius corporeæ atque incorporeæ naturæ ſpeciem ac figuram repræſentet; naturam quoque Diuinam & humanam conſequenter demonſtrare poteſt. Quamobrem ex eo quod annuunt atque demonſtrant numeri, fortaſſe non incongruè dici poſſet, quòd æternum diuinumque Verbum incarnatum, Chriſtus Dominus, Diuinæ naturæ natura humana aſſumpta, v[illegible]que Deus verus homo factus, in hac quadrata figura, atque in hoc ſanctæ Crucis quadrato ligno, ex quo numerorum
C æternitas atque infinitas generatur, cum eorum infallibili ad vnitatem regreſſu, humanum genus corporea & incorporea natura compoſitum redempturus erat; illud ab æterna morte ad æternam vitam reducens ac reſtituens, transferenſque illud à finito ad infinitum, à mortalitate ad immortalitatem, à fluxa ac tranſitoria huius ſæculi vanitate ad ſtabilem & permanentem Paradiſi æternitatem; atque ad ſeipſum, qui in eſſentia ſimpliciſſima vnitas eſt, eiuſdemque beata & prima origo, illud ſibi denuò coniuncturus.

Myſterium hoc altiſſimum expendens Auguſtinus, ex quattuor litteris illis quæ in ſcriptione nominis primi parentis noſtri Adam ingrediuntur, quibus Græco idiomate quattuor mundi deſcribuntur plagæ, magno planè illo atque diuino ingenio ſuo altiſſimum quemdam animi ſenſum elicuit, & explicauit: qui noſtræ intentioni, atque his quæ ſuperiùs diximus, non parum luminis & claritatis affert. (*Myſteriū in quattuor litteris nominis Adā.*) Etenim quaſi Adam ipſe, ante lapſum, permagna ſtatua, ſiue
D pulcherrimum quoddam ſimulacrum eſſet; dum peccauit, (inquit) pulchrum atque illuſtre ſimulacrum illud proruit, prolapſoque, & in minutiſſima fruſta confracto, in eius ſemine per orbem vniuerſum, illius ſeſe ſparſim diffuſere fragmenta. (*Qui peccādo lapſus, & confractus,*) Sed miſericordia Domini fruſta & fragmenta ipſa vndequaque collecta, atque igne exceſſiuæ charitatis in fornace ſuæ immenſæ pietatis conflata, lignoque ſanctæ Crucis liquata, reformauit, redintegrauit; atque in fidei vnitate, in ſanctam vnam Eccleſiam, pulchriorem atque digniorem ſtatuam mirabiliter reduxit. (*ligno Crucis eſt reparatus.*) Verba autem ipſius Auguſtini hæc ſunt: *Adam orbem terrarum ſignificat, ſecundùm Græcam linguam. quattuor enim litteræ ſunt,* A, D, A, *&* M. *Sicut autem Græci loquuntur, quattuor orbis partes has in capite litteras habent.* ἀνατολὴν *dicunt Orientem,* δυσμὴν *Occidentem,* ἄρκτον *Aquilonem,* μεσημβρίαν *Meridiem:* (In Pſal. 95. ſimilia ferè dixit etiam Tractatu in Ioā. 9. & 10.)

habes ADAM. *Ipſe ergo Adam toto orbe terrarum ſparſus eſt. In vno loco fuit, & cecidit; & quodammodò comminutus, impleuit orbem terrarum. Sed miſericordia Domini vndique collegit fracturas, & conflauit igne charitatis; & fecit vnum quod fractum erat. Nouit illud facere Artifex ille: nemo deſperet. Multum quidem eſt; ſed qui ſit Artifex, cogitate. Ille refecit, qui fecit: ille reformauit, qui formauit.* A

Eadem tamen pænè iam ante ipſum Auguſtinum ſcripſerat ſanctus Cyprianus, ſiue quicumque alius antiquiſſimus auctor illius Tractatus, cui titulus eſt, De montibus Sina & Sion, aduerſus Iudæos; qui inter ipſius Cypriani opera eſt impreſſus. Idem quoque, licet aliquantulùm ſubobſcuriùs, innuere voluit ſanctus Gregorius Nyſſenus, cùm inquit: *Hoc per Crucem docemur, cùm eius quadrifariàm figura ſit diuiſa: adeò vt ex medio, quatenus ſibi ipſi coniungitur, numerentur quattuor proiectiones. Quoniam qui in ea fuit extenſus, tempore mortis ſuſceptæ diſpenſationis, qui ſibi vniuerſum colligat, concinnat, & adaptat, is diuerſas rerum naturas ad vnam per ſe cogit conſpirationem & harmoniam.* Quaſi diceret, quòd B Chriſtus Dominus noſter in quadrato Crucis inſtrumento moriens, è quattuor mundi regionibus, ad ſemetipſum quaſi veritatis centrum, vitæque, & omnium virtutum, ac totius boni fontem, traxit omnes electos, qui in diuerſis idololatriæ ac peccatorum erroribus erant immerſi; Prophetæ dicto illo ad facti veritatem tunc perducto: *Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quattuor plagis terræ.*

Catechetica Oratione, c. 152.

Iſaiæ 11.

Hæc immiſſa Crux, de qua nunc nobis eſt ſermo, duobus lignis paſſim conſtrui ſolebat; quorum alteri, quod humi infixum erat, cælumque verſus rectà erigebatur, inciſione facta, alterum immittebatur & intrudebatur: ea compoſitione videlicet ligna huiuſmodi coaptando, vt ſecundum hoc, primum illud è tranſuerſo directè interſecaret. Hæc ſancta conſtructio atque figura denotare poterat, duas naturas, Angelicam ſcilicet atque humanam, hoc inſtrumento, cui quàm plurima inſunt myſteria, inſtaurandas eſſe. Nam rectum lignum il- C lud, quod firmiter terræ infixum, cælum verſus erigebatur, naturam deſignabat Angelicam: quæ licet in prælio illo, quod factum eſt in cælo, firma ſtabiliſque permanſerit, neque in defectionem ſit vniuerſa prolapſa; magna tamen in ea tunc inciſio, atque adeò abſciſſio & imminutio facta eſt, cùm iniquus ac ſceleſtiſſimus Lucifer, deteſtabilis ſuperbiæ ſuæ ac diabolicæ ambitionis cauſa, ipſe cum magno illo apoſtatarum ac deſertorum Angelorum numero inde deturbatus, atque in infernum præcipitatus fuit. A qua profectò ruina, cæleſtis militia certo quodam modo inſtauranda erat: eo videlicet pacto, vt pro perditis ac rebellantibus prauorum Angelorum agminibus, iuſtorum atque ſanctorum hominum ſocietatem acquireret. At tranſuerſale lignum illud in Cruce, quod prolapſum totaliter oſtendebatur, nullam rectitudinem ad cælum habens, naturam ſignificabat humanam; quæ ob Protoplaſtorum reatum, in Dei optimi maximi indignationem, in originalis peccati culpam, & in mortis D ſententiam corruerat.

Crucis immiſſæ è duobus lignis ſtructura, Angelicam atque humanam naturas inſtaurandas ſignificat.

Duæ igitur naturæ iſtæ, impij ac flagitioſiſſimi Luciferi culpa ſic deformatæ ac malè mulctatæ, à ſummo illo Architecto Deo, per paſſionem & mortem Vnigeniti Domini noſtri Ieſu Chriſti, reformatæ atque inſtauratæ ſunt. Et quemadmodum duobus ex lignis Crux vna materialis eſt conſtructa, cuius recti ac maioris ligni inciſio, ex tranſuerſali illo itidem ligno ſuppleta atque impleta eſt; ipſique Cruci Chriſtus Dominus ad tempus hîc coniunctus ac confixus ſtetit: ita duabus ex naturis iſtis, vna ſpiritualis Crux coaceruabitur; in qua Angelorum illa abſciſſio atque imminutio totidem beatis ac ſanctis hominibus ſupplebitur & implebitur. Qua ratione, altera alteri ſupplementum atque pulchri-

A pulchritudinem afferente, Chriſtus Dominus, humanæ naturæ tamquam cariſſimæ atque apprimè dilectæ ſponſæ ſuæ, in vinculo charitatis ac dilectionis, in Paradiſo in æternum coniunctus erit.

Quadratam hanc admirandamque huius ſanctæ Crucis figuram delineauit, atque verbis myſteriorum altiſſimorum copia refertis deſcripſit Apoſtolus, cùm ad Epheſios ſcribens, inquit: *Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Super quibus verbis diuus Gregorius Nyſſenus aſſerit, non fruſtrà, nec ſine magno myſterio, diuinum illum Apoſtoli oculum, qui raptus eſt in cælum, Crucis figuram hoc modo excogitaſſe; ſed inde apertè oſtendiſſe, ſe, omnibus ignorantiæ ſquamis ab oculis mentis ſuæ excuſſis, ipſam rerum veritatem clarè perſpexiſſe. Quandoquidem ex figura hac quattuor cornibus è medio prouenientibus deſcripta, nouit declarari potentiam & prouidentiam illius, qui pependit in ea; & propterea partes illius ſingulas propriis nominibus appellauit. Partem enim illam Crucis (inquit) quæ à medio deorſum vergit, profundum vocauit: eam verò quæ ſurſum extollitur, ſublimitatem dixit: at duas illas quæ vtrimque tranſuerſæ protenduntur, latitudinem & longitudinem. Potes igitur (ſubiungit Gregorius) ex his quæ dicta ſunt, in animo tuo de Deo cogitans, intueri. Cælum enim ſuſpice, & partes infimas animo complectere: extremoſque ac ſummos orbis terminos cogitatione comprehende; atque conſidera, quænam potentia, tamquam vniuerſitatis vinculum hæc omnia deuinciat, atque contineat: videbiſque ſponte ſua in ea diuinæ potentiæ contemplatione, Crucis figuram exprimi in animo ac mente tua; à ſuperis ad infera, ab extremis ad extrema protentam, atque deſcriptam. Hæc Nyſſenus.

[Margin: *Crucis huius figura ab Apoſtolo deſcripta.* — Ad Epheſios cap. 3. — *Verba Apoſtoli explicata à D. Gregorio Nyſſeno:* In Chriſti reſurrectionem, Oratione 1.]

B (margin letter beside "diſſe, ſe, omnibus ignorantiæ…")

C (margin letter beside "fera, ab extremis ad extrema…")

At Ioannes Damaſcenus, paucioribus quidem eumdem pænè animi ſenſum ita expreſſit: *Virtus ſiquidem Dei,* inquit, *eſt verbum Crucis: aut quia potentia Dei, id eſt, contra mortem victoria, per ipſum nobis manifeſtata eſt; aut quia quemadmodum quattuor extrema Crucis per medium centrum continentur & cōſtringuntur, ſic per Dei virtutem altitudo & profunditas, longitudo & latitudo, id eſt, omnis viſibilis & inuiſibilis creatura, continetur.* Sanctus Auguſtinus pariter verba Apoſtoli ſupradicta ad Crucem Chriſti ſanctam refert; aſſerens, illam in tranſuerſali ligno, in quo Crucifixi extenduntur brachia, latam eſſe, ac ſignificare opera bona, quę in latitudine charitatis fiunt: longam à tranſuerſali ligno ad terram vſque, vbi pedes inferiùs configuntur; ſignareque perſeuerantiam in temporis longitudine, vſque in finem: altam eſſe in ſummitate illa, quę à tranſuerſali ligno ſurſum extollitur; qua ſupernus & altus finis denotatur, ad quem bona opera diriguntur
D ac referuntur: quandoquidem omnia quę in charitatis latitudine atque in temporis longitudine benè ac perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinæ retributionis peragi debent: illam denique profundam eſſe in ea parte, quę humi infigitur; quæ licet videri nequeat, omnis tamen eius apparentia atque eminentia inde conſurgit; non ſecùs ac bona noſtra omnia à profunditate gratiæ Dei, quæ nec comprehendi nec æſtimari poteſt, vniuerſa procedunt.

[Margin: *à Ioanne Damaſceno:* Fidei orthodoxæ lib 4. — *à ſancto Auguſtino:* In Ioan. Tract. 118.]

At hæc Rupertus Abbas, Auguſtinum imitatus, dixit, Chriſtum Dominum ipſa Crucis figura, in qua pependit, primas portas ſalutis, quam operabatur, ſignificaſſe; fidem videlicet, ſpem, charitatem, atque perſeuerantiam. Nam Crux, inquit, habet longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem, partem illam infimam & acutam quæ humi infigitur: longitudinem habet à

[Margin: *à Ruperto Abbate.* De Diuinis officiis, libro 6. c. 9.]

terra vſque ad brachia: latitudo in tranſuerſali ligno conſiſtit, in quo brachia A
extenduntur: altitudo verò à brachiis ſurſum oſtenditur in eo ligno, cui caput adhæret. Quibus quattuor extremitatibus, virtutes ſupradictæ denotantur. Profunditas enim fidem ſignificat, quæ ex Dei voluntate & vocatione, in imo cordis primitus, tamquam ædificij fundamentum collocatur: longitudo perſeuerantiam innuit: altitudo ſpem illam ſignat, quam in cæleſtibus repoſitam habemus: latitudo verò charitatem repræſentat. Saluator noſter igitur in patibuli atque ſupplicij ſui figura, primos ſalutis noſtræ aditus nobis prædicabat. Hæc ille.

De Reſurrectione Domini, Serm. 1. *Pia D. Bernardi meditatio.* Deuotus verò Bernardus aſſerit, Chriſtum Dominum, quattuor virtutum gemmis planè inſignibus, quattuor ſanctiſſimæ Crucis ſuæ cornua exornaſſe. Nam pendens, inquit, in Cruce, patientiam exercuit, humilitatem commendauit, obedientiam adimpleuit, charitatemque integrè perfecit; quæ quidem in Crucis eminentiori loco ſtetit: obedientia ad dexteram, patientia ad ſiniſtram, B
humilitas verò, quæ virtutum eſt radix, ſtetit in profundo. His ſanè gemmis (ſubdit ille) Crucis trophæum Chriſtus locupletauit: dum ad Iudæorum blaſphemias fuit humilis, patiens ad vulnera, cùm interiùs à linguis pungeretur, exteriuſq; configeretur clauis. Perfectam charitatem oſtendit, ponens animam ſuam pro amicis ſuis. Abſolutiſſimamque obedientiam executus eſt, quando inclinato capite emiſit ſpiritum, factus obediens vſque ad mortem. Et hæc de ſpeciebus ac formis omnium Crucium hactenus.

CAPVT VI.

In qua Crucis ſpecie ac forma Saluator noſter crucifixus fuerit: & ex quo ligno Crux eius ſanctiſſima conſtructa.

C
CVM ſuperioribus capitibus ſatis abundè (ni fallor) de diuerſis Crucium ſpeciebus, quę fuerant in vſu, à nobis tractatum ſit; reliquum nunc eſt videre, in qua ſupradictarum Crucium ſpecie & forma Dominus ac Saluator noſter crucifixus fuerit; nec non ex quo ligno Crux eius ſancta conſtructa. Circa quas materias aliqui forſitan non ſatis ſolido innixi fundamento, & curioſè magis quàm vtiliter, longis ſeſe quæſtionibus implicuere. Quamobrem eaſdem nos magis ſobriè pertractantes, maiori breuitate nos ipſos ex iiſdem explicare curabimus. At ſanè quod ad primum attinet, ea eſt nonnullorum ſententia, vt

Crucē Chriſti nonnulli ad formam litteræ T cōſtructam fuiſſe contendunt. Crucem illam in qua mortem ſubire voluit is qui morte ſua nobis vitam contulit, ad formam atque figuram Tau omnino conſtructam fuiſſe contendant. Hanc verò opinionem ſatis tutò adhærere putant iis beati Hieronymi verbis iam ſuperiùs recitatis, quibus ipſe teſtatur litteram Tau, quæ ipſis adhuc temporibus ſuis apud Samaritanos erat in vſu, Crucis formam præſeferre: aſſeren- D
tes inſuper ad ipſorum ſententiæ corroborationem, eamdem T figuram, in peruetuſtis Ægyptiorum Hieroglyphicis, haud ſemel perſpici inſculptam; vt inferiùs ſuo loco fuſiùs dicturi ſumus. Atque hi non tantùm eiuſdem ſe eſſe ſententiæ profitentur, ſed eamdem tam contentioſè ac pertinaciter defendunt, vt temeritatem atq; perfidiam putent, ſi quis diuerſam habere ſe opinionem, oſtendere velit. Inter quos Ioannes Goropius Becanus, circa id tam feruenter excan-

Gallicorum lib. 5. deſcit, vt demum in hæc verba prorumpat: *Qualis enim fuerit Crucis forma, ipſum Tau demonſtrat, toties in hieroglyphicis repertum, vt impudentis peruicaciæ dici deberet, ſi quis de ea ampliùs dubitaret, aut aliam nobis obtruderet formam.*

Hanc quoque ſententiam Ruffinus Aquileienſis tenuiſſe videtur: referens enim

A enim verba illa Apostoli ad Ephesios, quæ superiori capite citauimus, quæque omnes ferè Patres Ecclesiastici ad Christi Crucem referunt; ipse quidem (nisi tamen id non aduertens fecerit) verba eadem mutilans, membrum vnum abscindit à Cruce, dum illam ita fingit atque describit, vt ternis extremitatibus, ternisque brachiis tantummodò terminetur; altitudine nempe, latitudine, & profunditate. *Sic enim*, inquit, *docet Paulus Apostolus, illuminatos debere esse oculos cordis nostri ad intelligendum, quæ sit altitudo, latitudo, & profundum. Altitudo ergo, & latitudo, & profundum, descriptio Crucis est: cuius eam partem quæ in terra defixa est, profundum appellauit; altitudinem verò, illam quæ in aëre porrecta sublimis erigitur; latitudinem quoque, illam quæ distenta in dexteram læuamque protenditur.* Quibus sanè verbis illud aduertendum est, eum vbique longitudinem tacuisse. Quòd si improuidè omisit, (vt Lipsius innuit) culpa; at si de industria eiecit, crimen fuit, quod tamen non præsumendum.

In expositione Symboli.

B Alij verò constantissimè defendunt, Crucem Christi non ad formam Tau, sed quadrata figura, quaternorum nempe brachiorum, quaternarumque extremitatum, fuisse constructam. Disceptatio atq; contentio (mea quidem sententia) parui admodum momenti. Nam vt idem quoque Lipsius prudenter animaduertit, si ipsi Tau titulum supernè addideris, Crux quaternis istis finibus terminabitur; præsertim verò si Titulum ipsum oblongo quodam ligno ad columnæ formam, atque dealbatum, vt ab omnibus clarè prospici posset, super Crucem ipsam adaptatum fuisse constet, vt Arnoldus Mermannius in suo de sancta Cruce Tractatu innuit, his verbis: *Nam tres Cruces promiscuè inuentæ sunt, & Tabula alba instar columnæ, in qua varijs litteris scriptus erat Titulus, quem condidit Pilatus.* Quo casu Crux sancta eius formæ atque figuræ extitisset, quæ imagine hac graphicè delineata demõstratur, si modò Auctori isti credendum est, imò verò ipsi Nicephoro Callisto, quem idem Mermannius in hoc secutus


Alij quadratā Crucis figuram asserunt, quæ quatuor extremitatibus constet.

Titulus Crucis in ligno oblongo, quartæ extremitatis vicem supplet.

Mermannius de sancta Cruce, c.14.

C est. Dum enim idem Nicephorus agit de Crucis atque ipsius Tituli inuentione, quem Helena sancta repererat, ait: *Tres sparsim disiectæ Cruces; & Tabula prætereà alba inuenta, in qua diuersis litteris Pilatus Regem Iudæorum scripserat, eaq; supra caput Christi collocata, in morem columnæ, Crucifixum illum Iudæorum Regem esse promulgarat.* Quæ Crucis forma & figura, nutu quasi demonstrata atq; descripta videtur in Tractatu siue Sermone illo De montibus Sina & Sion, qui diuo Cypriano tribuitur, qui sic ait: *Pontius Pilatus, impulsa mente à Deo, accepit tabulam, & Titulum scri-*
D *psit tribus linguis, Hebraicè, Græcè, & Latinè:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *& in capite ligni, clauis tabulam, cum nomine Regis Iudæorum, confixit.*

Libro 8. cap.29.



Et quidem veritati admodum consentaneum esse videtur, iussisse Pilatum, Christi Crucis Titulum oblongo ligno quopiam supra Crucem eminenti ac dealbato collocari; ea non tantùm causa, vt ab omnibus commodè prospici ac perlegi posset, sed quia id moris erat antiquis, cùm hominem, qui pro suæ ipsius personæ conditione, vel pro delicti atrocitate valdè insignis esset, Crucis patibulo plectere decreuissent, altiorem atque vltra consuetum eminentiorem Crucem ei statuere. Quem morem secutus Aman, Crucem illam quinquaginta cubi-

Crux altior atrociori delicto erigi solita.

Esther c.5. & 7.

Quadrata Crucis Christi forma ab omnibus ferè sacris Doctoribus asseritur. Hieron, in Marc.c.15. Beda in Apocal.c.7. Tom. 5.

cubitorum Mardochæo præparari fecerat, in qua ipsemet posteà iusto Dei iudicio appensus fuit. At Crucem Domini sanctam, forma quadratam fuisse, id est, quæ quadrifariàm disterminaretur finibus; videtur esse omnium penè sacrorum Doctorum sententia. Inter quos diuus Hieronymus inquit: *Ipsa species Crucis, quid est nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens: Arcton dextra tenet; Auster in læua consistit, Occidens sub plantis firmatur.* Venerabilis autem Beda asseruit, quadratam Crucis formam significare Christi fidei Regnum, per orbem vniuersum dilatandum ac propagandum; iuxta quod peruetustis his carminibus continetur: A

Respice distinctis quadratum partibus orbem,
Vt Regnum fidei cuncta tenere probes.

In Homilia in Feria 2. post 3. Dominicam Quadrag. Tomo 7.

Alibi verò de eadem Crucis ipsius quadrata forma agens, asseruit Apostolum, dum verba illa pronuntiaret, *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, Crucis triumphum explicasse, cuius summitas ad cælum tendit, imum penetrat infernum, brachia verò terram operiunt: *Hoc est enim* (inquit) *quòd eiusdem Crucis cacumina ad cælos tendunt, ima penetrant inferos, cornua terram tegant.* Sanctus autem Ireneus, dum Crucem describeret, non tantùm ostendit quadratæ formæ illam fuisse, id est, quòd quaternis terminaretur finibus; verùm scribit quinque cuspides siue summitates habuisse; duas videlicet in longitudine, duas in latitudine, vnam verò in medio, qua crucifixi corpus sustentabatur; inquiens: *Ipse habitus Crucis fines & summitates habet quinque; duos in longitudine, & duos in latitudine, & vnum in medio, vbi requiescit qui clauis configitur.* B

Quinque Crucis summitates S. Irenæo. Libro 2. cap. 42.

Quæ quinta summitas. *Tabella suppedanea.*

Quæ verba nonnullis dubitandi ac disceptandi præbuere materiam, quonam Crucis loco quinta summitas hæc, quam sanctus & antiquus scriptor iste addit Cruci. Quidam enim autumant fuisse tabellam quamdam directo Crucis ligno impactam, quam Latini *suppedaneam tabellam* vocant, qua super crucifixi pedes sustentabantur, atque infigebantur; vt is qui Cruci affixus erat quasi stare videretur. Quam sententiam inter ceteros, sanctus Gregorius Turonensis est secutus; ideoque inquit: *In stipite erecto foramen factum, manifestum est. Pes quoque paruulæ tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc verò tabulam, tamquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* Alij autem eamdem tabellulam non sub pedibus, sed sub sessu collocari solitam volunt; vt totum crucifixi corpus sustinere posset. Quod cum verbis sancti Irenæi magis concordare videtur atque congruere. Nam si sub crucifixi plantis illam collocare vellemus, nullo pacto in Crucis medio immissam fuisse dicere possemus; neque tam commodè totum corpus crucifixi fulcire posset. Cui sententiæ non parum auctoritatis atque fauoris afferunt verba sancti Iustini Martyris; ex quibus clarè conijcitur, eos qui Crucis patibulo affixi erant, eidem tabulæ insidere: quæ verba Latinitati reddita, hæc sunt: *Et quod medio fixum est lignum, vt cornu, & ipsum eminet, in quo vehuntur & insident, qui Crucis supplicium subeunt.* C

De gloria Martyrũ, cap. 6.

Tabella cui crucifixus insidet.

In Dialogo cum Tryphone Iudæo. D

Cur forma Crucis Christi quadrata.

Opinio hæc præterea, quòd Christi Crux quaternis brachiis siue extremitatibus terminaretur, ab ipsa etiam sancta Ecclesia Catholica passim recepta videtur. Quandoquidem nulla alia, præterquam hac Crucis forma vti solet: estque rationi ac vero simili admodum innixa. Nam cùm Christus Dominus, pro vniuersi orbis redemptione mori voluerit; verisimile profectò est hoc mysteriis refertissimum mortis instrumentum sibi delegisse, quod quattuor extremitatibus suis quattuor mundi plagas designat atque amplectitur. Et quidem rationi valdè consentaneum est credere, Crucem sanctam Christi, quadrata fuisse figura, cùm quattuor brachiis, quattuor illa insigniora, quæ hominibus contulit, clarè signentur beneficia. Superiori enim acumine, cælum nobis referasse; infe-

A inferiori infernum destruxisse, dextero brachio gratiam attulisse, sinistro verò peccatorum remissionem fecisse demonstrat. Quod animaduertens Ludolphus Carthusianus, inquit: *In quattuor etiam brachiis Crucis notantur quattuor Crucis beneficia. Signat enim pars superior ianuæ cæli apertionem, inferior inferni destructionem, à dextris gratiæ collationem, à sinistris peccatorum remissionem.* De Vita Christi, parte 2. c.63.

At controuersiam hanc circa sanctæ Christi Crucis formam, qua plerique magnis conatibus prolixisque disceptationibus enixi sunt, vt ostenderent an eadem Crux ternis quaternísve constaret brachiis, sanctissimus Pater Innocentius Papa III. in eo Sermone quem in principio Lateranensis Concilij habuit, paucissimis soluit atque dirimit, asserens, Crucem sanctam habuisse formam litteræ T, antequam Pilatus Christo Domino crucifixo, eidem Titulum adderet; innuens, illam ex tunc cœpisse quaternis constare brachiis. inquit enim: *T est vltima littera Hebraici Alphabeti, exponens formam Crucis, qualis erat, antequam* B *Domino crucifixo Pilatus Titulum superponeret.* Et hæc quidem quoad Crucis formam, in qua Redemptor noster mori voluit, ne Lectorem tædiosè remoremur, breuiter dixisse sufficiat. *Eadem ab Innocentio III. asserta.*

Reliquum nunc est, vt ostendamus ex quo ligno eadem Crux sancta constructa fuerit. Nam cùm de forma à nobis tractatum sit, rationi consonum videtur, vt de materia etiam agamus. Circa quam plerique etiam (nullo tamen solido innixi fundamento) conati sunt, vt ostenderent ex diuersis compactam lignis. Inter quos quidam asseruerunt, ex duobus; aliqui ex tribus, vtpote, robore, olea, atque palma: alij verò etiam ex quattuor. Quocircà in Glossa hoc dicitur: *Fertur etiam Crux quattuor genera lignorum habuisse, scilicet cedrum in stipite, palmam in palo per longum, cupressum in ligno ex transuerso, oliuam in tabula super Crucem, loco quarti brachij. Et datur versus:* *Ex quo ligno Crux Christi.* *Plerique è non vno ligno compactam volunt.* Glossa in Clement. I. De summa Trinitate, & in verbo Cruci.

Ligna Crucis, palma, cedrus, cupressus, oliua.

C Alij verò autumant, Isaiam Prophetam innuere voluisse ligna, quibus Crux sancta construenda esset, cùm dixit: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.* Et quamuis de lignis illis Propheta intelligere voluerit, quæ tempore Salomonis à monte Libano, pro ædificatione Templi Domini Ierosolymam aducta fuerant: ipsi nihilo minùs putant, Prophetam ipsum innuere etiam voluisse, Crucem sanctam ex lignis huiusmodi construendam. Quare Ioannes Chrysostomus hanc secutus sententiam, inquit: *Isaias etiam vnde essent, & qualia Crucis ligna, exponit his verbis: In cupresso, picea, & cedro simul, locum sanctum celebrate.* Isaiæ 60. De adoratione pretiosæ Crucis.

Venerabilis autem Beda ostendit se eam firmiter tenere sententiam, Crucem scilicet Domini nostri Iesu Christi quattuor his compactam fuisse lignis, nempe cupresso, cedro, pino, ac buxo. At buxo quidem Titulum tantummodò conditum autumat; reliqua verò Crucis membra tribus lignis prædictis constru-D cta. Quamobrem ea de re sic absolutè atque expeditè locutus est: *Crux Domini de quattuor lignis facta est, quæ vocantur cupressus, cedrus, pinus, & buxus. Sed buxus non fuit in Cruce, nisi Tabula de illo ligno supra frontem Christi fuit, in qua conscripserunt Iudæi Titulum:* HIC EST REX IVDAEORVM. Alij verò Crucem eamdem ex cedro, palma, cupresso, & olea constructam volunt. Quod ego tamen eos dixisse puto, vt ingenij fecunditatem ostenderent; aut forsitan (quod sanè magis credendum est) pietatis impulsu, id allegoricè asserere voluerint, vt ex natura atque proprietate lignorum huiusmodi, quibus Crucem sanctam compactam demonstrant, similitudines virtutum & operationum earum traherent atque deducerent, quas Christus, dum penderet in ea, peregit: scilicet vt ex quercu inuictam eius innuerent fortitudinem, qua mortem, diabolum, ceterosque In Collectan. & Flor. de Cruce Domini.

rosque inimicos nostros deuicit. Ex olea verò, vt infinitam eius misericordiam, A incomprehensibilemque signarent charitatem, quam ostendit, dum Animam suam non tantùm pro amicis suis posuit, verùm pro his etiam qui ipsum in infinitum læserant. Ex cedro autem, vt odorem illum suauitatis significarent, quo in sacrificium gratum, seipsum obtulit æterno Patri. Nam ligna hæc, præter incorruptibilitatis prærogatiuam, quam à natura ipsa sortita sunt, odoris grati etiam esse constat. Vnde Hieronymus: *Cedrus autem, & cyparissus, & myrtus, odoris optimi sunt, & imputribiles.* Ex palma denique, vt alluderent ad victoriam atque triumphum, quem idem Dominus reuexit, postquam debellato antiquo hoste illo armato, qui atrium suum in pace custodire solebat, domoque eius perfossa atque direpta, à mortuis resurrexit; spoliisque gloriosis ac sanctis onustus, victor ac triumphator ad cælos ascendit.

In Isaiam, cap. 41.

Nec non vt ex lignorum prædictorum natura atque proprietate moraliter insinuarent vtilitatem ac fructus, quos Christi fideles ex sacræ arboris huius ramis feliciter decerpunt. B Vtpote ex quercu fortitudinem in tribulationibus, in aduersitatibus, ac mundi huius persecutionibus: ex olea pietatem, & in pauperes atque afflictos misericordiam: è cedro, in bonis operibus perseuerantiam; & ex cupresso carnis mortificationem. Quod innuere voluit sanctus Anastasius cognomento Synaita, Patriarcha Antiochenus, & Christi martyr, qui vnus ex his fuit, qui in eam iuere sententiam, vt Christi Crux tribus ex diuersis lignis compacta fuerit; cùm dixit: *Nonnulli autem tamquam in nemoribus & hortis fructum ferentes, veluti in trium arborum ligno, subinclinatam habebunt Crucem, quam amplectantur, quæ germinauit ex tribus lignis, benè coloratum producentes fructum, animæ sanctificationem, Christum inuocantem, qui in Crucis ex tribus arboribus confecta ligno recubuerat, & obdormiuerat.*

Anagoricarum contéplationum, in hexameron lib. 5.

At quidam magnæ auctoritatis scriptores, quibus cordi fuit hanc diligentiùs atque subtiliùs indagare veritatem, firmiter asserunt, vanitati prorsus adscribendum, si quis Crucem sanctam tot variis lignis constructam fuisse dicat. C Quandoquidem etsi concedere vellemus, diuersis compactam lignis; maiorem tamen materię diuersitatem, quàm duorum tantummodò lignorum, alteram videlicet in ipsa erecta trabe, alteram verò in transuersali ligno, admittere non poterat. Quamobrem eorum ea est sententia, non ex duobus, sed vnico tantùm ligno, totam fuisse constructam; idque ex quercu. Quod sanè tribus argumentis suffulciunt. Primò quidem, Quia longo rerum vsu atq; experientia edocti homines, qui solerti consideratione perscrutati sunt ligni sanctæ Crucis fragmenta, quæ Romæ aliisque diuersis Christiani orbis locis asseruantur, constanter asserunt, illa prorsus quercum referre. Secundò, Quia in Iudęa ipsa, tum antiquitus, tum hodie etiam quamplurimæ quercuum nascuntur arbores. Tertiò verò, Quia querneum lignum, robustissimum est, atque ad excipiendos tenaciterque retinendos clauos, nec non ad onus sustinendum, aptissimum iudicatur. D

Alij ex vnica quercu constructam sentiunt.

Quibus argumentis Ioannes Goropius Becanus quartum addit, dicens, quòd, quemadmodum carnifices, qui Christum crucifixerant, ministri Romanorum erant, atque Româ illuc cum Iudææ Præside transmissi; sic quoque censendum, eos in Crucis Christi Domini constructione, eadem ligni specie vsos, qua Romæ etiam in similibus vti consueuerant. At verò Cruces Romæ ex robore confici solere, argumentum idem Becanus deducit ex Plutarchi verbis, in Coriolani vita, vbi furcam, qua Romani seruos suos castigare atque adeò infames reddere consueuerant, vt deinceps per opprobrium furciferi vocarentur, illam currus partem siue lignum illud esse definit, cui temo immittitur: quod in Longobardiæ partibus vulgò *Braccioli*, Romæ verò *Cosciali* appellatur.

Gallicorũ lib. 5.

E qua Romani conficere Cruces solent.

Cumque

A Cumque huiusmodi lignum totius currus pondus secum attrahat, quàm firmissimum atque robustissimum esse oportet, & proptereà ex quercu fieri solebat. Consueuisse autem Romanos, Cruces ex quercu construere, quam ipsi *Robur* appellabant, clarè etiam colligi potest ex Silij Italici carminibus; qui in Poëmate suo de Bello Punico secundo ait: Lib. I.

Ore excellentem, & spectatum fortibus ausis,
Antiqua de stirpe Tagum, superumque hominumque
Immemor, erecto suffixum robore, mœstis
Ostentabat ouans populis, sine funere Regem.

pauloque inferiùs:

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

Porrò Crucem Christi sanctissimam, vnica ligni specie, non diuersis constructam, eamdemque ex quercu fuisse, idem Ioannes Goropius non minùs piè B quàm ingeniosè demonstrare enixus est, his verbis: *Quando in Paradiso terrestri* Gallic. lib. 5. *lignum vitæ, veluti certum quoddam arboris genus commemoratur, & id ad materiam Crucis refertur; non videor mihi veritati consona dicturus, nisi ex vno arboris genere Crucem constitisse dicam, ad quod ea quæ de arbore vitæ in Paradiso plantata dicuntur, pertinere intelligantur. Pace igitur aliorum, qui nullo solidæ rationis fundamento, varia ligna ad Crucem construendam congesserunt, mihi fas sit dicere, quercum generatim pro glandifera arbore acceptam, vitæ arborem in Paradiso fuisse, & eam nube alæ Cherubicæ tantisper custoditam, dum tempore suo, vitæ fructum ferret, Iesum Christum crucifixum. Hinc Arca fœderis, alis etiam Cherubim tegebatur; quo intelligeretur, omnia sacra legis Mosaicæ ad lignum vitæ referri; nec ante vitæ fructum ab hominibus degustari posse, quàm Deus ipse Cherubim remoueret, omnemque cærimoniarum vmbram Verbi incarnati luce discuteret atque profligaret. Verùm non antè Cherubicæ alæ, fœderis Tabernaculum tegere desierunt, quàm Deo placuisset flammeum gladium conuertere in fi-* C *lium suum; ac deinde eum recondere, ac ostendere iram in misericordiam transisse, vereque gladium esse versatilem.* Hæc ille. Qui vt ostenderet, cur quercum, arborem vitæ in Paradiso plantatam dixisset, subiungit:

Dum quæritur, cur Ioui quercus potiùs, quàm quæuis alia arbor sit consecrata; responderi à pluribus audimus, id ea fieri de caussa, quòd hic primus fuerit homini cibus. At id absurdissimum esse, si simpliciter citra tropum omnem capiatur; proptereà quòd homines quouis pecore statuat obtusiores, & minùs sensibus ad nutritionem datis instructos, quàm vel asini sint vel mures. Dicam ergo, primum ipsi hominis alimentum ab omnibus antiquis magno consensu acceptum referri; proptereà quòd quercus symbolum esset Crucis, quæ vt è quercu fieret, ante omnia sæcula fuit prædestinatum. Sicut ergo ante sæcula vocati sumus ad vitam; ita ante sæcula, prima homini esca prædestinata fuit ea quæ vitam in Cruce hominibus esset datura, cuius tesseram glandes ferebant. Primum igitur hominis pabulum glans, non illam quidem vitam dans perituram, sed eam, quam in cæ- D *lesti Paradiso sumus victuri. Vt igitur quercus in Paradiso terrestri lignum vitæ dicebatur, quia ex eius materia lignum vitæ erat construendum; ita glans cælestis panis, quem Crux erat latura, symbolum habebat, & idcircò primum hominis alimentum vocabatur. Quamobrem meritò Ioui consecrata, quòd Deus optimus maximus vitæ dator, magnum suum consilium per hanc esset executurus, omnibus mortalibus in hac arbore à morte liberatis, & in meliorem suauioremque vitam, quàm anteaquam mortui essent, fuissent, restitutis.*

Quamobrem (pergit idem Becanus) *apud Romanos diuino instinctu est statutum, vt corona quernea ei daretur, qui ciuem Romanum seruasset, atque id quidem magna religione. Indicabat hic ritus tam sollicita veneratione perpetuò obseruatus, fore aliquando, vt Populus Romanus, vitam suam quercus beneficio tueretur; nec alio modo saluus esse*

C *posset,*

posset, quàm si quercus ei vitam attulisset. Quod in agonio accidit Martiali, in quo prælio Agnus morte sua in altari Crucis occidit draconem, perpetuum non Romani tantùm ciuis, sed totius etiam humani generis hostem. Qua in victoria id seruatum, quod in querna corona danda, lex iubebat; vt nimirum Ciuis seruatus, hostis occisus esset. Vt autem Ciuica corona aptissima fuit veræ Ciuium conseruationis nota, per Christum in quercu perficiendæ; ita glans symbolum fuit elegantissimum illius panis, qui primus hominum cibus esset; non ille quidem ad vitam hanc caducam, exiguo tempore propagandam, sed ad vitam in Regno Dei & Agni sempiterna lætitia propagandam, robur daturus. Quis posthac non pluris faciat, quàm hactenus fecerit, eos Romanorum nummos, quibus querna corona sinuosis foliis & glandibus insignis delineatur, addita inscriptione, OB CIVES SERVATOS? Hæc omnia pia quidem, ac planè Christiana mente Becanus. At quonam solido fundamento innitantur, id Lectoris iudicium esto. A

Abrahamo sub quercu tamquam sub Crucis imagine sedenti filium Isaac Deus promisit.

Crucem prætereà querno ligno construendam, Deus ipse optimus maximus innuisse videtur Abrahamo, quando ei apparuit, dum in meridie ad vmbram sederet sub quercu, in valle Mambre; quo loco filium masculum Isaac illi daturum promiserat, & quòd in semine suo benedicerentur omnes gentes. Nam omnium sponsionum suarum fidelissimus trapezita (vt ita dicam) atque exactissimus persolutor Deus, voluit posteà hoc certissimum atque firmissimum promissum suum absolui, & ad effectum omnino perduci in eodem ligno, sub quo id Abrahamo spoponderat, dum ad vmbram sub quercu sederet: hoc quidem apertissimè innuens, quercum illam scilicet, vmbram atque figuram esse veri ac sacratissimi illius querni ligni, quo sponsionis suæ, ac benedictionis nostrę instrumentum construendum statuerat. Et quamquam in sacro Textu, iuxta vulgatam Latinam editionem, expresse non dicatur Abrahamum tunc sub quercu quieuisse, cùm Deus hanc illi præstiterat sponsionem, sed sub arbore tantummodò; in Septuaginta tamen Interpretum versione, Deum illi ad quercum apparuisse apertè traditur. Nam illorum verba Latinitati reddita hæc sunt: *Habitabat Abram iuxta quercum Mambre, quæ erat in Hebron: & apparuit illi Dominus ad quercum Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in meridie.* Sic etiam eumdem Textum Origenes exposuit: *Visus est*, inquit, *Deus ad Abraham, cùm sederet ad ostium tabernaculi sui, ad quercum Mambre.* Sic Ioannes Chrysostomus pariter legit: *Apparuit autem ei Deus apud quercum Mambre, sedente ipso ad ianuas tabernaculi sui, in meridie.* Sic denique Augustinus: *Hoc responso promissionis accepto, migrauit Abraham, & mansit in alio eiusdem terræ loco, id est, iuxta quercum, quæ erat in Chebron.* Sanctam insuper Christi Domini Crucem ex quercu fuisse, innuit, imò apertè asserit sanctus Cyprianus, siue quiuis alius Auctor Hymni illius de Paschate Domini, qui inter opera eius est impressus his carminibus: B C

Genes. 18.
Origenes in Genes. c. 18. Homil. 4.
Io. Chrysost. in Genes. c. 18. Homil. 14.
Augustin. De Ciuit. Dei, lib. 16. cap. 22.

Est locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt:
Hîc ego, de sterili succiso robore lignum
Plantatum, memini fructus genuisse salubres:
Non tamen hos illis qui se posuere colonos
Præbuit; externi fructus habuere beatos. D

Genes. 35.
Debbora sub quercu, velut sub Cruce sepulta.
In Genes. lib. 3. c. 11.

Euidens argumentum prætereà de eiusdem sanctæ Crucis ligno, quòd quernum fuerit, elici posse videtur ex quercu, sub qua Debbora Rebeccæ nutrix tumulata fuit. Nam quercus illa, Crucis figura extitit. Quemadmodum enim eadem arbor *Quercus fletus* est appellata; sic Christi Crux incredulis Iudæis perpetuum fletum excitauit; de quo sanctus Eucherius: *Quercus verò, sub qua Debbora sepulta esse pronuntiatur, Crux intelligenda est Domini: quæ ab hoc, Quercus est appel-*

A *appellata fletus, quia in ea suspensa est vita, quæ Iudæis incredulis perpetuum intulit luctum.* Simile argumentum etiam deduci posse videtur ex quercu illa, cui Absalon filius Dauid capillis suspensus, tribus lanceis ibi confossus est. Nam hæc quoque Crucis extitit figura, vt fusiùs suo loco dicemus. At controuersiam hanc dirimere, ac definitiuam proferre sententiam pro parte illa, quæ Crucem sanctam querno ligno constructam sustinet, videntur verba illa Isaiæ Prophetæ, qui dixit: *Longè faciet Dominus homines: & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ, & adhuc in ea decimatio, & conuertetur: & erit in ostensionem, sicut terebinthus, & quercus, quæ expandit ramos suos. Semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Prædicit enim ibi Propheta, partem vnam nimirum Hebraici populi obdurescentem, & peruicacem, in incredulitate ac perfidia sua pertinaciter permansuram: alteram verò ad Christi Domini fidem conuertendam: Iudæos à Romanis decimandos, ac destruendos; seruandas tamen aliquas eiusdem populi

Quercus Absalonis, Crucis figura.

Crucem ex quercu structam Isaias innuere videtur.

Isaiæ 6.

B reliquias, quæ sub ramis Crucis quernæ tandem confugientes, salutem consequentur: atque eidem Cruci deinceps coniunctæ permanentes, semen sanctum & benedictum fient. Denique præter auctoritates, rationesque, quas pro eius sententiæ cõfirmatione adduximus, quę Crucem Domini ex quercu constructam contendit, argumentum aliquod trahi posse videtur ex argenteo numismate quodam Augusti Cæsaris iussu, paulò ante vel forsitan sub ipso natiuitatis Christi felicissimo tempore cuso, cui Ciuica corona insculpta est, quernis frondibus contexta, glandibusque ditata, vt hîc graphicè delineata conspicitur; in cuius medio, SALVS GENERIS HVMANI inscribitur.



Nummus Cæsaris Augusti cum corona è quercu, & inscriptione quæ ad Crucem facit.

C Quasi innuere vellet, iam tunc cessisse diem beatissimæ illius temporum plenitudinis, in qua diuinum Verbum, & desideratus cunctis gentibus, carnem sumpturus, & in querneo ligno, id est, in Cruce sancta, humani generis salutem operaturus erat. Atque sub ipsius Augusti felici Imperio nasciturus inuictissimus fortissimusque ab æterna morte Liberator ille, ille verus ciuium Saluator, verus inquam ille vitæ conseruator ac dator, cui Ciuica corona meritò debebatur; non ea tantùm ratione, quòd vnius ciuis vitam seruauerit, verùm quòd ab æterna morte liberauerit, veramque vniuerso humano generi salutem attulerit. Quod numisma à me hîc Romæ visum est in quorumdam nobilium amicorum meorum manibus, quos antiquitatum monumenta delectant. Atque in quodam libro impressum conspicitur, cui titulus est, *Discorso della Relligione antica de Romani*, à Guilielmo Choul nobili Lugdunensi conscripto, *fol.* 108.

D De cuius numismatis veritate ac sinceritate nullo pacto dubitandum. Etenim testatur Plinius, Agrippam ab Augusto Rostrata donatum corona, ipsum verò Augustum Ciuicam ab humano genere recepisse; his sanè verbis ad inscriptionem illam alludens, quam numismati supradicto, in Ciuicæ coronæ medio, idem Augustus imprimi mandauerat: inquit enim: *Dedit hanc Augustus coronam Agrippæ, sed Ciuicam à genere humano accepit ipse.* Lib. 16. cap. 4.

At obiici hîc forsitan posset à quopiam, argumentum istud, applicationemque hanc nostram aliquantulùm extortam, atque (vt ita dicam) machinis funibusque pertractam: cùm verisimile non sit, Augustum, vtpote Ethnicum, sancta hac atq; diuina adspiratione afflatum; imò in hoc numino cudendo, longè

alterius mentis fuisse videatur. Quandoquidem numismatis huius occasione atque inscriptione superbè nimis innuere potiùs voluerit, semetipsum humani generis salutem extitisse; quòd cruentissima bella, ciuiliumque dissensionum flammas illas, quibus post Iulij Cæsaris patris sui necem vniuersus orbis conflagrabat, sedasset ac restinxisset; ob idque Ciuicam coronam ab humano genere meritò sibi deberi: cùm tot Romanos ciues, in suo ac Marci Antonij atque Lepidi Triumuiratu, diris atque horrendis proscriptionibus necandos & obtruncandos à morte seruasset. A

Cui obiectioni sanè respondere æquum est, quòd etsi numismatis huius cusione, ea quæ superiùs dicta sunt, forsitan innuere ac significare voluerit; Deo optimo maximo nihilominùs placuisse, vt is qui orbis Imperator erat, præter mentis suæ consilium, nesciens etiam prædiceret, veram humani generis salutem, Christum Dominum in mundum hunc suis ipsius temporibus venturum. At hæc hactenus tandem, ac forsitan fusiùs etiam quàm par erat, pro scopo nostro circa formam atque materiam, ex qua Crux sancta constructa fuerat, dicta sint. Nam hîc contentiosè ac pertinaciter defendere voluisse, eam ex vna potiùs quàm ex alia ligni specie conditam, leuis admodum atque exigui momenti (mea sententia) est disceptatio. Et quamquam opinio illa, quæ ex quercu constructam putat, vero simili admodum innitatur, nullam tamen huius rei firmam notitiam reuerà haberi posse existimo. B

CAPVT VII.

Quàm antiquus fuerit mos crucifigendi homines: quando introductus: apud quas nationes vsu receptus, ac de quibusdam Regibus, magnis Principibus, aliisque viris illustribus, qui in Crucem sunt acti. C

Crucifigendi mos antiquißimus. ANTIQVISSIMAM sanè ac peruetustam fuisse inuenio hanc humanitatis expertem ac diram Crucis patibulo affigendi, ibique necandi homines consuetudinem: & quidem adeò antiquam, vt statim cum ipsamet Regum, Principum, ac tyrannorum in populos potentia & iurisdictione, nata atque introducta videatur. *Assyriis olim in vsu.* Quandoquidem iam tunc ab ipsius Nini primi Assyriorum Regis temporibus, quibus (vt Eusebius notat in Chronicis, Regni eius videlicet anno quadragesimo tertio, natus fuerat Abrahamus) hoc atrox ac teterrimum supplicium in vsu erat. Nam cùm Ninus ipse valido comparato exercitu, *Pharnum Mediæ Regem Ninus primus Assyriorum in Crucem egit.* Mediam inuasisset, vt illius prouinciæ potiretur; Pharnus eiusdem Rex altero instructus exercitu, sese illius viribus opposuit. At prælio commisso, Pharnus victus & captus, cùm viuus vnà cum vxore ac septem filiis in Nini manus deuenisset; eo iubente, crudeliter in Crucem est actus. D Quod facinus Diodorus Siculus, Latinitati redditus, sic tradit: *Antiquit. lib. 2. c. 1.* *In Mediam deinde auctis viribus transgressus Ninus, cùm ei Pharnus Rex cum exercitu occurrisset, prælio victum, cumque vxore & septem filiis captum, Cruci affixit.* Hanc verò efferatam consuetudinem non tantùm apud Assyrios, verùm etiam apud Hebræos, Palæstinos, Ægyptios, Persas, Scythas, Sauromatas, Græcos, Carthaginenses, Romanos, & vt vno verbo dicam, apud omnes ferè antiquiores illustrioresque totius orbis nationes in vsu fuisse constat.

Crux Hebræis in vsu. Apud Hebræos quidem iam à Moysis tempore vsu receptam, Sacræ produnt litteræ. Cùm enim Deus, vt Numerorum libro habetur, Israëlitis vehementer

A menter ſuccenſeret: & ob id non tantùm, quòd cum ſcortis Moab corpora miſcuerant; verùm etiam, quòd Hebræorum iuuentus, Ethnicis mulieribus illis allicientibus, ad profana idolorum ſacrificia accedens, ex carnibus immolatorum comederat, idolaque illa impiè adorauerat; præcepit Deus ipſe Moyſi, vt cunctis populi Principibus captis, eos Crucibus ſuſpenderet: *Tolle*, inquit, *cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis.* Moyſe verò vita perfuncto, magnus ille Dux Ioſue, vrbe Hai expugnata, Regem eius prælio victum & captum, in Crucem egit: corpus autem illius, cùm vſque ad Solis occaſum in ligno eminens pependiſſet, deponi, & in ipſius vrbis introitu ſepulturæ mandari iuſſit; cui Hebræi magnum aceruum lapidum congeſſere. *Principes Hebræorũ idololatras Moyſes crucifixit.* Num. 25. *Regem vrbis Hai, Ioſue.* Ioſue c. 8.

Præterea verò cùm quinque Reges ſimul conſpiraſſent, Rex ſcilicet Ieruſalem, Rex Hebron, Rex Ierimot, Rex Lachis, & Rex Eglon; atque ex ſingulis eorum copiis vnum prævalidum inſtruxiſſent exercitum, coniunctiſque aciebus B caſtra mouiſſent, vt Gabaonitarum ciuitatem caperent, captamque euerterent, quòd cum Iſraëlitis fœdus percuſſiſſent; Ioſue repentè eos adortus, fudit, ac profligauit. At prælio confecto, cùm quinque illi Reges in ſpelæo quodam, vbi ſe ex fuga receperant atque abdiderant, deprehenſi eſſent; Ioſue eos ſibi ſiſti imperauit: accerſitiſque exercitus ſui Principibus mandauit, vt in eorumdem Regum ceruices pedibus inſilirent. Cumque ſuperba eorum colla hoc pacto pedibus calcaſſent, manu ſua illos interfecit, interfectoſque quinque Crucibus ſuſpendi iuſſit. *Item quinque alios Reges.*

Cùm autem poſt multos tranſactos annos, Iudææ Prouincia ob aëris ſiccitatem quamdam, atque agrorum ſterilitatem, quæ trium annorum ſpatio durauerat, maxima rei frumentariæ caritate afflictaretur, & in ſumma annonæ verſaretur inopia, quæ multos quotidie fame necabat; Dauid, qui populum Dei tum temporis moderabatur, Deum rogauit, vt cauſam ei reuelare dignare- C tur, ob quam ſupplicium illud in populum ſuum immiſiſſet. Cui reſpondit Deus, ſe fame illa populum plectere, expiandi peccati gratia, quod Saul Rex prædeceſſor eius commiſerat, cùm Gabaonitas interfeciſſet, contra pactum & iuſiurandum, quo Ioſue ac populus Iſraëliticus eos in fidem receperant. Quamobrem accerſitos Gabaonitas, Dauid ſciſcitatus eſt, quas pœnas ab eo atque ab Iſraëlitico populo expeterent, quibus ſatis ſibi ipſis factum eſſe putarent, pro illius expiatione peccati, ac pro acceptæ iniuriæ vindicta. At illi in ea petitione pertinaciter inſtiterunt, dari ſibi in poteſtatem ſeptem viros ex filiis ac nepotibus Saulis, quos Crucibus ſuffigerent. Itaque Dauid illis tradi iuſſit duos naturales filios, quos Saul ipſe Rex ex Reſpha eius concubina ſuſceperat; alioſque quinque filios Michol eiuſdem Saulis filiæ, quos illa (vt libro ſecundo Regum traditur) Hadrieli filio Berzellai de Molathi pepererat: qui quidem ſeptem adoleſcentes à Gabaonitis in monte quodam crucifixi ſunt. Huius verò facti anno- D tatione planè digni in eodem ſacro textu hiſce verbis proditur ad poſteros memoria: *Tulit itaque Rex duos filios Reſphæ filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni & Miphiboſeth; & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, & dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Hæc ibi. At diuus Hieronymus hoſce filios Michol, non naturales, ſed adoptiuos teſtatur, vtpote quos Merob, ſoror eius, ab Hadriele filio Berzellai eius marito ſuſceperat: Michol enim Saulis filiam nequaquam Hadrielis vxorem fuiſſe, ſed Merob, quæ ex eodem Hadriele quinque hos filios ſuſceperat, quos Michol Dauidis vxor ſibi poſteà in filios adoptauerat, propterea que ipſius Michol filios nuncupari. *Septem viros ex filiis & nepotibus Saulis, Gabaonitæ.* 2. Reg. 21. In Quæſt. Hebraicis, in 2. Reg. c. 21.

Vt autem ſummatim dicam, immanem ac ferum hunc crucifigendi morem

 apud

apud Hebræos frequentiſſimum fuiſſe conſtat. Tradit enim Flauius Ioſephus, A in Antiquitatum Iudaicarum hiſtoria, Alexandrum Hircani filium Hebræorum Regem, cùm inimico animo iis grauiter infenſus eſſet, quòd ab eo ſæpiùs defeciſſent, atque aduerſus eum arma ſumpſiſſent; Betoma ciuitate expugnata, ingenti numero ex inſignioribus capto, Ieroſolymamque perducto, dum in concubinarum conuiuio ad menſam accumberet, in eminentiſſima palatij ipſius parte, quà proſpectus vndequaque commodus erat, ad octingentorum numerum Crucibus ſuffigi iuſſiſſe; vxoreſque ac liberos miſerrimorum illorum, in conſpectu iugulari adhuc viuentium: hoc pacto ſanè, iniuriarum, quibus in grauiſſimam indignationem eum concitauerant, diriſſimas teterrimaſque ab eis pœnas exigens. Cuius barbari facinoris ergô, Thracidæ cognomentum apud Iudæos adeptus eſt.

Antiq. Iudaic. lib. 13. cap. 22. *Octingentos Hebræos Alexander Hircani filius.*

Crux Palæſtinis in vſu.

Saulem eiuſque filios crucifixerunt.

Idem verò Crucis ſupplicium, non minùs quàm apud Hebræos, à Palæſtinis finitimis populis, quos ſacra eloquia Philiſthæos vocant, adhibitum fuiſſe B conſtat. Hi enim cùm de Iudæis inſignem illam in montibus Gelboë victoriam reportaſſent, in qua Rex ipſe Saul cum tribus filiis, nempe Ionatha, Abinadab, atque Melchiſua, ceciderant, abſciſſis capitibus Regiis, corpora eorum in Cruces egerunt iuxta Bethſanæ ciuitatis mœnia, quæ nunc Scythopolis dicitur; eorumdemque arma, veluti trophæa, in templo Aſtaroth idoli ſuſpenderunt. Cuius hiſtoriæ idem etiam Ioſephus, Latinitati redditus, his meminit: *Die verò quæ prælium conſecuta eſt, dum cæſorum cadauera ſpoliant, inciderunt in Sauli filiorumque eius corpora, quibus exutis, capita etiam præciderunt; & dimiſsis in hoc per totam regionem ſuam certis hominibus, hoſtes cecidiſſe nuntiauerunt. Quorum arma in templo Aſtaraes dedicauerunt. Porrò corpora eorum circa mœnia vrbis Bethſanæ, quæ nunc eſt Scythopolis, Crucibus affixerunt.*

Antiquit. Iud. lib. 6. cap. 15.

Geneſ. c. 40 *Crux Ægyptiis in vſu.*

Piſtorem ſuum Pharao Ægyptiorum Rex crucifixit.

Crucifixionem quoque apud antiquos Ægyptios vſu receptam, ex ſacræ Geneſis ſcriptura clarè comprobatur. Litteris namque ibi memoriæ proditum eſt, C Ioſephum Iacobi Patriarchæ filium, in Ægypto carceribus detentum, pincernæ atque piſtoris Pharaonis Regis, ſomnij interpretatione expoſita, prædixiſſe, pincernam quidem poſt triduum in Regis gratiam & officij exercitium reſtituendum ac reintegrandum; piſtorem verò Cruci ſuffigendum, ibique carnes eius à rapacibus alitibus dilaniandas atque deuorandas. At huius crucifigendi apud Ægyptios receptæ conſuetudinis, non hoc vnum tantùm ad poſterorum memoriam, ſed quamplurima ſunt monumenta tranſmiſſa. Legimus enim, Inarum Libyæ Regem pleraſque Ægypti ciuitates variis negotiationibus & pollicitationibus ad defectionem contra Artaxerxem Regem ſollicitaſſe, & in ſocietatem ſuam pellexiſſe; fœdereque cum Athenienſibus percuſſo, coniunctis armis, totius illius Prouinciæ dominio potitum. Artaxerxes verò, Megabarum quemdam Perſam Zopyri filium, præualido inſtructum exercitu, illuc proficiſci iuſſit; qui ſex annorum ſpatio ibi proſperis ſucceſſibus belligerans, Re- D gnum illud denique recuperauit; atque Athenienſibus multis cladibus attritis, & inde expulſis, in Artaxerxis poteſtatem redegit. Inarum verò Libyæ Regem, in quem bellorum ac reuolutionum illarum omnium culpa reiiciebatur, dolis interceptum, ſibique per proditionem traditum, Crucis ſupplicio affecit. Huius autem hiſtoriæ Thucydides Latinus effectus, his meminit: *Inarus tamen Libyorum Rex, harum omnium in Ægypto rerum auctor, per proditionem captus, in Crucem actus eſt.*

Inarum Libyæ Regem, Ægypti Artaxerxes.

De bello Pelopōneſiaco, lib. 1.

Cleomenem Spartanorum Regē, Ptolemæus Ægyptiorum.

In Ægypto pariter Cleomenes Spartanorum Rex poſt mortem Cruci ſuffixus eſt. Prælio enim ab Antigono Macedonum Rege deuictus, in Ægyptum ſeſe ex fuga receperat, à Ptolemæo Rege perbenignè ſuſceptus. At Ptolemæo

ipſo

A ipso non multo pòst vita perfuncto, Regnoque Ægypti ad filium eius ex successione delato, Cleomenes à maleuolis quibusdam apud eum insimulatus, in suspicionisque crimen vocatus, atque in carcerem coniectus, cùm omnino sibi moriendum esse non dubitaret, mortem sibi consciuit, eo modo, quem in eius vita Plutarchus tradit. Quod vbi immani effeminatoque iuueni Ptolemæo renuntiatum esset, Cleomenis corpus pelle nudatum, in Crucem suspendi iussit.

Verùm non viros tantùm, sed mulieres etiam crucibus suffigere ac necare Ægyptios consueuisse inuenimus. Defuncto enim eodem impio parricida Ptolemæo eiusdem Prouinciæ Rege, qui parentes fratremque regnandi causa interfecerat, vnde Philopater ironicè cognomento dictus (quo eius teterrima perstringebantur scelera ab omni humanitate ac pietate aliena, qua parentes summa veneratione habendos natura ipsa docet & iubet) Agathoclea eius impudentissima concubina, ob cuius amorem scelestissimus idem Philopater Eu- *Etiam feminæ ab Ægyptiis crucifixæ:*
B rydicem quoque sororem suam & coniugem necauerat, quemadmodum dum ipse viueret Ptolemæus, omnia pro suo arbitrio moderabatur, & vnà cum Euanthe matre, & Agathocle fratre, multa quotidie scelera perpetrabat; sic & post illius mortem ab ipsa diu occultatam, & Regiam gazam direptam, Regnum ipsum, in quo quinquennis Regis filius successerat, inito cum perditissimis clandestino fœdere, occupare conatur. At nefario facinore cognito, populus in eos concitatus, Agathoclem concubinæ fratrem & ciuitatis Præfectum occidit; ipsamque Agathocleam & matrem interceptas, vt Eurydicis Reginæ mortem vlcisceretur, Crucibus affixit. De quo Iustinus Historicus hoc modo: *Agathoclea cum matre Euanthe.*
Cùm interim relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, Rex moritur: sed mors eius, dum pecuniam Regiam mulieres rapiunt, & Imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis Agathocles occiditur; & mulieres in vltionem Eurydicis, patibulis suffiguntur. Lib. 30.

C At cùm in consuetudinis crucifigendi etiam mulieres sermonem inciderimus, quoddam facinus hîc prætereundum non censeo, licet non in Ægypto, sed in ipsa vrbe Roma contigerit; quod non vnam tantùm mulierem, sed & ipsos Isidis sacerdotes crucibus suffigendi causam dedit. Ex cuius narratione successus patebit sanè, quàm facilè nequissimus hostis antiquus, sub Religionis prætextu, miseros tunc Gentiles, iuxta peruersæ voluntatis suæ desiderium, in omnem enormitatis fœditatem ac graue peccatum pelliceret. Erat Romæ, Tiberij Imperatoris temporibus, honestissima matrona, nomine Paulina, Saturnini viri illustris vxor. Huius, quæ pulcherrima erat, feruentissimo amore captus Decius Mundus, iuuenis quidam equestris ordinis; cùm variis modis tentata mulieris pudicitia, nullo pacto ab honestatis proposito dimouere posset, amoris impotentia victus, viuendi atque ardendi simul finem facere inediâ decreuit. Hunc miserata patris sui liberta quædam nomine Ida bono animo esse iu- *Paulina honestissima matrona miserabilis lapsus.*
D bet; spondens se operam sedulò daturam, vt quod ardentissimo flagrabat desiderio, consequeretur. Sciebat enim liberta, Paulinam præcipuo quodam Religionis affectu Isidi esse deuotam, frequenterque eius Deæ templum adire solitam. Egit igitur cum Æditui, quos ingenti pecuniarum summa corruperat, vt Paulinæ insinuarent, Anubem Deum, mulieris forma ac pulchritudine captum, eius concubitum ardentissimè percupere. Illa verò summo se inde honore dignatam putans, omnia fide pura ad maritum detulit: qui cùm vxoris fidem ac pudicitiam apud se cognitam atque probatam haberet, eidem facilè concessit, vt nocte quadam in templo Isidis pernoctaret. Quò cùm scelestissimi sacerdotes iuuenem clàm introduxissent, per integram noctem, ad libitum, adamata muliere potitus est; nequaquam reluctante Paulina, existimante se in

complexum Anubidis esse. Verùm triduo pòst, forte fortuna Decius Paulinæ obuiàm factus, irrisa & subsannata muliere, rem totam detexit; significauitque se ea demum (etsi præter voluntatem eius) potitum, dum in Isidis templo in Dei Anubidis amplexibus se fuisse crederet. Quo audito, simplex ac misera, primò quidem præ admiratione nimia, ingenti stupore oppressa, quasi mente abalienata conticere; deinde verò incredibili consternata dolore, vestes conscindere, crinesque manibus discerpere, euellere, ac domum sese concita proripere, rem totam ad maritum deferre: qui apud Imperatorem grauissima interposita querela, in tantum scelus atque flagitium iure agi vrgentissimè flagitauit. Tiberius verò, rei veritate comperta, Æditu os illos, vnaque cum iis Idam libertam eiusdem sceleris magistram, Crucibus suffigi, temploque Isidis à fundamentis euerso, simulacrum eius in profluentem Tiberim proiici iussit: Decium verò mitiore pœna, exilij videlicet, plectendum sanciuit, crimen eius in cupidinis impotentiam referens. Cuius facinoris historiam Flauius Iosephus in Iudaicis Antiquitatibus fusiùs prosequitur, atque his verbis Latinitati redditis complectitur: *Tiberius postquam accuratissima inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in Crucem egit, vnaque Idam inuentricem huius sceleris, cuius præcipua opera fuit in corrumpenda pudicitia mulieris; dirutoque templo, statuam Isidis iussit mergi in Tiberim.*

Ida liberta & Æditu orum Isidis crucifixione à Tiberio vindicatus.

Lib. 18. cap. 4.

Christianæ mulieres ab Ethnicis crucifixæ:

Quam barbaram crucifigendi mulieres consuetudinem, Ethnici diabolica crudelitate sæpè posteà contra Christianos exercuerunt, Crucibus suffigentes plerasque generosas, ac virtutibus insignes mulieres, quæ admirabili sanè constantia, atque virili animi fortitudine, hoc teterrimum atrocissimumque mortis genus, pro Christi fide pertulerunt. Inter quas beatissima virgo & martyr Eulalia, dignissima profectò censenda est, quæ à nobis & à quocumque Christiano scriptore perpetuis laudibus atque æterno honore celebretur: quæ Diocletiani Imperatoris temporibus, postquam in Barcinonensi ciuitate equuleum, vngulas, flammas, aliaque diuersa tormentorum genera incredibili animi fortitudine sustinuisset, in Crucem denique acta est. Cuius in Romano Martyrologio sub die duodecima Februarij his verbis præcipua mentio habetur: *Barcinonæ in Hispania, sanctæ Eulaliæ virginis, quæ tempore Diocletiani Imperatoris, equuleum, vngulas, flammasque perpessa, demum Cruci affixa, gloriosam martyrij coronam accepit.* De qua Beda etiam, Vsuardus, Ado, & plerique alij Latinorum, commemorationem faciunt.

S. Eulalia virgo,

Nec minori sanè laudum præconio digna pariter censenda est gloriosa martyr Iulia virgo Carthaginensis: quæ capta à Vandalis Carthagine, circa nostræ salutis annum quadringentesimum trigesimum nonum, tamquam mancipium vendita, & in seruitutem adducta, cùm naui quadam vnà cum domino suo ad Corsicam insulam applicuisset, vellentque infideles inibi habitantes, ad sacrificandum idolis eam violenter impellere; impietatem illam constantissimè detestata, immani crudelitate Cruci suffixa est. Cuius passionis in eodem Romano Martyrologio sub die vigesima secunda Maij his verbis habetur mentio: *In Corsica, sanctæ Iuliæ virginis, quæ Crucis supplicio coronata est.* Atque de eadem sub eodem quoque die commemorationem faciunt Vsuardus & Ado: Beda verò sub eiusdem mensis vigesimo primo. Petrus quoque Natalis Episcopus illius historiam prosequitur, in Sanctorum Catalogo. Aliæ atque aliæ quamplurimæ præterea gloriosæ mulieres, pro Christi amore, admirabilique diuinæ potentiæ impulsæ virtute, quæ infirma mundi sæpè eligit, vt fortia quæque confundat; generoso planè & inuicto animo, sub fragili ac delicato muliebris sexus cortice, dirissimum hoc atque atrocissimum supplicium intrepidè

S. Iulia virgo.

A pidè pertulerunt; vt ex Martyrologiorum prædictorum lectione, aliorumque librorum quàm plurium, quibus Sanctorum res gestæ continentur, videre licet. Sed iam tempus est, vt ad narrationem nostram reuertamur.

Apud Persas pariter horrenda hæc & dira mortis species frequentissima fuit. Cuius rei, præter id quod in libro Esther litteris mandatum legimus, de elato ac superbo Aman, in Crucem illam quinquaginta cubitorum, quam Mardochæo præparari fecerat, iussu Assueri Persarum Regis suffixo; deque decem filiis eius, qui omnes in Crucem pariter acti sunt; multa alia notatu digna, antiquarum historiarum monumentis memoriæ prodita inuenimus exempla. Inter quæ admirandum planè, & extra expectationem omnem videri debet illud Polycratis Samiorum Principis, qui in rebus agendis omnibus fortunam sibi iunctam habere visus est. Is annulum quemdam in mare proiecit, cui pretiosissimus Smaragdus inclusus erat, quo obsignandis epistolis vtebatur; cælaturæ pla- *Persis item Crux in vsu.* *Polycratis Samiorum Principis nimia felicitas.*

B nè antiquitate & excellentia præstantissimus, ideoque super omnes gemmas summo planè ab eo in pretio habitus. Quod idem Polycrates fecerat, Amasis Ægypti Regis, veteris amicitiæ atque hospitalitatis necessitudine sibi deuinctissimi, consilium secutus; suadente eo videlicet, vt re aliqua, quæ charissima esset, abdicaret sese, cuius abdicationis priuationisque amaritudine, nimiam illam ac planè portentosam successuum suorum felicitatem temperaret. Quinta verò vel sexta die à gemmæ illius demersione, piscator ad eum venit, qui insigni quodam pisce eum donauit, in cuius visceribus idem annulus inuentus est. Quo audito, Amasis Rex, statim caduceatorem Samum consultò misit, qui ipsum amicitiæ & hospitalitatis iure, quod cum Polycrate contraxerat, publicè ac solemniter abdicaret; testatus existimare se fieri non posse, vt bonum ac felicem exitum sortiretur is, cui in toto vitæ curriculo omnia prospere atque feliciter contigissent: atque idcircò misisse se, qui amicitiam atque hospitalitatem *Amasis Ægyptiorum Regi de infelici exitu suspectat.*

C eamdem nomine suo publicè missam faceret; ne, si intimi amici & hospitis sui vita fine terminaretur infami, hæc duo sibi posteà vno eodemque tempore subeunda essent incommoda, in animi mœrorem scilicet & ignominiæ notam incurrendi. Quibus sanè vaticinatus est. Nam cùm Polycrates ipse ingentis pecuniæ congerendæ auidissimus esset, quippe qui ad totius Ioniæ omniumque insularum illius maris dominium sibi adiiciendum, animum applicuerat; amicorum omnium, atque ipsiusmet filiæ spreto consilio, nimia cupiditate impulsus, ad * Orœtem Sardiorum vrbis Præfectum omnino se conferre voluit: qui cùm morte pessima eum perdere statuisset, quo ipsum tutiùs ac saluis omnibus comprehenderet, eo dolo ac fallacia ad se attraxit, quòd Cambysis Persarum Regis pecunias in potestatem ei daturum se spoponderat. At statim cùm Magnesiam appulit, eiusdem Orœtis iussu in Crucem actus est. * Orontes Cicero, & Valerius Maximus. *Crucis supplicio finita.*

Qua quidem tetra atque indigna morte, Amasis Ægypti Regis vaticinium

D re ipsa comprobatum est, pleneque ad veritatis exitum perductum ipsius Polycratis filiæ somnium, quæ paulò antè per quietem videre sibi visa erat, patrem sublimè elatum, à Ioue lauari, & à Sole perungi. Nam cadauer eius in præalta Cruce suffixum, à Ioue quidem, dum plueret, lauabatur: à Sole autem vngi videbatur, dum ipsius corporis abdomen, Solis calore liquatum, per membra difflueret. Quam historiam Herodotus Halicarnasseus, Latinitati redditus, his verbis prosequitur: *Vbi Magnesiam peruenit Polycrates, tetra morte est affectus, indigna, aut persona sua, aut suis cogitationibus. Nam Orœtes eum, quod indignum relatu est, Cruci affixit. Polycrates ergo suspensus, omnem filiæ visionem exsoluit: nam ab Ioue quidem, cùm plueret, lauabatur; à Sole autem, exundante è membris abdomine, vngebatur.* Cuius somnij Tertullianus, in tractatu suo de Anima, obiter his paucissimis In Thalia, siue lib. 3.

De Anima, c. 47. mis meminit: *Vt cùm Polycrati Samio filia Crucem prospicit, de Solis vnguine, & de lauacro Iouis.* A

Leonides Lacedæmoniorũ Rex à Xerxe Persarum Rege crucifixus. Tanto Rege prætereà, tantaque bellica virtute indignum censendum est ludibrium & ignominia, qua Xerxes Persarum Rex Leonidæ Lacedæmoniorum Regis ac Ducis strenuissimi corpus affecit. Nam cùm is ad Thermopylas montem, qui Græciam totam, non secùs ac dirimit Italiam Apenninus, contra Persas pro patria fortiter pugnans occubuisset: Xerxem acerbam in iracundiam inflammauerat, ob ingentem ac planè horribilem copiarum suarum ab ipso Leonide atque Spartanis in eo conflictu editam stragem, in qua plerique Persarum nobilissimi atque illustrissimi desiderati sunt; inter quos duo ipsius Xerxis fratres, duoque Darij filij. Quamobrem prælio commisso, cùm inter cæsorum cadauera corpus eiusdem Leonidæ repertum esset, Xerxes ira percitus, nimiaque indignatione accensus, generosæ planè consuetudinis Persarum oblitus, qua ipsi viros militari disciplina excellentes, ac bellica gloria insignes, summis honoribus prosequi solebant, capite truncari, truncumque in Crucem suspendi iussit. Cuius indigni facinoris idem etiam Herodotus sic meminit: *Hæc Xerxes locutus, inter cæsos transit, vbi erat Leonides: quem cùm audisset Lacedæmoniorum Regem, eumdemque Ducem esse, iussit abscisso capite in Crucem tolli.* B

In Polymnia, siue libro 7.

Scythis Crux in vsu: Neque sanè minùs quàm alibi, mos iste suffigendi Crucibus homines, apud Scythas ac Sauromatas persamiliaris probari videtur. Litteris enim proditum est, Cyrum Persarum Regem, præualido instructum exercitu, Scythiam inuasisse, vt illius prouinciæ potiretur imperio; à Scytharum verò, siue, vt alij volunt, Amazonum Regina, prælio victum & captum, in Crucem actum. Diodorus enim Siculus de eo sic tradit: *Cyrum quidem Persarum Regem, cum ingenti exercitu Scythiam ingressum, Scytharum Regina prælio superatum, captumque, Cruci affixit.* Herodotus autem longè aliter Cyri ipsius mortem prodit: scribit enim, Cyrum eumdem, prælio quodam aduersus Massagetas decertantem, occubuisse. Cuius corpus Tomyris populorum illorum Regina, cùm inter cæsorum cadauera perquisitum inuenisset, abscisso capite, in vtrem humano cruore repletum demisit: vt cruore saturaretur is, quem sanguine quandoque saturatum iri iam interminata fuerat. C

Antiquit. lib. 3.

In Euterpe, siue libro 2. circa finem.

Græcis: Græci prætereà, non secùs ac nationes aliæ, hoc atroci ac diro supplicio vtebantur; vt ex eorum historiarum monumentis clarè elicitur. Cùm enim Xantippus Atheniensium Dux, Arctaytem Xerxis prætorem, & Æoliæ tyrannum, qui Protesilai sepulcrum templumque, in quo ingentes thesauri adseruabantur reconditi, fraudulenter spoliauerat, fugientem comprehendisset: licet ille eidem templo, pro pecuniis quas inde sustulerat, centum talenta, ac pro ipsius & filij sui, qui vnà cum eo captus fuerat, redemptione, ducenta alia pendere vellet, Cruci nihilominùs suffigi iussit; filiumque ante pendentis atque adhuc viuentis patris oculos, lapidibus obrui. Hoc sanè, patrati sacrilegij vlciscendi puniendique caussa, de vtroque supplicium sumpsit. Quod facinus, ipse Herodotus in Calliope sua, circa finem prosequitur: vbi id accuratiùs legenti patebit. D

Macedonibus: Macedones item crucifixionem vsu recepisse constat. Cuius rei testis locupletissimus est Iustinus historicus. Tradit enim, Olympiam Philippi Macedonum Regis vxorem, ac Magni Alexandri matrem, indignatam quòd idem Philippus eam repudiasset, ducta pro ea in vxorem Cleopatra Attali sorore; in Epirum recepisse se, vt apud Alexandrum Epirotarum Regem fratrem suum vitam ageret. At vbi accepisset eumdem Philippum à Pausania nobilissimo iuuene Macedone, ex Orestium familia, interemptum, interfectoremque Pausaniam in Crucem actum; quasi ad mariti funus exequiasque cohonestandas, eò

statim

A statim aduolauit. Atque eadem ipsa aduentus sui nocte, in Cruce pendentis Pausaniæ capiti auream coronam imposuit: quasi quodam modo illi honorem gratiasque retulisset, quòd maritum sibi infensum atque inimicum obtruncasset. Huius prætereà consuetudinis apud Macedonas crucifigendi homines, Alexander Magnus eius filius, teterrimum ac planè plusquam barbarum specimen quandoque dedit. Cùm enim Tyri vrbem, longa obsidione cinctam, oppugnatamque, tandem cepisset; indignatus, quòd ciues illi diutiùs ac pertinacissimè restitissent, pueris ac mulieribus in seruitutem redactis, ad duo millia florentium iuuenum, quos viuos ceperat, Crucibus suffigi iussit. Cuius immanis facinoris historiam Diodorus Siculus in gestis ipsius Alexandri prosequitur. *De gestis Alexandri, anno quarto.*

Verùm Carthaginenses forsitan immoderatè, atque inurbanè magis quàm ceteræ nationes aliæ, hoc teterrimo vtebantur supplicio. Quandoquidem nulla *Carthaginensibus.* B prorsus aut nobilitatis aut meritorum habita ratione, horrenda hac & ignominiosa morte, quamplures fama insignes atque illustres necauere viros. Quin etiam Valerius Maximus certè testatur, Carthaginenses ipsos adeò violentos ac tetricos fuisse; vt Duces & exercituum suorum Imperatores, bella prauo consilio gerentes, Cruci affigerent, etiamsi prosperi euentus subsecuti essent: quod benè gesserant, Deorum auxilio; quod verò malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes. Cuius asperi ac planè diri Carthaginensium moris, Titus Liuius libro quarto Decadis octauæ, & Plutarchus in Timoleonis vita, meminerunt. *Lib. 2. de Militari Disciplina. Qui Duces prauo consilio bellantes crucifixere.*

Erant autem Carthaginenses aduersus Imperatores suos adeò crudeles atque proterui, vt Machæum Ducem cum exercitu ipsius à Carthagine exulare iusserint; cuius Imperatoris auspiciis, Siciliæ partem domuerant, magnaque rebus eorum facta erat accessio: non aliam sanè ob causam, nisi quòd in eadem Siciliæ insula bellum gerens, aliquos sinistros incursus (vt bellorum fert casus) per- C pessus fuerat; quodque in Sardinia graui prælio victus, magnam exercitus partem amiserat. Quamobrem eumdem Ducem cum eius exercitu in tantam desperationem adduxerant, vt cùm nullius gratiæ ab eodem rigidissimo Senatu consequendæ spes esset, ipsam vrbem Carthaginem obsidendam statuerit, Deos hominesque testatus se non damni alicuius eidem Reipublicæ inferendi causa, aut eamdem subiugandi, venisse; sed vt sibi ipsi, totque honestis militibus, ac benemerentibus ciuibus propriam patriam recuperaret. Dum autem in longum protraheretur obsidio, Cartalo eiusdem Machæi Ducis exulis filius, à Tyro reuersus, quò ab ipsa Carthaginensium Republica legatus missus fuerat, ad Herculi ferendas ac persoluendas decimas spoliorum eorum, quæ sub ipsiusmet Ducis Machæi auspicio ab hostibus reportauerant; dum per patris castra transiret, ab eo accersitus antequam vrbem ingrederetur, superbus atque ingratus filius ad illum non tantùm ire noluit, sed ipsum sibi ne aspiciendum D quidem duxit; seque publicæ priùs religionis officia executurum, quàm priuatæ pietatis, respondit. Quod etsi pater ægrè ferret, grauissima indignatione in eum concitatus; non tamen illi violentas manus inferre, ne religionem violaret, ausus est. Verùm paucis diebus exactis, cùm de itineris sui negotiis Cartalo ad Senatum retulisset, legationemque suam penitus absoluisset; permissione ab ipso Senatu populoque Carthaginensi impetrata, vrbe egressus, ad patrem, qui circa Carthaginis mœnia castra posuerat, rectà contendit; seseque in eius conspectum, purpura indutum, ac sacerdotij infulis ornatum præsentauit. Quo conspecto Machæus, non tantùm se ab eo spretum reputauit, cùm accersitus ad ipsum venire noluisset; verùm etiam existimauit, eum de calamitatibus & miseriis patriis, ac de ipsius patris duro exilio triumphum quodammodò ducere voluisse,

voluisse, cùm in illa luctuosa patris ærumna, adeò splendidè ornatus, ac superbis vestibus indutus, ad ipsum tunc venisset. Quare tanta ira percitus in eum excanduit, vt ipsum ita splendidè ornatum & coronatum, in altissimam Crucem in conspectu vrbis crudeliter affigi iusserit; sic eum affatus: Quandoquidem tu in patre nihil nisi exulis nomen agnoscis, ego quoque Imperatorem me magis quàm patrem ostendam; statuamque te in memorabile atque æternum cunctis filiis exemplum, ne quis eorum posthac infelicibus miseriis patrum illudat, néve eos irrideat. Quod quidem immane atque truculentissimum facinus, Iustinus historicus luculenter prosequitur. A

Cartalo à patre Macheo in Crucem actus.

Lib. 18. in fine.

Magnam præterea barbaræ truculentiæ testificationem præbuere Carthaginenses aduersus Annonem potentissimum Principem, atque adeò prædiuitem, vt eius redditus, ipsius Reipublicæ vires superarent. Is enim cùm ad eiusdem Reipublicæ inuadendum imperium animum intendisset, viginti millium seruorum auxilio, quos ad arma vocauerat, munitissimum castellum occupauit: dumque Africanos populos finitimos, ac Mauritaniæ Reges, ad arma capessenda, atque Carthaginensium iugum excutiendum adhortaretur sollicitaretque; ab iisdem Carthaginensibus capitur; qui cùm eum virgis diu cecidissent, oculos ei eruerunt, cruraque & brachia confregerunt; ac demum cùm astante vniuerso populo, longo ac teterrimo ludibrio, morte crudelissima mactassent, mortuum in Cruce confixerunt. Quam historiam idem Iustinus litteris commendatam, sic definit: *Virgisque cæsus, effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris pœna exigerentur, in conspectu populi occiditur: corpus verberibus lacerum, in Cruce figitur.* B

Anno Princeps à Carthaginensibus crucifixus.

Lib. 21.

Bomilcarem quoque Imperatorem suum iidem Carthaginenses in Crucem egerunt; suspicati, vel forsitan quòd solido indicio deprehendissent, eumdem cum vniuerso exercitu transiturum ad Agathoclem Syracusarum Regem, qui paulò antè eosdem graui sanè & cruento prælio deuicerat, atque ipsos in summam rerum desperationem adduxerat. Quo indicio Bomilcar delatus, capitur, atque in medio foro Cruci suffigitur, vbi Imperij dignitatem à sua Republica paulò antè adeptus fuerat. Verùm omnem ille insimulationem constanti ac perpetua inficiatione refellens, teterrimumque supplicium illud intrepido animo perferens, dum in Cruce penderet eminens, quasi ex alto quodam tribunali concionabundus, ciuium suorum tetricam crudelitatem increpabat; obiectans illis nunc Annonem falsa affectati Regni inuidia circumuentum, & horrenda morte trucidatum, nunc Gisgonis innocentis exilium, nunc verò in Amilcarem patruum suum tacita & mendicata falsò suffragia, quibus eius machinati essent interitum; ac demum, quòd ipsummet iniusta ea atque atrocissima morte damnassent, qui Agathoclem Regem socium illis facere, quàm hostem maluerit. Quæ cùm in maxima & frequentissima populi concione vociferatus esset, expirauit. Hæc quoque idem Iustinus tradit, cuius verba, quæ ad rem nostram pertinent, hæc sunt: *Ob quam noxam Bomilcar in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est: vt idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui ornamentum anteà fuerat honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeò vt de summa Cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur.* C D

Item Bomilcar Imperator.

Lib. 22.

Romani ipsi quoque, non minùs forsitan quàm nationes aliæ, licet maiore aliqua personarum ac delictorum habita ratione, horribili hoc Crucis supplicio vtebantur, non solùm in maiori Imperij culmine, verùm etiam iam inde ab ipsius nascentis ac gloriosæ Romæ primis germinibus pullulantibus, primisque floribus erumpentibus. Etenim, vt ex Titi Liuij historia elicitur, multo antè quàm Horatius, Tulli Hostilij tempore, post deuictos & interemptos Curiatios,

Romanis Crux vsitata, ab ipso Romæ ortu.

A tios, propriam ſororem occidiſſet, vtpote quæ præ nimio, quo vnum ex Curiatiis eiſdem ſibi ſponſum deſignatum proſequebatur amore, importuno fletu atque eiulatu publicam turbabat lætitiam, fraternamque victoriam obſcurabat; iam vſu recepta erat Duumuiralis illa lex, contra perduelliones, id eſt contra eos, qui tamquam hoſtes publici, publica morte plectebantur. Cuius legis horribile planè atque tremendum hoc erat decretum: *Duumuiri perduellionem iudicent. Si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. Si vincent, caput obnubito, infelici arbori rectè ſuſpendito.* Iuxta cuius legis ſanctionem, iam Horatio præparata Crux erat, in eaque ſuſpenſus proculdubiò fuiſſet, niſi Romanus populus, ad quem à Duumuirorum ſententia prouocauerat, lacrymas ſenis atque orbati patris miſeratus, intrepidamque virtutem atque animi fortitudinem ipſius iuuenis Horatij admiratus, ab indigna illa & ignominioſa morte eum abſoluiſſet, liberumque eſſe iuſſiſſet. Cuius legis meminit etiam Cicero in Oratione pro

Perduelliones Crucis ſupplicio puniti.

Titus Liuius Decadis primæ libro 1.

B Caio Rabirio, licet auctorem legis eiuſdem Tarquinium Superbum fuiſſe dicat; forſitan vt eamdem magis odioſam redderet. Et quamquam ex Titi Liuij verbis coniici videatur, legem illam damnaſſe reos, fune ad collum iniecta, furca ſuſpendendos ac ſtrangulandos (ferè vt hodie eſt vſus) potiùs quàm Cruci ſuffigendos; cùm ipſe dicat: *Rectè ſuſpendito.* & paulò inferiùs: *Acceſſerat lictor, iniiciebatque laqueum.* Cicero nihilominùs apertè innuit, ſupplicium tunc vſu receptum, Crucem fuiſſe; ſic enim inquit: *Quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quàm me in Conſulatu meo, carnificem de foro, Crucem de campo ſuſtuliſſe?*

In Oratione pro Caio Rabirio, perduellionis reo.

Infinita pænè ſuppetunt exempla, quibus probari poteſt, Romanos etiam Crucis ſupplicium inferre ſolitos, tam ſub Regibus, quàm tempore Reipublicæ, atque Imperatorum. At breuitati conſulentes, ceteris omnibus prætermiſſis, ſatis nobis factum eſſe putamus, ſi ſummatim hîc horribiles aliquas animaduerſiones atque ſupplicia, quæ de perfidis Iudæis à Romanis Ducibus ſumpta

C fuêre, retulerimus. Et primò quidem, cùm Antigonus Aſſamoneus Iudæorum Rex vltimus, Parthorum fauore ſuffultus, Hircano expulſo, regnum occupaſſet; demum ipſe quoque, expugnata Ieroſolyma à Caio Soſio Syriæ Præſide, victus & captus, trigeſimo quinto circiter anno ante Chriſtum natum, ad Marcum Antonium, qui Orientis tunc moderabatur Imperium, vinctus & captiuus perductus, iuſſu illius (vt Dio Romanarum hiſtoriarum libro 49. tradit) virgis cæſus, Cruci ſuffixus, ac demum capite truncatus eſt. Quocircà, vt accuratè Cardinalis Baronius Annalium tomo primo animaduertit, cùm Regium ſceptrum tribui Iudæ ereptum fuiſſet, nil aliud ſanè ſupererat, niſi vt iuxta antiquas prophetias veniret is, qui cælitus delapſus regnaret in Iſraël, Gentes regeret, Regnumque Iudaicum, quod acto in Crucem Antigono extinctum fuerat, per Crucem quam ſubiturus erat, reſtitueret, atque amplioribus limitibus longè lateque propagaret.

Antigonus Iudæorum Rex à Marco Antonio Cruci affixus.

D Deinde verò cùm Archelaus, poſt mortem Herodis patris ſui, Romam veniſſet, vt ab Auguſto titulum ac dignitatem Regis Iudæorum obtineret; magni tumultus ac ſeditiones Ieroſolymis commotæ ſunt: quas tamen Varus, qui tunc Præſidis Syriæ fungebatur officio, nonnullis ex primariis eorum motuum auctoribus morte damnatis, ſedauit atque compeſcuit. Verùm eodem Antiochiam reuerſo, Ieroſolymis relicto Sabino Cæſaris Procuratore, legione vna militum tantummodò ſuffulto; is auaritia nimia concitatus, variis exactionibus adeò exagitare cœperat Iudæos, vt ſeditione in eum commota, captis armis, apertam à Romanis defectionem fecerint: cumque ob Pentecoſtes ſolemnitatem, infinita pænè Hebræorum multitudo Ieroſolymam confluxiſſet, Sabinum cum legione illa Regio palatio incluſum obſederunt. Quocircà cùm ille ſum-

mo se in discrimine constitutum cerneret; magna celeritate de periculo suo ac A Romanæ legionis, Varum certiorem fecit, instantissimè obtestatus, vt sibi subsidio accurreret. Quamobrem confestim ille exercitum Antiochiâ mouens, Ierosolymam magnis itineribus properauit. Quare eo statim apparente, Hebræi Sabinum obsidentes, perterriti aufugerunt. At Varus, defectionis illius noxa Iudaico populo condonata, in auctores eius tantummodò animaduertendum sibi in animo esse declarauit. Parte igitur exercitus per Prouinciæ illius ciuitates & loca ad hunc finem distributa, diligentique inquisitione auctores defectionis eiusdem perquisitos & captos, ad duo millia Crucibus affigi iussit. Huius autem historiæ Flauius Iosephus est auctor, qui ex Græco in Latinum translatus, hæc habet: *Tum Varus, dimissa per totam regionem parte exercitus, perquirebat defectionis auctores; & indicio repertos, alios vt sontes punit, nonnullos dimisit incolumes, actique sunt in Cruces ea de causa circiter duo millia.*

Iudæorum duo ferè millia à Varo Præside:

Iudaic. Antiq. lib. 17. cap. 12.

Anno verò septuagesimo secundo à natiuitate Domini nostri Iesu Christi B vertente, cùm iam statutum tempus adesset, quo Iudæi iniquitatum ac scelerum suorum debitum persoluerent, atque iniustissimæ mortis, qua mundi Saluatorem affecerant, meritas debitasque pœnas penderent; obsidente Tito Vespasiani Imperatoris filio Ierosolymorum ciuitatem, dira atque intoleranda fames, qua miseri obsessi torquebantur ac necabantur, quamplurimos eorum eò impellebat, vt occultam ex vrbe meditarentur ac maturarent fugam; spe concepta, eo pacto salutem sibi parare posse. Verùm à peruigilantibus militibus, quos Titus vndequaque circa mœnia in excubiis disposuerat, omnes intercipiebantur; atque in ipsius vrbis conspectu Crucibus palàm suffigebantur. At famis illius horrenda crudelitas, adeò illos premebat vrgebatque, vt eo non obstante, egredi à ciuitate non desisterent; spe aliqua salutis semper in fuga retenta. Quocircà ad quingentorum ac sexcentorum numerum, quotidie à Romanis capiebantur, omnesque Crucibus affigebantur. Itaque crucifixorum numerus, C in tam horribilem immensitatem excreuerat, vt circùm mœnia Ierusalem, densissima infelicium ac miserabilium arborum silua nata videretur; vt iam neque locus neque spatium superesset vbi Cruces terræ infigi possent. Romani verò milites, qui Iudęos propter improbam eorum pertinaciam ferali odio prosequebantur, longam ac molestam illam pertæsi obsidionem, per ludibrium & ignominiam variis modis eos Crucibus suffigebant. Resque ad id demum redacta erat (vt idem Iosephus tradit) vt præ infinita ferè multitudine miserrimorum hominum, qui comprehendebantur, iam solum Crucibus, Crucesque corporibus deficerent: *Milites autem diuersis modis suffigebant, ira, & odio, & ludibrij caussa: & propter multitudinem quam cepissent, iam spatium Crucibus deerat, & corporibus Cruces.* hæc ille.

Eorumdem infinitus numerus à Tito Imperatore.

De bello Iudaico, lib 6. c. 12.

Diuinæ iustitiæ sanè monumentum admirabile, permittente eadem atque volente iustitia, vt tot hominum millia illius perfidæ ac scelestissimæ sobolis eo D supplicio plecterentur, quo ipsi verum Messiam iniquissimè expetiuere damnandum. Quemadmodum & è contra (licet pro fine longè diuerso atque dissimili, nempe pro ipsius gloria & honore, pro sanctæ fidei testimonio ac propagatione; vt inæstimabili thesauro suam ditaret Ecclesiam, atque vt sanctos homines pretiosissimis ac sublimissimis coronis redimitos, æternisque honoribus decorandos, in Paradiso susciperet) permisit etiam, vt tot sanctorum Martyrum millia, ab impiis Ethnicis, & immanissimis infidelibus, Crucibus affixi fuerint. Cuius rei notatione plusquam dignissimum monumentum illud est, quod in Romano Martyrologio sub die vigesima secunda Iunij litteris commendatum legitur: de illis nimirum decem millibus gloriosis Militibus, ac sanctis Martyribus,

Iustitiæ diuinæ monumentum, vt Cruce plecterentur qui Saluatorē crucifixissent.

Multa SS. Martyrum millia Cruci affixa.

A ribus, qui in monte Ararath Ægypti pro Christi fide in Cruces acti sunt. Quorum admirandam historiam Petrus Natalis Episcopus in sanctorum Catalogo prosequitur, eademque in antiquissimo codice manuscripto, siue Sanctorali, vel Passionario ecclesiæ sanctæ Cæciliæ vrbis Romæ, luculenter habetur descripta: atque de eadem Beda, Mombritius, Maurolycus, & Græci in Menologio sub eadem die meminerunt. In qua numerosa sanctorum Martyrum multitudine, tunc præcipuè admirandum apparuit consilium magni Dei, mirabilis in Sanctis suis, cui placitum fuit, vt tot Sanctorum millia simul vno tempore, atque eodem mortis genere Saluatori nostro gratum sacrificium offerrent ac redderent, quod ille iam sibi, super ligneo sanctę Crucis altari, pro nobis omnibus in odorem suauitatis obtulerat.

CAPVT VIII.

B *Licet Hebræi, non secùs ac Gentiles, Crucis supplicium adhiberent; hoc tamen inter eos erat discrimen, quòd Gentiles mortua corpora, absque sepultura, putredine absumenda in Crucibus relinquebant: Hebræi verò, eo ipso die, quo Crucibus suffixa, sepulturæ tradebant; & quare hoc facere consueuerant.*

CRVCIFIXIONEM antiquis temporibus, non minùs apud Hebræos, quàm apud Gentiles indifferenter vsu receptam, superiori capite ostendimus. Verùm Hebræi ipsi infelices ac miseros teterrimo illo damnatos atque affectos supplicio, hoc humanitatis ac pietatis prosequebantur officio, vt postquam exspirassent, eos è Crucibus deponentes, eadem ipsa die, qua suffixi fuerant, sepulturæ mandarent. Quanam ratione autem id facere consueuissent, statim dicemus. At Gentiles, barbarum planè ac longè truculentiorem secuti morem, huiusmodi corpora, iisdem in Crucibus corrumpenda relinquebant; non solaribus radiis, ventis, & imbribus tantùm exposita, verùm & rapacium volucrum voracitati, dentibusque immanium ferarum dilanianda & discerpenda; donec ossa pelle & carnibus nudata, neruorumq; ac iuncturarum compagibus dissolutis sensim delapsa, omnia in terram conciderent. Cuius inhumanæ atque efferatæ consuetudinis ex ipsius sacræ Paginæ monumentis satis clarum argumentum colligere possumus. Nam cùm Saulis Iudæorum Regis ac trium filiorum corpora, prope mœnia ciuitatis Bethsan, vt superiùs diximus, Crucibus suspensa fuissent, decreuissentque Palæstini, quos Philisthæos sacra Scriptura vocat, patriam barbariem sequentes, Crucibus corrumpenda relinquere; imperterriti quidam ac robustissimi iuuenes Hebræi, ex terra Iabes Galaad, eadem corpora, intempesta nocte è Crucibus deposita abstulerunt, & iuxta antiquum Iudæorum morem sepulturæ tradiderunt.

C (margin) *In Crucibus putrefactio Gentilibus vsitata.* — 2. Reg. c. 21 — *Sacra litteræ eamdem testantur.* — D

Idem etiam colligitur ex eo Gabaonitarum facinore, qui cùm Crucibus suffixissent septem filios illos, atque eiusdem Saulis nepotes, quos Dauid in eorum potestatem tradi iusserat; prout etiam diximus, non tantùm illorum corpora è Crucibus non deposuêre ac sepeliuêre demortua, verùm antiquum suum morem secuti, vt Amorrhæi atque Gentiles, eadem Crucibus suspensa reliquerant. Quocircà Respha olim Saulis concubina, & mater duorum miserorum adolescentium, ex iis qui Crucibus affixi fuerant, die noctuque ibi iuxta Cruces in excubiis stetit, ne volucres aut feræ eorum cadauera discerperent: donec hoc accepto Dauid, miseratione permotus, eadem iuxta Saulis ac ceterorum 2 Reg. c. 21

Et passim ipsorum Gentilium libri. filiorum corpora sepeliri iussit. Verùm eiusdem Gentilium immanissimæ consuetudinis, ipsi eorum Auctores omnino apertam testificationem reddunt. Neque aliud sanè innuere voluit Horatius, cùm dixit: A

Epist.17. *Non hominem occidi. Non pasces in Cruce coruos.*

Ad eamdem quoque consuetudinem probandam, faciunt illa Iuuenalis carmina, quibus prodit, consueuisse vulturem ad putrida aduolare cadauera; partemq; belluarum aut canum qui in campestribus putrescunt, aut hominum eorum quorum corpora Crucibus suspensa relicta sunt, paruis vulturibus, qui è nido adhuc euolare non possunt, deferre solitum: quæ quidem hæc sunt:

Satyra 14. *Vultur iumento, & canibus, Crucibusque relictis*
Ad fœtus properat, partemque cadaueris offert.

Consueuisse autem antiquos Gentiles crucifixorum cadauera absque sepultura, Crucibus putrefacienda relinquere, clarè item patet ex verbis quæ Theodorus Cyreniacus dixisse fertur Lysimacho Pergami Regi, Crucem ei quandoque B interminanti. *Insigne Theodori Cyrenæi dictum.* Cui ille respondit, vt horribilibus minis illis delicatos ac purpuratos aulicos suos perterrefaceret: sua enim parum referre, an corpus suum terra conditum, an sublimè elatum putresceret. Quæ verba refert Cicero, imperterritam constantiam, & animi magnitudinem illius Philosophi admiratus: inquit enim: *Quid Cyrenæum Theodorum Philosophum non ignobilem, nónne miramur? Cui cùm Lysimachus Rex Crucem minaretur, Istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humine an sublimè putrescat.* Tusculanarũ Quæst. lib.1.

At huius antiqui & humanitatis expertis Gentilium moris, euidentius monumentum nullum illo Polycratis Samiorum Principis inueniri potest, cuius iam superiùs meminimus. *Polycratis corpus in Cruce corruptum.* Nam eo ab Orœte in Crucem acto, ipsius cadauer Cruci affixum, in prægalto Micalensi monte relictum fuit; vbi imbribus madidum, ac solaribus radiis excoctum, totum putre absumptum est. Cuius memorandi planè ac diri spectaculi præcipuum quoddam monumentum memoriæ C prodit Valerius Maximus, hoc modo: *Sed hunc,* inquit, *felicitatis semper plenis velis prosperum cursum tenere non potuit. Comprehensum enim Orontes Darij Regis Præfectus, in excelsissimo Micalensis montis vertice Cruci affixit: è qua putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus annulum piscatoris manu restituerat, situ marcidam, Samos, amara seruitute aliquandiu pressa, liberis ac lætis oculis aspexit.* Hæc ille. Lib.6. cap. vltimo.

Auilij Flacci crudelitas. Hoc itidem ex Philonis Iudæi scriptis euidenter colligitur. Is enim Auilij Flacci Ægypti Præsidis crudelitatem describens, tradit, cùm moris esset Augustorum natalitiis solemnibus appropinquantibus, damnatorum cadauera Crucibus affixa deponere, eademque propriis cognatis reddere sepelienda; cùm æquum esset, Principum natalitia ipsis etiam mortuis aliquod afferre solatium, is idem Flaccus è contra, non illa tantùm iam confixa deponi non permittebat, sed & alia insuper iisdem lætis diebus suffigi iubebat. Atque crucifixorum D corpora Gentiles ipsi non sepulturæ quidem tradi sinebant, sed circa Cruces militum excubias plerumque deputare consueuerant, ne à cognatis aut amicis clàm surrepta sepelirentur. *Custodia ad Cruces, ne corpora tollerentur.* Vtraque verò harum consuetudinum his apertissimè probatur, quæ Plutarchus scribit in Cleomenis Spartanorum Regis vita, qui ab impio & immani Ptolemæo Ægypti Rege, post mortem pelle nudatus, atque in Crucem actus, vt superiùs diximus: dum corpus eius penderet suffixum, milites qui ad Crucem excubabant, post aliquot ab eius crucifixione dies retulerunt, quemdam se immanem serpentem vidisse, qui crucifixi Regis corpori circumplicatus, faciem eius velabat, ne rapacium alitum quispiam ad carnes eius depascendas appropinquaret. Plutarch. in Cleomenis vita.

Huic

A Huic diro ludibrio, huic atroci ac plus quàm barbaræ immanitati obnoxia fuère corpora quamplurium fortissimorum Martyrum, pro sancta Christi fide ab eisdem Gentilibus in Crucem acta: qui non satis sibi ipsis factum esse putabant, quòd illos hoc truculentissimo mortis genere necauissent; sed & corpora eorum demortua, sepulturæ honore carentia, pro coruorum, vulturum, & aliorum rapacium volucrum esca, Crucibus affixa permanere volebant. Quod ab impiis & iniquissimis Iudicibus, sæpè in sententiis, quas aduersus illos ferebant, expresse sancitum erat, vt videre est in actis sanctorum Martyrum Claudij, Asterij, & Neonis, trium videlicet adolescentium fratrum, qui Diocletiani Imperatoris temporibus, ab ipsamet ipsorum nouerca, Lysiæ Ciliciæ Præsidi, quòd Christiani essent, proditi; diuersis tormentorum generibus diuexati, vt Christi fidem abnegarent; cùm in eadem nihilominùs semper firmiores constantioresque persisterent, Crucis patibulo tandem damnati sunt: hoc addito B decreto, vt corpora eorum volucribus dilaceranda, Crucibus affixa relinquerentur. Verba autem ipsius in eos latæ sententiæ, hæc sunt: *Sub cura Eulalij Commentariensis & Archelai speculatoris, foris ante atrium, hi tres fratres, vt digni sunt, Cruci affigantur, & corpora eorum auibus laceranda relinquantur.* Quorum beatissimorum Martyrum acta, ex antiquissimis manuscriptis codicibus excerpta, refert Surius, sub die vigesima tertia Augusti, in Sanctorum vitis, tomo quarto. Ex quorum puritate styli, ex Præsidis interrogationibus, atque ipsorum sanctorum Martyrum responsionibus, clarè perpenditur, illa planè vera & germana acta esse, à publicis Notariis actuariis excepta, atque à sanctæ Ecclesiæ Protonotariis collecta. Horum namque sanctorum quoque Martyrum commemorationem faciunt Martyrologium Romanum sub eadem die, Ado Episcopus, Petrus Natalis in Sanctorum Catalogo, & alij plerique. Nec eorumdem Sanctorum corpora tantùm, verùm & plurimorum aliorum Martyrum à teterrimis Ethni- C cis pari modo, pro rapacium volucrum esca, Crucibus affixa, relicta fuerunt. Quod sanè innuere voluit Prudentius, cùm sanctorum Hippolyti ac sociorum passionem describens, asserit, quòd Iudex caussæ illius, postquam diuersorum tormentorum vi frustrà conatus esset efficere, vt Sancti præfati idola adorarent; defatigatis tandem ministris, ira atque furore percitus, iussit, vt torquendi eos finem facientes, interficerent. Aliorum quidem capitibus abscissis, aliis verò in Crucem actis, vt oculos volucrum rostris discerpendos offerrent:

SS. plurimorũ Martyrum corpora in Crucibus relicta.

Inde furens Quæsitor ait: Iam tortor ab vnco
Desine; si vana est quæstio, morte agito.
Huic abscinde caput, Crux istum tollat in auras,
Viuenteisque oculos offerat alitibus.

Περὶ στεφάνων, id est, De coronis; in passione S. Hippolyti Mart.

Iudæi verò contrà: nam licet non minore quidem immanitate homines Crucibus suffigerent; hoc tamen, vt iam superiùs diximus, humanitatis illos prose- D quebantur officio, vt sepulturæ non priuarent honore. Sepeliebant enim eos eadem ipsa die, qua Crucibus suspenderant. Quod ab his factum erat, non quòd ceteris nationibus mitiores aut humaniores essent; sed quia id expresse lege eorum cautum erat, vt Deuteronomij sacris proditum est litteris; cuius textus verba Tertullianus sic interpretatus est: *Si autem fuerit in aliquo delicto, ita vt iudicium mortis sit, & morietur, & suspendetis eum in ligno. Sed & sepultura sepelietis eum ipsa die.* Nostra autem vulgata editione id etiam fusiùs & apertiùs explicatur. Nec enim sine altissima diuini consilij dispensatione Iudæis expressa lege iniunctum fuerat, vt Cruci affixos sepulturæ omnino traderent. Nam cùm ab æterno ipso rerum initio, in sanctissimæ Trinitatis consistorio sancitum atque statutum esset, vt Diuinum Verbum, carne assumpta, sacrosanctaque huma-

Iudæi corpora in Crucibus mortua sepeliẽre, vt Legi diuinæ satisfacerent.

Deut. 21. Aduers. Iudæos, c. 10.

Quæ in honorem Iesu Christi crucifigendi lata.

 nitate

nitate ligno Crucis extensa, ibidem per diram ac teterrimam mortem (ô magni A
Dei mysterium, cunctis Angelicis atque humanis intellectibus imperscrutabile ac planè admirandum) humani generis restaurationem ac redemptionem operaretur, sacratissimum corpus suum ipse profectò sepeliri voluit: vt quemadmodum morte sua animabus nostris æternam vitam dederat, ita etiam & sepultura, corpora nostra viuificaret; vt electi, redemptionis fructu, anima & corpore in Paradiso æternaliter fruerentur. Quod idem Prudentius innuere voluit, quando hac firma & stabili spe suffultus, Christianus sanè Poëta, sic Christianè canendo dixit:

Περὶ στεφάνων, in passione S. Romani Martyris.

Hinc nos & ipsum non perire credimus
Corpus, sepulcro quod vorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus Cruce
Secum excitatum, vexit ad solium Patris,
Viamque cunctis ad resurgendum dedit. B

Et certè quidem infinitæ Dei optimi maximi bonitati ac magnitudini consentaneum & condecens videbatur; quippe qui in omnibus operibus suis perfectissimus, omniumque virtutum numeris absolutissimus est; cùm hominem diabolica fraude prolapsum, Christi morte instaurandum & viuificandum suscepisset, eumdem interiùs exteriusque, in anima videlicet atque in corpore, restitueret ac redintegraret in vitam: quandoquidem propter peccatum, anima & corpore corruptus ac deprauatus, æterna morte damnatus erat.

CAPVT IX.

Crucis supplicium, omnium quæ ferri possent truculentissimum habebatur: ab antiquis verò, & præcipuè Romanis, infame reputatum; ideoq; apud eos plerumque vltima erat in seruos & latrones animaduersio. Hebræi autem id Dei maledictionem esse censebant. C

CRVX priscis sanè temporibus inter omnia mortis genera, quæ aut inferri consueuerant aut poterant, atrocissimum & crudelissimum, ac turpitudinis & infamiæ nota fœdissimum censebatur. Quamobrem Calistratus Iureconsultus, Crucem summum supplicium appellauit: adeoque pœnam hanc acerbitatis crudelitatisque refertissimam æstimauit, vt gradus pœnarum capitalium recensurus, Crucem ipsam in gradu primo collocarit; ratus id supplicium, cruciatus atrocitate, ipsi etiam viui corporis cremationi anteferendum. Quocircà in sexto Cognitionum libro, ait: *Capitalium pœnarum ferè isti sunt gradus: summum supplicium videtur esse ad Crucem damnatio: item viui crematio: item capitis* D
amputatio. Quod quidem eum dixisse puto, non antiquitatem tantummodò spectantem (Crucis enim supplicium erat inter alia omnia, quæ tunc vsus receperat, antiquissimum) sed & infamiæ ac turpitudinis notæ, quam inferebat, rationem habentem; deinde verò pœnæ acerbitatem expendentem, ac demum teterrimam illam, & planè cum sensu & cruciatu nimio in longum prolatatam mortem, qua infelices ad Crucem damnati necabantur, perhorrescenti consideratione præponderantem. Quare Cicero suis in Caium Verrem Actionibus, vehementi oratione, grauissimam in eum iecit querelam; quòd contra leges ac patriæ consuetudinem, quemdam Romanum ciuem, Gauium Consanum nomine, in Crucem egisset. Quo loco Crucem crudelissimum ac teterrimum appella-

Crux summum supplicium.

Habetur hodie in Digesto nouo, titulo De pœnis, l. Capitalium, num. 28.

A pellauit ſupplicium; inquit enim: *Apud te nomen ciuitatis ne tantum quidem va-* Cicero Actione 7.
luiſſe, vt dilationem aliquam Crucis, vt crudeliſſimi teterrimique ſupplicij aliquam par- in Caium
uam moram ſaltem poſſet afferre? Deinde verò grauioribus inſimulationibus im- Verrem.
manitatem illius perſtringens, addit: quod cùm iuſtitiæ miniſtri, quos Ma-
mertinos appellant, more atq; inſtituto ſuo, Crucem fixiſſent poſt vrbem Meſ-
ſanam, in via Pompeia; illam Verres nihilominùs deplantari, atque per irriſio-
nem & ignominiam, quòd infelix & ærumnoſus Gauius ille Italum ſe ac Ro-
manum ciuem eſſe dixiſſet, in ea parte quæ ad fretum ſpectat, figi iuſſit; vt ex
Crucis eminentia, dum penderet in ea, Italiam cernere, ac domum ſuam quo-
dammodò proſpicere poſſet; atque vt Italia ipſa è regione viciſſim, alumnum
ſuum Crucis patibulo ſuſpenſum videret. Cui quidem Cruci eo loco Cicero
tria epitheta tribuit; eam videlicet ſeruitutis ſupplicium, ſupplicium extremum, *Supplicium*
ac ſummum ſupplicium appellans: *Italia autem alumnum ſuum, ſeruitutis extre-* *ſeruitutis.* Cicero
B *mo ſummoque ſupplicio affectum videret.* Nonnus verò Panoplita Ægyptius Poëta ibid.
eloquentiſſimus, qui ſanctum Ioannem Euangeliſtam, ab eo virginem Theo-
logum dictum, heroicis carminibus interpretatus eſt, Crucem appellauit ἐλέγχι- In Ioan.
στον τινὰ πότμον, id eſt, *damnatiſſimum quoddam fatum.* Sanctus Anſelmus mortem c.19.
Crucis inter omnia mortium genera atrociſſimum fuiſſe teſtatur, cùm inter
omnia moriendi genera, peior mors reperiri non poſſet. Sic enim inquit: *Illa* In Epiſt.ad
enim morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium. Rationem verò afferens, cur Philip.c.2.
adeò aſpera atque crudelis cenſeretur, ſubdit; quòd pendentes in Crucis pati-
bulo, clauis manibus pedibuſque ligno confixis, producta morte necabantur.
Nam qui crucifixus erat, non illicò occidebatur; ſed diu in Cruce permiſſus erat
viuere; non quidem vt longior ei vita prorogaretur, ſed vt prolixiorem mor-
tem inferrent, ne dolor citiùs finiretur.

Crucis autem ſupplicium olim infame ac ignominioſum fuiſſe, ipſi etiam *Suppliciũ*
C Chriſtiani ſcriptores, ſacrique Eccleſiaſtici teſtantur Doctores: ideoque Lactan- *infame.* De vera
tius Firmianus ſic tradit: *Cur ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem aliquo honeſto* Sapientia,
mortis genere affectus eſt? Cur potiſſimùm Cruce? Cur infami genere ſupplicij, quod lib.4.c.26.
etiam homine libero quamuis nocente videatur indignum? Hæc ille. Sanctus verò
Ioannes Chryſoſtomus Crucem apud cunctas nationes probri atque infamiæ
ſignum fuiſſe his verbis apertè prodit: *Crux dedecoris fuerat ſignum, & apud om-* In Sermo-
nes gentes ignominia & infamia putabatur. Sanctus autem Athanaſius teſtatur, ne de latrone.
Chriſtum Dominum illam in Cruce ſubiiſſe ac ſuſtinuiſſe mortem, quam ipſi S.Athanaſ.
truculentiſſimi inimici eius, omnium turpiſſimam, atque ab omnibus ſummo de incar-
conatu totiſque niſibus abhorrendam ac fugiendam eſſe putauerant. At diuus nat.Verbi Dei.
Auguſtinus inter omnia mortium genera, nullum planè magis abominandum S.Auguſti-
aut formidandum ipſa Cruce his verbis affirmat: *Nihil enim erat inter omnia ge-* nus in libro
nera mortis, illo genere execrabilius aut formidoloſius. Sanctus Gregorius Nyſſenus quæſt 83. quæſt.25.
D innuit homines antiquis temporibus autumaſſe, nullam ipſa Cruce ignomi- S.Gregor.
nioſiorem mortem reperiri poſſe; ideoque Latinitati redditus inquit: *Quæ enim* Nyſſenus
mors eſt ignominioſior ea, quæ per Crucem ſuſtinetur? Ignominioſam ſanè exiſtima- in orat. catechetica.
tam Crucem Theophylactus quoque, & ipſe Latinus effectus, idipſum affir- Theophy-
mat his verbis: *Tollat Crucem ſuam, hoc eſt, ignominioſam mortem; ignominioſa enim* lactus in
videbatur Crux. Marci Euangel.c.8.

Erat autem ipſum Crucis ſupplicium apud Romanos præcipuè adeò vile &
ignominioſum reputatum, vt non ſolùm iniquitatem ac ſcelus capitali anim- *Suppliciũ libero ho-*
aduerſione dignum cenſerent, Romanum ciuem quempiam in Crucem agere; *mine indi-*
ſed & incongruum atque indignum exiſtimarent, liberum hominem hoc mor- *gnum; maximè apud*
tis genere damnari. Quocircà Cicero prædicti Caij Verris temerarium atque *Romanos.*

In Verrem, Act.7. immane delictum vehementiore ſtylo exaggerans, inquit: *In Crucem tu agere ausus es quempiam, qui ſe ciuem Romanum eſſe diceret?* & paulò pòſt ſubdit: *Facinus eſt vinciri ciuem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necari: quid dicam in Crucem tollere?* Quamobrem Romani ſeruos ſuos tantummodò viliſſimo hoc ſupplicio plerumque punire conſueuerant. Nam hoc infelix hominum genus apud eos ſic contemptui habebatur, vt à quamplurimis homines ferè non eſſe putarentur; ita vt ſæpè crudeles atque inhumani quidam domini cerebroſi ac pænè dementes, cuiuſcumque etiam errati leuiſſimi ac minimi delicti cauſa, miſerrimos & ærumnoſos ſeruos, non ſecùs ac bruta, in Crucem agerent. Quod ſanè innuere voluit Horatius, illorum inſaniam & crudelitatem his carminibus perſtringens: A

Qui in ſeruos eo vſi ſunt, & ſæpè abuſi.

Serm lib.1. Satyr.3.

Siquis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus,
Semeſos piſces tepidumque ligurierit ius,
In Cruce ſuffigat; Labeone inſanior, inter
Sanos dicatur. B

Quam humanitatis expertem atque immaniſſimam barbariem cùm Iuuenalis corripere, & comiter carpere vellet, ſimulque iuuenes monitos eſſe, quàm in ducenda vxore circumſpectos & cautos eſſe oporteat; in Satyris ſuis importunam ac moroſam quamdam vxorem introducit, quæ peculiari quod in ſeruum conceperat odio, atque improbo quodam animi motu concitata, maritum impellere ſtudet, vt miſellum illum in Crucem agat. Cui ille reſpondens, dignam planè, non aureis characteribus tantùm conſcribendam, ſed & cunctorum Principum & Chriſtianorum Iudicum cordibus inſculpendam ſententiam protulit, dicens, nullam moram nullamque procraſtinationem, vbi de morte hominis agatur, longam eſſe:

Satyra 6.

Pone Crucem ſeruo. Meruit quo crimine ſeruus
Supplicium? quis teſtis adeſt? quis detulit? Audi, C
Nulla vmquam de morte hominis cunctatio longa eſt.
O demens, ita ſeruus homo eſt? Nil fecerit eſto;
Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Non conſueuere tamen graues ac rationi atque conſilio innitentes viri, tam immani ſeruos ſuos necare ſupplicio, niſi delicto aliquo enormi atque atroci delatos; quorum pleraque Iuſtus Lipſius in ſuo de ſancta Cruce Tractatu collegit ac retulit. Ad quem doctum ac planè curioſum libellum, quemcumque ſtudioſum & ea ſciendi percupidum ablegamus; dum nos mente alia, alioque conſilio perducti, diuerſum terentes iter, inſtituti noſtri metam ac ſcopum pertingere feſtinamus. Crux igitur apud Romanos, proprium ac præcipuum ſeruorum fuit ſupplicium. Quod ſanè innuere voluit Plautus, dum in ſua Militis glorioſi Comœdia, ſeruum illum nomine Sceledrum iocosè dicentem fingit, certiſſimè ſcire ſe, Crucem ſibi futuram ſepulchrum, quandoquidem pater ipſius, auus, proauus, atque abauus eidem ſuffixi fuerant: D

In Milite glorioſo, Actu 2.

—— Noli minitari; ſcio Crucem
Futuram mihi ſepulcrum. Ibi enim maiores mei ſiti,
Pater, auus, proauus, abauus.

Idem etiam colligitur ex his quæ Herodianus prodidit; cuius verba Latinitati tradita hæc ſunt: *Sycophantæ aut ſerui, quicumque dominos detulerant, in Crucem ſunt acti.* Scribit Paulus Oroſius, Romæ ſeditione commota, ac Tiberij Gracchi morte ſecuta, grauem illam ſeruilem belli contagionem, ac peſtem Siciliæ exortam eſſe, quæ multas infecit atque exagitauit prouincias. Quo tempore Minturniæ quadringenti ac quinquaginta ſerui Crucibus affixi ſunt. Titus etiam Liuius,

Lib.5.
Lib.5.c.9.

A Liuius, magnæ historiæ suæ locis quamplurimis, clarè possessionem Crucis patibuli, quam Romæ serui obtinebant, ostendit: atque ibi præsertim, vbi illorum viginti quinque seruorum meminit, qui in campo Martio inuicem conspirantes, Crucibus omnes confixi sunt. Decad. 3. lib. 2.

Huc illud etiam pertinet, quod Suetonius Tranquillus refert de scelestissimo & impio Caio Caligula, qui regnandi inexhausta cupiditate raptus, ac moræ impatiens, cùm Tiberium agentem animam vidisset, vt mortem illi accelararet, caueretque ne fortè conualesceret, puluinari ori superposito, propriisque manibus guttur perstringens, extinxit. Et quia fidus quidam eiusdem libertus, commiseratione victus, ac præ immani illius horribilis & impij sceleris atrocitate, dolore nimio transfixus, exclamauit; illum statim Cruci configi iussit. Docuit Augustus etiam terribili sanè, & ad posterorum memoriam transmittendo facinoris monumento, Crucem apud Romanos seruorum præcipuum fuisse In Caligula. *Caligulæ immanitas in Tiberiū, eiusque libertum.*

B supplicium; cùm in Sicilia, deuicto Lepido, viginti millia militum, qui aduersus eum stipendia meruerant, ex albo deleuit, & militiæ cingulo exauctorauit: ac triginta millia seruorum, qui eiusdem belli occasione, sumptis armis, à dominorum potestate discesserant, propriis dominis plectendos restituit: sex verò eorum circiter millia, quorum domini non apparebant, Crucibus suspendi iussit. Cuius rei, Dio Romanarum historiarum libro quarto, magisque peculiariter Paulus Orosius, his verbis meminit: *Sed Cæsar animo ingens, viginti millia militum exauctorauit, triginta millia seruorum dominis restituit; sex millia, quorum domini non extabant, in Crucem egit.* *Sex millia seruorum ab Augusto crucifixa.* Lib. 6. c. 18. in fine.

Adeò autem Crux apud Romanos proprium ac præcipuum seruorum censebatur patibulum; vt vulgò passim *seruile supplicium* appellaretur. Cuius rei infinita ferè scriptorum illorum exempla atque auctoritates nobis quidem suppeterent: at breuitatis ergô duæ nunc Cornelij Taciti pro tempore sufficiant. *Crux seruile supplicium propriè dicta.*

C Quarum prima illa sit fugitiui serui illius, nomine Getæ, qui se Camerinum Scribonianum simulabat, violentorumque & immanium Neronianorum temporum metu in Istria occultatum: at cùm sibi non satis constaret, neque de se ipso solidam rationem redderet; ad Vitellium pertractus, interrogatusque quisnam hominum esset, postquam nulla dictis fides, à proprio domino recognitus, in Crucem actus est. Cuius supplicium, breuissimè pro more suo, ita tradit Tacitus: *Sumptum de eo supplicium in seruilem modum.* Secunda verò ipsius Taciti auctoritas de Asiatico Vitellij liberto, illa esto; qui auctoritate atque potentia, quam sibi apud Imperatorem vsurpauerat, abutens, Cruci pariter suffixus, acerba illa atque horribili morte, temeritatis ac superbiæ suæ meritas pœnas dedit. Sic enim de vitæ eius exitu idem tradit: *Asiaticus enim is libertus, malam potentiam seruili supplicio expiauit.* Quoniam verò, duabus his Taciti auctoritatibus non obstantibus, dubitari adhuc posse videtur, an seruile supplicium, Hist. lib. 2. Hist. lib. 4.

D de quo loquitur, verè Crucis fuerit, cùm ipse ibi id expressè non promat; iis propterea alia duo diuersorum auctorum addemus testimonia, quibus non illa tantùm omnis ambigendi ratio tollitur, verùm etiam apertè probatur, Imperatores, siue tyrannos Romanorum aliquos, nimia seueritate acerbos, naturalique superbia inflatos, non seruos tantùm, sed liberas etiam quandoque personas in Crucem agere consueuisse.

Inter quos Opilius Macrinus Imperator, siue tyrannus, nimiùm planè rigida atque crudeli iustitia, delinquentes milites suos passim in Crucem tolli iubebat; hac aspera & tetrica seueritate, natalium suorum humilitati & abiectioni nubem obducere, atque auctoritatem afferre se ratus. Cuius acerbitatis Iulius Capitolinus his meminit: *Nam in Crucem milites tulit, & seruilibus suppliciis semper* *Macrinus Imp. milites delinquētes crucifixit.* In Opilio Macrino.

per affecit. Huius quoque asperæ seueritatis ac truculentiæ monumentum notatu dignum Auidius Cassius dedit, dum ad Danubij ripam castra haberet. Nam cùm auxiliaria militum manus, tria millia Sarmatarum, nullis dispositis excubiis, negligentiùs agere percepisset; Centurionibus suis hortantibus & impellentibus, Sarmatas illos repentè inuasit, concidit, ac trucidauit. Reuertentibus autem victricibus signis, ingentique præda onustis, cùm horum Centuriones hilares ac lætabundi sese Cassio præsentassent, sperantes ab eo magnam laudem ac præmium consecuturos, quòd tam parua militum manu tot hostium turmas obtruncassent; ille contrà eos capi ac Crucibus configi iussit, asserens exemplum non extare, vt milites insciò Imperatore hostes inuaderent; atque euenire potuisse, vt sub illa apparente Sarmatarum negligentia atque socordia, abstrusæ laterent insidiæ, quibus in fraudem ac discrimen aliquod pellicerentur, quo Romani Imperij maiestas & reuerentia læderetur. Quam asperam nimis ac diram executionem, Vulcatius Gallicanus, his verbis instituto nostro planè inseruientibus complectitur: *Et cum præda ingenti ad eum redissent, sperantibus Centurionibus præmium, quòd parua manu tantum hostium, segniùs agentibus Tribunis & ignorantibus, occidissent; rapi eos iussit, & in Crucem tolli, seruilique supplicio affici.*

Auidius Cassius Centuriones, quòd iniussu suo pugnassent, etsi victores.

In Auidio Cassio.

Consueuere quandoque Romani etiam Crucis supplicio in liberis personis aliqua atrocissima atque enormia punire delicta; non superbiæ quidem spiritu concitati, sed vt seueram illam iustitiæ animaduersionem, populorum statuerent in exemplum & frænum, ne deinceps in huiusmodi prolaberentur excessum. Quod sanè & ipsum maiorem Scipionem Africanum fecisse constat: qui etsi benignissimus esset, quandoque tamen, vt Valerius Maximus animaduertit, aliquid acerbitatis atque amaritudinis à crudelitate, licet ab insita sibi clementia alienissima, mutuò accipiendum sibi necessariò putauit, quò labentem militarem firmaret disciplinam. Magna enim ab eo deuicta Carthagine, cùm transfugas omnes qui ab eius exercitu ad Carthaginenses confugerant, in suam potestatem tradi imperasset, multò seueriùs in Romanos ipsos, quàm in Latinos animaduertendum censuit. Romanos enim vt hostes, ac propriæ patriæ proditores, Crucibus suffigi; Latinos verò, vt perfidos atque infidos socios, capite plecti iussit: De hoc enim sic tradit idem Valerius: *Nihil mitius superiore Africano: is tamen ad firmandam disciplinam militarem, aliquid ab alienissima crudelitate sibi amaritudinis mutuandum existimauit. Siquidem deuicta Carthagine, cùm omnes qui ex nostris exercitibus ad Pœnos transierant, in suam potestatem redegisset; grauiùs in Romanos quàm in Latinos transfugas animaduertit. Hos enim, tamquam patriæ fugitiuos, Crucibus affixit; illos tamquam perfidos socios, securi percussit.*

Enormia liberorum hominum delicta, Cruce quandoque à Romanis punita:

Patriæ proditio:

Lib. 2, c. 7.

Inter cetera autem delicta, quæ Romani in liberas etiam personas Crucis supplicio punire solebant, furtum ac latrocinium peculiare erat. De quo ita Seneca: *Sed latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? vt suspendatur*; id est, in Cruce. Quod quidem clariùs sic expressit Petronius: *Imperator Prouinciæ iussit latrones Crucibus affigi.* Idem etiam patet ex Apuleij verbis, vbi ait: *Latronem istum, miserorum pignorum meorum peremptorem, Cruci affigatis.* Lucius autem Florus memoriæ prodidit, in Sicilia ingentem latronum simul coaceruatam manum ad tantam potentiam deuenisse, vt Manlij, Lentuli, Pisonis, & aliorum Prætorum Romanorum castra expugnauerint: demum verò à Publio Rupilio apud Ennam ciuitatem obsessos, magno eorum numero ibi fame consumpto, ceteros omnes captos, & in Cruces actos fuisse. *Tandem Publio Rupilio Imperatore, supplicium de eis sumptum est. Hic enim victos, & apud Ennam nouissimè obsessos, cùm fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum compedibus catenisque religauit, Cruci-*

Furtum ac latrocinium.

Epist. 7.

In Satyrico.

Lib. 3. de asino.

Lucius Florus lib. 3. c. 19.

A *Crucibusque puniuit*. Hæc Florus. At hi ferè omnes seruilis conditionis erant.

Seuerissimus quoque latronum iudex & vindex Alexander Mammæus Imperator extitit; quandoquidem quotidianorum delictorum reos illos appellans, acerbissimè ac grauissimè damnare atque punire consueuerat, affirmans hos solos Reipublicæ hostes publicos censendos. Cùm autem ciuis quidam sordidæ vitæ & aliquando furtorum reus, licet aliàs honesta ortus familia, magna contentione, ac per ambitionem nimiam, amicis Regibus quibusdam intercedentibus, Alexandrum ipsum importunis supplicationibus obsecraret, vt in militiam adscriberetur; importunitate eius ac Regum illorum feruida intercessione victus Imperator, eum admitti iussit. At paucis diebus transactis, denuò in furto deprehensus, causæque eius cognitione iisdem Regibus delegata, probato delicto ac relatione facta, Imperator ab eis sciscitatus, quonam apud eos plecterentur fures supplicio; respondentibusque illis furum pœnam in suis regnis Cru- *Alexander Seuerus, seuerissimus furti vindex.*
B cem esse, statim iuxta eorum responsum in Crucem illum tolli imperauit. Quam executionem, scripto consignans Lampridius, his verbis absoluit: *Et cùm quæreretur à Regibus, quid apud eos paterentur fures; illi responderunt, Crucem. Ad eorum responsum, in Crucem sublatus est.* Quamobrem non est, quòd miremur, si Pilatus, tamquam Romani Imperij minister, hanc Romanorum in latronibus Crucis supplicio plectendis consuetudinem secutus, Crucibus configi iussit duos latrones illos, in quorum medio mundi Saluator horrendum hoc & planè probrosum supplicium pro peccatis nostris subire dignatus est. At hoc quidem, quoad ignominiam atque abominationem, qua Crux ipsa antiquis temporibus apud Gentiles notabatur, dixisse sufficiat. In Alexandro Seuero. *Pilatus, Romanorũ more, duos latrones crucifixit.*

Hebræi autem non tantùm æquè ac Gentiles, Crucem ipsam mortem eam esse censebant, qua nulla magis crudeli atque infami homines affici possent; sed & eam insuper summopere abominabantur, ac perhorrescebant; firmiter exi-
C stimantes, teterrimum illud supplicium, illamque mortem horribilem Dei maledictionem esse: idque non opinione tantùm passim recepta, & maiorum suorum traditione firmiter credebant, sed quia in Moysis lege sic præcisè expressum ac declaratum erat. Cuius legis verba ex Hebraico idiomate Latinitati reddita, iuxta vulgatam nostram editionem sic sonant: *Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Quæ verba Paulus etiam Apostolus in sua ad Galatas refert Epistola; eademque quamplurimi sacri Doctores repetunt. Quamobrem Trypho Iudæus, in Dialogo siue disceptatione, quam sanctus Iustinus Martyr cum eo habuit, de huius mortis execratione verba hæc effutiuit: *Iste autem vester, qui dicitur Christus, adeò inhonoratus & inglorius fuit, vt in extremam legis Dei inciderit execrationem. Nam in Crucem est actus, in priori humili habitu & statu exinanitionis, & forma serui.* Et post multa subiungit: *Pati enim illum, & tamquam ouem duci scimus: an autem in Crucem etiam actus, & tam fœdè ignominioséque supplicio per le-*
D *gem maledictionis diris deuoto mortuus sit, nobis ostende. Nos etenim, ne in cogitationem quidem indignitatis huius venire possumus.* *Cruce Hebræi, vt Dei maledictionem, abhorrebant.* Deuteron. cap. 21. S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone Iudæo.

Sanctus autem Ioannes Chrysostomus, vt ostenderet quàm Crux ipsa antiquis temporibus probro atque horrori apud omnes esset; postquam omnia pæne tormentorum & horribilium instrumentorum genera, quibus carnifices miserabilium damnatorum corpora torquebant, recensuit, hæc insuper adiecit: *Quale autem symbolum mortis Crucis? signum erat mortis maledictæ, mortis omnium diffamatissimæ. Hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit. Vt exempli gratia quid dicam, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitam finiebant, vt supplicij tantùm. Crucifixus autem, & ligno suspensus, non solùm hoc ferebat, vt graue aliquod supplicium, cui adiudicatus erat, sed vt maledictum quoddam.* Aduersus Gentes demonstrat. Quòd Christus sit Deus.

Verùm

Verùm diuus Hieronymus, postquam varias translationes, nempe Septuaginta Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & aliorum induxisset, super verbis illis, *Quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*; asseruit Iudæum illum, qui in Hebraicis Scripturis ipsum aliqua ex parte instituerat, affirmasse, textum illum etiam ita legi posse: *Quia contumeliosè Deus suspensus est*. Deinde verò commentationis suæ filum super verbis prædictis continuans, subdit, primùm quidem considerandum esse, quòd non quicumque in ligno pependerit, maledictus sit apud Deum; sed qui peccauisset, & propter delictum & scelus suum morti adiudicatus atque in Crucem sublatus esset; non ideò maledictus, quia Cruci confixus, sed quia in reatum talem prolapsus esset, quo meritò crucifixus. Peccatum ergo, morsque ab ipso peccato generata, non autem Cruci affixio, maledicta erat. Christus Dominus sanè qui peccatum non fecit, in Crucem sublatus, profectò culpa sua maledici non meruit; verùm mors, quam pro nobis pertulit, perferendoque extinxit, à Moyse maledicta appellata est: ideoque de hoc ita diuus Augustinus: *Non ergo Dominus per linguam Moysis famuli Dei, sed mors ipsa meruit maledictum, quam Dominus noster suscipiendo euacuauit.*

Comment. lib. 2. in Ep. ad Gal. c. 3.

A

Peccatum, eiusq. mors maledicta, non ipsa Crux.

B

Contra Adiman. tunc Manichæi discipulum, c. 2.

Durè valde sonat (inquit Rupertus Abbas) enuntiatio maledicti, vt Christus, qui benedictus venit in nomine Domini, maledictus dicatur. Sed si verba legis ritè perpendas, in qua dicitur, *Maledictus à Deo, qui pependerit in ligno*; magnam sanè suauitatem in verbo aspero latere inuenies. Quandoquidem longè aliud est maledictum esse à Deo, & aliud est maledictum à peccato suo. Quicumque enim damnatione maledicti sunt, non à Deo sunt maledicti, licet Deus ipse aliquando maledictos esse pronuntiauerit: vtpote Cain, cui dixit: *Nunc igitur maledictus eris super terram.* sed non dixit: Maledictus es à me, sicut ego te maledico. Talium namque maledictio, peccatum ipsorum est. Peccatum autem non est à Deo. Vnus ergo & solus Dominus noster Iesus Christus, maledictus à Deo fuit; quia maledicta, id est peccata omnium nostrûm ipse portauit: idque Dei voluntate fecit. *Dominus enim* (inquit Isaias) *posuit in eo iniquitates omnium nostrorum*. Quocircà iure dixit Apostolus, quòd Christus Dominus pro peccatis nostris in Cruce moriens, à legis maledictione nos liberauit, factus ipse pro nobis maledictus: *Christus* (inquit) *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Diuus autem Hieronymus, siue vt alij potiùs autumant, Beda, clariùs explicans, cur ac quomodo Christus pro nobis maledictus fuisse dicatur, sic tradit: *Maledictum quippe hominis in se suscipiendo, id est, eam, quæ ex sententia Dei venerat, mortem, vt maledictum, suspendit in ligno. Et inde est, quòd pro nobis Christus factus est maledictum.* At quonam modo, & quando idem Dominus benedictus noster maledictionem hanc in summam verterit benedictionem; diuina Maiestate eius annuente atque donante, suo loco dicemus.

Rupertus Abbas in cap. 1. Ionæ Prophetæ, lib. 2.

Christus ob peccata omnium nostrûm à Deo maledictus.

C

S. Hieronymus, siue Beda in Iob c. 38.

CAPVT X.

D

Quæ ratio sit, quæ cùm Crux adeò horribilis ac diræ mortis instrumentum fuerit, probrosum planè & infame; Saluatori tamen Christo Domino placuerit, inter cetera omnia mortium genera, hoc potissimùm, non autem aliud eligere, in quo redemptionis nostræ operaretur mysterium.

SATIS abundè, ac forsitan super id etiam quod necessarium erat, præcedenti capite Crucis opprobrium & ignominiam ostendimus ac probauimus. Nunc autem sanè mihi videor naturali desiderio quodam, ac necessaria consequentia

A quentia quadam, in hac planè admiranda materia allici atque pertrahi ad considerandum, ac pia quadam meditatione contemplandum, quidnam causæ esse potuerit, cur cùm tam diræ atq; probrosæ mortis instrumentum fuerit Crux, vt superiùs dictum est; infinitæ nihilominùs Christi Domini sapientiæ voluntariè placuerit, hoc potiùs, quàm aliud genus mortis eligere, in quo humani generis redemptio perficeretur. Et quamquam hoc altissimum mysterium, in immensa & profunda diuini consilij abysso, atque in ipsa inaccessibili altitudine scientiæ ac sapientiæ Dei, cuius iudicia sunt incomprehensibilia, & viæ inuestigabiles, ita celatum & altè repositum sit, vt non tantùm cuiusque humani, verùm etiam angelici intellectus captum excedat; atque ideò non temeritati tantùm adscribi posset, si quis veram atque præcipuam huius rei causam afferre posse præsumeret; sed neque fas esset, per contentionem ac puram curiositatem id in disceptationem trahere: attamen adeò liberalis ac munificus est Deus, vt

Cur Christus Cruce redemptionis humanæ instrumentum elegerit.

B non mediocrem aut obscurum verisimilis lucis radium quandoque infundere non dedignetur his, qui verè humiliter ac puro corde mentes ad contemplationem excelsitatis mirabilium eius erigunt; vt pro illius gloria, & pro sua ipsorum consolatione, ac proximi vtilitate, huius altissimi arcani profunditatem, aliqua ex parte prospicere ac perscrutari valeant. Quocircà variæ atque diuersæ feruntur rationes, quas antiqui & recentiores sacri Doctores pia sanè inuestigatione speculati sunt, quibus fieri potuit, vt Pater æternus inter omnia mortium instrumenta, Crucem potissimùm elegerit, in qua vnigenitus eius Christus Dominus acerbam & crudelem mortem sustinens, prolapsam atque prostratam humanam naturam tam sublimi & inæstimabili pretio redimeret.

Prima igitur ratio, sacrorum Doctorum indagine inuestigata, illa esse videtur, vt quemadmodum ligni occasione natum erat peccatum, sic etiam diuinæ iustitiæ placitum fuerat, vt per lignum deleretur. Et sicut per lignum venerat

Prima ratio, vt peccatum ex ligno ortũ, per lignum deleretur.

C damnatio, sic per lignum quoque veniret redemptio. Et vt nequissimus & virulentus serpens antiquus, qui callida versutia hominem seduxerat & occiderat, suadens vt de vetito gustaret ligno; sic & ipse in ligno, iusta & admirabili Dei dispensatione, ab homine alio superaretur. Quocircà diuus Anselmus: *Et vt diabolus, qui per gustum ligni quem suaserat, hominem vicerat; ita & per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur.* Quam rationem omnes pænè Patres communiter amplexati sunt; & iure quidem. Nam rationi consentaneum videtur, diuinam planè voluisse iustitiam, vt versutus hostis, arte qua hominem iam supplantauerat, eadem ipse quoque delusus prosterneretur; & vt mortifer anguis inde medicinam afferret, vnde iam venenum attulerat. Quamobrem scripto prodidere quidam, Deo optimo maximo adeò displicuisse damnum inæstimabile, quod per lignum dæmon intulerat; vt grauem illam acceptam iniuriam obseruans, & ipsum quoque lignum notans, ex tunc decreuerit vt li-

In libro Cur Deus homo, cap. 3.

D gnum aliud damna illa persolueret; vt appositè Fortunatus Episcopus, pio eximioque illo Hymno suo expressit, quem sancta sæpè concinit Ecclesia:

De parentis protoplasti	*Hoc opus nostræ salutis*
*Fraude * factor condolens,*	*Ordo depoposcerat,*
Quando pomi noxialis	*Multiformis proditoris*
** Morsu in mortem corruit;*	*Ars vt artem falleret,*
Ipse lignum tunc notauit,	*Et medelam ferret inde,*
Damna ligni vt solueret.	*Hostis vnde læserat.*

*al. *facta*

*al. *Morte morsu corruit;*

Grauissima sanè atque inæstimabilia fuère damna, quæ impius ac scelestissimus dæmon per arborem vetitam intulerat; quæ posteà per arborem concessam, id est Crucem, plenissimè persoluta & instaurata fuère. Damnum sanè

primum attulit ipsi Deo (vt quidam magnus asserit Doctor) auferens ei contra A
eius præceptum, fructum, quem in arbore illa sibi ipsi reseruauerat. Cuius damni peccatum remissum non fuerat, nec remittendum erat, donec restitueretur ablatum. Quod sanè tunc cumulatissimè ac superabundanter restitutum fuit, quando Virginalis vteri Fructus, sanctæ Crucis arbori confixus est. Secundo homini quoque, sed longè maius intulit damnum, cùm dolo malo eius factum fuerit, vt homo ipse, non terrestrem tantùm, sed cælestem quoque Paradisum amiserit; qui datus ei fuisset, si non peccasset antequam moreretur, de terrestri ad cælestem illum transferendo. Qui cælestis Paradisus homini posteà datus fuit in arbore concessa, id est in sancta Cruce: & omnium sanè primo, non iusto aut perfecto homini cuipiam datus est; sed latroni, qui propter ipsius scelera & peccata morti adiudicatus erat, & quidem sine mora, atque etiam non petenti elargitus. Nihil enim aliud à Christo Domino petierat, nisi vt sui meminisset. Quod non sine ingenti mysterio factum. Paradisus namque latroni datus est, vt iusti solidiori innitantur spei, & vt peccatores non desperent, ac diuinæ misericordiæ numquam diffidant: & quidem non petenti datus, vt ad illum petendum nos prouocaremur. Per arborem vetitam igitur, terrestri Paradiso, atque diuina gratia priuati fuimus; at per arborem concessam, id est, Crucem, cælestis Paradisus nobis donatus est, ac Dei consortio dignati sumus. Quare feliciss imo latroni illi Dominus dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* B

Sacrũ primitiuæ Ecclesiæ emblema, Pastor ouem portans inter binas arbores.

In cuius altissimi mysterij monumentum, primitiuæ Ecclesiæ Christi fideles pingere & effingere consueuerant Pastorem ouem portantem, inter duas arbores constitutum; hoc sanè emblemate sacro innuere volentes, Christum Dominum verum ac summum Pastorem, vetitę arboris occasione, dilectam ouem suam, humanam animam, videlicet, amisisse; atque per arborem concessam, sanctam Crucem scilicet, ad gregem suum reportasse. Quod Hieroglyphicum, nunc etiam in sanctorum Martyrum cœmeteriis, quæ sub terra effossa, extra C
vrbis Romæ mœnia adhuc extant, locisque quamplurimis pictum conspicitur. Ad quod alludens sancta Dei Ecclesia, nunc etiam canit: *Per lignum serui facti sumus, & per sanctam Crucem liberati sumus.* De duabus hisce arboribus, sanctus Gregorius Nazianzenus, Latinus effectus, inquit: *Ad vitæ lignum, vnde excideramus, per ignominiæ lignum reuocati sumus.* Diuus etiam Ambrosius sermonem suum ad id quoque dirigens, paucissimisque verbis multa complexus, inquit: *Mors per arborem, vita per Crucem.* Quod admirandum planè mysterium Spiritus sanctus etiam tot anteactis sæculis innuerat, cùm in Sponsi persona dixerat: *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.*

In Oratione de seipso, ad Arianos.

In Lucæ Euang. c. 4.

Cant. 8.

Quemadmodum igitur per fructum, quem ex arbore vetita Adamus iniquè excerpserat, humanum genus in ruinam corruerat; ita & per benedictum Virginei vteri Fructum, quem ex sanctæ Crucis arbore concessa per fidem sanctè D
colligimus, ac per sancta Sacramenta ex hac sacratissima Arbore emanantia, humanum genus redemptum & instauratum fuit. Atque hoc admirabili modo, diuinæ iustitiæ cumulatissimè satisfactum est; dum quod primus Adam ex arbore iniquè abstulerat, à secundo Adamo Christo Domino, arbori restitutum fuit; quando volens ac libens Cruci sese affigi permisit. Quamobrem in eius persona meritò dixit Propheta: *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* Et hæc quidem hactenus quoad primam causam, quæ de Christi morte in Crucis patibulo excogitari potest. Pro cuius periodo, ac piorum Lectorum oblectatione, Pastoris ouem humeris portantis, inter duas arbores constituti, imaginem, quæ vt diximus, in sacris cœmeteriis conspicitur, hoc loco addere placuit: qua antiqui Christi

Psalm. 68.



A Christi fideles, illud se credere ac firmiter tenere indicabant; vnam videlicet ex potioribus rationibus, qua Christus Dominus ac Saluator noster in Cruce mori statuerit, illam esse, vt in hac arbore sacratissima id recuperaretur, quod in Adami arbore iam miserabiliter perierat.

Secunda verò ratio, quæ de Saluatoris nostri morte in Crucis patibulo assignari posset, illa est, quòd Deus optimus maximus cu- *Secũda ratio, vt Adami inobedientiam Christi obedientia superaret.*
B rare ac liberare volens hominem à morbo letifero, imò ab ipsa morte, in quam propter peccatum prolapsus erat, eruere; id planè effecit quod periti Medici facere consueuerunt, qui infirmitatibus passim medentur contrariis pharmacis; calidos scilicet morbos frigidis, frigidos verò calidis curantes antidotis, vt appositè diuus Gregorius docuit, cùm inquit: *Nam sicut arte medica, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis*. Primus pater noster Adam peccando, enormissimam inobedientiam commiserat, mandatum Domini Dei & Creatoris sui transgrediens, cui ipse præ ceteris creaturis omnibus obtemperare tenebatur. Hæc igitur tam immanis inobedientia nullum sanè magis proprium, aut proportione sibi comparandum oppositum habebat, quàm Christi obedientiam: qui li- Homil. 32. in Euang.
C cet summus vniuersorum Dominus esset, atque ab omni subiectione liber; propria tamen electione, ac propter nimiam charitatem suam, obediens fieri voluit vsque ad mortem: mortem autem talem, quæ ipsius Adami inobedientiæ actu ex opposito repugnaret, & omnem confunderet inobedientiam. Nam quemadmodum Protoplastorum inobedientia, ad tanti facinoris excessum deuenerat, vt contra diuinum præceptum, ad vetitam arborem manus extendere non erubuerit, neque expauerit; sic Christi Domini obedientia, ob charitatis excessum eò peruenit, vt manus suas in arbore Crucis extenderit. Ex quo illud exortum ac secutum est, quod Apostolus dixit: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obedientiam, iusti constituentur multi. Oportebat namque,* (inquit sanctus Anselmus) *vt sicut per hominis inobedientiam, mors in humanum genus intrauerat; ita per hominis obedientiam vita restitueretur. Sacrarum Christi Domini manuum* (inquit diuus Augustinus) *in ligno Cru-* Rom. 5. In libro cur Deus homo.
D *cis extensio, & reuerenda confixio condemnabat Adæ & Euæ manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda sæculi transgressione porrectas. Leuauit pro nobis Dominus Deus noster manus in Cruce,* (repetit idem sanctus alibi) *vt manus nostræ extendantur in bona opera. Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum; & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece, & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus*. Hæc Augustinus: cuius consilium secuti, si manus nostras sic leuauerimus; maiore planè fiducia firmam spem concipere fas erit, iustas petitiones nostras à Deo consequendi. Sicque corde puro, & conscientia bona, simul cum Regio Propheta lætè dicere poterimus: *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.* In Appendice de diuersis, Sermone 4. In Psal 62. Psalm. 62.

Christi manuum in Cruce extensio, Hebræorum & Gentilium coniunctionẽ denotat. Christus Dominus fuit angularis lapis ille, qui duos parietes inter se adeò separatos atque disiunctos, populos videlicet Hebræum ac Gentilem, simul coniuncturus erat. Vnde Athanasius inquit: *Porrò si mors Domini nostri Iesu Christi, redemptio est omnium, ac morte eius intermedius ille paries maceriæ soluitur, conficiturq; vocatio Gentium: quomodo nos aduocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim Cruce mors extensis porrectisque manibus toleratur. Ideò quoque par erat, vt Dominus hoc modo mortem sustineret, manusque eius extenderentur; vt hac quidem veterem populum, illa verò Gentiles attraheret, & ambos in se coniungeret. Id enim ipse dixit, indicans qua morte omnes redempturus esset: Cùm exaltatus fuero (inquit) omnes ad me traham.* Quæ verba diligenter expendens Prosper in Tractatu suo De vocatione Gentium, eius est sententiæ, his planè nobis vniuersalem Gentium conuersionem promissam fuisse: *Nónne* (inquit) *vniuersarum Gentium videtur promissa conuersio?* A

S. Athanas. De incarn. Verbi Dei. Ioan. 12. De vocat. Gentium lib. 1. c. 3.

Sanctus autem Ambrosius in Lucæ Euangelium scribens, de Christi Domini manuum extensione in Cruce, appositè planè inquit: *Et vt non sibi soli, sed omnibus vinceret, manus in Cruce extendit, quò omnia ad se traheret, vt nodo exuta, iugo fidei suspensa, cælestibus ea quæ priùs erant terrena, sociaret.* Quocircà diuus Gregorius Nazianzenus, causam ipse quoque contemplatus, cur benedictus Saluator noster in horribili ea quam pro nobis pertulit morte, aperta extensaque brachia in Cruce tenere voluerit; summi videlicet sui erga nos amoris signum, quo ostenderet, velle se ab extremis mundi partibus electos suos benignè attrahere ad gremium sanctæ Ecclesiæ, quam pretioso sanguine ab omni ruga detersit, auferens è medio delictum, quod nobis cælum occluserat; his carminibus suis, Latinitati redditis, piè canendo dixit: B

In Lucæ Euãg. c. 23.

Carm. Virginitatis.

Quin etiam expandens sacrati corporis artus
In fines orbis, mortale ex finibus orbis
Collegit genus, atque hominem contraxit in vnum,
Et mediis magnæ posuit Deitatis in vlnis, C
Expurgans fœdas agnino sanguine sordes,
Ac scelus è medio tollens, quod clauserat astra.

Tertia ratio, vt Christus maledictionem in Cruce patiens, benedictionẽ nobis mereretur. Tertiam verò causam, illam planè fuisse dicere poterimus, quam morti eius assignat Apostolus, quamque iam superiori capite retulimus: videlicet, quòd cùm Dominus ipse omnes infirmitates, omniaque maledicta nostra in se suscipere atque portare statuisset, à legis maledictionibus liberos nos esse volens, ac semetipsum maledictum pro nobis constituens, vt benedictio, quam Deus olim Abrahæ futuram in Gentibus promiserat, super nos descenderet; consequenter necessarium erat, vt in Cruce moreretur, cùm nullum aliud mortis genus, hoc excepto, memoriæ proditum sit reperiri, quod maledictum declaratum fuerit. Quocircà sanctus Athanasius de hac Christi mortis causa sic argumentatus est: *Nam si ideò venerat, vt nostra piacula execrationesque portaret; quomodo alia ratione execratio, aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se recepisset? Est autem hoc ipsum Crux, quemadmodum scriptum est: Execrabilis quicumque in ligno pendet.* D

Galat. c. 3. De incarnat. Verbi Dei.

De vera sapiẽtia lib. 4. c. 26. *Quarta ratio ex Lactãtio, eaq; triplex:*

Pro quarta autem causa addere hoc loco possumus, id quod Lactantius Firmianus tradit, qui pia ipse quoque inuestigatione perquirens, cur vnigenitus Dei Filius Crucem potiùs quàm aliud mortis genus eligere voluerit, quæ adeò reputabatur infamis, vt quocumque libero homine, quantumuis etiam scelesto, eiusmodi mors censeretur indigna; huius occulti ac planè admirabilis diuini consilij tres rationes affert. Primam quidem, Cùm Christus, inquit, humilis in hunc mundum venisset, vt humiles, infimos, atque abiectos subleuaret, atque in vniuersum omnibus spem salutis afferret; ideò eadem ipsa quoque morte affici

A affici neceſſariò debebat, qua infimi & abiecti plecti conſueuerant, ita vt nullus adeò vilis ac deſpicabilis reperiretur, qui eum imitari non poſſet. Secunda verò eſt, vt corpus eius quod die tertia reſurrecturum erat, integrum & immutilatum conſeruaretur; qua in re ſanè factum fuiſſe conſtat, vt cùm carnifices eum iam mortuum viderent, neceſſarium non putauerint crura eius ſuffringere, vt mos eorum ferebat, ſed tantummodò latus eius perforauerint: ſicque corpus integrum, Crucis patibulo detractum eſt, & ſepulcro diligenter incluſum. At hoc loco rationem quamdam ſubinfert idem Firmianus, mea quidem ſententia, non ſatis diligenter examinatam, ac diuinæ Saluatoris noſtri omnipotentiæ incongruentem. Dicit enim, hæc omnia facta fuiſſe, ne læſum ac diminutum corpus eius ad reſurgendum inhabile redderetur; quaſi Chriſto Domino difficile fuiſſet corpus ſuum à mortuis excitare, ſi membro aliquo truncatum fuiſſet. Quamobrem longè magis conſideratè, in hoc Tertullianus ſcripſiſſe videtur.

Vt humilibus Christus ipse humilimus praeiret: Vt Christi corpus integrum seruaretur:

B Is enim de reſurrectione agens, affirmauit omnipotenti Deo nequaquam factu difficile, imò nullius eſſe negotij, defuncta corpora noſtra reuocare ad vitam; etiamſi in infinita pænè fruſta minutatim conciſa atque diſcerpta; etiamſi igne cremata, eorumque cineres in aërem ſparſi, ventorum vi circumflati ac diſſipati, aut quamuis etiam à piſcibus, à feris, à volucribus dilacerata, vorata, atque egeſta fuiſſent: non ſecùs ac ſemen & granum in terra proiectum, quamuis peſſumdatum, quamuis obrutum, quamuis ſarculis & aratro ſepultum, ac demum ipſa humo ſit putrefactum; ad deſtinatum tempus ſuum nihilominùs vegetiſſimum reſurgit. Quare his carminibus inquit:

Si quem fortè rogis aboleuit flamma ſepultum,
Aut aliquem cæcis diſiecerit æquor in vndis,
Si cuiuſque fame ſatiarunt viſcera piſces,
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
C *Alitibus iacuit raptato corpore ſanguis;*
Vltima non Domino rapient ſua munera magno.
Apparere Deo viuos de morte neceſſe eſt,
Reſumptiſque ſuis homines adſtare figuris:
Arida ſic vacuis redduntur ſemina terris,
Et penitus fixis putreſcunt mortua ſulcis;
Nónne animantur, & hinc reparatis culmus ariſtis,
Atque iterùm viuis flaueſcunt fortia granis,
Conſurguntque nouæ vario cum fœnore meſſes?

De iudicio Domini, cap. 5.

At diuus Athanaſius contemplatus & ipſe, quidnam cauſſæ eſſe potuerit, cur Dominus noſter Ieſus Chriſtus in morte ſua permittere noluerit, vt ſacratiſſimum corpus ſuum mutilaretur; ſolidiorem planè, ac veriſimiliorem huic rei cauſam aſſignat, dicens, noluiſſe decapitari, vt ſanctus Ioannes Baptiſta; neque D ſerra per medium ſecari, vt Iſaias Propheta; ſed voluiſſe corpus ſuum integrum ſine vlla mutilatione conſeruari; vt omnis anſa ſiue prætextus ſubtraheretur his, qui ſanctam eius Eccleſiam in diuerſas partes ſcindere geſtiunt. Tertia verò Firmiani ratio illa eſt, cuius ſuperiùs capite ſexto meminimus; nempe quia illum exaltari oportebat, vt paſſio ac mors eius cunctis gentibus nota eſſet atque conſpicua. Nam quoniam is qui Crucis patibulo ſuſpenditur, conſpicuus eſt omnibus, & ceteris altior; idcircò pro Chriſti morte Crux potiùs quàm vllum aliud mortis inſtrumentum electa eſt, vt ſignificaret illum tam conſpicuum atque ſublimem futurum, vt cunctæ nationes ex vniuerſi orbis partibus ad ſanctam eius fidem amplexandam concurrerent. Ad hoc enim Chriſtus (ſubdit ille) brachia ſua in Cruce extendit, orbem quodammodò dimenſus; vt iam ex

De incarnat. Verbi Dei.

Vt Christi in Cruce exaltati paſſio & mors omnibus conſpicua eſſet.

tunc ostenderet, ab ortu solis vsque ad occasum, ingentem populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque sacrum illud sanctæ Crucis frontibus hominum susceptum iri. Et paulò superiùs idem Firmianus, pia meditatione causam contemplatus, cur Saluator noster in Cruce ac passione sua acetum & fel gustare voluerit, huius abstrusi mysterij pulchram planè rationem reddit. Affirmat enim Christum in passione sua, aceti potum & fellis cibum gustare voluisse, vt intelligeremus, magnas acerbitates atque amaritudines in hoc mundo ab electis ac sectatoribus suis degustandas ac diglutiendas esse. A

Acetum & fel cur Saluator in Cruce gustauerit.

Quinta ratio mortis Christi in Cruce, quia leui manus motu Crux à nobis exprimitur, qua aduersus diaboli versutias muniamur.

Quinta causa, qua Christus Dominus crucifigi voluit, inter ceteras illa esse potest, perpulchra planè, quam affert diuus Augustinus, siue quiuis alius auctor Sermonis illius, qui in Appendice De diuersis, tomi Decimi operum suorum, sub numero 59. impressus est: *Legimus enim*(inquit) *in Euangelio, quòd Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte. At ille transiens, per medium illorum ibat.* B *Alibi quoque legimus, quòd Iudæi tulerunt lapides, vt iacerent in eum: ipse verò abscondit se, & exiuit de templo. Quare noluit Dominus præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladio truncari? Vtique causa nostræ salutis hoc fecit. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti; quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit ergo Crucem, quæ leui motu manus exprimitur; qua & contra inimici versutias munimur.*

Sexta ratio, vt nullum quamuis acerbissimæ mortis genus Christi exemplo metuere-mus.

Auguſt. lib. 83. Quæst. Quæst. 25. Tom. 4.

De Symbolo ad Catechum. lib. 1. c. 3.

Sextò Christus Dominus mortem Crucis eligere voluit, quæ omnium horribilior ac truculentior existimabatur, ea potissimùm de causa, quam ipsemet Augustinus alibi prodit his verbis: *Sapientia Dei hominem, ad exemplum, quo rectè viueremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere: mors autem metuenda non est. Oportuit ergo id ipsum illius hominis, quem Dei sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominùs autem, vt ipsa* C *mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis benè & rectè viuenti homini metuendum est. Nihilominùs igitur hoc quoque illius hominis Cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius & formidolosius.* & alibi subiunxit, Christum Dominum extremum ac pessimum mortis genus elegisse, ne aliquod genus mortis sancti Martyres formidarent. Quoniam verò (inquit) omnis Christi actio, nostra fuit instructio; propterea doctrinam nobis ostendit in homine, exemplum verò patientiæ demonstrauit in Cruce. Ibi fuit opus, quia crucifixus: exemplum operis, Crux; præmium operis, resurrectio. Ostendit nobis in Cruce, quid tolerare; ostendit in resurrectione, quid sperare debeamus. Ac prorsus tamquam agonotheta summus, dixit: *Fac hoc, & tolle.* Fac opus, & accipe præmium: certa in agone, & coronaberis. Quod autem est opus? obedientia. Quod est præmium? resurrectio sine morte. Quare (subinfert) addidi sine morte? quia Lazarus surrexit, & mortuus est. Christus autem D resurrexit, & numquam ampliùs moriturus est; iuxta quod dixit Apostolus: *Mors illi vltrà non dominabitur.*

Rom. 6.

Septima ratio ex Augustino, eaque triplex:

Vt hostis hamo Crucis caperetur:

Septima autem caussa illa esse poterit, quam idem sanctus Augustinus affert, siue quicumque alius auctor eiusdem Sermonis 59. quem in Appendice De diuersis, operum suorum Tomo decimo impressum iam superiùs retulimus; vbi diligenti inuestigatione perquirens quid Crux significet, & quanam ratione hoc mortis genus potiùs, quàm quodcumque aliud pro Saluatoris morte electum sit, huius admirandæ Dei dispensationis tres causas reddit. Primò (inquit) vt Christus pro reatu mundi redemptio daretur, & vt antiquus hostis, quasi piscis hamo Crucis caperetur; ita vt quos absorbuerat, euomeret, non potentia victus,

A victus, sed iustitia. Secundò, vt Christus veram vitæ regulam præberet hominibus. Ad hoc enim ascendit in Crucem, vt nobis passionis & resurrectionis daret exemplum. Tertiò verò mortem Crucis subire voluit, quæ stultitia gentibus erat; vt superba & inflata sæculi superbia, per Crucis stultam (vt mundus putauerat) prædicationem, humiliata corrueret: & vt eadem sæculi sapientia sciret & intelligeret, res Dei, quæ stultæ videntur, cunctis hominibus sapientiores esse; quemadmodum dixit Apostolus: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Vt Christus passionis & resurrectionis præberet exemplum.

Vt sæculi superbia per Crucis humilitatem corrueret.

1. Cor. 1.

Pro octaua autem causa Christi mortis in Cruce prætermitti non potest, quin hoc loco pia illa sancti Athanasij consideratio referatur, qui asserit Saluatorem nostrum noluisse à semetipso genus mortis sibi deligere; sed eam perpeti maluisse, quam truculentissimi inimici ei infligere voluerunt: vt mundo ostenderet, omne & quodcumque mortis genus quod inferre voluissent, se demoliri
B posse: non secùs ac generosus athleta, qui animo & corporis robore præstans, non ipse quidem sibi aduersarios deligit, ne aliis timiditatis suspicionem præbeat, sed spectatorũ arbitrio & electioni hoc ipsum permittit; vt humi prostrato quocumque antagonista, quem casu vel aliorum electione obuium habuerit, ipse omnium robustissimus habeatur. Ita quoque Dominus Iesus, non ipse corpori suo mortem excogitauit, aut delegit; sed voluntariè illam subire voluit, quam aduersarij eius omnium crudelissimam atque turpissimam existimauerunt. Ex quo mirum sanè quoddam & inexpectatum euenit; vt genus mortis videlicet, quod illi pro sua opinione vt omnium ignominiosissimum intulere, illud in deuictæ mortis trophæum conuersum sit. Si Christus Dominus mortis speciem sibi delegisset; mundus vtique dixisset, eum non in omne mortis genus, sed in eam dumtaxat, quam ipse excogitasset, absolutam potestatem habuisse: atque inde nullo forsitan negotio hæresis, seu falsa opinio quædam exo-
C riri potuisset, virtutem excitandi corpus suum à quocumque alio mortis genere ipsi non inesse. Verùm enimuerò, cùm illam eamdemque crudeliorem & horribiliorem mortem, quam impij ac scelesti inimici excogitare potuerunt, deuicerit atque prostrauerit; perspicuum & clarissimum remanet, eum à quacumque alia morte multo faciliùs absque dubio resurgere potuisse. Atque hoc sanè per consequens pacto inficias iri non potest, nec vmquam poterit, eum mortis & vitæ absolutam potestatem ac supremum imperium habere, imò ipsum ipsissimam (vt aiunt) esse vitam.

Octaua ratio, quia Christus non suo sed truculentissimi hostis arbitrio pati voluit.

S. Athanas. De incarnatione Verbi Dei.

Nona causa prætereà, cur Christus Saluator noster in Cruce mori voluerit, illa est, quam idem diuus Athanasius prodidit, asserens Christum Dominum ad id præcipuè in terram venisse, vt diabolum humani generis antiquum hostem prosterneret, atque à mundo expelleret; qui vnà cum nequissimis ac desertoribus Angelis suis, postquam è cælo præcipitatus fuit, per hunc imum aërem
D vagans, præstigias inanesque species effingens, & vanis illusionibus & iniquis tentationibus homines decipiens atque diuexans, varia impedimenta & obstacula continuò molitur, atque opponit his qui mente ac spiritu sursum tendere nituntur. De quo Apostolus: *Secundùm Principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Cumque Dominus Iesus venerit, vt eumdem diabolum præcipitaret, aëremque purificaret, & viam ad cęlum nobis aperiret atque muniret, idque per mortem fieri oporteret: quanam alia morte illud opportuniùs aut commodiùs fieri poterat, quàm ea quæ in aëre toleratur; id est in Cruce? Solus enim ille in aëre moritur, qui in Cruce vitam finit. Quocircà non sine magna ratione eam Dominus sustinuit. Nam ita sublimatus, aërem ab omni diaboli, ceterorumque dæmonum sectatorum eius, turbatione & infesta-

Nona ratio, vt Christus in aërem eleuatus, diabolum per aëra vagantem prosterneret; & viam ad cælum nobis muniret.

Ephes. 2.

Luc.10. festatione purgauit: vt meritò ipse Apostolis suis dixerit: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem*. Morte sua in aëra eleuatus Dominus insuper, nouum nobis iter ad cælum aperuit. Quod sanè iam in spiritu præuidens Regius A
Psal.23. Psaltes, ita præcinuit: *Attollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternales*. Nihil profectò ille, in cuius persona hæc verba prolata sunt, opus habebat
S. Athanas. de incarnat. Verbi Dei. reseratione portarum; vtpote omnium Creator & Dominus, cui nihil prorsus clausum esse poterat: sed nos eramus, quibus ea reseratio necessaria fuit. Nos inquam illi, quos ipse corpore suo in sublime attollebat. Nam quemadmodum pro omnibus seipsum morti obtulit, ita quoque per illud, viam ad cælos commonstrauit & aperuit. Rectè igitur atque decenter mors eius in Cruce peracta est: ac probabilibus iustisque rationibus constat, salutem omnium non aliter quàm per Crucem impetrari debuisse. Hæc autem omnia ex ipso Athanasio compendiosè decerpsimus.

Decima ratio, vt copiosior esset satisfactio quò mors acerbior. Decimò in Crucis patibulo Dominus noster mortem obire voluit, vt eo copiosior ac superabundantior esset satisfactio, quo mortis species ignominiosior B fuit atque acerbior; vtque tali pacto, charitas Dei & Saluatoris nostri in homines clariùs elucesceret, atque vt nostra in Deum solidiùs firmaretur fiducia. Nam dum pia meditatione consideramus, Dei Filium æterni Patris voluntate ignominiosum adeò atque crudele supplicium pro nobis sustinuisse; euidenter perspicimus, ipsius Dei optimi maximi charitatem in nos ac dilectionem immensam existere; proindeque ipsius benignitati ac misericordiæ numquam diffidendum nobis esse, etiam post sæpiùs patrata atque iterata delicta: verissi-
Psalm.129. mumque illud esse cognouimus, quod Regius Propheta intonuit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Atque vt è contrà ex ipsa acerbitate supplicij, non diuinæ tantùm pietatis & misericordiæ abundantiam intelligamus; verùm etiam quanta sit ipsius Dei iustitiæ seueritas, coniicere possimus, cùm talem ac tantam pro hominum peccatis satisfactionem exigere voluerit. C Ac demum, vt pro salute nostra id intelligentes, peccatum magis abominemur ac detestemur, atque vt cautiùs illud fugere discamus.

Vndecima ratio, vt quò mortis genus turpius est hominibus, eò magis Saluatoris potentia & gloria appareret. Vndecimò, conueniens planè ac necessarium fuit, Christum Dominum mortem in Crucis supplicio obiisse; vt quò mortis genus illud pro mundi existimatione turpius fuit, eò magis Dei potentia & Saluatoris nostri mortis efficacitas mundo innotesceret: dum is, qui tam ignominiosam mortem pertulit, vniuersum ad se orbem attraxit, contradictionibus & oppositionibus, quibus mundus ei repugnauit ac restitit, non obstantibus. Quod innuere volens Apostolus, inquit: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Atque hinc sanè factum est, vt Iudæorum malitia atque conatus expectatione sua frustratus ac de-
1.Cor.1. lusus remanserit. Nam ea via, qua se Christi nomen obliterare & tenebris obruere arbitrabantur; per eamdem hanc ipsam, Deus illud gloriosius, & cunctis gentibus venerabilius esse voluit. Christi igitur mors in Crucis patibulo conuenientissima extitit, vt diabolus prosterneretur, erigerentur fideles, & confunderentur Hebræi. D

Duodecima ratio, vt grauissimam culpam maxima pœnarum expiaret. Duodecimò, Saluatoris nostri mortem Crucis, congruentissimam omnino fuisse patet. Nam cùm Dei offensio, in quam primi Parentes nostri inciderant, grauissima fuerit; vice etiam versa, iuri consonum erat, satisfactionem fore maximam. Quocircà pro tantæ culpæ expiatione, mors Crucis electa est; quæ, vt sæpè iam diximus, omnium grauissima & acerbissima censebatur. Et talem sanè eam omnino fuisse oportuit, quandoquidem *pessimam mortem* (inquit sanctus Anselmus) *Saluator elegit, vt omnem mortem nostram occideret.*
In Epist. ad Philip. c.2.

Decimo-

A Decimotertiò, conueniens per omnia fuit Chriſti Domini in Crucem eleuatio, qua ſe ipſum obtulit gratum ſacrificium Deo. Nam quæ Deo offerebantur, in altum extolli atque eleuari conſueuerunt.

Decima-tertia, quia gratũ Deo ſacrificiũ in altũ extolli decebat.

Decimoquartò, crucifigi, atque à terra in Crucem extolli voluit Dominus; vt doceret nos, deſideria noſtra è terra euelli, ſurſum erigi, & ad ſe ipſum eleuari debere.

Decima-quarta, vt deſideria noſtra ſurſum erigere diſcamus.

Decimoquintò, mori voluit Dominus, manibus pedibuſque clauis Cruci confixis; vt diſceremus, dum anima noſtra in hoc tenebroſo carcere detinetur, dumque in hoc mortali corpore verſamur & viuimus, cum ipſo nos ita commori debere, vt carnem noſtram clauis timoris Dei crucifigamus; neque vllo vmquam pacto ab ipſo patiamur auelli, vt carnales concupiſcentias noſtras, vanas ac fallaces huius ſæculi ſequamur illecebras.

Decima-quinta, vt clauis timoris Dei nos crucifigamus.

Decimamſextam, & hactenus quidem finalem cauſam mortis Domini no-
B ſtri in Crucis patibulo, illam fuiſſe dicemus, quia Crux aptiſſimum ac planè idoneum inſtrumentum fuit, quo mortis Chriſti vniuerſalis virtus & efficacitas ſignaretur. Ligno enim Crucis tranſuerſali innuebatur, diuinam mortis eius virtutem & efficaciam latiſſimè per orbem vniuerſum ſeſe extendere debere. Erecta verò trabe, quę extremitate altera ad cælum eleuatur, altera terram penetrat, docemur, Saluatoris noſtri mortis virtutem non hominibus tantùm viuis ac mortuis, ſed & ipſis quoque cæleſtibus ſpiritibus profuiſſe, dum nouam ipſis ſanctorum hominum ſocietatem ac ſupplementum attulit: per Chriſtum enim & per ſanctam eius Crucem, inſtaurata fuere omnia, quæ ſunt in cælo & in terra, vt teſtatur Apoſtolus: qui alibi hoc quoque ſubtexuit: *Complacuit Deo, per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.*

Decimaſexta, vt Crucis inſtrumento ipſa mortis Chriſti efficacitas ſignaretur.

Epheſ.1.

Coloſ.1.

Infinitæ propemodum eſſent cauſæ, ac myſteriis refertiſſimæ rationes, quæ
C pia ſpeculatione ſuper hac planè admirabili materia contemplari, & ſcripto mandari poſſent. Verùm ne caput hoc in prolixitatem nimiam extendatur; hæc pauca, quæ diximus, ſufficiant, quæ Spiritus ſancti lumine illuſtrante ac ſuggerente gratia, piorum Lectorum & contemplantium intellectus ſic aperire poterunt, vt per ſemetipſos, cauſas ac rationes quamplurimas alias, altiores forſitan atque ſublimiores, magno cum ſpirituali ſolatio ac profectu, ſpeculari & contemplari valeant; ad illius laudem & gloriam, qui pro nimia ſua erga nos charitate ac dilectione, vt nos ab æterna morte eriperet, in hoc teterrimo ac formidabili Crucis ſupplicio mortem obire voluit: qui in æternum ſit benedictus, & in ſæculum ſæculi. Amen.

CAPVT XI.

D

De ſancta Chriſti Crucis Titulo.

CVM ea omnia quæ de ſancta Cruce, ac circumſtantiis eius, Spiritus ſanctus diuino nobis afflatu ſuo ſuggerere voluit, præcedentibus capitibus tractauerimus; congruum planè & conſentaneum videtur, vt de eius Titulo nunc agamus: quandoquidem Titulum ipſum, eiuſdem ſanctæ Crucis partem fuiſſe, aliquorum eſt ſententia. Mos apud antiquos frequentiſſimus erat, cùm rerum capitalium damnatus quiſpiam ad ſupplicium trahendus eſſet, delictum eius & cauſam, qua morti adiudicatus fuerat, paruæ tabellæ inſcribere. Quæ tabella à Latinis *Titulus* appellabatur; eamdemque Græci quoque, Latina voce quandoque vſurpata, vocabant Τίτλον. Quamobrem celebris ille Ægyptius

Titulus ex quorũdam ſententia pars Crucis.

ptius Poëta, cùm sancti Ioannis textum in Græcum conuerteret, sic inquit: A

In Ioan. cap.19.

Γράμμα, ὅπερ καλέουσι Λατινίδι Τίτλον ἰωῇ. Id est, *Scriptum, quod Latina lingua titulum appellant.* At in diui Matthæi textu Græco, benè & signanter vocatur αἰτία: qua voce causa, materia, & titulus exprimi possunt. Atque hunc titulum in ipsa damnatorum deductione, quandoque anteferre, quandoque verò personis eorum, aut loco supplicij appendere, siue apponere; interdum autem vtrumque facere antiqui consueuerant. De præferendi more, luculentissimum testimonium ex eo Suetonij Tranquilli loco proditur, quem Brissonius, Lipsius, Baronius, ac Gretserus citant: vbi de seruo illo agitur, qui cùm argenteam laminam detraxisset è lectis, qui in eo erant triclinio, vbi Caius Caligula Imperator solemne quoddam conuiuium dabat; manibus amputatis, eisdemque illius miselli collo appensis, eum per conuiuantium mensas circumduci iussit, præcedente ante eum Titulo, qui tantę in eum animaduersionis causam proderet. *Romæ* (inquit Suetonius) *publico epulo seruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, vt manibus abscissis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente Titulo, qui causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur.* B

Damnatis anteferri solet, vel apponi:

In Caligulę vita, c. 32

Eiusdem etiam consuetudinis notatu dignum illud est, quod apud Eusebium Cæsariensem narratur in ea epistola, quam prisci Christiani, qui erant in Galliis, ad fratres in Asia atque in Phrygia commorantes dederant; exponentes iis truculentissima martyria, atque horribiles cruciatus, quos Sancti in ea patiebantur prouincia: quo loco, dum sancti Attali Martyris passio describitur, hæc verba produntur: *Ac cùm vndique per amphitheatrum circumduceretur, Tabula, in qua Latinis litteris hæc inerat inscriptio,* HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS, *præcedente.*

Eufeb. Ecclef. Hist. lib. 5. cap. 1.

De consuetudine autem apponendi siue appendendi eumdem titulum ipsis damnatorum personis, euidens etiam comprobatio ab eodem Suetonio elicitur in Domitiani Imperatoris vita; vbi sic tradit: *Patremfamilias, quòd Thracem Myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis, in arenam canibus obiecit, cum hoc Titulo:* IMPIE LOCVTVS PARMVLARIVS. De more verò affigendi ipsum Titulum loco supplicij, & pręcipuè (quod nostri instituti est) ipsi Cruci, perspicuus est ille Dionis locus, à Lipsio citatus & explanatus; vbi agitur de seruo illo, quem dominus eius Cruci affigi iussit, cum Titulo siue Tabella, in qua mortis eius causa inscripta erat. Verba autem Dionis Latinitati reddita hæc sunt: *Cum litteris, siue Titulo, quæ causam mortis aperirent.* Atque consuetudinis eiusdem fit etiam commemoratio in Romano & Vsuardi Martyrologio, sub die vigesima Ianuarij; vbi dum de sancti Sebastiani martyrio agitur, hæc habentur verba: *Ibidem ad Catacumbas, sancti Sebastiani Martyris, qui Diocletiano Imperatore, cùm haberet Principatum primæ cohortis, sub Titulo Christianitatis iussus est ligari in medio campo, & sagittari à militibus.* Quo loco notandum est, verba illa, *Sub Titulo Christianitatis,* non ita intelligēda esse, quasi innuere velint, sub prætextu vel causa quòd beatissimus Martyr ille Christianus fuerit, vt quidam antiquitatis ignari autumant; sed sub Tabella, quæ loco supplicij affigebatur. Cuius antiquissimi moris, Christiane Lector, ex Actis sanctorum Martyrum, & ex Baronij Martyrologio, pleniorem non tantùm notionem consequêris; verùm etiam perdisces, solum Christianitatis nomen, id est solam attestationem qua quis Christianus esse deprehenderetur, notorium delictum, ac mortis animaduersione dignum, absque alia culpa, per illa tempora censitum fuisse. Quod breuissimè innuit etiam Tertullianus, impiam illam Ethnicorum immanitatem his verbis perstringens: *Denique quid in Tabella recitatis illum Christianum?* Atque de eodem fit etiam mentio, in passione sancti Cypriani.

In Domitiani vita, cap. 10. C

Item loco supplicij atque ipsi Cruci affigi.

Libro 54. D

In Apologetico aduersus Gētes, cap. 2.

Vtraque

A Vtraque autem consuetudo, id est præferendi ante damnatos Tabellam, in qua sententia & causa damnationis eorum ad mortem inscripta erat, & affigendi titulum supplicij loco, adhuc etiam viget apud Barbaros infideles in noui Orbis (vt ita dicam) regionibus, quæ nostris temporibus detectæ sunt. Et præsertim in magna Iaponis Insula, vt apertè constat ex Relatione martyrij sex Christianorum Patrum Ordinis sancti Francisci, ex his quos Discalceatos vocant; & viginti Christi fidelium Iaponensium, qui pro sancta Christi fide Crucibus confixi fuerunt, in eiusdem Iaponensis Insulæ ciuitate Nangasaqui, die quinta Februarij anni M. D. XCVII. Cùm enim supradicti sex beati Patres, & viginti illi Christiani Iaponenses, post damnationem è carcere extracti essent, vt è Meaco ad ciuitatem Nangasaqui deducerentur crucifigendi; Reuerendus frater Ioannes de sancta Maria Prouincialis Discalceatorum, in sancti Iosephi Prouincia, eiusdem Relationis scriptor, quæ anno Domini M. D. XCVII. Romæ typis mãdata, & Philippo Tertio Hispaniarum Regi Catholico dicata fuit, in suo Castellano idiomate verba hæc profert: *Amaneciendoles el felicissimo dia, en que auian de començar su pelea y desafio con el demonio los animosos Caualleros de la Cruz, fueron sacados à la verguença, repartidos en siete carretas, en que como en carros triunfales yuan antes del primero encuentro, triunfando ya del enemigo: y delante, la sententia, como estandarte y blason de su gloriosa victoria, escrita en vna tabla, leuantada en alto, en vna hasta, de suerte que todos la pudiessen ver y leer.* hoc est: Cùm felicissimus eis illuxisset dies, quo fortissimi Crucis Equites atque athletæ certamen ac prouocationem suam cum diabolo inire debebant; ad ignominiam extracti, septem plaustris partiti atque impositi, quibus tamquam triumphalibus curribus, ante primum incursum ibant, iam de truculentissimo hoste triumphum ducentes; quos anteibat, ac velut eorum gloriosæ victoriæ vexillum, præferebatur damnationis sententia, in tabula quadam inscripta, & præaltæ hastæ cuspidi appensa, vt eam videre ac perlegere omnibus fas esset. Eorum verò crucifixione descripta, eiusdem Relationis auctor hæc verba subtexuit: *Iunto à las Cruzes, estaua la sententia, que el Emperador auia dada, que declaraua la causa porque morian; y en cada vna puesto el nombre del Crucificado, por el orden siguiente.* Id est: Prope Cruces stabat sententia, quam Imperator tulerat; in qua mortis eorum declarabatur causa: atque in qualibet Cruce, nomen ipsius qui crucifixus erat, ordine sequenti appositum. Atque hoc pacto prosequitur singulos titulos singillatim describens, quos singulis Crucibus barbari illi affixerant. Qui, vt summatim dicam, omnes ferè huic similes erant: *Leon Carazuma predicador de la ley de Christo:* id est, Leo Carazuma Christi legis prædicator.

Barbari noui Orbis etiamnunc vtrumque eum morem seruant.

B C

Ex quo firmissimum argumentum elicitur, diabolum generalissimum omnium infidelium magistrum esse: quandoquidem ab ipso tantùm, nec aliunde idololatræ illi, qui huius hemisphærij rerum notionem vllam forsitan numquam habuerant, perdiscere poterant, Christianos non tantùm persequi, occidere, atque in Crucem agere; verùm etiam credere, Christi solam prædicationem, capitale delictum, ac titulum morte dignum esse notoriè: quemadmodum ipse idemmet totius nequitiæ magister iam antiquis Ethnicis suaserat, vt tot sanctos Martyres, tantummodò quòd Christiani essent, trucidarent, ac truculentissimè Crucibus suffigerent. Eodem planè pacto, quo Iudaicam perfidiam iam concitauerat, atque impulerat ad instigandum, ac rabidis clamoribus expostulandum, vt gloriosus Martyrum Rex Christus Dominus crucifigeretur.

D

Cuius quidem sanctæ Crucis sacratissimus ac triumphalis Titulus, quædam ligni tabella fuit, in qua hæc erat inscriptio: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM: tribus scilicet distinctis, vna super aliam superpositis lineis. Quarum

Titulus Crucis Christi.

Quarum prima atque superior Hebraicis constabat characteribus, secunda Græcis, tertia verò, quæ ipsius Crucifixi Domini nostri personæ erat vicinior, ac per consequens digniori constituta loco, Latinis litteris cælata fuerat. Quod sanè licet rationabiliter credendum sit, ipsius Pilati iussu factum, quò Romanam linguam, vt par erat, honoraret; non tamen sine cælesti instinctu peractum crediderim. Id enim indubitanter præsignauerat, Latinam Ecclesiam, illam futuram, quæ Christo magis proxima atque coniuncta perpetuò remansura esset; Hebraicam verò Synagogam, cui ab initio ipsius Dei fauor tot gratiarum cumulis aspirare solebat, ingratitudine atque perfidia sua sic exigente, ab ipso Domino Saluatore, maiore longinquitate remotam esse debere. Quod sanè Spiritus sanctus ipse, iam per Prophetam his verbis innuerat: *Et moueboomnes gentes, & venient ad Desideratum cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria.* Et post hæc subiungit: *Magna erit gloria domus istius, plusquam primæ, dicit Dominus Deus exercituum.* A

Aggæi 2.

A sancta Helena repertus.

Repertus fuit sacratissimus hic Titulus, & hoc planè cæleste pignus, primò quidem à sancta Helena, Magni Constantini Imperatoris matre, eo in antro, quo Christi Domini nostri sepulcrum effossum erat, tunc cùm sanctam Crucem quoq; repererat; anno videlicet salutis nostræ CCC. XXVI. vt suo loco dicemus; inuentusq; ibi seorsum est, in eiusdem antri angulo quodam, ab ipsa Cruce separatus atque disiunctus, vt Sozomenus testatur his verbis: *In altera autem parte eiusdem loci, tres inuentæ sunt Cruces: & aliud ligniculum separatim, quod tabulæ gessit similitudinem, verbis & litteris non Hebraicis solùm, verùm etiam Græcis & Latinis inscriptum, quæ verba ac litteræ non aliud complectebantur, quàm* IESVM NAZARENVM REGEM IVDAEORVM. Quem quidem Titulum cùm Romam detulisset, in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem, quam Imperator supradictus & ipsa in honorem sanctæ Crucis Christi ab ea inuentæ ædificauerant, posteà reposuit. B

Sozomenus lib. 2. cap. 1.

Romæ in æde S. Crucis in Ierusalem repositus.

Sacri Tituli pars in arcu eiusdem ædis à Valētiniano Imp. occultata; & post aliquot sæcula denuò inuenta.

Eius verò Tituli pars, vt Onuphrius Panuinus refert, à Placidio Valentiniano Imperatore, in maiore arcu eiusdem Ecclesiæ deinde inclusa, postquam ibi per annos circiter mille & centum occulta remansisset; demum sic permittente Deo, Innocentij Papæ Octaui temporibus quasi per miraculum apparuit; eo modo, qui in Bulla Alexandri Papæ Sexti sub die vigesima nona Iulij anni M.CCCC.XCVI. expedita recensetur. Qui Pontifex in huius cælestis thesauri inuentionis memoriam, plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem cunctis vtriusq; sexus Christi fidelibus in perpetuum concessit, qui pœnitentes & confessi, eamdem Ecclesiam sanctę Crucis in Ierusalem in vltima Dominica Ianuarij visitarent, vt tradit idem Panuinus in suo De septem Vrbis Romæ Ecclesiis: atque vt eadem Tituli inuentio fusiùs narratur in antiquo rerum Romanæ Vrbis Diario, à Lælio Petronio, Paulo de Magistris, & Stephano Infessura conscripto; quod manuscriptum habetur in Bibliotheca Fuluij Archangeli Balneoregiensis, summæ probitatis viri, ac rerum antiquarum studiosissimi; vbi hæc habentur: *Die prima mensis Februarij anni* M.CCCC.XCII. *venerunt noua de partibus Africanis; dictumq; fuit qualiter Rex Hispaniæ habuit victoriam de Granata, ipsamque cepit, & dominatus est; & eam fuisse captam, pactis omnibus & fœderibus: nam diu antè oppresserat eam. Quibus autem pactionibus, non benè scitur. Eadem die miraculum in vrbe fuit. Nam cùm Dominus Petrus Gondisalus de Mendoza, Cardinalis sanctæ Crucis, de sua impensa faceret incrustare & dealbare dictam Ecclesiam; quando operarij tetigerunt summitatem arcus existentis in medio Ecclesiæ, iuxta tectum, vbi adhuc sunt duæ paruæ columnæ, senserunt ibi certum vacuum; cumque aperuissent, inuenerunt vnam paruam fenestram, in qua erat vna capsula plumbea, duorum* C D

rum

A *rum palmorum, benè clausa, & super eam erat lapis quidam quadrangulus marmoreus, vbi erant sculptæ istæ litteræ, videlicet:* HIC EST TITVLVS VERAE CRVCIS. *In qua capsula reperta fuit quædam parua tabula, longitudinis vnius palmi cum dimidio; quæ ab vno latere erat comesa, & vetustate corrosa; ibique erant cauatæ, ac deinde colore rubro tinctæ, infrascriptæ litteræ, siue verba:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *sed illud* IVDAEORVM *non erat perfectum, quia illud* RVM, *non nisi vsque ad* R *inclusiuè remanserat, & illud* VM *ceciderat, vt dixi, quia erat tabula ab ea parte corrosa, & vetustate deficit. Et primus versus erat scriptus litteris Latinis, secundus verò litteris Græcis, & tertius litteris Hebraicis. Ad quem locum quasi tota vrbs accessit: & Papa Innocentius etiam post triduum vidit eam; iussitque permanere in dicta capsula cum quadam lamina vitrea, super altare, in festiuitate dictæ ecclesiæ. Et est omnium æstimatione, illa tabula, quam Pilatus posuit in Cruce super caput Saluatoris nostri Iesu Christi; posita ibi per sanctam Helenam matrem Con-*
B *stantini, tempore quo fuit dicta ecclesia fabricata.* Hæc Diarium illud. Cuius verba nihil penitus immutata, hîc retulisse placuit. duabus enim rationibus, plurimum notatu digna esse animaduerti; tum quia exactissimè describunt, & nobis quodammodò ante oculos ponunt statum ac formam, quam sacratissimus hic Titulus, cùm repertus fuerat, obtinebat; tum etiam quia monitos nos faciunt, litteras non tantùm in ligno eiusdem Tituli incisas, verùm etiam rubeo colore tinctas fuisse. Quocircà sciendum est, frequentissimum fuisse apud antiquos, ea quæ spectabiliora & maioris æstimationis esse vellent, rubeo colore inficere. Quod iam inde à Troiano bello licet colligere ex Homero, qui naues illas inter ceteras decantat, quæ erant rubeo colore conspersæ. Atque hinc inoleuerat vsus, librorum titulos, quo augustiores redderentur, minio conscribere. Quod innuens Ouidius, inquit:

Littera sacratissimi Tituli rubeo colore tincta.

Tituli librorum minio conscribi solent:

Nec Titulus minio, nec cedro charta notetur. In princip. lib. Trist.

C Quin etiam non librorum ac legum titulos tantùm rubro conscribere antiqui consueuerant, verùm etiam sepulcrorum epitaphia. Quod apertè innuit Plinius, affirmans minium in voluminibus conscribendis adhibitum, idque litterarum characteres spectabiliores reddere; siue in auro, siue in marmore, vel etiam sepulcris ipsis inscribantur. Quod planè ipsos antiquos fecisse constat, vt idem Plinius testatur; quia minium apud eos, ac præsertim Romanos, non maximæ tantùm, sed etiam sacræ auctoritatis erat. Quamobrem solemnioribus diebus instantibus, signi Iouis faciem minio tingere consueuerant; quemadmodum & eodem etiam minio, triumphantium vultus inficiebant. Ac proptereà minio tinctus Camillus triumphauit. Æthiopes quoque eorum idolorum statuas, quæ maiore veneratione colebant, minio tingere solebant, existimantes eo modo augustiorem ea referre maiestatem. Verùm sepulcrorum epitaphia minio inscribere, priscis temporibus, non Ethnicorum tan-
D tùm, sed etiam ipsorum Christianorum moris erat; vt videre hodie quoque fas est in sanctorum Martyrum cœmeteriis extra Romanæ vrbis mœnia, sub terra effossis; vbi lapidibus his qui ad sepulcrorum ora cæmento impositi sunt, defunctorum nomina, rubro colore inscripta, locis quamplurimis conspiciuntur.

Et sepulcrorum epitaphia.

Lib. 3. c. 7.

Item Iouis idoli facies; & triumphantium vultus.

Nec Gentium modò, sed & Christianorum epitaphia.

Ac proinde in Christi Domini Crucis Titulo litteræ rubeo colore tinctæ fuerant, non eo tantùm quòd titulo tunc morituri hominis essent incisæ; verùm cælesti dispensatione, vt excelsa conditio ac diuinitas herois, imò vt veriùs dicam, veri Dei & hominis, qui crucifigebatur, innueretur: ac prætereà, vt litteræ ipsæ magis conspicuæ redderentur; quo eminus atque commodiùs perlegi possent. Quocircà non omnino à vero abesse illud quoque crediderim; vt

Areola sacri Tituli dealbata.

quemadmodum eiusdem Tituli litteræ rubeo colore erant infectæ, sic eius A quoque areolam dealbatam fuisse; vt Nicephorus Callistus, & post eum Arnoldus Mermannius in suo De sancta Cruce libello tradidere, vt iam superiùs diximus. Etenim & hoc ipsum Romani facere consueuerant, qui insignioribus delinquentibus quibusdam non solito altiorem tantùm statuebant Crucem, verùm in ipsorum reorum conditionis ac dignitatis irrisionem atque ignominiam, dealbari insuper mandabant. Quod sanè à Galba Imperatore factum quandoque legimus. Is enim cùm tutor quidam veneno necasset pupillum, cui iure substitutionis ex testamento successurus erat; atque ob atrocissimum facinus Cruci damnatus, cùm ab eo suppliciter expeteret, vt Crucis acerbitatem atque ignominiam in aliud mitius & honestius mortis genus sibi commutaret, Romanum se ciuem contestans, ac ciuilis immunitatis consuetudinem implorans; Galba eidem mutari Crucem, atque in altiorem ac dealbatam, pro ipsius personæ & vrbanitatis reuerentia, tolli iussit. De quo Sue- B tonius Tranquillus in ipsius Galbæ vita: *Et tutorem, quòd pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, Cruce affecit. Implorantique leges, & Ciuem Romanum se testificanti, mutari, multoque præter ceteras altiorem, & dealbatam statui Crucem iussit.*

Crux à Romanis dealbata in maiorem rei ignominiam.

In Galbæ vita, cap. 9.

Cùm autem Dominus noster Iesus Christus, quòd se Regem dixisset, irrisoriè ac per summum ludibrium purpura indutus, ac spinis coronatus fuerit; consequenter etiam non à verisimili omnino abhorrere censendum est, id quod Nicephorus supradictus, & ab ipso mutuatus Arnoldus Mermannius asseruit, sacratissimum Christi Domini Titulum dealbatum, præalto quodam & eminenti ligno, ad columnæ formam, Cruci superimpositum fuisse. Quod sanè non sine ingenti mysterio Deus fieri permisit. Eo enim id apertè signabatur, quod Lactantius Firmianus appositè planè his verbis expressit: *Nam quoniam is* (inquit) *qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & ceteris al-* C *tior, Crux potiùs electa est, qua significaret illum tam conspicuum, tamque sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum, pariterque & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent.*


De vera sapient. lib. 4. cap. 26.

Verùm sacratissimus hic Titulus, his quidem temporibus, neque ruboris neque albedinis præ se fert tincturam; nullumque alium, quàm vetutissimi ligni colorem refert. Quo existimandum censeo, tincturas illas præ vetustate nimia, & frequenti contrectatione, euanuisse. Omnino autem atque præcisè eius est formæ ac mensuræ, qua constat hic verus ac germanus typus, quem in Saluatoris nostri honorem, atque in piorum Lectorum gratiam, hìc addidimus.

Ex cuius typi forma atque mensura euidenter perspicitur, sacratissimam hanc Tabellam sectione diuisam fuisse, ad alias Christiani orbis partes portionum ipsius transmittendarum gratia. Quandoquidem hæc fortasse non D nisi tertia est pars totius sanctæ Crucis integri Tituli; vt ex litterarum characteribus ibi deficientibus, apertè coniici potest. Quamobrem sanè non est, cur Caluinus, ceterique hæretici, sacrarum Reliquiarum impij contemptores & hostes, vel minimum quidem vmbræ & caliginis offudisse, aut in dubium reuocasse putent sinceritatem, & veram essentiam huius pretiosi ac sacratissimi pignoris, quod hìc Romæ tenemus, certissimum Christi triumphi, eiusque Crucis viuificæ testimonium, dum asserunt Titulum sanctæ Crucis Tolosæ, aliisque Christianitatis ciuitatibus reperiri. Nam id optimè congruere posse concedimus, partes eius scilicet, quæ hìc desunt, illic asseruari.

Sacri Tituli partes ad varias Christiani orbis regiones olim transmissa.

Pars



PARS SVPERIOR TITVLI CRVCIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

QVI ROMÆ ASSERVATVR IN ECCLESIA SANCTÆ CRVCIS IN IERVSALEM.

Proponit diuus Ambrosius duas quæstiunculas circa materiam hanc, quam A
præsenti capite tractauimus. quarum prima illa est, Cur scriptus fuerit Titulus, & Christi Cruci superpositus? altera verò, Quare idem Titulus, supra, & non infra Crucem collocatus? atque ambabus suauissimo eruditionis ac sententiarum lepôre, respondet: *Scribitur autem Titulus*, inquit, *etiam secundùm Ioannem, & super Crucem ponitur: vt affixo Cruci chirographo, quod erat contrarium nobis, sententia vetusta cessaret: non infra Crucem, quia principium super humerum eius. Principium autem quid est, nisi sempiterna virtus eius atque diuinitas? Vnde, & ipse interrogatus, Tu quis es? respondit: Principium, qui & loquor vobis. Meritò supra Crucem Titulus, quia non humani corporis, sed diuinæ potestatis est regnum, quod habet Christus.*

Ambrof. in Lucæ Euangel. c. 23.

Cur scriptus Titulus, & Christi Cruci superpositus.

Venerabilis autem Beda, sanctum Ambrosium imitatus, duas similes ipse quoque quæstiones mouet, hisque scitè admodum respondet. Quarum prima illa est, Cur Titulus, qui testabatur Christum Regem esse, superiori Crucis lo- B
co, non autem inferiori appositus? secunda verò, Quidnam rei sit, quòd Titulus idem Hebraicis, Græcis, atque Latinis litteris conscriptus fuerit? *Pulchrè*, inquit, *Titulus, qui Christum Regem testetur, non infra, sed supra Crucem ponitur: quia licet in Cruce pro nobis, hominis infirmitate dolebat; super Crucem tamen Regis maiestate fulgebat: qui aptè etiam, quia Rex simul & Sacerdos est, cùm eximiam Patri suæ carnis hostiam in altari Crucis offerret, Regis quoque, qua præditus erat Titulo dignitatem prætendit: vt cunctis legere, hoc est, audire & credere volentibus innotescat, quia suum per Crucem non perdiderit, sed confirmarit potiùs & corroborarit Imperium. Vnde & Apostolus cùm ignominiam Crucis descripsisset, adiunxit: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Nam quòd hoc nomen Hebraicè, Græcè, & Latinè scriptum erat; hoc est quod idem Apostolus subsecutus adnectit: Et omnis lingua confiteatur, quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Quantum verò ad litteram, hæ tres linguæ ibi præ ceteris emi-* C
nebant. Hebræa propter Iudæos in Lege gloriantes, Græca propter Gentium sapientes, Latina propter Romanos, multis ac pænè omnibus iam tunc Gentibus imperantes. Velint nolint ergo Iudæi, omne mundi Regnum, omnis mundana sapientia, omnia diuinæ Legis sacramenta testantur, quia Iesus Rex Iudæorum est, hoc est, Imperator credentium, & confitentium Deum.

Beda in Lucæ Euãgel. cap. 23.

Cur supra, & non infra Crucē positus.

Cur Hebraicè, Græcè, & Latinè scriptus.

Sanctus etiam Ioannes Chrysostomus super verbis illis, *Et scripsit Titulum Pilatus*, cuidam tacitæ interrogationi respondens, duas rationes affert, quibus adductus Pilatus, in Christi Crucis Titulo verba illa inscribenda decreuerit, REX IVDAEORVM. Et primò quidem hoc scripsit, inquit, Pilatus, vt Christum excusaret. Nam cùm inter duos latrones crucifigendus esset, nullo negotio fieri poterat, vt plebs, quæ ingenti numero per solemnes illos Paschales dies Ierosolymam conuenerat, eum quoque facinorosum ac latronem esse existimasset. Quocircà vt calumniantium ora obstrueret, ne quis tam turpem mor- D
tis notam ei inurere posset, mortis eius causam Titulo exprimere decreuit. Secundò verò hoc fecit, inquit, Pilatus, vt Iudæos vlcisceretur, quorum perfidiæ & insolenti peruicaciæ grauiter succensuerat: & propterea in eorum ignominiam, tribus linguis Regem Iudæorum scripsit; vt impia immanitas, ac barbara planè truculentia, qua Regem suum in Crucem egissent, vniuerso terrarum orbi innotesceret; verè opinatus, tam ignominiosam ac turpem Regis eorum mortem, populo illi summo esse dedecori. Quod sanè ipsi quoque animaduerterant, cùm dixissent: *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Ego sum Rex Iudæorum.* Quibus ille respondit: *Quod scripsi, scripsi.* Sicque litteras illas Titulo tamquam trophæo quodam insculpsit; clara quadam voce & Christi victoriam

Homil. 84. in Ioan.

Cur verba illa, REX IVDAEORVM, Pilatus Titulo inscripserit.

A riam & Regnum professus; quamuis non perfectè. Hæc omnia ex sancto illo Patre secundùm sensum decerpsimus.

Verior autem atque solidior causa sic Christi titulum inscribendi Pilato fuit, improba, & ab omnibus decantata illa priuati status ratio, iustitiæ pro eorum iniquitate (vt putant) anteferenda. Nam cùm Iudæi Christum rerum nouarum, seditionis, & affectati Regni insimulassent; quod apparenter in Cæsaris præiudicium vergere videbatur, ad quem Regni illius temporale dominium pertinebat; licet reuerà, optimè sibi conscius esset, id nihil omnino Cæsaris interesse, cùm Dominus ei dixisset, Regnum suum ex hoc mundo non esse: tamen quia furentes Hebræi insolenter & importuniùs instabant, dicentes; *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari*; eximere se ipsum voluit ab omni scelestorum illorum, quæ ad Imperatorem deferri posset, querela, quòd viuum & impunitum dimisisset hominem sibi delatum,
B qui populos illos ad defectionem excitaret, ac seipsum Iudæorum Regem constituere moliretur. Quocircà voluntati eorum satisfacere volens, capitalem contra eum tulit sententiam, & Crucis morte damnauit. Quandoquidem etiam iuxta Romanarum legum sanctiones, seditionum auctores, ad Crucem, vel ad bestias, pro personarum conditione, damnabantur. Vnde Paulus antiquus & celebris Iureconsultus, quarto Sententiarum libro sic tradit: *Auctores seditionis & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in Crucem tolluntur, aut bestiis obijciuntur, aut in Insulam deportantur.*

Quamobrem Pilatus Titulo inscripsit: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM: quo, verbis paucissimis, Christi nomen, & patriam, causamque mortis eius expressit. Nomen eius IESVS, patria NAZARENVS, & mortis caussa REX IVDAEORVM. Quasi diceret: Hic iactauit se Regem Iudæorum esse, contra Romanum Imperatorem, Iudææ legitimum Regem ac
C Dominum; & propterea in Crucem est actus. Hæc impij Iudicis Pilati mens fuit, atque peruersa sui status ratio. Verùm longè diuersum fuit immaculati Agni illius consilium, qui in ara Crucis pro nobis oblatus est; quique illum Spiritus sui afflatu ad eumdem Titulum ita inscribendum impulerat: in quo altiora sanè ac sublimiora signantur mysteria, quàm ipse mente conceperat; vt appositè cecinit Prudentius:

Sacrati Tituli, præter Pilati mentem, mysteria.

Pilatus iubet ignorans, Tu, scriba, tripictis
Dirige versiculis, quæ sit suffixa potestas:
Fronte Crucis Titulus sit triplex triplice lingua.
Agnoscat Iudæa legens, & Græcia norit:
Vt venerata Deum præcenseat aurea Roma.

In Apotheosi aduersus Iudæos.

At mysterium, quod verbis Tituli Crucis Christi continetur, multò apertiùs expressit, ac profundiùs penetrauit Sedulius. inquit enim:

D *Scribitur & Titulus, Hic est Rex Iudæorum;*
Quod nihil à Deitate vacet: nam cælitus actum,
Hoc Hebræa refert, hoc Græca Latinaque lingua,
Hoc docet vna fides, vnum ter dicere Regem.

Lib. 4. operis Paschalis.

Verùm sanctus Augustinus, diuino planè ingenio suo, altissimum quoddam mysterium, circa hunc Pilati actum speculatur; quod mirabiliter his verbis prodit & explicat: *Hinc & Pilatus*, inquit, *nonnulla vtique aura veritatis afflatus est, quando in eius passione Titulum scripsit, Rex Iudæorum, quem Iudæi conati sunt mendosi emendare. Quibus ille respondit: Quod scripsi, scripsi. quia prædictum erat in Psalmo: Tituli inscriptionem ne corrumpas. Aduertamus itaque magnum hoc & mirabile Sacramentum. Magi ex Gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex Gentibus: illi stellam*

De Tempore, in festo Epiphaniæ Domini, & per Octauam, Serm. 3. c. 2. tom. 10

viderunt in cælo, ille Titulum fixit in ligno: vtrique tamen non Regem Gentium, sed Iudæorum, vel quærebant, vel agnoscebant. Iudæi verò ipsi nec stellam secuti sunt, nec in Titulo consenserunt. Iam igitur præsignabatur, quod posteà ipse Dominus dixit: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno cælorum. Filij autem Regni ibunt in tenebras exteriores. Nam Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Vnde illi Orienti, hoc est, nascenti, ille autem Occidenti, hoc est, morienti attestabantur Regi Iudæorum, vt cum Abraham, & Isaac, & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem, recumberent in Regno cælorum; nec ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem; vt ille, de quo Apostolus loquitur, oliuæ inserendus, iam præmonstraretur oleaster. Proptereà quippe non Rex Gentium, sed Iudæorum ab eisdem Gentibus quærebatur, vel agnoscebatur: quia oleaster ad oliuam, non ad oleastrum oliua veniebat. Rami tamen frangendi, hoc est infideles Iudæi, & Magis inquirentibus, vbi Christus nasceretur; in Bethlehem Iudæ respondebant: & Pilato exprobrante, quòd Regem suum crucifigi vellent, pertinacissimè sæuiebant. Itaque Magi adorauerunt, Iudæis ostendentibus locum Christi nascentis, quia in Scriptura, quam Iudæi acceperunt, Christum cognoscimus. Pilatus ex Gentibus manus lauit, Iudæis mortem Christi petentibus, quia sanguine, quem Iudæi fuderunt, nostra peccata diluimus. Hæc omnia Augustinus, Ecclesiæ Catholicæ lumen clarissimum; qui pro nobis semper intercedat ad Dominum nostrum Iesum Christum, cui laus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT XII.

De triginta argenteis, quibus Christus Dominus noster venumdatus est.

POSTQVAM de sancta Cruce, ac de Titulo eius, satis abundè superiùs à nobis actum est; rationi consonum nunc videtur, vt de ceteris Christi Domini passionis ac mortis insignioribus instrumentis aliquid etiam dicatur. Verùm enimuerò, quia amarissimæ passionis eius, non leuis quidem pars, sed grauis vehementer ac dura nimis fuit proditio impij ac scelestissimi Iudæ Iscariotis, iam ab ipso in numerum duodecim intimorum ac dilectorum discipulorum adsciti, Quæstoris ac domesticarum rerum dispensatoris; qui infami obcæcatus auaritia, & instigante diabolo, Principibus sacerdotum perfidis atq; feralibus inimicis eum prodiderat, ac triginta argenteis vendiderat; cumque proditio illa, passionis eius quasi præludium quoddam & introductio fuerit; idcircò de triginta argenteis, quibus venumdatus est, primùm agemus. Variæ ac diuersæ eorum fuêre sententiæ, qui diligenti peruestigatione enixi sunt, vt perquirerent ac scirent, cuiusnam generis ac speciei hi nummi argentei essent, & ad quantam summam pretium illud ascenderit, quo idem nefandissimus proditor allectus, infami pactione illa conuenit, vt Dominum suum in manus Principum Sacerdotum traderet; quibus ipse dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Super quibus verbis scribens sanctus Hieronymus, eius est sententiæ, infelicem Iudam videlicet, damnum & iacturam, quam se passum putabat pro vnguento illo, quod mulier Euangelica super Christi caput fuderat, dum Bethaniæ in domo Simonis leprosi discumbebat, Magistri sui pretio compensare, ac sibi satisfieri voluisse; quod quidem vnguentum trecentis denariis venumdari posse discipuli æstimauerant: *Infelix Iudas,* inquit, *damnum, quod ex effusione vnguenti fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare.* Quocircà putauêre aliqui, vnumquemque argenteum num-

Matth. 26.

In Matth. cap. 20.

A nummum eiuſmodi, conſuetum decem denariorum pretium habuiſſe; ita vt omnes ſimul ad trecentorum denariorum ſummam aſcenderent, qua vnguentum illud iam à diſcipulis æſtimatum fuerat. Alij verò cenſuêre, quemlibet argenteorum prædictorum nihil pluris omnino conſueto denario valuiſſe: ac propterea ſceleſtiſſimum Iudam, quem decimam partem pecuniarum ſibi creditarum furari ſolitum tradunt, hoc viliſſimo contentum fuiſſe pretio, vt decimam partem ſibi compenſaret, quam ſurripuiſſet ex illis trecentis denariis, quibus vnguentum illud venumdari potuiſſet; cùm triginta illi argentei nummi, quos à Iudæis receperat, trecentorum illorum denariorum exactè decima pars fuerint. Verùm animaduertendum eſt, Euangeliſtam non eos denarios, ſed argenteos appellaſſe: quo fit, vt opiniones iſtæ à Cornelio Ianſenio Gandauenſi Epiſcopo, Commentariorum ſuorum libro in Euangelicam Concordiam, meritò reprobentur. Teſtatur enim, dictionem hanc *argenteos*, ſubſtantiuè acce- *Variæ de pretio argentei opiniones.* *In Concordia Euang. cap. 128.*

B ptam, de omni nummo argenteo dici: & propterea probabile non eſſe, nummos, de quibus hîc mentio habetur, fuiſſe denarios, ſed ſiclos, qui & ipſi argentea fuêre numiſmata: familiareque admodum Hebræis eſſe pro argenteis intelligere ſiclos; cùm Latina hæc dictio Argentei, Hebræis ſit Ceſeph, quod argentum ſignificat. Atque ad huius ſententiæ ſuæ probationem, ſacrum ibi textum adducit, libro ſecundo Regum, capite decimo octauo; vbi Ioab iuuenem illum qui ei nuntiauerat vidiſſe ſe Abſalonem quercu capillis appenſum, ſic affatur: *Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra? & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & vnum balteum? Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* Quo quidem textu clarè perſpicitur, pro argenteis ſiclos, & pro ſiclis argenteos intelligi: Septuaginta enim vtrumque hunc locum exponentes vtrobique habent σίκλους ἀργυρίου, id eſt, *ſiclos argenti.* Et Flauius Ioſephus, hanc Abſalonis hiſtoriam & ipſe proſe- *Ianſenius ſiclum fuiſſe aſſerit.* 2. Reg. 18.

C cutus, vtrobique ſiclos argenti ſcripſit: ſic enim Latinitati traditus, inquit: *Quod animaduerſum quidam è militibus Dauidis indicauit Ioabo; eoque quinquaginta ſiclos promittente, ſi illum confoderet, reſpondit: Nec ſi duo millia daturus eſſes, facerem hoc domini mei filio.* Antiquit. Iudaicarũ lib. 7. c. 9.

Hinc ergo facile eſt (ſubnectit idem Ianſenius) agnoſcere, in ſacris Scripturis argenteos vſurpari pro ſiclis. Erat quidem ſiclus, argenteus nummus, qui in Ieroſolymorum vrbe præcipuè cudebatur. Atque vt aliqui tradidêre, duarum ſpecierum ibidem ſignabantur; quarum primus, ſiclus Sanctuarij appellabatur, alio etiam nomine ſtater dictus: alter ſiclus communis vocabatur. Primus autem, ſecũdo duplo pendebatur. Nam Sanctuarij ſiclus, quattuor drachmarum pondus habebat, id eſt ſemiunciam: at ſiclus communis, duarum drachmatum tantummodò ponderis erat, videlicet quartam partem vnciæ argenti habebat. Quocircà diuus Hieronymus de primo ſiclo loquens, inquit: *Duplex ſiclus; alter Sanctuarij, alter communis.* In Ezech. cap. 4.

D *Siclus autem, id eſt, ſtater, habet drachmas quattuor. Drachmæ autem octo, Latinam vnciam faciunt.* Idem etiam ſcribit Ioſephus, inquiens: *Siclus nummi genus eſt apud Hebræos, quales ſunt tetradrachmi Attici.* At de ſecundo, id eſt, de communi ſiclo agens ſanctus Epiphanius, ita ſcribit: *Siclus, qui & quadrans dicitur, quarta pars eſt vnciæ, dimidium ſtateris, habens drachmas duas; vnciæ enim erant octo drachmæ.* Et Marianus Victorius Reatinus, in Indice, quem ad diui Hieronymi opera addidit, de primo ſiclo pariter agens, affirmat, quattuor argenti drachmas habuiſſe; & tanti ad vnguem tunc penſum, quanti Romæ nunc quattuor ex his argenteis nummis, quos Paulos ſeu Iulios vocant: teſtaturque vnum ex his antiquiſſimum eiuſdem omnino ponderis penes ſe habere, cui ex parte altera inſculptum eſt vas illud, quod Hebræi Gomer appellabant, in quo Manna aſ- Antiq. Iudaic. lib. 3. cap. 9. In libello De menſuris & ponderibus.

ſeruabatur; ex altera verò virga Aaron. Atque alteri quidem lateri Samaritanorum litteris, quæ eædem erant quibus Hebræi antiquitus vtebantur, inſcriptum erat: IERVSALEM SANCTA, alteri verò SICLVS ISRAEL. A

Antonius autem Auguſtinus, Tarraconenſis Archiepiſcopus, in libro ſuorum Diſcurſuum ſuper antiquorum numiſmata, quem Hiſpanico idiomate conſcripſit; ipſe quoque de eodem ſiclo hæc verba facit, quæ Latinitati reddidimus: Siclus, inquit, quem ego primarium numiſma ciuitatis Ieroſolymæ fuiſſe puto, quod nummi genus eſt? Ex altera parte vas quoddam habet ad calicis ſimilitudinem, ex altera verò tres flores, ſiue auellanas, atque inſcriptionem quarumdam antiquarum litterarum; quæ, vt doctiſſimorum virorum relatione accepi, ex his ſunt quibus Samaritani vtebantur: & vt Rabbinus quidam Gerundenſi ciuitate oriundus tradit, ex altero latere dicunt IERVSALEM CIVITAS SANCTA, altero autem SICLVS SANCTVARII. Auellanarum ramus virgam Aaronis ſignificat; calix verò, vas illud Mannæ, quæ vnà cum eadem Aaronis virga, & Legis tabulis, in fœderis Arca, in Sancto Sanctorum aſſeruabatur. Ex his autem vnum penes me habeo, quattuor drachmarum ponderis. Hæc ille: qui inſuper ibi prodit eiuſdem ſicli imaginem, quam nobis etiam in ſtudioſorum gratiam hîc addere placuit: B

Sicli Sanctuarij imago.





Quantum nefariæ proditionis pretium Iudas acceperit.

Quamobrem ſi triginta argentei illi, proditori Iudæ traditi, primæ ſpeciei ſicli fuerunt, id eſt ſicli Sanctuarij; Saluatoris noſtri venditionis pretium, ad duodecim ſcutorum huius Romanę monetæ ſummam exactè aſcendiſſet. Sicq; idem Ianſenius ſe credidiſſe oſtendit. nam ex his quæ ſuperiùs dixerat argumentatur, Chriſtum Dominum noſtrum venditum fuiſſe pretio quindecim florenorum argenti, monetæ Belgicæ, qui idiomate illo *Daelders* appellantur, quibus eadem ferè ſumma conflatur. At ſi ſecundæ ſpeciei ſicli fuerunt; idem pretium, non niſi ad dimidiatam ſummam prædictam aſcendiſſet, id eſt, ad ſex ſcutos, decem Iuliorum pro ſingulis. Verùm enimuerò rationi prorſus repugnans id videtur, vt credat quis, ſceleſtiſſimum Iudam adeò vili pretio induci potuiſſe, vt pientiſſimum atque dulciſſimum Dominum ſuum proderet: tutiuſque ac certius videtur, id præſumi atque firmiter teneri, vt longè maiore ſumma ac pecuniarum quantitate pellectus, infami auaritia pertrahente, in impiiſſimum illud facinus ſit prolapſus: maximè verò cùm factu impoſſibile fuerit, vt ſex aut duodecim ſcutorum pretio, Principes ſacerdotum emere potuerint, prout eadem pecunia, quam Iudas pœnitentia ductus in templum proiecerat, reuerà emerunt agrum in ſepulturam Peregrinorum; agrumque eius amplitudinis præſertim & capacitatis, quò inferri poſſent cadauera Peregrinorum qui Ieroſolymis decedebant, cùm quamplurimi in eam vrbem tunc confluerent: & quod magis planè refert, tam prope eiuſdem ſanctæ Ciuitatis mœnia, vbi territoria non niſi grandi pecunia vendebantur. Erat enim ager ille, qui propter Chriſti paſſionem ac mortem acerbiſſimam, Haceldama, id eſt ager ſanguinis poſteà appellatus eſt, ad radices montis Sion, verſus Meridionalem plagam ſitus; & conſequenter vrbi ipſi vicinior, quàm prædium vllum aliud eſſe poſſet; vt apertiſſimè colligitur ex eo quod ſcriptum eſt in illius parui Tractatus principio, cuius inſcriptio eſt, *De locis Hebraicis, in Actis Apoſtolorum*, qui diuo Hieronymo tribuitur: vbi aſſeritur, quòd ad vſque ipſius Hieronymi tempora, ſiue cuiuſlibet alterius, qui eiuſdem doctiſſimi opuſculi auctor fuerit, cum in locum C D

Ager eo emptus in ſepulturam peregrinorum, haud exiguum fuiſſe indicat.

A locum efferri consueuerant pauperculorum cadauera, qui Ierosolymis moriebantur. Quandoquidem tunc adhuc vigebat introducta consuetudo, ibidem sepeliendi pauperes & peregrinos, ex quo Principes sacerdotum agrum illum eodem pretio emerant, quod Iudæ iam destinatum ac persolutum fuerat. Sic enim libellus ille habet: *Haceldama ager sanguinis: qui hodie quoque monstratur in Ælia ad Australem plagam montis Sion: & hactenus iuxta Judæorum consilium, mortuos ignobiles, alios terra tegit, alios sub diuo putrefacit.* Hæc ibi.

Quòd si Abraham iam ab Ephron filio Seor Heti, in prouincia Chanaan agri iugerum comparauit, quo dilectam vxorem Saram sepeliret, quadringentorum siclorum argenti pretio; quos Septuaginta Interpretes didrachma appellauere, id est duarum drachmarum singulos, qui octuaginta scutorum huius Romanæ monetæ summam conflarent; illudque magis gratuitò, quàm pretio obtinuerat: quanto maiore pecuniarum summa opus fuisse putandum est, in B emptione agri eius amplitudinis & capacitatis, quæ non ad vnius tantùm familiæ mortuos condendos, sed ad omnes peregrinos, qui Ierosolymis vita fungerentur, satis esset? atque non remoto quidem aut longinquo coëmptus loco, verùm in ipsius regiæ ciuitatis propinquioribus suburbanis? Quamobrem illud longè magis quadrare, rationique & verosimili inniti videtur, quod super id apposite scripsit Cardinalis Baronius, qui solida planè ratione innixus, existimauit, eorumdem triginta argenteorum rationem habendam esse, iuxta distinctionem eam, quam tradit Elias Leuita Iudæus in libro suo, cuius est titulus TISEBI. Is enim (inquit Baronius) maiorum suorum diligenti obseruatione didicisse testatur; quòd vox ista *Argenteus*, si posita reperiatur in Pentateucho, *Selagh*, id est, siclum vnum significat; si verò reperiatur in Prophetis, *Litrin*, nempe libram signat: sin autem in Hagiographis, eadem dictione exprimitur *Canterim*, quod talentum dicimus, siue cantarum. Quam distinctionem ex Rab- C binorum aliorum auctoritate recitat ac probat etiam Arias Montanus, in Dictionario suo Syrochaldaico, in verbo *Chesepb.* Quocircà cùm sanctus Mattheus Euangelista, de triginta hisce argenteis agens, Propheticam de ea re prædictionem afferat, inquiens: *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israël: & dederunt eos in agrum figuli:* sanè necessariò dicendum est, Euangelistam tacitè innuere voluisse, eorumdem triginta argenteorum eam rationem habendam esse, quam Prophetæ passim habere consueuerant; eosque pro triginta libris argenti computandos; quæ trecentorum scutorum huius Romanæ monetæ ad minus conflarent numerum. Cuius summæ auiditate atque helluatione infamis proditor ac latro Iudas illectus, execrabilem atque horribilem proditionem, quam diximus, orsus & machinatus est, atque ad finem perduxit.

Genes. 23.

Annalium tom. I. anno Christi 34.

Varia argentei in Sacris litteris significatio.

Matthæi c. 27.

Argentei quos Iudas accepit, pro argenti libris computandi.

D Iam verò, cùm eorum triginta argenteorum veram rationem ac pretium in lucem prodiderimus, perfacile planè erit, omnem conciliare disceptationem & controuersiam, circa eorumdem nummorum genus, speciem, ac formam hactenus ortam, & quæ in futurum oriri poterit. Quandoquidem credibile admodum est, in insigni ea pecuniarum summa, quam triginta argenti libræ conflare possunt, diuersas numismatum interfuisse species, non siclorum tantùm, quę ipsius ciuitatis Ierusalem propria erat moneta; verùm & aliorum Principatuum, præsertim verò Rhodianæ Reipublicæ, cuius longè lateque tunc diffundebatur potentia; & cuius monetæ in Iudæa ipsa, & per vniuersum Romanum Imperium, tamquam amicorum numismata, passim expendebantur: erantque eiusdem typi, cusionis, ac formæ, vt sunt ea numismata, quæ Romæ in Ecclesiis sanctæ

Nec vnius speciei omnes fuere, nec à solis Iudæis cusi.

ſanctæ Crucis in Ieruſalem, & ſancti Ioannis decollati, oſtenduntur: quibus ab altero latere imberbis iuuenis cuiuſdam facies inſculpta eſt, promiſſa cæſarie, radiiſque redimita; quam celeberrimi illius Solis Coloſſi effigiem eſſe volunt, olim Rhodi ab excellentiſſimo artifice Charete Lyndio, Lyſippi diſcipulo, ex ære, ac ſeptuaginta cubitorum altitudine fabricatam, qui inter ſeptem orbis miracula adnumeratus eſt, vt nos alibi fuſiùs tradidimus. Ex altero verò prædictorum Rhodianorum numiſmatum latere cuſus eſt flos quidam, ad eorum pænè ſimilitudinem, quos vulgò Campanellas vocant; ſiue veriùs Roſa ſit, non in totum adhuc expanſa foliis; quibuſdam Græcis inſculptis litteris, quæ ΡΟΔΙΟΝ exprimunt. Cuius veram imaginem in piorum Lectorum gratiam hîc addidimus; eſtque omnino, qualis hîc videtur. A

Admirabilis Rhodi Coloſſus. Vide Hiſtoriam noſtram illuſtriſſimæ Religionis Ieroſolymitanæ.

Rhodiana Reip. numiſma.





B

Aliud ſimile numiſma Melitæ penes ſacram Religionem & illuſtriſſimam Militiam ſancti Ioannis Ieroſolymitani reperitur, ibidem ſumma veneratione, vnà cum plurimis aliis ſanctiſſimis, quas ſecum è Ieroſolymis attulerat, aſſeruatum Reliquiis: quod quidem in omnibus ſimile eſt his quæ Romæ viſuntur; eo dumtaxat excepto, quòd ex altero latere caput ibidem cuſum nullis radiis eſt redimitum, ex altero verò nullæ inſculptæ ſunt litteræ. Ex quibus nummis aliquos argenteos penes me habeo, in ipſius typi impreſſione fuſos, à Ioanne Othone Boſio fratre meo, eiuſdem ſacræ Religionis Vice-cancellario, ad me tranſmiſſos, quos magna veneratione cuſtodio; nummorumque, quos Romæ Iulios vocant, vnius & ſemis argenti pondus habent. Alius quoque ſimilis (vt accepi) Pariſiis oſtenditur, in Eccleſia ſancti Ioannis Laterani, quæ eiuſdem ſacræ Religionis & illuſtriſſimæ Militiæ eſt Præceptoria: cuius Budæus in libro ſuo De aſſe, his verbis meminit: *Triginta argenteos, quo pretio Iudas ſceleratiſſimus perfidiam indicare ſuſtinuit, Iudæis licentibus, non triginta denarios fuiſſe propterea arbitror, quòd vbique argenteos legi, numquam denarios, ideſt Græcè argyria, non denaria. Scio hodie in æde diui Ioannis Lateranenſis, Pariſiis, oſtendi argenteum vnum, qui ex illis eſſe dicatur, quos Iudas in templum abiecit, characterem diuerſum à denario habentem. Habet enim effigiem hominis non luſcam, eminente altera mala, vt Romana numiſmata viſuntur, ſed aduerſam, & integram: & à tergo floſculum, vtrimque nullo indice. Pondus, vt coniicere licet (non enim attrectatur, ſed trans vitrum cernitur) didrachmus eſſe poteſt, ſi ſatis memini.* Quibus verbis apertè coniicitur, nummum illum, qui Pariſiis in Eccleſia ſancti Ioannis Lateranenſis oſtenditur, per omnia ſimilem eſſe illi, qui Melitæ, vt diximus, à ſacra Religione, & illuſtriſſima Militia ſancti Ioannis Ieroſolymitani aſſeruatur, cuius imago eſt huiuſmodi. C

Budæus De aſſe, lib. 5.





D

Nulli dubium eſſe debet, nummos iſtos ex illis fuiſſe, quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus venditus fuit. Nam præter ea quæ ſuperiùs diximus, quibus intellectui cuiuſcumque ſcrupuloſi ac nimiùm curioſi hominis ſatisfieri penitus poteſt, clementiſſimo Saluatori noſtro in paſſionis ſuæ memoriam placitum eſt iiſdem ſacris nummis virtutem eam infundere, qua electi ac pij fideles plurima atque ingentia beneficia obtineant, vt experimento comprobatur ex his qui Romæ, atque ex eo longè euidentiùs qui Melitæ aſſeruatur. Cuius quotannis plurimas impreſſiones effingunt ex candida cera Paſchali, quæ in die Sabbati

Nummorum, qui Romæ & Melitæ aſſeruantur, eximia virtus.

A bati maioris Hebdomadæ, inter Missæ solemnia, magna pietate sacris Militibus, Religiosis, ac populo distribui solent; qui summa veneratione à fidelibus asseruantur. Quandoquidem in maris tempestatibus leniendis, aliisque humanis periculis ac discriminibus auertendis, sæpissimè vtiliter probati sunt: quod in historia nostra sacræ Religionis, & illustrissimæ Militiæ sancti Ioannis Ierosolymitani fusiùs prosecuti sumus.

Parte 3. lib. 19.

Præfiguratam fuisse Christi Domini venditionem in Iosepho Iacobi Patriarchæ filio, qui à propriis fratribus venumdatus est, Beda venerabilis his verbis tradit: *De cisterna quoque eleuatus*, inquit, *Ismaelitis, id est, Gentibus, venditur. Et Christus, posteaquam egrederetur de Inferno, ab omnibus Gentibus fidei commercio comparatur. Ille per Iudæ consilium, triginta distrahitur, & hic per consilium Iudæ Ischariot, triginta argenteis venumdatur.* Hæc ille. Verùm in antiquis sacrisque paginis non præfiguratum tantùm, sed etiam apertis verbis pænè prædictum inuenimus, Christum Dominum ab vno ex familiaribus ac domesticis eius dolosè tradendum, ac vendendum esse. Quocircà Ruffinus Aquileiensis ait: *Edocemur in Euangelio, quòd Iudas vnus de amicis & conuiuis Christi tradiderit eum. Audi hoc quomodo pronuntietur in Psalmis: Qui manducauit, inquit, panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem. & alibi: Amici, inquit, mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. & iterùm: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi erunt iacula. Vis audire quomodo molliti sunt? Venit, inquit, Iudas ad Iesum, & dixit ei: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Per molle igitur osculi blandimentum, execrabile iaculum proditionis infixit. Vnde Dominus ad eum dixit: Iuda, osculo Filium hominis tradis? Triginta argenteis audis eum appretiatum esse, cupiditate proditoris. Audi de hoc Propheticam vocem: & dixi, inquit, ad eos: Si bonum est in conspectu vestro, date mercedem meam, aut abnuite. & post hæc: Et accepi, inquit, triginta argenteos, & misi eos in domum Domini conflatorium. nònne hoc est, quod in Euangelijs scribitur: Quia Iudas pœnitentia ductus, reportauit pecuniam, & proiecit eam in templo, & discessit? Benè autem mercedem suam dixit; velut imputantis & exprobrantis affectu: etenim tam multa bona opera apud eos egerat, cæcos illuminauerat, claudis pedes, paralyticis gressum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro his igitur omnibus bonis, mercedem ei restituunt mortem, triginta argenteorum æstimatione pensatam.* Hæc Ruffinus.

Saluatoris venditio in Iosepho Patriarcha præsignata. Beda in Genes. c. 36 tom. 4. *Eademque in Sacris litteris apertiùs prædicta.* Comment. in Symbol. Psalm. 40. Psalm. 57. Psalm. 54. Matth. 26. Lucæ 22. Zachar. 11.

(Margin letters: B beside "uenimus, Christum Dominum…"; C beside "lijs scribitur: Quia Iudas…")

Quòd Christus Dominus proditus ac venditus fuerit, quodque de pretio eius ager in sepulturam peregrinorum emptus sit; hoc (inquit Cornelius Iansenius) non sine ingenti mysterio, ad Christi gloriam faciente, est perpetratum. Per hoc enim significatum est, morte Christi comparatam veram quietem his, qui hîc velut aduenæ & peregrini degunt, ius ciuitatis supernæ Ierusalem consecuti. Deinde quòd pretium illud, tamquam profanum à Iudæis æstimatum, non cesserit in sacerdotij & templi Iudaici vsum, sed potiùs ad vsum pauperum

D & peregrinorum; significauit sanguinem Christi potissimùm peregrinis & aduenis Gentibus profuturum, pereuntibus in sua impietate, propter incredulitatem, Iudæis. Consilio autem inito Iudæi (inquit diuus Hieronymus) propositoque quid de pecuniis, quas Iudas in templum proiecerat, facere deberent; emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Illi quidem fecerunt alia voluntate, vt æternum impietatis suæ relinquerent ex agri illius emptione monumentum. Ceterùm nos, qui peregrini eramus à Lege & Prophetis, praua eorum consilia suscepimus in salutem, & in pretio sanguinis eius requiescimus. Figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus.

In Cõcord. Euangel. cap. 140. *Agri in sepulturam peregrinorum pretio proditionis empti mysterium.* In Matth. cap. 27.

Dum pretium sanguinis, ait diuus Ambrosius, *à Iudæorum gazophylaciis separatur, & ager figuli ea, qua venditur Christus, comparatur pecunia, dum is locus humandis peregri-*

In Lucæ Euangel. c. 22. tom. 3

peregrinorum reliquiis dicatur, & prophetiæ impletur oraculum, & surgentis Ecclesiæ mysterium reuelatur. Ager enim secundùm diuina præcepta, mundus hic omnis est: figulus autem ille, qui nos formauit è limo, de quo habes in veteri Testamento: Quia finxit Deus hominem de limo terræ: formandi per naturam, reformandi per gratiam, habens pro suo arbitrio potestatem. Nam etsi propriis vitiis corruamus, per illius tamen misericordiam resumpto mentis spiritu, secundùm Ieremiæ oracula, reformamur. Pretium quoque sanguinis est pretium Dominicæ passionis. Ergo pretio sanguinis emitur mundus à Christo. Venit enim, vt saluetur mundus per ipsum: in quo iuxtà vt opus Auctoris, & ius est. Venit ergo vt consepultos per Baptismum, & commortuos Christo, ad perpetuitatis gratiam reseruaret. Sed non passim omnibus ad sepeliendum est locus. Nam etsi omnes mundus includat, non omnes reseruat. Et si communis habitatio, tamen legitima sepultura est eorum scilicet, qui nunc sunt per fidem domestici Dei, sed fuerunt in Lege peregrini. Qui sunt isti, nisi de quibus dicitur: Memores estote, quòd aliquando vos Gentes, qui eratis in carne, alienati à conuersatione Israël, & peregrini promissionis Testamentorum. Sed hi nunc iam non sunt aduenæ atque peregrini, quoniam ciues Sanctorum esse, fidei iure meruerunt. Hæc Ambrosius.

Gen. 2. — Ephes. 2.

Cur pretiũ illud in gazophylaciũ non sit illatum.

In Matth. cap. 26. De gloria & honore Filij hominis, tom. 3.

Verùm, quòd pecuniæ, quibus Christus Dominus venditus fuit, non peruenerint in gazophylacium, siue ærarium, quod Corbona dicebatur, vbi oblationes asseruabantur, quæ templo Ierosolymorum offerri consueuerant, inter Sacerdotes posteà distribuendæ; hoc sanè præcipua Dei optimi maximi voluntate factum est. Quandoquidem gazophylacium ipsum, & templum, ceteræque insignes prærogatiuæ omnes, quas impij ac perfidi illi ex Dei præcipua in eos munificentia obtinebant, meritò ab iis auferendæ erant. Quamobrem Rupertus Abbas inquit, emisse Iudæos ex pecuniis illis terræ iugerum, quod ager sanguinis posteà appellandus esset; hoc illis in præsagium infaustissimum, nobis verò in bonum cessisse. Nam ager sanguinis illis tota est Christi Ecclesia, quæ sanguinem illum vsque hodie fidelissimè bibit, clamantem ad Deum, aduersus maledictos illos, instar sanguinis Abel iusti, de quo Dominus ad Cain dixit: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Verùm quis hoc nesciat, quonam pacto nos peregrini in agro huiusmodi sepulti simus? Quicumque baptizati sumus, inquit Apostolus, in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus per Baptismum in mortem cum ipso; cui nomini sanctissimo, æternus honor sit, & benedictio, laus, gratiarum actio, & gloria, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

CAPVT XIII.

De Columna, ad quam Christus Dominus flagellis cæsus fuit.

EGIMVS superiùs de triginta argenteis, quibus Christus Dominus venditus fuit, impij ac scelestissimi Iudæ iniquitatis gratia; cuius proditio, vt diximus, introductio quædam atque initium passionis eius extitit. Verùm quia flagellatio crucifixionem vt plurimùm anteire solebat; ideò de columna, ad quam idem Dominus ac Saluator noster flagellis cæsus fuit, præsenti hoc capite tractabimus. Peruetus, & planè recepta consuetudo, apud plerasque orbis nationes fuit fustigandi eos, qui rerum capitalium iudicio ad Crucem damnati essent, antequam Crucibus suffigerentur. Quod auctoritatibus quamplurimis Lipsius comprobat: idque à Romanis præcipuè, non consuetudine tantùm, sed expressæ legis sanctione inuiolabiliter obseruatum. Quamobrem cùm diuus Hiero-

Crucifixionem flagellatio, more & lege Romanorum, anteiuit.

A Hieronymus verba illa Euangelistæ Matthæi exponeret, *Iesum autem flagellatum tradidit vt crucifigeretur*; inquit: *Sed sciendum est, Romanis eum legibus ministrasse, quibus sancitum est, vt qui crucifigitur, priùs flagellis verberetur.* In Matth. cap. 27.

Erat autem Romanorum lex, de qua Hieronymus hoc loco meminit, ea quæ Duumuirorum contra perduelliones appellabatur, id est aduersus eos, qui tamquam hostes publici publica morte plectendi essent; de qua superiùs capite septimo mentionem fecimus; cuius horribile ac tremendum decretum Titus Liuius his verbis refert: *Duumuiri perduellionem iudicent. si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato. Si vincent, caput obnubito, infelici arbori suspendito: verberato vel intra pomerium, vel extra pomerium.* Decad. primæ, lib. 1.

Tria fustigationum genera apud Romanos erant in vsu. Quorum primum fustuarium erat, secundum virgæ, tertium verò flagellatio. Fustuarium autem, quod Græci ξυλοκοπίαν vocauêre, duplici more, tum ad vltimum supplicium, tum ad castigationem adhibebant. Modus quidem ad vltimum supplicium irrogandi, à Iacobo Gretsero libro suo De sancta Cruce describitur, à Polybio desumptus. Erat autem huiusmodi: Cùm miles quispiam ad supplicium illud damnatus esset, Tribunus fustem capiens, condemnatum leuiter tangebat; quo facto, omnes qui in castris aderant, fustibus aut lapidibus eum ita impetentes percutiebant, vt plerosque ibi in ipsis castris occiderent. Quòd si quis eorum fortè euaderet, non tamen saluus erat, nec viuere poterat; quandoquidem in patriam ei non dabatur reditus, nec cuiquam in domum aut sub tectum eum recipere fas erat: ideoque omnino ei moriendum erat, quem ea calamitas attigisset. Verùm cùm fustuarium non ad mortem, sed ad castigationem inferebant, vitium bacillis, aut aliis fustibus verberabant. Vitis autem honoratior, ideoque in ciues tantùm vsurpata. Quocircà Liuius minoris Scipionis Africani ad Numantiam res gestas memoriæ prodens, inquit: *Quem militem extra ordinem deprehendisset, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustibus cecîdit.* *Triplex fustigationis genus apud Romanos.* Libro 57. epitom.

B

C

Secundum fustigationis genus, à Romanis in miseros morti adiudicatos adhiberi consuetum, virgæ erant; quæ ipsis baculis seu fustibus inhonestiores habebantur, imò & acerbiores. Inhonestissima verò omnium & acerbissima flagellatio; ideoque in seruos tantùm vsurpata. Quamobrem Macer, seu Marcellus Iureconsultus: *Ex quibus*, inquit, *causis liber fustibus cæditur, ex his seruum flagellis cædi, & domino reddi iubetur.* Quo sanè maiore admiratione dignior Christi Domini humilitas ac patientia comprobatur: qui, vt personam serui, quam assumpserat, in omnibus exhiberet, nosque ab æterna seruitute, & à damnatione perpetua liberaret; in acerbissima sua passione, tamquam seruus etiam flagellari voluit. Flagella autem, quibus miseri serui ac damnati cædebantur, funibus fieri consueuerant; eaque exasperabant aliquando officulis, insitisque talis, & taxillis, seu stellulis, calcarium instar. Quandoque verò ex corij corrigiis siue loris fiebant, hisque præsertim Christus Dominus noster flagellatus fuisse videtur; vt ex Nonni Græco illo carmine colligitur, quod à Lipsio sic interpretatum est: *Flagellatio inhonestissima, & propria seruorum.* Macer lib. 2 De publicis Iudiciis. Habetur in Digesto nouo, L. In seruum. tit. De pœnis. *Qualibus flagellis Christus cæsus.*

D

Horribili Christi corpus rubescit habena. Nonnus in Ioan. c. 19.

Idque magis authenticè & clariùs comprobatur ex his quæ Theophylactus scripsit, qui Latinitati redditus, inquit: *Tandem succumbens Pilatus voluntati eorum, flagellauit Dominum, hoc est, cecîdit eum loris.* Flagellis cædi consueuerant morte damnati, quandoque antequam ad supplicium deducerentur, in publicis carceribus, vel in ipso palatio Prætorio, vt Christus Dominus iubente Pilato cæsus est: aliquando in ipsa deductione: aliquando verò in eodem loco, vbi vltimo afficiendi erant supplicio. Cùm in supplicij loco eos verberabant, ad

palum humi infixum alligare consueuerant; vt ex historiarum monumentis A Titi Liuij & Sallustij, ex Cæsaris commẽtariis & Ciceronis scriptis, locis quamplurimis elicitur, præsertim verò vbi inquit: *Nomine sceleris coniurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati*. Verùm cùm in ædibus publicorum carcerum, vel in palatio Prætorio eos fustigabant, columnæ deuinciebant: sicque in Ierosolymorum palatio Prætorio ad columnam alligatus Christus, flagellatus est. Quòd etsi de columna huiusmodi Euangelistæ nullam mentionem fecerint, in dubium tamen nullo pacto reuocari debet: non modò, quòd in Prætorij aulis & cameris palus figi non poterat, sed etiam quia grauissimis auctoritatibus probatur, antiquorum mos ad columnas alligandi eos quos flagellis cædendos ac torquendos decreuissent. Idque frequenter ab Ethnicis in sanctos Christi Martyres vsurpatum comperimus. Cuius rei luculentissimum apud Eusebium prodit testimonium Phileas Thmuitensis Episcopus, dum ludibria atque tormenta, quæ Christi fideles suis quidem temporibus Alexan- B driæ sustinebant, litteris referret, inquiens: *Alij vultu alterius in alterum obuerso ligati, & columnis, pedibus non ad terram demissis, appensi*. Quæ verba sic etiam refert Nicephorus: *Alij porrò ad columnas, vultu ad eas conuerso, ita alligati erant, vt pedibus non insisterent*. Quam efferatam planè immanitatem sanctus etiam Gregorius Nazianzenus impio Iuliano Apostatæ exprobrat, asserens, quòd propter illius impietatem temporibus suis columnæ cernebantur tinctæ & aspersæ sanguine fidelium ac sanctorum, qui ad illas alligati virgis cædebantur: *Columnas*, inquit, *cruoris plenas, piorum manibus atque complexu, dum virgis conciderentur, per orbem cinctas*. Nec parui sanè momenti ad rem hanc Prudentij auctoritas esse videtur, qui apertè tradit, Christum Dominum columnæ deuinctum, seruilem in modum flagellis cæsum; sic enim metro testatus est:

Vinctus in his Dominus stetit ædibus, atque columnæ
Annexus, tergum dedit vt seruile flagellis. C

Verùm his omnibus diui Hieronymi auctoritas, meo quidem iudicio, præponderat. Testatur enim ipse, sua adhuc ætate Ierosolymis ostendi columnam quamdam, templi porticum sustinentem, Domini nostri Iesu Christi sanguine tinctam, ad quam pertractus, alligatus, & flagellatus fuit: *Ostendebatur*, inquit, *illi columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur, & flagellatur*. Ad quod prædictus etiam alludens Prudentius, sic cecinit:

Perstat adhuc, templumque gerit veneranda columna.

At in peruetusto libello illo, cui titulus est *De locis sanctis*, à Beda in compendium redacto, asseritur; columnam illam eiusdem Bedæ temporibus perstare in templi medio, quod à sancta Helena in monte Sion ædificatum fuerat. *Sed & columna marmorea*, inquit, *in medio stat ecclesiæ, cui adhærens Dominus flagellatus est*. Eiusdem etiam columnæ meminit Nicephorus, dum Ecclesias ceteraque D pia ædificia recolit, ab eadem sancta Helena Ierosolymis aliisque Iudææ locis constructa: *In eo*, inquit, *templo marmorea quoque columna fuit, ad quam, cùm flagellis cæderetur, alligatus est Seruator*. De hac itidem columna sanctus Gregorius Turonensis hoc notatu dignum memoriæ prodidit: *Ad hanc verò columnam*, inquit, *multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circumdant; quam rursum pro benedictione recipiunt, diuersis infirmitatibus profuturas*.

Quibus auctoritatibus decepti quidam, non animo tantùm falsam opinionem imbiberunt, quin etiam scripto affirmauêre, columnam, quæ hîc Romæ religiosissimo diuæ Praxedis asseruatur templo, columnæ illius partem extitisse, de qua sanctus Hieronymus ceterique præfati meminêre auctores; hoc (vt ego

Marginal notes: Cicero 7. in Verrem. — *Christus columnæ alligatus flagellatur.* — *Christique exemplo SS. Martyres complures.* — Ecclesiast. Hist. lib. 8. cap. 11. — Orat. 1. in Iulianum. — In Enchiridio. — S. Hieron. in epitaphio Paulæ, epist. 27. cap. 4. — Prudent. loco citato. — In libello De locis sanctis. — Nicephor. Callistus, lib. 3. c. 30. — S. Gregor. Turonẽsis, de gloria Martyrũ, lib. 1. c. 7. — *Qualis & quanta sit sacratissima hæc columna.*

A ego quidem reor)argumento elusi, quòd cùm illa tantæ altitudinis ac magnitudinis esset, vt porticum Ecclesiæ eius amplitudinis & magnificentiæ sustineret, qualis illa montis Sion extiterat; hæc autem, quæ hîc Romæ est, cùm breuis sit ac depressa; rationi consonum videri, hanc eamdem illius figmentum esse. Inter ceteros autem hoc errore deceptos, Ludolphus Carthusianus deprehenditur, qui pio illo de vita Christi libro, de hac columna disserens, sic tradit: *Cuius columnæ aliqua pars ostenditur Romæ, in Ecclesia sanctæ Praxedis. Maior autem pars fertur esse in ecclesia montis Sion, in loco vbi prænuntiatur Euangelium.* Idem etiam Annalium Spiræ auctor his verbis affirmat: *Pars aliqua de columna flagellationis Christi in Cathedrali beatæ Mariæ Deiparæ Virginis templo, in summa ara, cum multorum Christi comitum sanctorum Reliquiis reposita colitur. Ostenditur & alia huius columnæ pars Romæ in ecclesia sanctæ Praxedis. Maior verò pars Ierosolymis fertur esse in ecclesia montis Sion.* Aliosque plurimos patet cum his in hoc hallucinari. Nam

De vita Christi, parte 2. cap. 62.

B sacratissima columna hæc, quæ Romæ in prædicto sanctæ Praxedis templo extat, nullo pacto censenda est pars illius de qua sanctus Hieronymus, ac ceteri quos retulimus, agunt. Integra enim planè esse comprobatur; atque est illa ipsa, quæ in Ierosolymorum palatio Prætorio, quo Iudææ Præsides, ac Pilatus præcipuè degebat, continuoque fixa atque immobilis, data opera ibi locata persistebat; & appellabatur columna Prætoria, ad quam alligari ac verberari consueuerant, qui rerum capitalium iudicio damnati, vel vltimo afficiendi erant supplicio, vel pro delictorum castigatione, fustuario in diem passim adiudicabantur. Est autem hæc ipsa marmorea, albis nigrisque elegantissimè conspersa maculis, non maioris quàm trium vel circiter palmorum altitudinis: huius omnino formæ atque mensuræ consultò fabrefacta, ne si altior esset, ministris impedimento esset, quò minùs commodè damnatos tam à



C posteriori, quàm ab anteriori parte flagris cædere possent. Infixus autem erat eiusdem columnæ summo vertici ferreus annulus, cui damnatorum alligabantur manus; dumque eos verberarent, circum eamdem columnam citatis gressibus impellebant: eodem prorsus modo ac forma,

D qua Saluatoris nostri ad eamdem columnam flagellatio, pictoris penicillo ad viuum est expressa: cuius imaginem graphicè delineatam, in piorum Lectorum gratiam hîc subiiciendam duximus.

Columnam hanc sanctissimam Ioannes Cardinalis Columna, qui eamdem sanctæ Praxedis ecclesiam tunc in Titulum obtinebat, Romam aduexit; ibique collo-

A Ioanne Cardinale Columna Romam aduecta.

collocari fecit, postquam Ierosolymis & à Syria reuersus esset: quò ab Honorio A
Papa III. ablegatus fuerat, vt Christianorum exercitui ad Terræ sanctæ recuperationem destinato assisteret, circa ducentesimum & vigesimum tertium supra millesimum nostræ salutis annum: vt apposite, inscriptione, supra maiorem speculam, qua in sanctum sacellum, vbi sacratissima eadem asseruatur columna, est prospectus, his verbis annotatum legimus: *Columna, quæ in hac sancta Capella reconditur, huic depictæ omnino similis, non ea est quæ templi porticum sustinebat, ad quam Dominus noster Iesus Christus in suæ passionis nocte alligatus, illusus, & verberatus fuit; sed ea est, quæ in Pilati Prætorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus noster Iesus Christus, iubente Pilato, flagellatus est. Integra enim est; nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiori columna tegeretur. Quam Ioannes Cardinalis Columna Legatus Apostolicus in partibus Orientalibus, sub Honorio Tertio, circa annum Domini* M. CC. XXIII. *huc asportauit.*

Sacratissimæ huius columnæ, Ierosolymis ad vrbem transportatæ Raphaël B
Volaterranus meminit, de Principibus Columnensibus, & præcipuè de prædicto Ioanne Cardinale, his verbis agens: *Is Cardinalis sanctæ Praxedis,* inquit, *ac Legatus in expeditione Ierosolymitana fuit. Anno* M. CC. XX. *martyrium ferè passus. nam inter duos postes à Barbaris hostibus inclusus, iamiam secandus erat, nisi illos, diuina prouidentia, eius constantia fideque permotos, pœnituisset. Reuertens verò, columnam, cui Christus alligatus ad plagas fuerat, secum attulit, quæ nunc apud ædem sanctæ Praxedis visitur.*

Anthropologię lib. 22

De hac eadem Onuphrius Panuinus etiam agit, suo de septem vrbis Ecclesiis Tractatu: dum sacratissimas reliquias recolit, quæ in religiosissimo diuæ Praxedis templo asseruantur, his verbis: *In eodem proximo oratorio sancti Zenonis, extat columna, ad quam Dominus noster Iesus Christus tempore suæ passionis alligatus fuisse dicitur, & verberatus. Quam ante annos* CCCL. *Ioannes Columna Presbyter Cardinalis huius Tituli, sub Honorio Tertio, Orientis Legatus, ex Ierosolymis Romam* C
attulit, & in eo oratorio locauit: super quam collocata sunt corpora sanctorum Valentini & Zenonis.

In vita Ioānis Card. Columnæ.

Saluator noster flagellis bis cæsus.

Agunt de ea pariter Alfonsus Ciacon, suo de Vita & gestis summorum Pontificum & Cardinalium libro, aliique non pauci. Quamobrem ex clara notitia, quam de duabus hisce columnis habemus, argumentari licet, veritati inniti opinionem, quam aliqui animo imbiberunt, Christum Dominum nostrum flagellis bis fuisse cæsum. Quod sanè non complures tantùm nostrorum temporum Doctores affirmant; verùm & ipse quoque sanctus Ioannes Chrysostomus aperte asseruit. Nam textum sancti Matthæi exponens, ac verba præsertim illa, quibus Euangelista sanctus refert, Pilatum perfidorum Iudæorum importunitate fatigatum, Barabbam homicidam ac latronem dimisisse; Christumque Dominum flagellis cæsum, crucifigendum illis tradidisse: *Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur:* idem sanctus D
Chrysostomus, verba hæc profert: *Cur autem,* inquit, *flagellauit, & postmodum dimisit?* Quibus planè patet, Chrysostomum censuisse, Pilatum iam semel Christum flagellis cecidisse, antequam militibus crucifigendum traderet.

Et post cetera sancti Matthæi verba, quibus passionis Domini sacram historiam prosecutus, addit; quòd Christo Domino tradito à Pilato, vt iuxta Iudæorum desiderium crucifigeretur; milites eum rapientes, atque in Prætorium introducentes, congregauerunt ad illum vniuersam cohortem: ibique eum vestimentis expoliantes, chlamyde purpurea induerunt, ac spinea corona ipsius caput redimitum, arundine percutiebant, quo spinarum aculeis asperiùs pungeretur; & genu flectentes, vt Regem per ludibrium adorabant, aliisque iniuriis pænè

A pæne infinitis ac probris afficiebant, idem sanctus Chrysostomus hæc insuper adnectit: *Conuitiabantur milites,* inquit, *ac insultabant, vel Iudæis gratificantes, vel suis deprauatis vtentes moribus. Multigenis autem contumeliis ipsum afficiebant. Nam in diuinum caput illud modò quidem colaphos impingebant, modò autem spinea corona dehonestabant, modò verò arundine percutiebant viri execrabiles atque scelesti. Et non caput dumtaxat, sed & vniuersum corpus illud sanctissimum contumeliis est affectum. Nam facies quidem sputis oppletur, maxillæ palmis tunduntur, & reliquum corpus flagellis atteritur.* Quibus profectò verbis manifestè patet, sanctũ Ioannem Chrysostomum eius quoque opinionis fuisse, atque apertè innuisse, Christum Dominum bis flagellatum fuisse: semel nempe antequam morti adiudicatus esset, atque iterùm postquam Iudæorum furore ac immanitate impellente, Pilatus Crucis in eum lata sententia, militibus illum tradidit crucifigendum. *Traditus est itaque Iesus militibus verberandus,* inquit sanctus Hieronymus, *& illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, flagella secuerunt. Hoc autem factum est, vt, quia scriptum erat, Multa flagella peccatorum; illo flagellato, nos à verberibus liberaremur: dicente Scriptura ad virum iustum: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

In Matth. cap.27. — In Matth. cap.27. — B *Iniustè flagellatus, vt nos à flagellis liberaret.*

Flagellatus iniustè fuit Saluator noster, inquit sanctus Cyrillus; vel, vt alij potiùs autumant, Iodocus Clithoueus; vt à vulneribus, quæ iure peccatis nostris perpessi sumus, nos liberaret. Alapis cæsus, & illusus est, vt illusori satanæ nos illudere possimus, & præuaricationis peccatum fugiamus. Omnia enim propter nos, & pro nobis Christus suscepit, quæ repulsiuas vires habuerunt: quibus ea repulsa sunt, quæ nobis meritò præuaricationis crimine acciderunt. Et quemadmodum mors Christi, qui morti non subiiciebatur, ad destruendam omnium mortem suffecit; sic intelligere & credere oportet, flagella & dedecora Dominum pertulisse, vt à talibus nos eriperet; quandoquidem scriptum est: *Ipsius liuore sanati sumus.* Hæc ille.

In Ioan. Euangel. lib.12.c.15. — Isaiæ 53.

C Quamplurimis sanè veteris Testamenti historiarum monumentis, Christi Domini flagellationem præfiguratam constat; præsertim verò his flagellationibus, quas Iob patientissimus sustinuit; qui in multis Saluatoris nostri figuram præ se tulit; vt diuus Hieronymus, siue potiùs, vt aliis magis placet, Beda, dum eiusdem sancti Iob librum exponit, crebrò testatur, inquiens: *Sic vbi per totum hunc librum, sanctum Iob, figuram habuisse Saluatoris prospeximus; donante gratia eius, vt nobis largiri dignatus est, exposuimus.* Et post pauca subiungit: *Figuram ergo sanctus Iob manifestè habuit Saluatoris.* Iterumque non multò pòst repetit: *Per multa ergo sanctus Iob, Domini nostri paßionem quoque & patientiam figurauit.*

Christi flagellatio, in Iob flagellorũ patientissimo præfigurata: S. Hieronymus, siue veriùs Beda, in Iob, c.42.

Præfigurata itidem fuit Christi ad columnam adstrictio & flagellatio in Achior Ammonitarum Principis ac Ducis persona; qui ab Holofernis militibus ad arborem alligatus est, ex Ludolphi Carthusiani sententia. Quandoquidem vt Achior ille à militibus Holofernis ad arborem alligatus fuerat, sic D Christus à Pilati militibus ad columnam alligatus est. Achior, inquit, pro veritate, quam protulit, vinctus; & Christus pro veritate, quam prædicauerat, flagellatus. Achior alligatus, quia quæ Holoferni placita erant, dicere noluerat; & Christus flagellatus, quia Iudæos ingenti cum eorum amaritudine ac molestia increpabat. Achior vinctus, quia Dei gloriam magnificabat; & Christus alligatus, ac flagellis cæsus, quia Patris sui nomen manifestabat.

In Achior ad arborem ab Holofernis militibus alligato: Ludolphus Carthusianus, de vita Christi, parte 2. cap.62.

Præfigurata insuper fuit Christi flagellatio in Ieremiæ Prophetæ persona. Nam, vt idem Ieremias à Phassur Principe Sacerdotum flagris cæsus fuit, quia habitatoribus Ierusalem minitatus, terrorem incusserat; seueras Dei vltiones, quibus in ciuitatem illam animaduertere statuisset, eis denuntians: sic etiam Christus Dominus, quia Iudęos increpans, eos à Deo castigandos atque obiur-

In Ieremia à Phassur Principe Sacerdotũ flagris cæso.

gandos prædixerat,& quòd de ciuitate illa lapis super lapidem remansurus non A
Ab eodem Ieremia aliisque sanctis Prophetis prædicta. esset,crudeliter flagellatus est. At non flagellatione tantùm Christi typum Ieremias præ se tulit, verùm ipsemet spiritu præuidit, atque apertè prædixerat probra ac ludibria,quæ Saluator noster,etiam præter flagella ipsa, perpessurus erat. Quocircà in eiusdem persona sic locutus est: *Factus sum in derisum tota die,omnes subsannabant me.* Porrò eadem opprobria atque ludibria, quæ Dominus noster sustinuit, ipse quoque Regius Propheta spiritu prospexerat ac pronuntiauerat,inquiens: *Omnes videntes me,deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt capita sua.* Neque eas sanè iniurias & ignominias,quas Christus passurus erat,idem Rex & Propheta Dauid in genere tantùm prædixit, sed etiam locis quamplurimis apertè pronuntiauerat, flagellis cædendum esse. Quamobrem Spiritus sancti lumine perfusus, in eiusdem Saluatoris nostri persona hæc protulit: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* & alibi posteà: *Congregata sunt super me flagella* atque alio loco subnectit: *Ego in flagella paratus sum.* Atque iterùm repetit: B *Et fui flagellatus tota die.* Fuit etiam Christi Domini flagellatio ab Isaia Propheta clarè admodum ac mirabiliter prædicta; præsertim verò cùm lingua eius, Spiritu sancto dictante, hæc protulit verba: *Dorsum suum dedit ad flagella, & maxillas suas ad alapas.* Et non à Prophetis sanctis tantùm,verùm etiam à Sibyllis ipsis,Christi Domini flagellationem mirabiliter & clarè pronuntiatam fuisse constat. Quocircà Lactantius Firmianus de hoc sic tradit: *Hæc autem sic futura fuisse, & Prophetarum vocibus, & Sibyllinis carminibus denuntiatum est. Apud Isaiam scriptum inuenitur: Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non auerti à fœditate sputorum.* & posteà hæc subdit: *Sibylla quoque eadem futura monstrauit.* Adiicitque ibi quattuor carmina Sibyllæ cuiusdam, quæ hæc admirabiliter planè prænuntiauerat. Quæ quidem carmina à Marco Musuro De verbo ad verbum sic in Latinum conuersa fuêre: *In manus iniquorum & infidelium posteà veniet. Dabunt ei alapas* C *manibus incestis, & faucibus immundis expuent saliuas virulentas. Dabit autem in verbera simpliciter innocens tunc dorsum.* Et hæc quidem de columna,& de Christi Domini nostri flagellatione hactenus dixisse sufficiat: cuius dulce nomen atq; sanctissimum omnes creaturæ laudent & benedicant in æternum. Amen.

Ierem. 20. Psalm.21. Psalm.128. Psalm.34. Psalm. 37. Psalm.72. Isaiæ 50. *Item à Sibyllis.* De vera Sapientia, lib.4.c.18.

CAPVT XIIII.

De spinea corona, qua Dominus noster Iesus Christus fuit redimitus: de purpurea chlamyde,qua indutus; ac de arundine manibus eius immissa,qua diuinum caput percutiebant.

CVM iniquus atque iniustus iudex Pilatus,ad perfidorum Iudæorum fera- D les iras in Iesum Regem Saluatoremque nostrum leniendas, illum fustuario subiiciendum decreuisset (vt præcedenti capite docuimus) impij & efferati eiusdem Præsidis milites & ministri eum rapientes, atque in atrium siue in interiorem palatij Prætorij partem deducentes, ibi ab vniuersa cohorte circumdatum,propriisq; vestimentis exutum,purpurea chlamyde induerunt. Tumque ex aculeatis ac pungentissimis sentibus coronam complicantes, capiti eius imposuerunt,& crudeliter confixerunt. At arundine quasi Regio quodam sceptro manibus immissa,ante ipsum se inclinantes, & ad terram vsque genua flectentes, eum deridentes adorabant, & tamquam Regem Iudæorum ludificantes consalutabant. Deinde verò in faciem eius expuentes, atque arundinem frequenter

A quenter è manibus euellentes, caput ſpinis circumſeptum, eadem immaniter percutiebant, quò ſpinarum aculei acerbiùs eum pungerent. Sic enim ſacra Euangelica tradit hiſtoria: *Tunc milites Præſidis, ſuſcipientes Ieſum in Prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem; & exuentes eum, chlamydam coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Quorum horribilium actorum myſterium, tria nobis præcipuè ſuggerit expendenda. Et quidem primò, quid geſtus iſti, quos impij atque ſceleſti Pilati fecère miniſtri, ſignauerint: ſecundò, ex qua materia corona illa Chriſti capiti impoſita fuerit contexta: tertiò, quid ipſa corona, quid chlamys purpurea, quidque arundo ſignificationis habuerint. Et ſanè quoad primum, licet ea dæmone inſtigante peregerint; omnia tamen ex Dei voluntate, ac libera illius permiſſio-

Matthæi cap. 27.

B ne, qui probra hæc voluntariè pro nobis ſuſtinere voluit, perpetrarunt. Neque actum, aut geſtum prorſus vllum, non niſi ſignantiſſimum, ac myſteriis refertiſſimum ab eis factum fuiſſe conſtat. Flectebant ſceleſti ante Chriſtum genua, poſtquam Regalibus, ſed ridiculis inſignibus eum inaugurauerant, vt ſuperiùs diximus: & quamquam id per ludibrium, & vt Iudæis applauderent facere viderentur, ad eam alludentes, quam contra ipſum intentauerant, accuſationem, quòd ſe Filium Dei iactaret, ac Regium ſibi titulum arrogaſſet; in myſterio ac reipſa tamen, vt Deum adorabant, & tamquam Regem conſalutabant. Adorabant eum, inquit Beda, quaſi falsò ſe Deum eſſe dixiſſet; ſalutabantque, velut fallaciter quoque ſe Regem appellaſſet: ludificantes genuflectebant, ac deridentes, Iudæorum Regem ſaluere iubebant. At nihilominùs colludentes ac deridentes, quod meritò faciendum erat, & quod piè poſteà factum eſt, atque in æternum fiet, innuebant, ac nolentes verum dicebant.

Pilati miniſtrorum ludicri actus myſterio haud carent.

In Marci Euangel. cap. 15.

C Tertullianus innuit, Chriſti coronationem ex ſentibus, eiuſque ludicram, vt diximus, in Regem inaugurationem, Hebraici populi inſtigatione, nequaquam factam; ſed Romanorum militum fuiſſe commentum; quippe qui frequenti oculorum conſuetudine, his ſpectaculis, his cærimoniis atque inſignibus aſſueuerant, quibus noui Reges à populo Romano, tunc rerum domino, inaugurabantur: *Illam*, inquit, *impietatis contumelioſæ coronam, populus non conſciuit: Romanorum militum commentum fuit, ex vſu rei ſæcularis.* Et iure quidem Tertullianus hoc arbitratus eſt. Nullum enim pænè milites illi per ludibrium prætermiſere geſtum circa Chriſtum, ex his quos Senatus Populuſque Romanus facere conſueuerat, cùm nouum Regem quempiam declarabat. Quandoquidem conuocato ab Imperatore, ſiue ab alio Magiſtratu, cui id facere ius faſque eſſet, vniuerſo exercitu, ſeu populo, ad actum illum conſpiciendum; ſummis laudibus illius virtutes ac merita, quem ad tantæ dignitatis celſitudinem promouendum

Chriſti coronatio Romanorum militum commentum.

De Corona militis, c. 9.

Solemnis S.P.Q. Romani in Rege declarando ritus:

D ſtatuiſſet, per concionem celebrabat. Et poſtquam magnificis ac ſolemnibus verbis Regem appellaſſet, purpura veſtiebat. Deinde verò ſumptuoſa ſella curuli ſedere iuſſo, auream coronam capiti imponebat, ſceptrum eburneum porrigebat; ac demum aurea patera, quibuſdam ſplendidiſſimis veſtibus, atque aliis pretioſis muneribus, donabat. Quas cærimonias Titus Liuius breuiter deſcribit, dum Maioris Scipionis Africani res geſtas proſequitur: cùm poſt ſuperbam Carthaginem domitam, bello victum & captum Syphacem, vrbemque Cirtham expugnatam, vt iuuenem Maſaniſſam ſuper Sophroniſbæ inhibitis atque interdictis ſolaretur nuptiis, & vt eum cohoneſtaret, & officiorum quæ populo Romano per illa bella fideliter præſtiterat, aliquam gratiam referret; ſolemni ritu Numidarum Regem appellauit atque inaugurauit, inquiens: *Poſtero die, vt*

Decadis 3. lib. 10.

 præſenti

præsenti motu auerteret animum eius, in tribunal ascendit, & concionem aduocari iussit. Ibi Masanissam primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. A

In Christo coronando obseruatus. Sic præcipuè ferè, & non aliter, Pilati milites ac ministri, licet mente peruersa, & planè quid agerent non intelligentes, quasi Christum Dominum Regem Iudæorum ac Regem Regum, vt reuerà est, declarare atque inaugurare vellent; vniuersa cohorte ad illud admirabile spectaculum intuendum accita, propriis vestibus expoliatum, chlamyde purpurea induerunt. Erat chlamys militaris amictus quidam, à quibusdam etiam paludamentum appellatum; quod Romani Reges & Imperatores induere consueuerant, cùm proficiscerentur ad bellum; ac præsertim cùm hostes prælio aggressuri essent; eratque coloris purpurei. de quo Ouidius:

Chlamys purpurea Regum & Impp. ad bella proficiscentium indumentum.

Metamorphos. lib. 14

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem.

Quòd chlamys esset purpurea, quodque eam Reges & Imperatores induere consueuissent, ex Eutropij verbis apertè probatur; qui de Diocletiano Imperatore, deque ornatu & vestibus illius agens, inquit: *Nam prius Imperij insigne, in chlamyde purpurea tantùm erat, reliquaque communia.* Idem etiam ex Cicerone colligitur, qui de Lucij Scipionis statua ad institutum quoddam suum inquit: *Lucij Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque deuicit; non solùm cum chlamyde, sed etiam cum crepidis, in Capitolio statuam videtis.* Porrò eamdem chlamydem induisse Reges, Imperatores, aliosque magnos Duces, iam inde à Troiani belli temporibus, ac præsertim cùm prælium ingressuri essent, fidem his carminibus Virgilius astruit: B

Libro 20. cap. 29 & vltimo.

Pro Caio Rab. Posth.

Aeneidos lib. 8.

Inde alij Troia proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis conspectus in armis.

Christo proinde Regi induenda, aduersus mortem, mundum, carnem, & diabolum præliaturo. Quamobrem non est quòd miremur, si inuictus Dux, Rex, & Imperator noster Christus Iesus, atrox atque horribile prælium illud ingressurus, quo morte sua mortem, mundum, carnem, ac diabolum, truculentissimos hostes nostros deuicit atque prostrauit, purpuream ipse quoque chlamydem induerit. C

Corona non tantùm Regibus, sed & Deo dicari solet. Cùm autem milites hoc pacto, Regio amictu eum superuestissent, coronam capiti imposuerunt. Quo quidem horrendo facinore mysticè declarauerunt, & re ipsa ostenderunt, ipsum verum Regem, ac verum Deum esse. Veteres enim non Reges tantùm corona cohonestabant, sed & coronas ipsi quoque Deo offerre ac dicare consueuerant. Quocircà Caius Sosius Syriæ Præses, post expugnatam & captam Ierosolymorum vrbem, auream coronam Deo in Salomonis templo obtulit dicauitque. Quo peracto, inde discessit, secumque Antigonum Assamoneum vltimum Iudæorum Regem captum ac vinctum pertrahens, Marco Antonio obtulit. Quod Flauius Iosephus his verbis testatur: *Sosius autem, consecrata Deo corona aurea, profectus est Ierosolymis, Antigonum vinctum ducens ad Antonium.* D

Antiq. Iud. lib. 13. c. vltimo.

Cuius consuetudinis, antiquarum historiarum monumentis, non pauca produntur testimonia. Præsertim verò à Liuio, qui scripto commendatum reliquit, Latinos & Hernicos finitimos populos, Oratores Romam delegasse, vt de patrum ac plebis gratularentur concordia; eosdemq; Oratores auream coronam detulisse, ac Ioui Capitolino dicasse: asserens, coronam illam parui ponderis extitisse, quòd tunc in populis illis opulentæ non aderant diuitiæ, Religionemque ab eis magis piè quàm magnificè coli & exerceri: *Inter hæc*, inquit, *ab Latinis & Hernicis, Legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis, Romam venerunt, donumque ob eam, Ioui optimo maximo, coronam auream in Capitolio tulêre; parui ponderis, prout res haud opulentæ erant: celebrabanturque religiones piè magis, quàm magnificè.*

Decadis 1. lib. 3.

Idem

A Idem quoque Carthaginenſes fecêre:qui,vt idem Liuius tradit,cùm accepiſſent à Romanis Samnites bello deuictos; oratores de ea victoria gratulatum ablegarunt, hiſque auream dedêre coronam, Romam deferendam, quæ in Iouis Capitolini cella dicaretur: *Carthaginenſes quoque*, inquit, *Legatos Romam miſere, cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio, in Iouis cella poneretur. Fuit pondo* xxv. Deinde verò, cùm Romanorum arma atque potentia, non in Italiam tantùm, ſed etiam in cunctas vniuerſi pænè orbis prouincias extenderentur; inſigniores ac potentiores Aſiæ ciuitates, Legatos Romam cum donis ac muneribus miſerunt, vt cum Romano populo fœdus ac pacem inirent. Inter quos, Alabadenſes Oratores ad Senatum retulerunt, ciuitatem ſuam templum in honorem vrbis Romæ ædificaſſe, anniuerſariaque certamina ac ludos ad ipſius Romanæ vrbis, tamquam deæ, honorem & gloriam inſtituiſſe; atque coronam auream Ioui donandam, ſecum detuliſſe, quæ templo eius in Capitolio dicaretur. Per- Decad. 1. lib. 7. Decad. 5.
B multa autem his ſimilia antiquitatis monumenta inuenire eſt apud eumdem lib. 3. Liuium, & alios veteres Hiſtoricos, quæ breuitati conſulentes, prætermittimus; cùm hæc ſatis ſuperque ad probandum ſufficiant, coronas antiquitus non Regibus tantùm, ſed etiam ipſi Deo offerri ſolitas; conſequenterque Pilati milites ac miniſtros Chriſtum Dominum corona redimientes, licet id ironicè ac per ludibrium fecerint, illum tamen myſticè verum eſſe Regem, verumque Deum declaraſſe.

Cùm autem milites prefati ſpineam coronam Saluatoris noſtri impoſuiſſent capiti; ne inſigne aliquod veri Regis, ſummique moderatoris ei deeſſet, arundinem manibus tradidêre; Regij eburnei inſtar ſceptri, quod iidem Romani, amicis Regibus, quos ipſi inaugurauerant vel declarauerant, tradere ſiue tranſmittere ſolebant. Non enim tantùm re ipſa, ſed verbis etiam, vt verum Deum, ac verum Regem adorauerunt, & conſalutarunt, dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* *Sacra arūdo, Regij inſtar ſceptri.* AVE, *Reges & Magnates ſalutādi formula.*
C Hæc vox, & dictio, *Aue*, proprium ac præcipuum verbum erat, quo Reges & Imperatores, ceterique Magnates, & inſigniores viri, ſummo præſertim manè ſalutabantur. Vnde ad hoc appoſitè Martialis ait:

> *Diſcurris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra eſt,*
> *Cui non manè feras irrequietus* AVE.

Epigram. lib. 4. ad Afrum.

Tradit Lampridius, Alexandrum Seuerum Imperatorem ita paſſim ab omnibus nomine proprio ſalutatum, *Aue Alexander.* In Alexandro.

Et hoc quidem breuitatis cauſa, circa ea, quæ impij Pilati milites ac miniſtri in Saluatorem noſtrum ingeſsêre ludibria, hactenus dixiſſe ſufficiat. Reliquum nunc eſt nobis inſpicere, ex qua materia corona, qua ab eiſdem redimitus eſt, contexta fuerit. Circa quod graues auctores quidam opinati ſunt, eamdem ſacratiſſimam coronam, ex iuncis marinis cuſpidatiſſimis ac pungentiſſimis fuiſſe contextam. Inter quos ſanctus Bonauentura, cùm verba illa diui Ioannis ex- *Sacratiſſimam coronā quidam ex iuncis marinis cōtextam aſſerunt.*
D poneret: *Et milites plectentes coronam de ſpinis*; hoc adiecit. *Id eſt, de iuncis marinis acutis & pungentiuis ad modum ſpinarum.* Et ſanctus Anſelmus de eadem pariter agens corona, aſſerit ipſam hodie penes Francorum Regem aſſeruari; atque ex ſentibus nequaquam fuiſſe contextam, ſed ex iuncis marinis, quibus acutiores cuſpides, quàm ſpinis ipſis inſunt: *Hanc coronam*, inquit, *habet Rex Franciæ. Hæc corona non fuit de ſpinis, ſed de iuncis marinis, qui habent acutiores aculeos, quàm veræ ſpinæ.* In eamdem ſententiam Ludolphus quoque Carthuſianus iuiſſe videtur. S. Bonauēt. in Ioan. cap. 19. In Dial. de Paſſ. Domini.
Nam verba prædicta ſancti Euangeliſtæ ipſe etiam exponens, *& plectentes coronam de ſpinis*, aſſerit, Pilati milites complicantes & contexentes, ſertum ad inſtar coronæ ſpineæ conſtruxiſſe; id eſt, ex iuncis marinis ſpinoſis, acutos aculeos habentibus. Pauloque inferiùs ſubdit, quòd ij qui eiuſdem coronæ ſpinas

ſedulò

sedulò contemplati sunt, testentur ex iuncis marinis esse. Quandoquidem iunci A
Ludolph. Carthus. de Vita Christi, parte 2. cap. 62. marini ipsi, inquit, non minùs solidas acutasque cuspides ac pungentes aculeos, quàm spinæ ipsæ habere probantur, vt etiam calceati hominis pedes desuper ambulantis vulnerentur: vnde Poëta dixit: *Et acuta cuspide iunci*. Hanc eamdem opinionem sanctus Gregorius Turonensis, Hugo Cardinalis, & alij permulti tenuisse videntur. Atque inter eos præsertim Gulielmus Durantus Mimatensis Episcopus, qui Rationalis diuinorum Officiorum libro sexto, capite De Parasceue, testatur, sacratissimam hanc coronam, in Regis Francorum thesauris vidisse; affirmans eam, suo quidem iudicio, ex iuncis marinis esse. Verùm
Annal. tomo 1. anno Christi 34. hæc opinio à recentioribus plerisque reiicitur; & præsertim à Cardinale Baronio, qui contendit, nullo pacto eos audiendos esse, qui asseruerunt, Domini coronam ex iuncis marinis fuisse contextam. Etenim ex sanctorum Euangelistarum Ioannis & Lucæ verbis planè constat, eam ex spinis fuisse compactam;
Alij verisimiliùs ex spinis. cùm ipsi apertè sic loquantur: *Plectentes coronam de spinis.* longè enim, inquit, B
iunci marini à spinis distant. Nam marinus iuncus nullam prorsus spinam in culmo siue in ramis continet; sed cuspides eius tantùm in spinas erumpunt. Cùm præter hæc etiam, Pilati milites, marinos iuncos sic ad manus habere potuisse, quibus coronam illam repentè texerent, difficile admodum videtur; cùm ipsi tunc Ierosolymis essent, quæ magnis itineribus à mari distant. Vnde magis verisimile est, eamdem coronam ex sentibus potiùs, qui circum ipsius ciuitatis mœnia nascebantur, repentè discerptis, extemplò complicatam. Quod sanè non ratio tantùm suadet, sed ipsa quoque experientia docet. Nam ex eiusdem coronæ spinis, quæ ad hanc vsque diem asseruantur, planè dignoscitur, eas ex aculeatis dumetis ac pungentibus vepribus euulsas: nullamque prorsus cum iunco marino similitudinem habuisse. Et sanè hac vnica ratione, Baronij sen-
Sacræ spinæ etsi longissimo tempore arefactæ, sæpè tamen miraculo floruerunt. tentia comprobatur; quia iuncus marinus propriè non florescit. At spinæ sacratissimæ Christi coronæ licet longissima tot sæculorum reuolutione prorsus C
arefactæ sint; admirabili tamen Dei voluntate suos naturales flores sæpiùs per miraculum fuderunt. Quod sanctus Gregorius Turonensis his verbis innuit: *Ferunt etiam*, inquit, *ipsas coronæ sentes quasi virides apparere: quæ tametsi videantur*
S. Gregor. Turon. De glor. Martt. lib. 1. c. 7. *aruisse foliis, quotidie tamen reuiuiscere virtute diuina*. Et in Franciæ Annalibus Nicolai Gilles à Regiis Secretis intimi legitur, quòd Carolo Magno Imperatori ex Ierosolymis redeunti Constantinus Constantinopolitanus Imperator, permultas sanctas Reliquias dono dedit, & inter eas præcipuè quasdam sacratissimæ Christi coronæ spinas, quæ ibidem coram ipso mirabiliter statim floruère. Cuius auctoris verba, vt in ipso Annalium codice leguntur, Gallico idiomate, ad solidiorem huius miraculi fidem astruendam, in piorum Lectorum gratiam, & ad hæreticorum nostri temporis, sanctarum Reliquiarum irrisorum correctionem (eorum videlicet, qui corrigibiles fuerint) incorrigibilium verò, qui
Ad Philippens. c. 3. terrena sapiunt, confusionem, & ad Christi Domini pro nobis passi ac sentibus D
redimiti gloriam, hoc loco transferre placuit. Ipsa autem eadem hæc sunt: *Au re-*
Les grandes Chroniques & Annales de France de Nicole Gilles, du grād Roy Charle-magne. *tour de Ierusalem, ledict Charle-magne passa par Constantinople, & luy fist ledict Constantin Empereur offrir de grands presens & tresors d'or, d'argent, & de pieres precieuses. Mais ledict Charle-magne qui auoit empris ledict voyage pour l'honneur de nostre Seigneur Iesu Christ, ne voulut auoir de son trauail & labeur nulle remuneration temporelle, & n'en voulut riens prendre: mais il demanda audict Empereur aucunes Reliques de la paßion de Iesu Christ, & de ses Saincts. A ceste cause, ledict Empereur de Constantinople luy donna vng des Clous, de quoy nostre Seigneur Iesus Christ fut crucifié: des espines de sa courone, laquelle en sa presence florist miraculeusement, & grande partie du fust de la vraye Croix.* id est: Redeunti ex Ierosolymis Carolo magno Impera-

A peratori, & Constantinopolim transeunti, dictus Constantinus Imperator, ingentia munera, & auri argentique, & gemmarum thesauros obtulit. Verùm idem Carolus Magnus, qui iter illud pro Domini nostri Iesu Christi honore arripuerat, nullam sudoris ac laboris sui temporalem retributionem habere voluit, nihilque prorsus ex his accipere; sed ab eodem Imperatore aliquas Iesu Christi passionis ac Sanctorum eius efflagitauit Reliquias. Quamobrem idem Constantinopolitanus Imperator ei dono dedit vnum ex clauis, quibus Dominus noster Iesus Christus Cruci affixus fuit, quasdam spinas coronæ ipsius, quæ coram eo mirificè floruerunt, & magnam partem stipitis veræ Crucis.

Caroli Magni pietas, præ auro & gemmis sacras Reliquias eligentis.

Neque id sanè vllo pacto nouum est cunctis nobilibus viris, Christique fidelibus Equitibus, qui rerum sacræ Religionis atque illustrissimæ Militiæ sancti Ioannis Ierosolymitani aliquam habent notitiam. Nam inter ceteras complures sacras venerandasque Reliquias, quas secum Ierosolymis attulerat, vnam
B ex sacratissimæ Christi coronæ spinis habet, quæ annis singulis Veneris sancto die, quem Parasceuen dicimus, florescere consueuerat; & quolibet anno semper flores suos fundere perseuerauit, præterquam paucis dumtaxat annis, quibus florere destitit; hominum fortasse huius nequissimi ac nimiùm corrupti sæculi grauissimis peccatis id exigentibus. Consueuerat eadem sancta spina suos paulatim aperire flores ab aurora, ac sese floridissimam cunctisque floribus suis patentibus ostendere, circa horam nonam diei Parasceues, eodem temporis puncto, quo Saluator noster expirauit. Verùm anno M. CCCC. LVII. temporibus Fratris Iacobi de Milli Magni Magistri, dum super altare sacelli Magistralis in Insula Rhodi posita esset, per trium horarum spatium, consuetum tempus anteuertens floruit, floresque suos effudit coram Magno Magistro, ac Consilij Proceribus, compluribusque sacris militibus, & populo qui eò confluxerat. In cuius miraculi perpetuum fidei monumentum idem Magnus Magister au-
C thenticas litteras, quas Bullas vocant, expediri iussit; quæ ad hanc vsque diem in eiusdem Religionis Cancellaria Melitæ inter publicarum scripturarum monumenta redactæ atque conscriptæ reperiuntur, in Registro Bullarum eiusdem anni M. CCCC. LVII. folio M. LXXXII. Quas Bullas, ex Latino in Italicum idioma conuersas, in nostra eiusdem sacræ Religionis & illustrissimæ Militiæ Historia retulimus. Parte 2. lib. 7.

Memorabile sacræ spinæ singulis annis Feria sexta in Parasceue florescentis exemplum.

Iussit prætereà idem Magnus Magister, pro sacratissimæ Coronæ spineæ reuerentia & honore, singulis annis, die vndecima Augusti, in eiusdem Religionis Conuentuali Ecclesia, festum solemne, sub semiduplici Officio celebrari: quod quidem Generalis Capituli auctoritate, præcipuo statuto, ac lege perpetua posteà sancitum est, vt in veterum stabilimentorum eiusdem Religionis codice, quæ sancta confirmauit & approbauit Sedes Apostolica, Fratris Petri de Aubusson Cardinalis & Magni Magistri temporibus, apertè conspicitur. Cuius
D legis siue statuti tenor talis est: *Decens & decorum est, Reliquias, quæ passionis Christi Dei & hominum mediatoris, Saluatoris & Redemptoris nostri assiduam recordationem præ se ferunt, honorare, & omni cultu prosequi. Idcircò sancimus, quòd festum semiduplum anno quolibet tertio Idus Augusti celebretur in reuerentia sanctæ Coronæ spineæ, qua Dominus noster Iesus Christus in sua passione, quam pro nobis subiit, affectus est. Cuius sanctæ Coronæ spinam vnam, quæ pretiosissimum caput punxit, & ex eius vulnere, sacratissimo sanguine vultum tinxit, in Archiuio & penetralibus oratorij Magistralis reclusam habemus: quæ quotannis die Veneris sancta, qua passio recolitur, ab aurora florere incipit, & ad nonam horam, qua Saluator expirauit, floridissima conspicitur, demumque arescit: cunctis quoque Christi fidelibus monumentum sacratissimæ passionis existit.*

Dies festus in honorem sacratissimæ coronæ.

Patet

Patet igitur, ſolidiſſimæ veritati inniti, Saluatoris noſtri coronam ex veris ſpinis, non autem ex iuncis marinis contextam fuiſſe: at quanam ſpinarum ſpecie conſtiterit, præcipuè eſt inſpiciendum. Putant aliqui eamdem coronam ex quadam ſpinarum ſpecie fuiſſe contextam, quæ Berberis ſiue Creſpinus appellatur; ab aliquibus verò Spina ſancta; cuius ingens copia in monte Oliuarum naſci fertur; ſenteſque acutiſſimos producit, qui terni ex vnico ipſius rubi erumpunt articulo. Ex qua ſpinarum trina connexione, aliqui pia ſpeculatione ſignari putant, vnam ex ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonis hac ſpinarum ſpecie coronatam fuiſſe. Alij verò autumant, ſacratiſſimam Chriſti coronam ex quodam alio ſentium genere fuiſſe contextam, quod Græci Ῥάμνον, Latini autem Rhamnum vocant; de quo ita Plinius: *Inter genera ruborum, Ῥάμνος appellatur à Græcis, candidior & fructuoſior. Is floret, ramos ſpargens rectis aculeis, non vt ceteri aduncis, foliis maioribus*. Huius autem ſpinarum generis Pſalmographus etiam meminit Pſalmo 57. in cuius expoſitione Auguſtinus de eodem fuſiùs agit; & Hieronymus ſuper eodem Pſalmo de ipſo rhamno ſic tradit: *Rhamnus*, inquit, *ſentium genus eſt aſperrimum aculeis, & flore gratiſſimum. Vnde intelligitur duplam habere virtutem, vltionis, & bonorum retributionis. Id eſt, iuſtis floret ad ornatum, peccatoribus præbet ſpinas ad configendum*. Quod idem planè effecit efficietque ſacratiſſima ſentium corona, qua Chriſtus Dominus eſt redimitus. Sanctæ enim Eccleſiæ Catholicæ fuit & erit vera corona, verus ornatus, veraque gloria: ingratæ verò ac perfidæ Hebræorum Synagogæ acutiſſima & pungentiſſima quædam ſpina fuit, quæ eam non tantùm transfixit, ſed tranſuerberauit, ac meritò extinxit. Eritque eadem ſacratiſſima corona iuſtis quidem ac veris fidelibus in Chriſtum credentibus tota planè ſuauis, fragrans, & florida, propter æternæ beatitudinis gaudium, exultationem, & gloriam, quam in Paradiſo obtinebunt, in ærumnarum, preſſurarum, atque pœnarum ſpineæ coronæ retributionem, qua pro Chriſti amore, & ad illius imitationem, in hoc ſæculo redimiti fuerunt: infidelibus autem & peccatoribus erit pungens caſtigatio, ac ſeueriſſima quædam in eos animaduerſio, qua in æternum letaliter transfigentur. Vnde Clemens Alexandrinus ad hoc appoſitè ſic: *Hæc corona*, inquit, *eſt flos eorum, qui crediderunt in eum, qui fuit glorificatus; cruentat autem & caſtigat eos, qui non crediderunt.*

(Margin notes: *Ex quo ſpinarum genere contexta fuerit.* — Lib. 24. cap. 14. — S. Hieron. in Pſal. 57. — Pædagogi lib. 2. c. 8.)

Credibile igitur & veriſimile admodum videtur, Chriſti Domini coronam ex hoc ſentium genere fuiſſe contextam, non tantùm ob myſterium ac planè proportionatam ſignificationem illam, quam ſanctus Hieronymus ei tribuit; verùm etiam quia rhamnus ipſe admodum flexibilis eſt, & acutis pungentibuſque ſpinis vndequaque munitus; adeoque ad incuruationem & complicationem aptus, vt nullo negotio ex eo paruus circulus ſiue ſpinoſa corona texi poſſit; qualis illa fuit, qua ſceleſti Pilati milites, mundi Redemptoris caput cinxerunt, & crudeliter pupugerunt: nec non quia in ingenti alborum atque fragrantium florum quantitate fundenda, fecundiſſimus eſt. Nam etſi ſacratiſſimæ Chriſti coronæ ſentes præter naturam, cæleſti quidem miraculo, licet aridi ſint, ſæpè nihilominùs floruêre; rationabiliter tamen credendum eſt, eoſdem tunc per Dei voluntatem fudiſſe flores, quos, cùm adhuc virides eſſent, naturaliter germinare conſueuerant. Quòd autem multi hanc ſequantur ſententiam, Chriſti Domini coronam ſcilicet ex hoc ſpinarum genere contextam fuiſſe, Cælius Rhodiginus apertiſſimè teſtatur, dicens: *Phileteris planta eſt ſpinoſior, quam Rhamnum dicunt, ſuperius nomen Lydis frequens ac Myſis. Sunt qui ex hoc impactam Chriſti coronam velint.*

(Margin notes: *Ex rhamno textam fuiſſe, probabilior multorum eſt ſententia.* — Lib. 5. c. 9.)

Petrus verò Bellonius in ſuis Obſeruationibus aſſerit, quòd cùm ſe ipſum certio-

A certiorem facere cuperet, ex quonam ſpinarum genere contexta fuerit corona, quæ Chriſti Domini noſtri capiti eſt impacta; ſedula animaduerſione contemplatus eſt omnes ſpinarum ſpecies, quæ circum Ieroſolymam naſcuntur. Cumque nullius alterius ſentium generis maiorem copiam, quàm rhamni, ibi naſci compererit; autumat eamdem coronam ex hac veprium ſpecie fuiſſe contextam. Teſtatur enim non inueniſſe aliud ſentium genus in his confinibus gigni, quàm rhamni, præter paucas aliquas ſenticoſas cappares. In qua quidem ſententia eò magis ſe confirmari oſtendit, quòd rhamnus in Italia, vulgò Spina ſancta dicitur, præſertim verò in Maceratæ ac Piſauri confinibus, vbi ſepes ex his vepribus vt plurimùm conſtruuntur; vt etiam in Ieroſolymorum agris prætenſæ viſuntur. Accedit, inquit, quòd veteres auctores Arabes fruticem, quo contexta fuit corona, *Alhanſegi* vocant, quod Latini interpretes coronam ſpineam verterunt.

Rhamnus vulgò dictus Spina ſancta.

B Putabant veteres Ethnici, rhamno admirandam vim & efficacitatem à natura inſitam aduerſus incantationes, faſcinationes, ac veneficia. Quamobrem Dioſcorides eum deſcribens, inquit: *Fama eſt, ramos rhamni valuis feneſtriſque impoſitos, veneficia depellere.* Cælius autem Rhodiginus aſſerit, Græcos Poëtas rhamnum ἀλεξιάρην appellaſſe; non modò quia reptilium morſus alleuet, verùm etiam quia aduerſus phantaſmata ſit amuletum præſtantiſſimum. Quo argumento iidem veteres Ethnici in conuiuiis, quæ in conſanguineorum funeralibus exhibere conſueuerant, parentalibus ſcilicet, rhamnum ante fores appendere ſolebant. De quo Græcus ille Poëta:

Eidem inſitam aduerſus veneficia virtutem Gentiles credidêre.

——— Ἀλεξίκακον φύε ῥάμνον: Euphorion.

Progigne rhamnum, malorum depulſorem.

Verùm hæc de rhamno veterum opinio, excellentiſſimæ eius dignitatis diuinæque virtutis fuit quodammodò prænuntia, quam adepturus erat rhamnus, C quo Redemptoris noſtri coronam contexêre, poſtquam ſacratiſſimo & innocentiſſimo ſanguine eius conſecratus fuit. Nam iure planè optimo dici poteſt, eum reptilium atque ſerpentum morſus reuerà nunc alleuare, & perſanare. Quicumque enim pro Chriſti amore, & ad imitationem eius, hoc rhamno libens coronatur, id eſt, huius ſæculi vexationum ſpinas patienter tolerat; is procul dubio ab omni ſerpentum morſu conualeſcet, id eſt, ab omni peccato mundabitur. Peccata namque infernalium ſerpentum ictus dici poſſunt, quæ animam letaliter tranſuerberant. Qui verò ad caput ſacratiſſimum, his ſentibus redimitum, piè confugit, ac ſeſe ei integra fide committit; nullum horribile eum perterrefaciet phantaſma, nullaque prorſus dæmonica fallet illuſio.

Quam re ipſa ſacer hic rhamnus adeptus eſt.

Eſt enim rhamnus ille verus malorum depulſor, non corporalium malorum tantùm, ſed & ſpiritualium atque æternorum. Neque ſine huius altiſſimi myſterij tacita præfiguratione, Sacris litteris proditum eſt, plantas omnes atque D arbuſculas Regnum ſuum atque Imperium rhamno detuliſſe; vt Iudicum libro legitur. Sic enim ibi: *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Et meritò quidem Regnum atque Imperium in omnes plantas rhamno corona digniſſimo debebatur, quo Rex ipſe Regum coronandus erat. Quocircà inuitabat tunc quidem, atque nunc etiam inuitat & allicit fideles omnes, vt in vmbra eius requieſcant. Quaſi dicat: Venite omnes ſub caput veſtrum, quod aculeatis ſentibus meis coronatum cernitis. Veram quietem tranquillamque requiem hîc animabus veſtris quærite; non ſub vana atque fallaci huius mundi voluptatum atque illecebrarum vmbra. Par enim eſt, vt ſubditi ſub

Cui meritò proinde Imperium omnes plantas detuliſſe, Sacræ teſtantur litteræ. Iudic. c. 9.

Rege ſint, qualiſcumque is ſit, ſeu lenis ſeu aſper, non ſupra Regem. Si autem A
ſub vmbra mea, inquit rhamnus, requieſcere non vultis: *Egrediatur ignis de*
De ſancta Cruce, lib. 1 cap. 12. *rhamno, & deuoret cedros Libani.* Quantus eorum numerus, inquit Gretſerus, qui cùm ſub corona Domini ex ſenticoſo rhamno contexta requieſcere noluiſſent, conſumpti ſunt, & in fumum abierunt; ſuperbi, elati, & inimici Crucis Chriſti, quibus vt Crux, ita corona ex rhamno ſcandalum & ſtultitia fuit? Et quanta viciſſim eorum multitudo, qui ſenticorum aculeis non abſterriti, ad rhamnum ſacratiſſimo Chriſti capiti impactum, atque ad Regem ſuum ſpinis coronatum confugerunt, ibique ſtationem iucundiſſimam etiam inter medios vepres repererunt? Ardens atque ſuauis charitatis ignis ex hoc rhamno, id eſt ex Chriſto ſentibus redimito, egreditur; quo corda inflammantur piorum atque fidelium, qui cedri Libani dici quodammodò poſſunt, propter meritorum altitudinem, bonorumque operum fragrantiam. Vnde Rex ipſe noſter, an-
Lucæ 12. tequam ſpinis coronatus eſſet, ad hoc alludens inquit: *Ignem veni mittere in ter-* B
ram; & quid volo, niſi vt accendatur? Ignis verò iuſtitiæ ardens atque terribilis ex eodem rhamno egreditur, qui deuorat & abſumit cedros Libani; id eſt infideles, propter eorum duritiam atque perfidiam: hæreticos ob elationem & arrogantiam, qua altum ſapere præſumunt: ambitioſos autem ac ſuperbos, propter altas & vanas Chimeras, inexplebilemque huius mundi caducarum dignitatum cupiditatem. Qui ignis profectò eos tunc maximè conſumet, cùm au-
Matth. 25. dient illud: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Nunc autem, cùm explicauerimus, quid actus ille, quem in Saluatoris noſtri coronatione miniſtri Pilati fecerunt, & quanam ex materia corona ſpinea nexa fuerit; ſupereſt, vt oſtendamus, quid purpureum veſtimentum, quo iidem milites eum veſtierant, quid ipſa ſpinea corona capiti eius impacta, quidque arundo manibus tradita, & qua diuinum eius percutiebant caput, ſignificaue-
In Matth. c. 27. rint. Super quibus Theophylactus aſſerit, chlamydem coccineam, ſiue purpu- C
ream veſtem, naturam noſtram ſignificaſſe, quæ cùm ſanguinaria eſſet, & cædis rea, Dominus noſter eam ſuſcepit, & induens ſanctificauit: coronam autem ex ſentibus, peccata noſtra ſignaſſe, ex curis ac ſollicitudinibus huius ſæculi prouenientia; quæ idem Dominus noſter, Deitate ſua, quæ per caput deſignatur, conſumit, & in nihilum redigit: arundinem verò, infirmæ ac fragilis carnis noſtræ ſymbolum eſſe, quam ipſemet Dominus induit. In cuius perſona Regius Pro-

Myſtica chlamydis purpureæ, coronæ ſpineæ, & arũdinis ſignificatio.

Pſal. 117. pheta dixit: *Dextera Domini exaltauit me.* Purpurea veſtis, inquit Ludolphus
De Vita Chriſti, part. 2. c. 62. Carthuſianus, Chriſti carnem ſignabat, flagellis ac paſſionibus obnoxiam, quæ tota ſanguine aſperſa & tincta erat. Quam veſtem Iſaias his verbis innuerat:
Iſaiæ 63. *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimentum, ſicut calcantium in torculari?* Quæ verba, ſecundùm Gloſſæ expoſitionem, interrogatio quædam fuêre, quam Angeli Chriſto Dominò fecerant obſtupeſcentes, cùm vidiſſent corpus illius, quod ex immaculato Virginis vtero tantum candorem traxerat, poſt paſſio- D
nem eius adeò purpureum, ac totum ſanguinis rubore perfuſum. Cui interrogationi ipſemet ita reſpondit: *Torcular calcaui ſolus.* Quaſi diceret: Ego ſolus Crucis pondus, flagellorum acerbitatem, tormentorumque & paſſionis acerbitatem pertuli, quibus quaſi ſub torculari quodam preſſus atque contuſus fui; vnde corpus meum pro mundi ſalute, proprio cruore totum reſperſum defero. Præſignificauit etiam eadem veſtis purpurea, ſanctorum Martyrum paſſiones, quas pro Chriſti amore perpeſſuri erant. In cuius rei ſymbolum & venerationem, ſancta Dei Eccleſia, in Principibus & Cardinalibus ſuis, purpuram induit. Quod etiam facit, cùm ſanctorum Martyrum victorias ac triumphos recolens, ouans & lætabunda dies feſtos agit.

A Spinea autem corona, quam Christus Dominus in acerbissima passione capiti suo impactam deferre voluit, peccata nostra signauit, quæ ipse, qui Caput nostrum est, detulit: pro quibus & homo fieri dignatus est. Communis enim omnium pæne Patrum est sententia, pro sentibus, peccata signari; præcipuum huius significationis argumentum deducentium ex verbis illis, quę Deus ipse Adamo post peccatum eius dixit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Quasi diceret: Terra carnis tuæ, multa vitia & peccata producere non desinet, quæ pungentium spinarum instar, conscientiam tuam assiduè pungent, propriamque animam transfigent. Vnde Origenes inquit: *In spinea illa corona, suscepit spinas peccatorum nostrorum, intextas in capite suo.* Et venerabilis Beda subiungit: *In corona verò, quam portabat, spinea, nostrorum susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri dignatus est, ostenditur: iuxta illud quod Præcursor ipsius testimonium ei perhibens ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nam-*
B *que spinas in significatione peccatorum poni solere, testatur ipse Dominus, qui Protoplasto in peccatum prolapso dicebat: Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Quod est apertè dicere: Conscientia tua punctiones tibi & aculeos vitiorum procreare non desistet.*

Spinea corona peccatorum nostrorũ spinas signauit:

In Matth. Tractat. 31.

Homilia in Feria 3. Palmarũ.

Quòd spinea corona, Christi capiti impacta, peccata significauerit, quæ terra carnis nostræ germinat, quorum virulentam letalemque punctionem, Dominus ipse diuini capitis sui tolerantia, & sanctæ Crucis virtute retudit ac mortificauit, Tertullianus testatur, inquiens: *Quale, oro te, sertum pro vtroque sexu Christus subijt? Ex spinis opinor, & tribulis, in figura delictorum, quæ nobis protulit terra carnis; abstulit autem virtus Crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia retundens.* Et deuotus Bernardus, vt innueret etiam spinas significare peccata, inquit: *Est ergo lilium sponsus, sed non lilium inter spinas; quoniam non habet spinas, qui peccatum non fecit.* Magnus quoque Pater Innocentius Papa III. apertè ostendere volens, spinas in Scripturis pro peccatis sæpè accipi, ait: *Spinæ quæ peri-*
C *munt, sunt culpæ mortales, & hæreticæ prauitates: de illis dicitur: Spinæ & tribuli nascentur in manus temulenti.* Cùm autem constet, spinas peccata signare; planè fatendum est, non sine ingenti mysterio Christum Dominum spinis coronatum fuisse. Nam cùm ipse venerit vt peccata è mundo tolleret, necessarium quoque erat, vt terræ maledictiones purgaret, quæ propter primi parentis nostri lapsum, sententiam maledictionis & præuaricationis incurrerat, dicente Domino: *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Et propterea Christus sentibus coronatus est, vt illam primæuam condemnationis sententiam dissolueret.

De corona mil. c. 14.

In Cant. Serm. 71.

In 2. Psal. Pœnitent.

Ruffinus Aquileiensis in Symboli exposit.

Spinea corona prætereà Gentium populos, atque inter eos, nos ipsos præcipuè significauerat, qui priùs tamquam infructuosa arbuscula, ob primi parentis nostri peccatum, à vinea ac possessione Domini seclusi & seiuncti, quasi sterilia & infructuosa dumeta, omni bonorum operum fructu expoliati eramus. Nunc
D verò introducti sumus per aditum sanctæ Ecclesiæ, quæ per sancta Sacramenta Christi mystico corpori nos inserit & coniungit; atque circum caput eius, quod ipse Christus est, tamquam corona congregat & connectit, vt Clemens Alexandrinus his verbis: *Domini enim corona nos prophetice significabat, qui fuimus aliquãdo infrugiferi, qui circa illum positi fuimus per Ecclesiam, cuius ipse est caput.*

Item Gentiles, steriles bonorũ operum.

Pędag. lib. 2 c. 8.

Audiui aliquos, inquit sanctus Cyrillus Alexandrinus, siue, vt aliis magis placet, Iodocus, quibus valdè placebat, per spinarum coronam, multitudinem sculptilia colentium significari, quæ per fidem in diadema Christi suscepta est. Spinæ namque steriles sunt, non secùs ac Gentes, quæ nullum pietatis fructum producebant, tantumque ignis nutrimentum erant, vt agrorum steriles spinæ. Quem animi sensum, non ab re forsitan existimarim legisse eum apud Lactan-

In Ioan. libro 12. c. 15

tium Firmianum, qui longè ante ipsum Cyrillum Magno Constantino Impe- A ratori, Christianæ fidei mysteriis iam initiato scribens, ait: *Corona spinea capiti eius imposita, id declarabat, fore vt diuinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur, circumstans in orbem populus. Nos autem, qui ante cognitionem Dei fuimus iniusti, spinæ, id est mali & nocentes eramus; ignorantes quid esset bonum, & à iustitiæ notione atque operibus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis & sentibus, sanctum Dei caput cingimus; quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndique ad eum, magistro ac doctori Deo assistimus; Regemque illum mundi, & omnium viuentium Dominum coronamus.*

De vera Sapientia, lib.4.c.26.

Aliud prætereà mysterium animaduersione planè dignissimum, quod ad spineam coronam attinet, speculatus est & explicauit Clemens Alexandrinus. Quoniam cùm Deus per æternum diuinumque Verbum suum incipere vellet legem hominibus imponere, ac Moysi suam omnipotentiam patefacere; sese in figura ignis ostendit, qui in medio rubi seu senticosi dumeti ardebat. Post- B quam autem idem Verbum diuinam legem suam ferre, & cum hominibus visibiliter versari desiit, vt vnde descenderat, reuerteretur; rursum spinis mysticè coronatum videri voluit, vt veteris descensus & visionis suæ initium hoc modo instauraret. Vnde quemadmodum ineffabile Verbum illud, cùm primitus è cælo desiliit, in medio rubi spinis circumdatum mundo sese ostendit: sic illud ipsum, cùm ad cælos denuò conscendere statuisset, spinis iterùm redimitum videri se fecit; vt ostenderet, omnia esse vnius potentiæ, cùm sit vnus & Patris, qui vnus est, Filius, principium & finis sæculi. Quemadmodum ipsemet de se ipso in Apocalypsi prolocutus est: *Ego sum* Α *&* Ω, *principium & finis*. Quamobrem non sine ingenti mysterio, corona redimitus fuit; corona enim circularis est, principio ac fine carens.

Pædagogi lib.2.c.8.

Apocal. cap.1.

Et vt summatim dicam, Redemptor noster spinis coronari voluit, vt nobis aliqua vtilia præberet documenta, quæ ad æternam salutem nos dirigendo atq; C ducendo iuuarent. Primùm verò corona sua Dominus innuere voluit, quale diadema, quale sertum, & quale capitis ornamentum in fidelibus ac sequacibus suis ipse cupiat. Non illud sanè, quod veteribus Ethnicis frequentissimum erat, qui in conuiuiis & festis, floribus ac rosis coronari consueuerant; vt in nostra Equitis Ierosolymitani corona fusè admodum ostendimus. Quocircà stolidi illi & vani huius sæculi amatores, cùm huius mortalis vitæ breuitatem animaduerterent, luxui ac mundi voluptatibus se tradentes, dicebant: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.*

Cur spinis coronari Saluator noster voluerit.

Sapient.2.

Neque illud planè vanum atque ridiculum capitis ornamentum à nobis expetit Dominus, quod delicati & effeminati Salomonis Regis aulici vsurpauerant, qui cultam promissamque capitis cæsariem auri ramentis quotidie spargebant, vt, cùm ad Solem procederent, capilli eorum mirabiliter refulgerent. At sentibus coronari voluit Dominus, vt doceret nos, opus esse ei qui illum sequi D voluerit, vt huius sæculi delicias, vanasq; ac transitorias voluptates deserens, per senticosam tribulationum & calamitatum viam incedat, cùm sub spinoso & vepribus circumdato capite, membra delicata esse non liceat. Quamobrem religiosi Sacerdotes, Monachi, & qui sæculo renuntiasse expresse profitetur, capillos abradentes, coronam capitibus deferunt, in probrorum, ignominiarum, ac spinarum coronæ memoriam, quam Christus Dominus, amoris causa erga nos sui detulit, atque sustinuit. De quo sic venerabilis Beda: *Nos* (inquit) *passionis Dominicæ signum in capite gerimus. Neque verò ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est: idcircò & nos, qui per eamdem passionem saluari desideramus, ipsius passio-*

Iosephus Antiquit. Iudaicarũ lib.8.c.2.

In Histor. Ang.lib.5. cap.22.

A *passionis signum, cum illo, in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus.*

Secundò Dominus noster spinis coronari voluit, vt nos continuam peccatorum nostrorum recordationem mente deferamus, atque vt eorum recordationes, tamquam tot sentium aculei, animum nostrum pœnitentiæ & contritionis dolore transfigant; perinde atque peccatorum ipse nostrorum spinas circum caput suum sacratissimum tulit, quæ acerbissimè eum pupugerunt.

Tertiò spineam coronam ipse portare voluit, vt & nos etiam ad sui imitationem, senticosa corona circumdari studeamus; reformatum atque austerum quoddam (vt ita dicam) viuendi institutum amplectentes; quo carnem nostram vigiliis, ieiuniis, abstinentiis, pœnitentia, & conscientiæ puritate maceremus: quæ omnia propter austeritatem & asperitatem, carni & corpori nostro tot spinæ esse videntur.

Quartò ipse Dominus spinis coronari voluit, vt doceret nos, qualem toleran-
B tiam, & qualem fortitudinem in tentationibus perferendis, ac viriliter reiiciendis, habere oporteat. Quandoquidem tentationes, quæ nos oppugnant, quasi spinæ quædam sunt, quæ mentis nostræ caput molestè pungunt atque transfigunt. At verò tentationis cuiuslibet spina, quam homo constanter reiecerit, ei vertitur in coronam. Quot igitur tentationum spinas in hoc mundo retundimus ac superamus, tot pretiosas gemmas coronæ nostræ coaceruamus.

Quintò ac postremò Christus Dominus spinarum coronam in capite portauit, vt pœnitentiæ coronam innueret, quam fideles & electi eius in capite, id est, in mente iugiter deferre debent. Quæ quidem corona tribus insignioribus spinis contexta est; videlicet contritione, confessione, & satisfactione. Quarum prima oportet cor nostrum propter vanas cogitationes pungi, secunda os propter vana atque otiosa verba perstringi, atque tertia manum pungi propter iniquas operationes. Prima igitur pungat nos dolore, quem de commissis peccatis
C intrinsecus sentire debemus. Secunda pungat nos erubescentia & pudore, quem in fœditate scelerum nostrorum confitenda sentimus. Tertia denique pungat nos difficultate ac perdifficili labore, quem in debita satisfactione adimplenda, etiam contra proprium sensum perferre debemus. De hac corona agens magnus Pater Innocentius Tertius, inquit: *Corona spinea, ipsa quidem est pœnitentia, circumponenda capiti, id est menti. De qua dicit Psalmista: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Hæc corona, de tribus spinis complectitur, scilicet contritione, confessione, & satisfactione. Prima pungit cor, propter vanam cogitationem. Secunda pungit os, propter vanam locutionem. Tertia pungit manum, propter iniquam operationem. Prima pungit per dolorem, secunda per pudorem, tertia per laborem.* De vno Martyre, Sermone I.

Immiserunt impij tandem Pilati milites Christi Domini manibus arundinem, dexteram illam hoc ludibrio dehonestantes, quæ cælum ac terram regit: inani hoc & vacuo sceptro innuere volentes, ipsum Dominum sibi Regis titu-
D lum arundini prorsus similem vsurpasse, vanum scilicet, leuem, ac Regno vacuum: non animaduertentes, dixisse illum, Regnum suum ex hoc mundo non esse, sed in mundo alio existere, id est in æternitatis mundo, vbi firmum ac stabile Regnum est. Ex quo, vt Ludolphus Carthusianus tradit, vtile quoddam documentum elicere possumus; nos scilicet per nos ipsos infirmos, fragiles, & omni bono vacuos esse; imò ad omne scelus perpetrandum flexibiles ac procliues, ad omnem diaboli tentationem incuruandos, atque ab omni vexationum & mundi persecutionum vento prosternendos, nisi dextera Dei nos manu tenens fulciret atque firmaret: non secùs atque arundo ipsa fragilis, vacua, & flexibilis est: sed Christi manu apprehensa firmatur. Idcircò in passione sua arundinem in dextera tenere voluit, vt per hoc ostenderet, à se nos vacuos, fra- De Vita Christi, parte 2. cap. 62. *Cur Christus arundinem manu tenere voluerit.*

giles, & infirmos manu teneri, ac potentissimæ dexteræ suæ munificentia nos A corroborari, confirmari, atque omni bono repleri. Tenere insuper voluit Christus Dominus noster, dum illuderetur, arundinem siue calamum in manu, inquit diuus Hieronymus, qui scribendi instrumentum est, vt Iudæorum iniquitatem & sacrilegium scriberet ac notaret.

In Matth. cap. 27.

At sanctus Athanasius arundini, quæ Christi Domini manibus est tradita, magis seriam significationem tribuit: Instigauit diabolus, inquit, Pilati milites, vt arundinem Christi manibus immitterent; nesciens iniquus ac stolidus ille, quòd contra se ipsum sagittam acueret; quodque fortissimi atque inuicti hostis sui manibus gladium, quo ipse transuerberandus erat, porrigebat. *Atque hinc rursum ist* (vt ipsius Athanasij verba huc transferamus) *quòd arundinem accepit, cùm illi à diabolo porrigeretur, ignaro quòd contra se ipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus letalis esse, atque inde potissimùm interfici.* Et post pauca subiungit: *Quale quid Dauid in Goliath designauit, qui sumpto aduersarij gladio, & ipso illius caput præcidit. Idem quoque Seruator fecit, sumens arundinem ab illis, vt nos non solùm liberaret à versutia serpentis, sed vt illum serpentem tolleret, & mortuum exhiberet.* B

De passione & Cruce Domini.

Et vt summatim rem totam perstringamus, tribus instrumentis vsi sunt Pilati milites, vt Christum irriderent; purpurea chlamyde, corona spinea, & arundine vacua. Chlamyde corpori, corona capiti, & arundine quasi manibus sceptro. Litteraliter hæc sunt tria Regalia insignia, inquit Ludolphus Carthusianus, quæ contumeliosè ac per ludibrium Domino fuerunt impensa; vt innuerent atque ostenderent eum læsæ Maiestatis reum, quippe qui Regnum sibi vsurpare voluisset, nec obtinere potuisset. Moraliter autem vtilem etiam quamdam significationem habent. Nam quemadmodum Christus Dominus tripliciter illusus fuit, sic tripliciter quoque anima nostra frequenter à diabolo ludificatur, & per peccatum capitur. Primò quidem per ambitionem ac dignitatum C huius mundi inordinatam cupiditatem, quæ per chlamydem purpuream significantur, quæ Regum & potentium huius sæculi indumentum est. Secundò, per diuitiarum affluentiæ auiditatem, quæ per coronam spineam notatur: nam mundi huius temporales diuitiæ, ipso Domino teste, spinis assimilantur; quia curis ac sollicitudinibus plenæ sunt. Tertiò, per mundanæ scientiæ ac sapientiæ vanitatem, quæ per arundinem significatur, quæ exteriùs quidem pulchra, sed interiùs vento plena est. Mundana enim sapientia, cui inflati homines confidunt, & qua impius quisque non ad Dei laudem, sed ad sui ipsius ostentationem & inanem gloriam vtitur, quasi leuis, vacuus, atque confractus arundineus baculus esse deprehenditur.

De Vita Christi, parte 2. cap. 62.

Vt tripliciter Pilati milites Saluatorem illuserunt, ita sæpè animã nostram tripliciter diabolus ludificat.

Præfigurata fuêre probra, ludibria, & contumeliæ, quas Christus Dominus passurus erat, admirabilisque eius patientia, in Rege ipso Dauid, cùm tot iniurias ac probra ab insolente ac defectore Semei adeò patienter sustinuit. Nam D quemadmodum Semei lapides & lutum in Dauid proiecerat, ita Hebræorum Synagoga alapas, sputum, & spinas in Christum iniecit: & quemadmodum Semei probrosis etiam verbis ipsum Dauid proscidit, virum sanguinum & virum Belial illum appellans; ita Synagoga Christum conuitiis etiam insectata est, illum seductorem, maleficum, & dæmonium habentem vocans. Vtque Abisai, Semei, cùm Regem suum iniuriis lacesseret, interficere voluit, sed Dauid id non permisit; sic non tolerauit Christus, vt Petrus, ac ceteri discipuli, Hebræorum Principum & Sacerdotum milites ac ministros occiderent, cùm ad ipsum capiendum in hortum perrexerunt.

Christi tot ludibria & cõtumelias sustinentis patientia in Rege Dauid præfigurata.

Præsignata pari modo fuêre Christi Domini opprobria atque ludibria, in Orato-

A Oratoribus illis, quos Dauid Rex ad Hanonem Ammonitarum Regem misserat, qui eos tam ignominiosè dehonestauit. Nam quemadmodum Dauid nuntios & Oratores suos barbaro eidem Regi direxerat, pacis cum eo firmandæ gratia; ipse verò vestes eorum medias vsque ad nates præcidit, & dimidiam partem barbæ abrasit: ita cùm Deus optimus maximus Vnigenitum suum Christum Dominum in hunc mundum direxisset, vt pacem inter se ipsum & humanum genus firmaret; Hebræorum Synagoga, propriis vestibus expoliatum dehonestauit, ac fœdis & spurcissimis sputis barbam eius inquinauit. *Item in Oratoribus, ab eodem Dauide Rege ad Hanonem missis.*

Præfigurata præsertim fuit Christi Domini corona illa senticosa, in ariete, quem Abraham capite & cornibus vepribus implicitum vidit; postquam brachium eius ab Angelo retentum fuerat, ita vt legitimum ac dilectum filium suum Isaac sacrificare non potuerit, vt Deo obtemperaturus statuerat. Qui quidem aries sentibus hærens, pro Isaac posteà sacrificatus, præsignificauit, Christum Dominum nostrum spinis coronandum, ac super sanctæ Crucis ara pro humani generis redemptione sacrificandum. Et quemadmodum aries ille mactatus est, Isaac ab omni læsione soluto; ita Christi Domini humanitas sola passa & mortua est, diuinitate eius ab omni passionum perturbatione prorsus aliena & semper libera remanente. *Spinea Christi corona in ariete quem Abraham vepribus implicitum vidit, præsignata:*

B

Fuit etiam supradicta spinea corona præfigurata in rubo illo, quem Moyses, dum oues Iethro sacerdotis Madian soceri sui pasceret, ad radices montis Horeb, flamma quidem comburi, sed non absumi prospexerat. Nam ignis ille vepribus vndique circumseptus, Christum Dominum significauit, verum charitatis ignem; ignem inquam, qui omnem culpam, omneque peccatum dissipat & consumit; sicut scriptum est, *Deus noster ignis consumens est*; qui pro nobis miseris peccatoribus spinis coronandus erat. *In rubo, quem Moyses ad radices montis Horeb conspexit:* Deut. 4.

Præsignificata est etiam eadem sacratissima spinea corona in fœderis Arca, siue in Arca Testamenti, in Mensa, & in Altari; quæ omnia Deus Moysi construenda mandauerat, præcipiens ei, vt vnicuique eorum coronam imponeret. Signata etiam & præfigurata fuit in magno illo æreo vase, circulari forma, sacerdotum Mari appellato, Salomonis iussu in vsus templi Dei fabrefacto, quod ornamentis atque sculpturis coronæ instar circumdatum erat. Nam quattuor materialia opera hæc coronis redimita, Christi Domini caput sacratissimum spinea corona circumdandum præsignabant. Quandoquidem ipse est noui Testamenti Arca mystica, quæ diuinæ Maiestatis arcanum, velo carnis opertum in se continet. Ipse est illa propositionis Mensa, super qua verus vitæ panis collocatur; id est, sacratissimum ipsius Corpus, quod sub panis ac vini specie in conspectu Dei altissimi quotidie offertur. De qua Mensa ita Regius Propheta: *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* Ipse etiam est spirituale Altare illud, super quo vota & preces nostræ offeruntur. Nam per ipsum à Deo optimo maximo acceptantur & admittuntur. Denique verò ipse est Mare illud Sacerdotum æneum, in quo illi, & nos ipsi, omnes sordes nostras abluimus atque detergimus. Ipse namque est misericordiæ fons affluentissimus, imò mare immensum, & vastissimum quoddam gratiarum pelagus, in quo per peccatorum ac sordium nostrarum ablutionem purgamur. De quo scriptum est: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* *In Arca fœderis, Mensa propositionis, Altari, & Mari sacerdotum:* Psalm. 22. Psalm. 129.

C

D

Præsignificatum quoque fuit sacrum ac diuinum coronæ spineæ mysterium, qua Saluator noster redimitus est, Isaiæ Prophetæ verbis illis, quibus in persona eius sic locutus est: *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona.* Super quibus verbis inquit sanctus Hieronymus, quòd vbi in Isaiæ Prophetæ textu, iuxta vulgatam editionem *Itē ab Isaia aliisq; Prophetis prædicta.* Isaiæ 61.

noſtram dicitur: *Quaſi ſponſum decoratum corona*: Aquila vertit ἱερατευόμενον στεφάνῳ, id eſt, *Sacerdotij portans coronam.* Ex quo ſanctæ Eccleſiæ Prælati admoneri poſſunt, quòd quemadmodum Chriſtus Dominus noſter, æternus & verus ſummus Sacerdos, non roſarum, ſed pungentium ſpinarum coronam in capite detulit; ſic ipſos quoque delicatos & molles eſſe non decet: ſed per pœnitentiam, vitam ducere debent aſperam atque pungentem, per intrinſecam compunctionem, & continuum dolorem peccatorum ſuorum, ac populi ſuæ curæ crediti atque commiſſi; quibus in quantum fas eſt, obuiare tenentur. Quæ quidem omnes ſenticoſæ coronæ Domini noſtri Ieſu Chriſti figuræ, pulchrè admodum, atque appoſitè hoc Hymno ſignantur: A

Sacræ Christi celebremus
Coronæ ſolemnia:
Et ipſius reuocemus
Ad mentem præconia:
Vt impleta comprobemus
Legis vaticinia.
Inter vepres demonſtratur
Veruex hærens cornibus,
In quo Chriſtus figuratur
Coronandus ſentibus.
Deus viuit: immolatur
Homo pro hominibus.
Sina rubus inflammatur,
Nec tamen comburitur.
Ignis ſpinis coronatur,
Quo culpa conſumitur.
Nec læditur, ſed ſacratur
Spina, dum ſic tangitur.
Arcam, Menſam, & Altare B
Sertum ambit aureum.
Et ſculptura cingit Mare
Sacerdotum æneum.
Quæ nunc Chriſti ſignant clarè
Diadema ſpineum.
Sponſum ſerto decoratum
Iſaias meminit.
Ad videndum coronatum
Inuitans Rex cecinit.
Hoc Sibylla coronatum
Serto Vates cecinit.

Fuit etiam eadem corona ſpinea, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus capite tulit, plurimis ſæculis anteà à Spiritu ſancto prædicta; vt præfato Hymno breuiſſimè innuitur. Nam cùm Pater æternus Synagogæ & ciuitatis Ieruſalem iniquitatem atque ingratitudinem quaſi miratus, iniuriam & ignominiam vnigeniti Filij ſui, qua ſpinis ibidem coronatus eſt, doleret, in Canticis inquit: Egredimini filiæ Ieruſalem, & videte coronam, qua coronauit eum mater ſua. C

Cantic. 3.

Iſaias quoque Propheta, eamdem ſpineam coronam innuens, quam Hebræorum impia Synagoga Chriſti capiti impoſuit, ſub ingratæ vineæ cuiuſdam allegoria ait: Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem ſpinas. Quocircà Ruffinus Aquileienſis ad hoc appoſitè inquit: *Impoſita ei ſcribitur corona ſpinea. Audi de hoc in Canticis canticorum, ſuper iniquitatem Ieruſalem, mirantis de iniuria Filij, Dei Patris vocem dicentis: Exite, & videte filiæ Ieruſalem coronam, qua coronauit eum mater ſua. Sed & de ſpinis alius Propheta commemorat: Et expectaui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas; & non iuſtitiam, ſed clamorem.* Idemque Iſaias, de eadem Chriſti corona agens, tribulationis coronam eam appellauit, dicens: *Coronans coronabit te tribulatione. Quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam. Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.* Quaſi diceret: Mittet te Pater æternus in latam & ſpatioſam huius mundi terram; vbi ingrata & perfida Synagoga, dum te vt verum ſuum Meſſiam deberet agnoſcere, & verum Deum adorare, auroque & gemmis vt ſuum legitimum Regem coronare, tribulatione te, id eſt vepribus coronabit. Ibi in ſanctæ Crucis ligno morieris, quæ verus triumphalis currus gloriæ tuæ exiſtet. Eamdem quoque ſpineam coronam prophetauit Ezechiel, cùm dixit: *Corona tua circumligata ſit tibi.* De eadem locutus eſt etiam patientiſſimus Iob, Spiritus ſancti illuminatione proſpiciens, Saluatoris noſtri caput ea circumdandum ac perſtringendum. Vnde quaſi in perſona ipſius inquit: *Tenuit cerui-* D

Ruffinus Aquileienſis, in expoſit. Symboli.
Iſaias 5.
Iſaiæ 22.
Ezech. 24.
Iob 16.

A *ceruicem meam, & confregit me.* Et non à Prophetis tantùm, sed à Sibyllis quoque eadem spinea corona mirabiliter & apertè admodum prænuntiata fuit, quod in Hymno supradicto pariter innuitur. Quocircà Erythræa iam dixerat: *Atque coronam de spinis tulerit.* Sed & alia, quam Lactantius Firmianus citat, veluti perfidæ Hebræorum Synagogæ exprobrare vellet cæcitatem & inscitiam, qua verum Deum suum agnoscere nesciuit, ingratitudinemque & crudelitatem qua eum persecuta est, inquit: *Ipsa stulta Deum tuum non cognouisti, sed de spinis coronasti corona.*

Ab ipsis etiã Sibyllis prænuntiata. Sibyl. oraculorum lib. 1. circa finem. Lactant. De diuinis institut. lib. 4. c. 18.

Crudelissimam sanè ac supra modum intolerabilem tormenti ac doloris acerbitatem eam fuisse reor, qua Saluator noster ob hanc coronam affectus est. Etenim ex eo quod de ea sacri scripsere Doctores, & ex eo quod Bononiensis Archiepiscopus, sacram sindonem siue sanctissimum sudarium (quod penes serenissimum Sabaudiæ Ducem asseruatur) piè ac diligenter intuitus & contemplatus, elicuit, coniicitur, eamdem spineam coronam non simplicem fuisse B circulum, siue sertum è sentibus contextum; sed cuiusdam pilei formam reddidisse, quod totum caput sacratissimum complexum, locis pęnè infinitis pupugit atque perstrinxit. Sic etiam sanctus Vincentius affirmat, asserens sacratissimam spineam coronam instar pilei fuisse compactam, quæ locis duobus super septuaginta caput Domini crudeliter punxit: *Et capiti eius*, inquit, *imposuerunt coronam, quæ eum in capite in septuaginta duobus locis crudeliter vulnerauit. Nam erat ad modum pilei.* Deuotus verò Bernardus asseruit, coronam illam mille locis pretiosissimum ac pulcherrimum Christi Domini caput vulnerando pupugisse: *Sed ipsa etiam eius corona*, inquit, *cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput eius diuulnerauit.* Idem etiam sanctus Anselmus testatur his verbis: *Mille puncturis speciosum eius verticem diuulnerat.* Atque eò planè atrocius ac truculentius coronæ tormentum fuisse credendum est, quò prolixius fuit ceteris quæ in passio- C ne tota perpessus est. Nam postquam capiti eius impacta fuit, numquam detracta, nisi è cruce deposito corpore eius, ac tradito sepulturæ. Quod piè obseruauit Origenes, inquiens: *De chlamyde scriptum est, quoniam denuò spoliauerunt eum chlamydem coccineam. De corona autem spinea nihil tale Euangelistæ scripserunt. Propterea quòd & nos quærere voluerunt exitum rei, de corona spinea semel imposita, & numquam detracta.* Quamobrem piè meditari fas est, quale & quantum fuerit tormentum illud quod dulcissimus Dominus noster pertulit, dum tamdiu acutissimos illos veprium aculeos capiti gestauit infixos; atque præsertim postquam arundineis percussionibus & contusionibus impressi sunt, adeoque crudeliter vulnerauerunt, vt frontem, oculos, genas, os & barbam eius totam tepido sanguine conspersérint. Quæ pœna atque tormentum eò erat molestius, quò ne Cruci quidem ipsi, caput suum sine summi cruciatus atque doloris incremento poterat admouere. Itaque iure in hac acerbitate suam ipsiusmet vicem D dolens, dixerat: *Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Et nihilominùs sic ardens erat immodicæ charitatis ignis ille, quo illius pectus sacratissimum accensæ instar fornacis, pro summo salutis nostræ desiderio æstuabat; vt perinde ac nihil acerbos dolores sentiret suos, nullo cruciatu magis angi videretur, quàm quòd eius humanitatem, quæ omnium nostrorum animas tunc temporis repræsentabat, cùm omnia peccata nostra super eam essent posita, adeò seuerè cerneret castigari, vt ab ipso Deo derelicta fuisse videretur. Quod attentiùs mente animoque perpendens sanctus Cyprianus, inquit: *Consideraui Domine opera tua, & expaui. Clauis sacros pedes terebrantibus, fossisq; manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrũ caput pungentibus non quereris: satagis, vt innotescat posteris, quare derelictus à Deo videaris, expositus cõtumeliis, & Iudæorũ ludibriis.*

Instar pilei compacta, locis penè infinitis caput Domini pungebat. S. Vincent. Serm. in die Parasceue. S. Bernard. Serm. De Pass. Domini. S. Anselm. Speculo Euangel. Serm. c. 12. Origenes in Matth. Tractat. 35. Matth. 8. De passione Christi.

Domine

Domine mi igitur Iesu Christe, qui pro nobis miseris, spinis coronari voluisti; oro te, atque intimis præcordiis suppliciter deprecor, vt summi beneficij gratiæque loco nobis tribuere digneris veræ pœnitentiæ & contritionis pungentes spinas, quibus adeò efficaciter ac dignè compungamur, vt benignitatis & misericordiæ tuæ dono gratuito mereamur à te in cælis per æterna sæcula coronari. Amen. A

CAPVT XV.

De clauis, quibus Dominus noster Iesus Christus cruci confixus est.

CVM impij iam atque scelesti Pilati milites, opprobriis ludicris saturati essent, quibus benedictus ac sanctus mundi Saluator pro salute nostra permisit se esse ludibrio: cumque illum insignibus Regalibus ridiculè exornassent, sentibus coronassent, ludificassent, iniuriosè tractassent, vt præcedenti capite ostendimus; super Caluariæ montem deduxerunt, ibique inter duos latrones crucifixerunt; id est, manibus pedibusque, clauis mallei ictibus transfossis, duro Crucis ligno confixêre: terribili ac truculentissimæ consuetudini in hoc morem gerentes, quæ tunc non à Romanis & Græcis tantùm, verùm à cunctis penè etiam nationibus retinebatur; vt clauis videlicet Cruci affigerentur ij, qui horribili planè morte illa damnati essent. Ad quod diuus Augustinus alludens, inquit: *Nisi enim clauis fixus esset, crucifixus non esset.* Cuius consuetudinis apud complures veteres auctores habetur mentio. Quamobrem hoc modo Seneca: *Cùm refigere se crucibus conentur, in quas vnusquisque vestrûm clauos suos ipse adigit.* Et Lactantius Firmianus peruetustum quoddam Apollinis refert oraculum, cuius tamen fides penes auctorem sit; quod de morte illa, quam Saluator subiturus erat, hoc dixisse testatur: B C

Clauis cruci figendi mos olim frequens: In Psal. 68. — De vita beata, c. 19. — Diuin. institut. lib. 4. c. 13.

Clauisque & palis mortem exantlauit acerbam.

Eamdemque consuetudinem doctissimus Lipsius, Artemidori, Vlpiani, Strabonis, Plauti, & aliorum complurium grauissimorum scriptorum auctoritate suffultus, authenticè comprobat. Quorum verba, breuitatis causa, hîc non ducimus referenda: cùm necessarium meo quidem iudicio haudquaquam sit, maiora moliri, ad tam clarum atque notorium morem attestandum. Consueuerant quandoque tamen Veteres, licet rariùs, funibus manus pedesque Crucibus alligare atque astringere, quos eadem morte afficere statuissent. Quocircà Ausonius Cupidinem suum Cruci affixum describens, ornatè quidem, sed Ethnicè magis quàm Christianè cecinit:

Funibus adstringendi, rarus.

Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Inuidiosa Deûm pœnis. Cruciauerat illic,
Spreta olim, memorem Veneris Proserpina Adonim. D
Huius in excelso suspensum stipite Amorem,
Deuinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt.

At non commiseratione aut pietate profectò commoti, eo pacto illos alligabant, quò leuiore cruciatu afficerent; verùm potiùs, vt prolixiorem pœnam sustinerent. Quamobrem iniquus atque impius Egeas Proconsul iusserat beatissimi Andreæ Apostoli manus ac pedes Cruci astringi funibus; vt martyrium eius prolixius, ac mors acerbior esset. Vnde ita in Cruce suspensus, duobus diebus vitam produxit, prædicans, ac docens populum, vt superiùs capite tertio demon-

S. Andreas Apost. funibus Cruci alligatus.

A demonstrauimus. Quæ quidem barbara consuetudo ansam præbuit quibusdam hæreticis (quorum dæmonicum institutum est contradicendi, vel potius, vt rabidi solent canes, oblatrandi ad ea omnia, quantumuis indubitata atque certissima, quæ sancta Dei Catholica amplexatur & profitetur Ecclesia) in dubitationem reuocandi, vtrùm Christus Dominus clauis vel funibus potiùs Cruci affixus & astrictus fuerit. Quorum improba & virulenta propositio, scandalosaque & vana impactio, perinde atque atra nebula solis radiis euanescens, ipsius sancti Euangelij luce dissipatur.

Nam cùm Saluatori nostro placitum fuerit, ad ipsius gloriam ac triumphum, atque vt ab Ecclesia sua omnem incredulitatem, hęsitationem, siue etiam hæresim, quæ circa hoc oriri posset, auferret, cicatrices vulnerum, quæ claui manibus pedibusque, & lancea lateri suo inflixerat, retinere; his stemmatibus insignitus, discipulis suis sæpiùs apparuit. Quamobrem in diui Ioannis Euangelio *Saluator noster clauis affixus.*
B legimus, gloriosum Apostolum Thomam (qui incredulitate magis, quàm credulitate Magdalena, nobis profuit) residem se ostendisse in credendo, Dominum Iesum Christum reuerà à mortuis resurrexisse, atque dixisse: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* At octo posteà diebus exinde transactis, cùm Christus Dominus ianuis clausis ingressus esset domum, vbi discipuli eius propter metum Iudæorum erant congregati, ibique cum eis & ipse Thomas adesset; Dominus ei dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioan.20.

In sancti verò Lucæ textu legitur, quòd, dum iidem discipuli de Christi Domini resurrectione adhuc hæsitantes, anxij & ambigui simul essent, ipse repentè eis apparuerit, & manus pedesque ostenderit: cuius quidem sacri textus hæc sunt verba: *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax* Luc.24.
C *vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.*

His addantur Regij Prophetæ verba, qui Spiritus sancti lumine illustratus, perinde ac si mundi Redemptorem corporeis oculis in Cruce pendentem conspexisset, manibus pedibusque clauorum cuspide perfossis, lignoque confixis, quasi in eius persona dixit: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Super quibus Psalm.21.
verbis sanctus Iustinus Martyr inquit: *Quando enim crucifixerunt eum, clauis infixis manus pedesque eius foderunt.* Et diuus Hieronymus super eisdem verbis ait: In Dial. cũ Tryph.
Foderunt, clauos fixerunt. Et Nonnus Paraphrasi sua in Ioannem, apertè etiam ostendit, Christum Dominum clauis ferreis, manibus pedibusque confossis, Cruci affixum, inquiens;

D Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων. Nonnus in Ioan.c.19.

Et in pedibus & manibus ferreos aculeos habens.

Quapropter ipso quidem Sole clarius est, Christum Dominum non funibus, sed clauis manibus pedibusque perfossis, Cruci affixum fuisse. Quot autem reuerà claui ipsi fuerint, in magna Patrum disceptatione versatur. Eorum enim quidam tres tantummodò, alij verò quattuor fuisse contendunt. Inter eos autem, qui eam opinionem concepisse animo videntur, Christum scilicet tribus clauis tantùm Cruci affixum, sanctus Gregorius Nazianzenus fuit, siue vt aliis videtur magis, Apollinaris Laodicenus. Is enim in sua Tragœdia, siue Tragicomœdia, cui titulus est, *Christus patiens*, Crucem sanctam appellauit Τρίσηλον ξύλον, id est, trium clauorum lignum. Quamobrem in eadem Tragœdia, quæ inter *Quot clauis affixus Saluator, dissentiunt Patres.* *De tribus quidam asserunt:*

cetera

cetera eiusdem sancti Gregorij Nazianzeni opera, Latinitati reddita, est impressa, fingit virum optimum Iosephum ab Arimathia, postquàm sepulturæ tradendi Redemptoris nostri corpus facultatem à Pilato impetrasset, eodemque è Cruce deposito, Nicodemum ceterosque sanctos commilitones suos, qui beato ac pio illi officio præsentes aderant, alliciendo, vt ipsum in sacratissimo corpore ad sepulcrum deferendo adiuuarent, ita dixisse: A

Vos me sequimini, deferamus gnauiter
Onus beatum, mille post preces mihi
Vix impetratum, Principis dono; tribus
Quod habeo clauis edita fixum Cruce,
Nudumque.

Hanc opinionem sanctus quoque Bonauentura amplexatus est. Nam eumdem diuum Gregorium Nazianzenum, siue Apollinarem Laodicensem, in hoc forsitan secutus, inquit: *Illi tres claui sustinent totius corporis pondus*. Imò communi hominum consensu videtur recepta esse à Christiano orbe vniuerso; etenim nunc Crucifixi imagines pænè omnes passim, tribus cum clauis efformantur: licet non abs re forsitan dici posset, id ad gratiorem prospectum introductum fuisse; cùm minùs sit visu horribile, Crucifixi pedes, quorum alter alteri sit superpositus, vno, quàm duobus clauis seiunctim transfossos conspicere. B

Meditat. vitæ Christi.

Alij quattuor fuisse volunt:

Verùm sanctus Gregorius Turonensis, Innocentius III. summus Pontifex, atque alij complures, Dominum nostrum quattuor clauis reuerà Cruci confixum volunt. Cuius sententiæ sanctus Cyprianus quoque videtur fuisse, qui de eo agens, inquit: *Clauis sacros pedes terebrantibus.* Vbi notandum est, eum dixisse, *clauis*, in plurali numero, & non *clauo* in singulari; hoc pacto innuentem, Christi Domini pedes duobus, non vno clauo Cruci confixos fuisse. Quamobrem Iacobus Pamelius in suis ad eumdem diui Cypriani textum Annotationibus, appositè inquit: *Fuit igitur auctor in ea sententia, quòd non vnico, sed duobus clauis, pedes Christi terebrati fuerint. Et certè confirmatur id ipsum vetustissimis picturis quibusdam*. Et sanctus Gregorius Turonensis testatur, clauos, quibus Redemptor noster Cruci affixus est, quattuor fuisse; quorum duobus manus, duobus pedes eiusdem fuisse confixos: *Clauorum ergo Dominicorum gratia*, inquit, *quòd quattuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Innocentius quoque Papa III. idem affirmans, Christi nempe clauos fuisse quattuor, quibus manus ac pedes eius Cruci confixi fuerunt, sic tradit: *Fuerunt & claui quattuor, quibus manus confixæ sunt, & pedes affixi sunt.* Et paulò inferiùs, ad eosdem quattuor clauos alludens, iisdemque Christiani hominis opera applicando, subnectit: *In his duobus lignis duos pedes & duas manus quattuor clauis debet configere Christianus.* C

In Serm. de Passione Christi.

De gloria Mart. lib. 1. cap. 6.

In Serm. 1. de vno Mart.

Cui opinioni alij subscripsère recentiores, atque inter alios Cardinalis Toletus, & Guilielmus Lindanus Episcopus, qui in sua Panoplia inquit: *Christum Dominum vna nostri causa crucifixum, non tribus fuisse clauis fixum, vt hodie vulgò habent imagines, sed quattuor verius crediderim; non ex vetustissimis tantùm Louanij, Parisiis, & per Germaniam imaginibus, sed tabellis etiam antiquissimis, in Græcia pridem fabrefactis*. Quamobrem circa hanc discrepantiam nil aliud affirmare queo, quàm quòd Lipsius prudenter dixit: *In dissensu Patrum, non est meum arbitrari.* Verùm his non obstantibus, controuersia hæc reuelationibus sanctæ Brigittæ prorsus dirimi atque amputari videtur. Quæ quidem magnæ auctoritatis sunt, cùm à sancta Sede Apostolica approbatæ atque receptæ fuerint; non tantùm, quòd Bonifacius Papa Nonus in eiusdem sanctæ canonizationis diplomate de eisdem honestissimam mentionem facit; quæ Bulla & Canonizatio post schismatis extinctionem à Martino Papa Quinto postmodũ confirmata est; verùm etiam D

Toletus, in Ioan. c. 19. Annot. 14.
Guil. Lind. Panopliæ lib. 14. c. 47
Lipsius de Cruce lib. 2 c. 9.

Quorũ sententiam reuelationes S. Brigittæ à sancta Sede Apostolica approbatæ confirmant:

A etiam quia Reuelationes ipſæ in Concilio Conſtantienſi, accedente voto Cardinalis de Turre cremata, Iudice fidei ad hoc præcipuè deputato, examinatæ atque approbatæ fuêre. Nam ſancta eadem mulier Reuelationum ſuarum locis plurimis atteſtatur ſibi reuelatum fuiſſe, pedes Domini noſtri Ieſu Chriſti duobus clauis Cruci affixos fuiſſe. Quin ibi etiam modum deſcribit, quo ſacratiſſimi iidem pedes crucifixi fuerunt. inquit enim: *Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum, duobus clauis; ita vt omnes nerui & venæ extenderentur & rumperentur.* [Reuelat. lib. I. c. 10.] Et in alia Reuelatione, de eodem agens, ſubdit: *Et pedes ſimiliter ad foramina ſua diſtenduntur, cancellatique, & quaſi infrà à tibiis diſtincti, duobus clauis ad Crucis ſtipitem per ſolidum os, ſicut & manus erant, configuntur.* [Lib. 4. c. 70] Et alibi ſubiungit: *Pedes deorſum tracti, & duobus clauis perfoſſi, non habebant aliud ſuſtentaculum, niſi clauos.* [In Reuelat. extrauag. c. 51.] Quod præterea contra eorum opinionem facere videtur, qui aſſeruerunt, ſubtus pedes Domini in Cruce pro ſuſtentaculo poſitam fuiſſe
B tabulam quamdam, quæ ſuppedanea tabella à Latinis dicitur, de qua iam ſuperiùs egimus: cùm ibidem in textu ſanctæ Brigittæ apertè dicatur, ſacratiſſimos Chriſti pedes, nullum aliud ſuſtentaculum habuiſſe, quàm clauos ipſos, quibus Cruci erant affixi.

Quibus Reuelationibus, & cui opinioni, non leue teſtimonium, & non parum fidei atque auctoritatis afferunt multiplices Chriſti peruetuſtæ imagines, quæ quattuor clauis Cruci affixæ conſpiciuntur, non tantùm Louanij quidem ac Pariſiis, & in Germania, vt Lindanus aſſerit; ſiue etiam Treueris, vt ſcribit Gretſerus; verùm & in Italia noſtra, vt videre eſt in illa antiquiſſima Lucenſis crucifixi imagine; in ea quæ aſſeruatur Siroli, prope Anconam, vbi olim Numana erat ciuitas: & quod magis refert, in ſanctorum Martyrum cœmeteriis, quæ extra Romanæ vrbis mœnia ſub terra effoſſæ ſunt imagines, iam inde à primitiuæ Eccleſiæ temporibus hoc modo pictæ conſpiciuntur. [*Itē peruetuſtæ Chriſti crucifixi imagines.*] Ex quibus pla-
C nè coniici videtur, antiquos illos Chriſti fideles huic opinioni firmiter adhæſiſſe. Quin etiam non defuêre, quibus illa inſedit opinio, clauos ſcilicet, quibus Chriſtus Dominus Cruci confixus fuit, non quattuor tantùm, ſed octo etiam eſſe potuiſſe. [*Nonnulli etiam octo fuiſſe opinantur.*] Quorum opinandi motus, ex verbis illis Plauti originem fortaſſe trahere potuit; quibus coniici videtur, conſueuiſſe quandoque Veteres, octo clauis Cruci homines configere, duobus videlicet pro ſingulis manibus ac pedibus, quo Cruci firmiùs affixi conſiſterent. Quæ quidem verba hæc ſunt:

Ego dabo ei talentum, primus qui in Crucem excurrerit. [In Moſtell. Act. 2.]
Sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia.

Cui opinationi eò firmiùs adhæreſcere ſibi poſſe videntur, cùm ſanctæ Eccleſiæ veterum monumentorum lectione ſciatur, quoſdam ſanctos Chriſti Martyres longè maiore clauorum numero crucifixos fuiſſe. [*Martyres quidā pluribus clauis crucifixi.*] Vt ſanctus Agricola præſertim Cruci confixus eſt, de quo in Romano Martyrologio hæc: *Agrico-*
D *lam verò, plurimis clauis Cruci affigentes, interemerunt.* [Die 4. Nouemb.] Ac de quo ſanctus Ambroſius hoc modo: *Nos legimus Martyris clauos, & multos quidem; & plura fuerunt vulnera, quàm membra.* [Ambroſius in exhortat. ad Virg.] Atque vt in eodem Martyrologio de ſancto Philomeno Martyre recitatur, qui in Aureliani Imperatoris perſecutione, cùm igni priùs ſemiuſtulatus fuiſſet, manibus pedibuſque, ac demum capite clauis confixo, glorioſam martyrij palmam eſt adeptus. [Die 29. Nouemb.] Verùm apertiſſima res eſt, Chriſti Domini clauos ſupra quattuor reuerà non fuiſſe; quamuis plures etiam in variis Chriſtiani orbis Eccleſiis reperiri dicantur. Nemo enim auctoritate grauis, & Catholicus Auctor vnquam ſcripſit, plures quam quattuor extitiſſe. Quamobrem iure Cardinalis Baronius inquit: *Quòd verò claui, quibus ſuffixus eſt Chriſtus, plures diuerſis in locis hodie reperiri dicantur; nihil eſt quòd pluribus* [Annal. tomo 3. anno Chriſti 326]

At quattuor ad summum Christus: etsi plures in diuersis orbis Christiani Ecclesiis asseruari videantur.

quàm tribus, vel ad summum quattuor, Christi manus & pedes confixos putemus. A

At non prætereà ob id in minimo quidem imminuenda est auctoritas atque religio, clauis his qui in diuersis Christiani orbis Ecclesiis, tamquam Christi passionis claui, magna veneratione ac pietate asseruantur. Etenim perbellè fieri potest, vt hi partes sint ipsorum clauorum, quibus Dominus noster suffixus est. Veteres enim & verè pij Christi fideles illi adeò auidi & percupidi erant particulam aliquam instrumentorum passionis Redemptoris nostri obtinendi, vt si quando singularis gratiæ dono frustulum aliquod eorum consequi potuissent, id tamquam inæstimabilem thesaurum aliquem in patriam lætissimi deferrent. Et nihil est, quòd nobis scrupulum aut dubium afferat, si claui illi, qui in diuersis Ecclesiis tamquam Christi passionis Reliquiæ ostenduntur, integri fortè videantur. Nam quicumque Christi clauorum particulam aliquam assecutus esset, ferro illo sacratissimo aliud ferrum addens, integros clauos pro sua pietate sibi fabrefieri curabat, persuasissimum apud semetipsum habens, virtutem scilicet illius veri Christi claui particulæ in nouos clauos fabrefactos transfundi. B

Aliqui verò, qui ex Christi Domini clauis, germanis quidem ipsis, particulam nullam assequi poterant, alios eiusdem formæ similitudinis atque mensuræ sibi fabrefieri nitebantur, & pro ipsorum spirituali solatio asseruabant: vt cùm iuxta vota prototypum assequi nequiuissent, typo saltem, seu forma fruerentur. Itaque hoc pacto, non Christi claui, sed eorum potiùs imagines multiplicatæ dici possunt. Fortasse etiam accidit, vt in aliqua Christianitatis Ecclesia reperiretur clauus aliquis ex his quibus Christi Domini Crux sancta compacta fuit; & vt, deperditis antiquioribus, rem testantibus monumentis, hodie pro his venerentur, quibus Christi membra Cruci fuerunt infixa. Fieri etiam id potest, quod Cardinalis Baronius congruè animaduertit, vt in aliqua Ecclesia clauus aliquis inter sacras Reliquias asseruetur, quo mystica membra Christi, nempe Martyr quispiam sanctus confixus fuerit, idemque vnus ex ipsis Christi passionis clauis existimatus sit. Verùm quidquid sit, fides purgat facinus; cùm nemo fidelium ferrum colat, sed Christi potiùs passionem in ferro veneretur & adoret; honorem & gloriam ipsi referens, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, clauis pro nobis Cruci configi voluit. Et iure quidem optimo sacrosancti claui, quibus Dominus ac Redemptor noster Iesus Christus Cruci suffixus est, à fidelibus Catholicis venerantur & adorantur: quippe qui Domino ipsi, magis etiam quàm sancta Crux, coniuncti fuère; cùm non pellem tantùm, & sacratissimi corporis Christi superficiem, vt Crux ipsa, tetigerint, sed etiam carnem eius sanctissimam penetrauerint. Quamobrem Rusticus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, meritò inquit: *Nec non & clauos, quibus confixus est, & lignum venerabilis Crucis omnis per totum mundum Ecclesia absque vlla contradictione adorat.* Ego amo, & veneror, inquit Ioannes Chrysostomus, sacros clauos, membrorumque foramina saluto, arundinem, lanceam, & spongiam suspicio: pro Regia corona coronam ex spinis ad caput accommodo. Nos veneramur, & adoramus, subdit Ioannes Damascenus, sanctæ Crucis lignum, clauos, spongiam, arundinem, lanceam; sacramque illam & salutarem vestem, tunicam, linteum, fascias, &c. Hæc & huiusmodi similia ego quidem reuereor & adoro, non propter eorum naturam, sed quia diuini operis receptacula fuère; hisque administris, & in ipsis salutem nostram operari Deo placitum est. Eoque maiore planè veneratione ij claui sacratissimi digni sunt, quòd beatissima Christi Mater ac semper Virgo MARIA, Redemptore nostro è Cruce deposito, eos tamquam humanæ salutis pignora charissima, ac gemmas pretiosissimas, sacratissimo suo in sinu reposuit; vt Simeon Metaphrastes his verbis testatur: C D

Sacri claui, piorum veneratione dignissimi.


Rusticus contra Acephalos. Chrysost. de Crucis venerat. media hebdom. Ieiun. Tom. 1. homil. in fine. S. Io. Damascen. de Imaginib. orat. 3. Metap. De vita & dormit. S. MARIÆ, apud Sur. tom. 4. die xv. Aug.

A tur: *Quin etiam, in eo à Cruce deponendo, maternis manibus inseruiit, & clauos qui extrahebantur, suo sinu accepit.* Quamobrem non inconsultò, sed magna planè ratione, vt Molanus refert, ab Innocentio Papa Sexto, ad Caroli Quarti Imperatoris supplicationem, anno salutis nostræ M. CCC. LIII. sancitum est, vt Feria sexta post Octauam Paschatis, lanceæ & sacratissimorum Christi clauorum festum celebraretur. Molan. ad Vsuardi Martyrol. *Festum sacratissimis clauis sacrum.*

Hos venerandos sacrosque clauos Helena sancta Constantini Imperatoris mater reperit, anno reparatæ salutis trecentesimo vigesimo sexto, ipso eodemque tempore, quo Deo optimo maximo volente, singularis gratiæ & beneficij loco, ipsiusque ac totius populi Christiani solatio, sanctam quoque & veram inuenerat Crucem, in qua diuinum humanatum Verbum, horribili planè ac truculentissima morte, pro humani generis redemptione carnem suam in sacrificium æterno Patri obtulit: illosque reperit in eodem antro, quo sacratissimum Christi sepulcrum excisum fuerat; vt Socrates Historicus, & Nicephorus Callistus, in sua Ecclesiastica tradunt Historia. Nec sanè mirandum est, eosdem sacros clauos in antro Dominici sepulcri repertos fuisse. Nam apud Hebræos non tantùm expresè vetitum erat, damnatorum corpora vnà cum ceteris defunctis, publicis sepulcris inferri, quæ seorsum priuato aliquo monumento inuiolabili sanctione humanda erant: verùm vsu frequentissimo receptum erat vnà cum ipsorum damnatorum cadaueribus, sepeliendi etiam instrumenta, quæ eorum morti inseruierant, vtputa Cruces, clauos, lanceas, gladios, seu lapides, & his similia; iuxta mortis speciem, qua affecti fuerant. Sic enim memoriæ proditum est in compendio Talmud, quod Alphesi appellatur; & ita scripsêre Rabbini Iacob Turim & Moyses Ægyptius. quod & Annalibus suis Cardinalis Baronius accuratè notauit, dum sedula indagine peruestigaret, quidnam causæ esse potuerit, quòd Christus Dominus in sepulcro nouo sepultus sit, in quo nondum aliquis positus fuerat. *S. Helena in antro sacri sepulcri eos reperit.* B Socrates lib. 1. c. 11. Nicephor. lib. 8. c. 29. *Nam Hebræi, vnà cum corpore damnati, etiã supplicij instrumenta condebant.* Tomo 1. anno Christi XXXIII.

C Sacrorum clauorum vnus ad hunc vsque diem Romæ conspicitur, magna veneratione ac reuerentia asseruatus, in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem, vbi ab eadem Helena sancta, vnà cum aliis insignibus Reliquiis repositus fuerat, vt superiùs ostendimus. Estque præcisè eius formæ atque mensuræ, quæ in germano ac naturali eius typo hîc graphicè delineato conspicitur; quem in piorum Lectorum gratiam, & spirituale solatium, hoc loco addere placuit. *Verus sacratissimi claui typus.*

D



Notandum autem est, hunc clauum sacratissimum retusum, & cuspide truncatum esse, vt superiùs posito typo videre est; tertia ferè parte hastæ, siue longitudinis suæ, acumen versus, ei deficiente: quæ ibidem addita est ad claui longitudinem tantummodò demonstrandam. Quæ cuspis ab eadem Helena, siue à magno Constantino Imperatore, vel à quopiam alio supremo Principe, alicui magno viro, aut insigni Ecclesiæ cuipiam, donata forsitan esse potuit; vel potiùs de ea id factum, quod paulò inferiùs dicturi sumus. Considerandа præterea

S Brigitta Reuelat. lib.2.c.21.

est etiam longitudo eius; propter id, quod in sanctæ Brigittæ Reuelationibus A scriptum legimus. Ibi enim dicitur, clauos eos, quibus Dominus noster Iesus Christus Cruci confixus est, longos adeò fuisse, vt vltra Crucis stipitem protenderentur: *Qui quidem claui longè vltra Crucis stipitem protendebantur.* hæc ibi.

E duobus sacris clauis sibi galeã, & equo suo frenum Constantinus Imp. adaptari iussit: Soc. lib.1. c.13.

Quid verò de ceteris sacris clauis à sancta Helena repertis factum fuerit, ex Historicis supradictis, itemque ex Sozomeno, Theodoreto, & ex sancti Ambrosij scriptis clarè colligitur. Memoriæ enim prodit Socrates, eamdem sanctam Helenam duos clauos, quibus Saluatoris nostri manus suffixæ fuerant, Constantino filio suo transmisisse, qui ex eorum altero frænum equo suo fabrefieri mandauit, alterumque in galeam sibi adaptari iussit, quibus posteà in bello atque in prœliis præcipuè vtebatur: *Quinetiam* (inquit) *& clauos, quibus Christi manus Cruci affixæ erant, Constantinus assecutus (istos enim mater in Seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in fræna curat & galeam fabricandos, illisque in bello gerendo vtitur.* B

Zach.14. Sozomenus lib.2. cap.1.

Tunc quidem iuxta multorum scriptorum sacrorumque Doctorum sententiam (licet à sancto Hieronymo id non satis probetur) veritate comprobatum fuit Zachariæ Prophetæ vaticinium, qui de sacro hoc fræno hæc prædixisse videtur: *In illa die erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Quamobrem Sozomenus de eisdem sacris clauis agens, inquit: *Quod ad clauos attinet, quibus corpus Christi confixum erat, memorant, Imperatorem ex illis sibi confecisse galeam, & frænum equi, vt scriptum est à Zacharia Propheta: & à quo prædictum, quòd in tempore isto, illud, quod sit in frænum equi (his enim ferè verbis vtitur Propheta) sanctum esset Domino omnipotenti. Ista quidem, vt olim præcognita à sanctis Prophetis, præuisaque fuère, sic posteà factis planè admirabilibus tum confirmata, cùm Deo tempus visum est eiusmodi rebus opportunum. Neque certè tantopere mirandum est, præsertim cùm ipsi Gentiles ingenuè fateantur, hoc esse Sibyllæ carmen:*

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit. C

Nicephor. Callistus lib 8.c.29. *Vel ipsa Helena eius mater fabrefieri curauit.*

Id etiam quod ad sacros clauos & ad Zachariæ prophetiam attinet, refert Nicephorus his verbis: *Misit illa etiam*, scilicet Helena sancta, *ad eum*, id est Constantinum filium, *ex sacris clauis quosdam, quos tum ad monumentum repererat: illis porrò corpus Christi transfixum fuerat. Quorum altero illi sibi fertur galeam instruxisse, alterum equi frænis inseruisse, vt in certaminibus tutus à vulneribus illæsusque maneret, & sic tempore suo prophetia Zachariæ impleretur, Erit, dicentis, in fræno equi sanctum Domino omnipotenti.* Eadem tradit etiam Theodoretus, in nullo prorsus à supradictis Historicis discrepans; in eo dumtaxat, quod asserit eamdem Helenam ipsam fuisse, quæ cùm iuxta desiderium suum Crucem sanctam clauosque prædictos reperisset, partem illorum in Imperatoris galeam artificiosè inserendam curauit; filij eius capiti hoc pacto consulens, quò inimicorum tela ab eo longiùs arcerentur. Alteramque eorumdem clauorum partem fræno equi eius commisceri iussit, tum vt Imperatorem ab omni discrimine tutum redderet, D tum etiam vt antiquum vaticinium adimpleret. *Itaque Imperatoris mater, cùm id, quod in optatis ad hunc modum didicisset, clauorum partem in Imperatoris galeam artificiosè includendam curauit, quò capiti filij consuleret, & hostium tela depellerentur: partem equi illius fræno admiscuit, quò tum Imperatorem tutum ac securum redderet, tum veterem prophetiam explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias Propheta: Quod est in fræno equi, erit sanctum Domino omnipotenti.*

Theodoretus Histor. Eccl. lib.1. cap.18.

In funebri oratione Theodosij Imp.

Quibus sanè verbis itidem concordat, quod de eodem scripsit sanctus Ambrosius: *Quæsiuit Helena sancta*, inquit, *clauos quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit. Vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum,*

A *tum, quas pretiosior ferro innexas Crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret. Misit & frænum. Vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium Imperatorum, sanctum est, quod super frænum: ex illo fides, vt persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum leuauit & locauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ Redemptioni. Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac vestit Principum frontem; vt sint prædicatores, qui persecutores esse consueuerunt. Rectè in capite clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena: corona de Cruce, vt fides luceat: habena quoque de Cruce, vt potestas regat; sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio.*

Et paulò inferiùs, quasi in persona perfidorum Iudæorum Christi hostium loquens, adiecit: *Ecce*, inquit, *& clauus in honore est: & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est; atque inuisibili quadam potestate, dæmones torquet. Ferro*
B *pedum eius Reges inclinantur, & reuerenter adorant. Clauum Crucis eius, diademati suo deuotissimè præferunt Imperatores. Sed quæro quare sanctum super frænum, nisi vt Imperatorum insolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi adhinnirent, quòd liceret adulteria impunè committere?* Et postremò orationem suam colligens Ambrosius, subdit: *Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt fræna dirigeret; nisi vt omnibus Imperatoribus sancto dicere Spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus?* & velut fræno & chamo maxillas constringere velle videretur eorum, qui se non agnoscentes Reges esse, vt in spiritu lenitatis ac dilectionis populos curæ suæ commissos regant, quasi effrænatæ belluæ illos tyrannicè diuexant. Hæc Ambrosius.

Ruffinus verò Aquileiensis eadem quæ de Christi clauis diximus, etiam affirmat; sed testatur eamdem Helenam Constantino Imperatori filio suo eos detulisse, qui ex eis fræna constrüi, galeamque sibi instrui iussit, quibus vteretur in
C bello. Videturque idem Ruffinus innuere, Constantinum ex clauis eisdem non vnum tantùm, sed plura fræna construxisse; sic enim inquit: *Clauos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frænos composuit, quibus vteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominùs, belli vsibus aptam, fertur armasse.* Histor. Ecclef. lib. 2. cap. 8.

At sanctus Gregorius Turonensis, qui, vt superiùs diximus, testatus est Christum Dominum quattuor clauis suffixum; tradit Helenam, post clauos repertos, duobus ex eis Imperatoris æqui frænum obuallasse; vt si aduersæ hostium acies Imperatori obsistere vellent, clauorum prædictorum virtute faciliùs profligarentur: *Speciosi autem*, inquit, *omnique metallo nobiliores Dominicæ Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina, post ipsius sacræ Crucis inuentionem, reperti sunt. Et de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit, quo faciliùs, si aduersæ gentes restitissent Principi, hac virtute fugarentur.* Affirmans & ipse Zachariam De gloria Mart. lib. 1. cap. 6.
D Prophetam de hoc Constantini fræno ex Christi clauis fabrefacto intellexisse, cùm eo modo quo superiùs diximus, prophetauit. Tertium verò clauum in Adriaticum mare, iubente sancta Helena proiectum fuisse testatur; quia mare illud eo tempore magnis fluctibus concitabatur: vnde tam frequentia ibi contingebant naufragia atq; hominum submersiones, vt mare idipsum Nauigantium vorago passim diceretur: *Tunc prouida Regina*, addit idem Gregorius, *condolens excidia miserorum, vnum ex quattuor clauis deponi iubet in pelagus; confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietum, tranquillaque deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vnde vsque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur; cùm ingressi fuerint, ieiuniis, orationibusque, & psallentio vacant.* Verùm enimuerò non nisi solidæ ac planè *Mare Adriaticum sacro clauo immerso placatur.*

I 3 veri-

verisimili innixus rationi, Iacobus Gretserus prudenter autumat, sacratissimum clauum illum immersum forsitan potiùs quàm demersum esse potuisse; cùm durum planè ac pænè incredibile videatur, Helenam tanto thesauro atque spirituali solatio seipsam & alios in perpetuum orbatos esse voluisse. A

Quartum verò clauum (subiungit idem sanctus Gregorius) asserunt in capite statuæ Constantini fuisse defixum. Quod & Zonaras, tertio Annalium suorum tomo, ad posterorum memoriam transmisit. Mihi verò ea insedit sententia, quod idem quoque Gretserus annotauit, in hoc credendum potiùs antiquioribus pluribusque Auctoribus, quos superiùs citauimus; præcipuè verò ipsi sancto Ambrosio, qui vnà cum historicis prædictis affirmat, clauum, de quo agimus, Constantini Imperatoris galeæ insertum fuisse. Quòd si capiti statuæ eiusdem Imperatoris, coronà siue galea coronata aliqua imposita sit; ad similitudinem illius potiùs, quam Constantinus deferebat, sculptam fuisse, non sine ratione credi debet. In qua quidem Imperatoris galea, mihi quoque optima ratione persuadeo, non totum integrum clauum, sed cuspidem ipsius tantummodò claui, qui hîc Romæ in Ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem ostenditur, immissam fuisse. B

Refert deinde idem Gregorius Turonensis aliud clauorum Christi miraculum, illius scilicet, vel illorum, qui in equi Constantini fræno adaptati fuerant, his verbis: *Magnam asserunt virtutem esse huius fræni, quod ambigi nequaquam potest. Quod Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam mago, propter pecuniam, emissas sibi à dæmonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias: sed cùm tertia nocte frænum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus vltrà non habuit: repertumque auctorem insidiarum, gladio perculit.* Quidam scriptores opinantur, sacratissimum clauum, quo frænum prædictum fabrefactum fuerat, illum ipsum esse, qui hodie in Mediolanensi maiore Basilica, quam per antonomasiam Domum appellant, asseruatur. Inter quos Iacobus Philippus Bergomensis, in suo Chronicorum supplemento, de eo sic tradit: *Helena itaque, ibidem ædificato templo, inde Constantinopolim ad filium abiit, & clauos, quibus Christi corpus conclauatum fuerat, secum detulit, quorum vnum Constantinus ipse in frænum equi transtulit, quo in prælio tantummodò vtebatur; quod modò in Mediolanensi Domicilio, maximo in pretio colitur.* C

[Margin: S. Gregor. Turon. loco citato.]
[Margin: *Sacri claui virtute, dæmonis insidiæ profligantur.*]
[Margin: In supplemēto Chronicorum lib. 9.]

Præsignificati fuerunt claui Domini nostri, verbis illis, quibus fortissimus Samson Dalilæ concubinæ suæ respondit, cùm vbi roboris ipsius virtus consisteret, sibi patefieri importuniùs instaret: *Si septem crines*, inquit, *capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero*. Pro quorum verborum intelligentia, sciendum est, nomen Dalila pauperculam significare, & hoc quidem loco pro Hebræorum Synagoga accipiendum: quæ paupercula certè dici potest, cùm sit omnibus diuitiis legis ac Prophetarum spoliata; quarum gratiâ adeò elata atque superba efferebatur, vt iactaret se habitare in Sorech, quo nomine electa & optima signatur. Animaduertendum quoque est, septenarium numerum pro vniuersitate accipi atque intelligi consueuisse; ac pro capillis peccata sæpè capi ac declarari. Et propterea in Silua Allegoriarum de eisdem sic dicitur: *Hos capillos denudat Dominus, cùm in publico iudicio condemnat peccata.* Quamobrem Samson, qui in hoc Christi figuram præferebat, quasi in persona ipsius, Dalilam, id est, Hebræorum Synagogam allocutus, inquit: *Si septem capillos capitis licio plexueris*, id est, si totius humani generis peccata, quę ęternus Pater capiti meo imposuit, textrinę Crucis ligneo licio extenderis; *& clauum his circumligatum terræ fixeris*, id est, si clauis carnem meam terebraueris, Cruciq; confixeris, infirmus vsque ad mortem ero, pro vniuersali hominum salute. D

[Margin: *Claui Domini nostri in verbis Samsonis ad Dalilam præsignati:* Iudic. c. 16.]

Quo-

A Quocircà ſicut Samſon, licet capillis eo pacto alligatus humique confixus, viriliter nihilominùs ſurrexit, neque à Philiſthæis capi aut retineri potuit: ſic Chriſtus Dominus, licet clauis Cruci confixus ac mortuus ſepultus fuiſſet, glorioſè nihilominùs reſurrexit, nec à morte aut ab inferno capi aut retineri potuit. Quamobrem Rupertus Abbas appoſitè ad hoc inquit: *Peccata ſeptem Nazaræi capillis cum licio plexis, clauoque circumligatis, rectè ſignantur. Quia videlicet noſtra, id eſt, omnium qui in Chriſto credimus peccata, capiti eius admota, licioque telæ Euangelicæ complexa, clauiſque Crucis publica confeſſione circumnexa ſunt. Igitur omnia quidem Nazaræus Filius Dei in corpore ſuo pertulit peccata mundi, & pro omnibus vſque ad mortem infirmatus eſt, pro conditione carnis; ſed ex virtute Dei, cuncta ſuperando, ab inferno teneri non potuit, & in ſepulcro corruptionem non vidit.* In Iudic. lib. 1. c. 12.

Chriſtum Dominum clauis manibus pedibuſque configendum, iam multis anteà ſæculis Spiritus ſanctus per os Regij Prophetæ apertè innuerat; cùm in B eiuſdem Domini perſona prælocutus, dixerat: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Psalm. 21. Verùm id non tantùm innuerat, ſed etiam in ſpiritu oſtenderat ille alius Propheta, qui quaſi vehementer obſtupeſcens, vidiſſe quodammodò ſe vnigenitum Dei Filium, incarnatum Verbum, manibus ac pedibus vulneratum, ingenti admiratione correptus, eum interrogauerat in hunc modum: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Zachar. 13. Cui ipſe reſpondens, ait: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Quaſi diceret: Æternus Pater, & Spiritus ſanctus, qui in eſſentiæ vnitate, in diuinitatis æqualitate, & in amoris puritate, vt ego illis, ſic ipſi mecum coniuncti ſunt, in æternitatis domo vnà mecum decreuêre, vt pro humani generis ſalute his plagis affligerer. Quo charitatis exceſſu obſtupeſcentes homines, in me reſpicient, quem clauis transfixum, Cruci ſuffixerunt. Quocircà idem Propheta alibi in eiuſdem Saluatoris noſtri perſona prælocutus, inquit: *Et aſpicient in me, quem confixerunt.* Quaſi diceret: In vniuerſo terra- C rum orbe ſemper aderunt homines, qui in me reſpicientes, agnoſcent ac fatebuntur, me pro peccatis ſuis clauis transfixum, Cruci ſuffixum, ac mortuum fuiſſe.

A Dauide & Zacharia Prophetis prædicti.

Video equidem, Domine mi, fateor, agnoſco, firmiterque credo, te Creatorem & vniuerſorum Regem, pro me abiectiſſimo ac viliſſimo vermiculo, indigno, ingrato, & inter peccatores omnes ſceleſtiſſimo atque impuriſſimo, truculentiſſimis clauis transfixum, in Cruce mori voluiſſe. Punge, ah obſecro, & exſtimula cor meum, vera præteritarum offenſionum mearum pœnitentia. Transfige clauis timoris tui carnes meas; quoniam à iudiciis tuis timui. Confirma deliberationem meam fixis clauis firmiſſimæ voluntatis te numquam ampliùs offendendi. Inſere atque infige animæ meæ ſolidos ac tenaciſſimos clauos ſtabilitatis & firmitatis in tua ſancta fide Catholica, atque in tuæ ineffabilis bonitatis dilectione; ita vt in illa mihi numquam titubare aut vacillare contingat: D nec inde vllo vmquam tempore ſeiungar. Sit gratia tua, Domine, firmus clauus, & fluctuantis nauiculæ huius vitæ meæ tutiſſimum gubernaculum; ne in profundo tribulationum & calamitatum importuoſi & ſcopuloſi maris huius ſæculi ſubmergatur; néve, dum ſecundis flabris aſſentatricium aurarum & fallacium proſperitatum vela turgeſcunt, ſui ipſius iacturam faciat; ſed manus tuæ ſanctiſſimæ auxilio deducta, ineffabiliſque miſericordiæ tuæ dono, in tutiſſimum denique atque optatiſſimum ſalutis portum ex alto inuehi mereatur, vbi tu cum Patre & Spiritu ſancto in perpetua atque æterna felicitate viuis & regnas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ad Chriſtum clauis tranſfixum.

CAPVT XVI. A

De spongia, qua Dominus noster pendens in Cruce potatus est.

DVM benignissimus ac dulcissimus Dominus & Saluator noster Iesus Christus, pendens in Cruce, abundantissimè atque profusè pro nobis ingratis, indignis, ac miseris peccatoribus, proprium effundebat sanguinem pretiosissimum; quem aspera crudelissimorum clauorum vulnera ab ipso corporis pondere conscissa ac dilatata, quasi perennes fontes profundebant; ab anhela atque ardentissima siti, in anima & in corpore, sese impetitum sensit. In corpore quidem, propter angorem ac laborem nimium quem pertulerat, propter ingentem sanguinis vim quam effundebat, ac propter acerbos ac letales dolores quos patiebatur. Quibus profectò causis, omnia eius viscera & præcordia ita inflammabantur, dum radicale humidum absumeretur, vt efficerent ac redderent illum interiùs exsiccatum atque ambustum, propter intolerabilem sitim, qua præter ceteros immanissimos cruciatus, molestissimè torquebatur. In anima autem, ardentiore ac magis ignita siti dissolui planè videbatur, propter ardentissimum desiderium humanæ salutis, quo æstuabat. Quamobrem cùm dies ille ad nonam horam productus esset, alta voce clamans, dixit: *Sitio.* Quod verbum perpendens Ludolphus Carthusianus, sancti Bernardi verba referens, inquit: *Sitio, ait Christus, non Doleo. O Domine, quid sitis? Fidem vestram, salutem vestram, gaudium vestrum: plus animarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent; etsi non mei, saltem vestri misereminì.* Et deinde subiicit: *O Domine Iesu, coronam sustines, de tua Cruce & vulneribus tuis taces: & pro sola siti clamas, dicens: Sitio. Quid ergo sitis? Certè solam redemptionem hominis, & gaudium humanæ salutis.* B

Christi sitis ardentissima, in anima & in corpore.

Ludolph. Carthus. de Vita Christi, part. 2. cap. 63.

Magnæ profectò consolationis, cunctis sanctæ Ecclesiæ Catholicæ fidelibus esse debet hoc verbum *Sitio*, quod protulit Dominus ille, qui vult omnes homines saluos fieri. Eo enim apertissimè ostendit flagrantissimum salutis nostræ, quo tenetur, desiderium: cùm vehemens cupiditas, & ardens desiderium aliquod, nullo alio dicendi genere commodiùs quàm hoc ipso sitiendi verbo exprimi potuerit. Quapropter cùm Regius Propheta flagrantissimum promere vellet desiderium, quo ipsius anima Deo se coniungendi tenebatur; alio sanè modo nullo id apertiùs patefacere potuit, quàm sitibundi cerui cuiusdam comparatione, qui anhelans ad fontem viuum aliquem, vt bibat, pertingere cupiat, inquiens: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Quòd autem ardens desiderium aliquod dicatur sitis, imò quòd desiderium ipsum sitis animæ sit, Augustinus testatur, dicens: *Omnis, qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderij. Ipsum desiderium sitis est animæ.* Quapropter cùm ipsemet exprimere etiam vellet ardens desiderium, quo anima sua tenebatur se à mundi huius ærumnis & calamitatibus eximendi, vt summo bono, quod Deus ipse est, quàm primùm frueretur; hoc ipso sitis vocabulo id ostendere enisus est. Itaque cùm alibi eiusdem sitibundi cerui ab ipso Dauide comparationem mutuatus esset, verba sua ad Deum ipsum fontem viuum dirigens, inquit: *O fons vitæ, vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ? De terra deserta, inuia, & inaquosa, vt videam virtutem tuam, & gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio Domine. Fons vitæ, satia me: sitio Domine, sitio te Deum viuum. O quando veniam, & apparebo Domine ante faciem tuam? Putásne videbo diem illam, diem inquam iucunditatis & lætitiæ; diem, quam fecit Dominus, vt exultemus, & lætemur* C D

Verbo Sitio flagrantissimum humanæ salutis desiderium suum indicauit.

Psalm. 41.

In Psal. 62.

Soliloq. cap. 35. Tom. 9.

temur

A *temur in ea?* Hæc Augustinus, siue quicumque auctor illius libelli piis affectibus refertissimi, cui Soliloquiorum animæ ad Deum titulus est. Ex quibus verbis apertè probatur, sitim animæ nihil aliud esse quàm ingens & ardens aliquod desiderium: consequenter verò sitim ipsam, qua Christus Dominus angebatur, cùm pendens in Cruce, in mortis agone, *Sitio* declamauit, flagrantissimum reuerà humanæ salutis desiderium fuisse, quod tunc maximè ostendere voluit. At cæcutientes & perfidi Iudæi, cùm de siti corporali tantummodò intellexissent, arrepta spongia aceto turgida, arundinisque acumini superposita, ori sacratissimo admouerunt; cùm iam priusquam eum Cruci suffixissent, vt sanctus Euangelista Matthæus refert, iterùm vinum felle mistum, vel vt sanctus Marcus scripsit, vinum myrrhatum ei propinare voluissent: quod tamen cùm gustasset, bibere noluit. Quod sanè non sine ingenti mysterio factum credimus. Nam quòd Christus postquam vinum felle mistum degustasset, quod impij
B Iudæi propinauerant, bibere noluerit; id Hebræorum Synagogæ, ac populi Israëlitici reprobationem designauit: qui anteà à Deo optimo maximo adeò diligebatur, vt vinea Domini Sabaoth appellaretur. Id enim Isaias testatur, cùm inquit: *Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israël est.* Quæ tamen vinea adeò improba & ingrata extitit, vt acerbas labruscas non tantùm pro dulcibus vuis protulerit, quas ab ea iure Dominus expectabat; verùm tandem etiam pro dulci vino amarum fel ei propinauit, id est, amarissima ac truculentissima morte eum affecit. Cuius amaritudinem pro nostra quidem salute degustare dignatus est; dum morte in Cruce capta, anima eius benedicta, ab ipsius corpore sacratissimo triduo seiuncta est. Attamen amarissimam atque sæuissimam potionem illam bibere noluit. Nam à mortuis, numquam ampliùs moriturus, resurrexit; iuxta quod inquit Apostolus: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Quare Rupertus Abbas ait: *Per hoc autem,*
C *quòd oblatum sibi vinum felle mistum, cùm gustasset, noluit bibere, reprobationem significat vineæ suæ, scilicet Gentis Iudaicæ.*

Vinum felle mistum, à Christo cùm gustasset repudiatum, populi Israëlitici reprobationem designat. Isaiæ 5. Rom. 7. In Ioan. cap. 19. & De diuin. offic. c. 10.

Tunc autem verba Ieremiæ Prophetæ sunt adimpleta, qui Ierosolymorum ciuitatem, siue Hebræorum Synagogam, quasi in Saluatoris nostri persona prælocutus, dixit: *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum, vinea aliena?* Quæ quidem verba ad institutum certè nostrum appositè sanctus Hieronymus pertrahens, inquit: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Deus loquitur ad Ierusalem: Ego te plantaui vineam veram: quomodo facta es mihi in amaritudinem vitis aliena? Amara vitis amarum vinum facit, quod propinat Domino Iesu, vt impleatur quod scriptum est: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quod autem dicitur: Et cùm gustasset, noluit bibere: hoc indicat, quòd gustauerit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit.* Sanctus Ioannes Euangelista memoriæ prodidit, quòd ibi iuxta Cru-
D cem in monte Caluario præparatum stabat vas aceto plenum; cumque Dominus clamasset, *Sitio*, Iudæi aceto eodem spongiam replentes, eamque herbæ cuidam, quam hyssopum appellant, circumponentes, ori eius admouerunt: *Vas ergo*, inquit, *positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam aceto plenum hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* id est, arundinis acumini imponentes, vt sanctus Marcus scripsit, ori eius applicuerunt; quandoquidem propter Crucis altitudinem manu ad id pertingere nequibant. Quæ omnia magnis planè mysteriis altisque significationibus referta fuerunt. Quamobrem diuus Augustinus: *Vidit Dominus, quia consummata sunt omnia quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum & traderet spiritum. Atque vt hoc etiam consummaretur, quod Scriptura prædixerat; Et in siti mea potauerunt me aceto: Sitio, inquit, tamquam diceret: Hoc minus fecistis,*

Ierem. 2. In Matth. cap. 27. Ioan. 19. Marci 15. In Ioan. Tractat. 119 Idē etiam refert Beda in Marci cap. 15.

fecistis, date quod estis. Iudæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum: & tamquam de pleno vase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes velut spongiam, cauernosis quodammodò atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, & pectus purgat; ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, & se circumuenisse putauerunt. Vnde est illud in Psalmo: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor. Christi namque humilitate mundamur; quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens vsque ad mortem Crucis, non vtique sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus. Per arundinem verò Scriptura significabatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel Græca, vel Latina, vel alia quælibet, sonum significans, qui linguâ promitur; sic arundo dici potest littera, quæ arundine scribitur. Hæc Augustinus. A

Hyssopus Christi humilitatem significat. Psal. 50.

Per hyssopum autem, Christi Domini humilitatem signari, omnes pæne sacri Doctores testantur. Quapropter idem sanctus Augustinus de eadem herba alibi differens, de ea sic tradit: *Hyssopum herbam nouimus humilem, sed medicinalem, saxo hærere radicibus: Christi humilitatem significat.* Idem etiam testatur sanctus Hieronymus. Diuus verò Gregorius Magnus id itidem affirmans, de eadem herba sic prodit: *Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhærens, & parum vtilitatis in seipsa sui facie ostendens; quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, & virtutis suæ acrimoniam, si conteratur, ostendit. Quid ergo per hyssopum nisi Christi humilitas designatur? ipsa enim est, quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut illa pulmoni inflato exhibet medicinam.* B

In Psal. 50.

In Psalmos Pœnitentiales.

Innocentius autem Papa Tertius, ceterorum quoque sacrorum Doctorum opinionem secutus, cùm de eadem herba hyssopo ageret, inquit: *Hyssopus est herba humilis, sed medicinalis, quæ figit radicem in petra, & valet ad purgandum pulmonem. Hæc humilitatem significat, quæ figit in humili Christo radicem; purgatque inflationem pulmonis, id est, tumorem mentis depellit.* Et posteà subnectit: *Tu ergo Domine asperges me hyssopo, id est, per virtutem humilitatis, rore gratiæ me perfundes, & mundabor à sordibus vitiorum.* Impij igitur Iudæi, improbitate atque perfidia obcæcati, non intelligentes, veri Messiæ & mundi Redemptoris sitim de sua ipsorum salute extitisse; acetum, quod vinum vetus est deprauatum, ei propinarunt. Qua in re non odij tantùm ac peruersæ in Christum voluntatis iniquitatem apertè prodiderunt, verùm etiam manifestum dedêre præsagium, quòd in pertinacia, & in veteri Adamo morituri essent. Vnde appositè Augustinus: *De Cruce cùm diceret, Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: sed illi homines, quid propinarunt sitienti? Acetum: acetum enim vinum vetus dicitur. Meritò de vetere homine propinarunt, quia noui esse noluerunt.* C

In quartũ Psalm. Pœnit.

In Psal. 68.

Vbi verò Saluator noster acetum, quod Iudæi ei propinauerant, gustasset, dixit, *Consummatum est.* Consummare est omnes numeros in vnam summam redigere, id est, omnia facta atque perpessa summatim perstringere. Quamobrem, postquam Christus Dominus omnes pœnas, omnia ludibria, omnesque cruciatus perpessus esset, quos in passione sua passurum se esse sciebat ac volebat; cùm nihil aliud prorsus quàm mors ipsa sibi sustinenda superesset, antequam spiritum emitteret, omnia quæ pro nobis miseris in hoc mundo sustinuerat, in mentem sibi ipse reuocans, omniaque in vnum colligens & coaceruans, atque in vnam summam cumulumque perstringens, æterno Patri obtulit, dicens, *Consummatum est.* Quasi diceret: Consummata atque impleta sunt Prophetarum vaticinia, sacrificiorum figuræ, pœnarum acerbitates, culparumque animaduersiones. Consummatum est opus obedientiæ, quod assumpseram. D

Pia de verbo CONSVMMATVM EST *meditatio.*

A ram. Consummata est tota passionis meæ operatio, tibique Pater æterne pro humani generis salute illam offero, vt hæc passionis meæ consummatio, omnibus credentibus in me, ac præceptis meis obtemperantibus, æternæ vitæ salutisque sit causa. Ad quod alludens Apostolus, inquit: *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Hebr. 5.

Demum verò cùm Saluator noster dixisset, *Consummatum est*; inclinato capite emisit spiritum: videlicet, auctoritate propria, non præter eius voluntatem, non inuitus, non repugnans; sed quando voluit, sponte beatissimam animam suam extra corpus emisit, à nemine impulsus aut coactus: planè in hoc euidenter ostendens, se non tantùm voluntariè ac libentissimo animo pro redemptione nostra mori; sed & vitam hanc, cùm sibi placitum esset, dimittendi & resumendi absolutam habere potestatem, iuxta illud, quod ipsemet dixerat: *Ego pono animam meam, & iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me* B *ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Diuinæ potestatis indicium est*, inquit Hieronymus, *emittere spiritum, vt ipse quoque dixerat: Nemo potest tollere animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & rursum accipiam eam. Quis ita dormit, quando voluerit*, infert Augustinus, *sicut Iesus mortuus est, quando voluit? Quis vestem ponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? Quis ita cùm voluerit, abit, quomodo cùm voluit, obiit? Quanta speranda, vel timenda potestas est iudicantis, si tanta apparuit morientis?*

Christi mors omnino voluntaria.

Ioan. 10.

In Ioan. Tractat. 119 in fine.

Quòd Redemptor noster, statim post aceti & hyssopi delibationem, spiritum emiserit, nonnullis materiam suspicandi videtur præbuisse, acetum herba illa eo pacto condîtum, his qui in mortis agône constituti sunt, vitæ adimendæ vim habuisse; ideoque Christo Domino propinatum, quò citiùs moreretur. Quod his breuiter Theophylactus innuit: *At alij impietatem suorum morum declarantes, aceto eum potant, id quod condemnatis faciebant, quia hyssopum propter hoc* C *aderat, vt letale.* Et sanctus Anselmus apertiùs tradit, acetum Christo Domino propinatum, vt citò expiraret: *Erat autem*, inquit, *vas positum aceto plenum, & currens vnus, implens spongiam aceto, & circumponens hastæ, dabat ei bibere, vt citiùs moreretur.*

Acetum cum hyssopo Christo à Iudæis propinatum, mortis accelerandæ caussa, quidam opinantur.

Theophyl. in Ioan. cap. 19.

Anselmus in Dialog. de passione Domini.

Verùm Ludolphus Carthusianus præcipua animaduersione id ponderat, institisse Iudæos videlicet, vt Christo Domino bis acetum propinarent, vt ex sancti Matthæi textu colligitur; semel ante, atque post crucifixionem iterùm. Huiusque duplicis potationis, pro animi quidem sui sententia, rationem reddit hoc modo: *Et est ratio potationis, & ratio geminationis huius. Dicunt enim quidam, crucifixos citiùs mori, si aceto potentur. Et ideò potatus est iste, & non alij, vt citiùs moreretur. Et hoc vel instinctu Iudæorum, qui captabant maximè mortem Christi, vel ex tædio militum, vt citiùs à custodia eius absoluerentur, quia tædebat eos ibi morari.*

De vita Christi, parte 2. cap. 63.

At aliorum ea est sententia, acetum illud hyssopo condîtum, Christo Domi- D no propinatum, nõ certè quò citiùs moreretur, quasi vicem ipsius misererentur; verùm potiùs, vt diutiùs in Cruce torqueretur. Quæ quidem opinio, verosimili admodum inniti videtur, ex Iudæorum iniquitate & improbitate magna, atque odio implacabili, quod in Christum conceperant; quod sanè adeò virulentum atque peruersum erat, vt cruciatuum atque pœnarum ipsius in Cruce prospectio illos summopere delectaret. Irridebant enim ac blasphemabant eum, mouentesque capita sua, ei dicebant: *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Salua temetipsum; si Filius Dei es, descende de Cruce.* Principes verò Sacerdotum & Scribæ illudentes ei, dicebant: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere?* aliaque ironica & pungentia verba subiungebant, quæ sacro in Euangelio referuntur. Ex quibus apertissimè colligitur, impios ac scelestissimos illos,

Alij contrà verius sentiunt.

Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

illos, ingenti voluptate perfusos, quòd eum licet morientem, summis tamen cruciatibus atque acerbissimis doloribus torqueri & confici perspicerent. Ac non verosimili tantùm, sed naturali etiam vi opinio ista inniti comprobatur. Etenim ex virtute, quæ aceto, hyssopo, & spongiæ, singulis quidem eorum præcipuè, sed omnibus simul efficaciùs à natura ipsa insita est, sanguinem sistendi, apertè nobis prodi ac demonstrari videtur, causam & finem, ad quem Christo Domino in Cruce pendenti acetum hyssopo mistum propinatum est, illum profectò non fuisse quò citiùs moreretur; verùm potiùs ea de causa, vt eo sistente sanguinem qui ex clauorum vulneribus profusiùs manabat, non tam citò neque tam facilè moreretur, sed vt diutiùs acerbissimis cruciatibus, ac truculentissimis doloribus torqueretur. Imò, quòd ibi iuxta Crucem de industria præparatum erat vas aceto plenum, vnà cum hyssopo, spongia & arundine; videtur etiam ex eo euidenter elici, apud Hebræos impiam & crudelissimam consuetudinem hanc, miserrimos crucifixos aceto, hyssopo, cum spongia potandi, passim receptam; non quidem vt maturiùs decederent, sed vt prolixiùs discrutiarentur, atque vt acerba & dira eorum pœna longiori tempore prorogaretur, vt accuratè admodum Cardinalis Baronius etiam annotauit, cùm inquit: *Quorsum hæc omnia parata ex industria erant, nimirum vas aceto plenum, spongia, hyssopus, & arundo? Certè hæc non casu in monte extra vrbem posito sunt inuenta. Sed si consideremus attentiùs, quis esset horum singulorum vsus ac virtus; rem integram procul dubio intelligemus. Simulque esse commentum certò sciemus, quod aliqui dixerunt, ad accelerandam reorum mortem consueuisse Iudæos cruci affixis propinare acetum.*

Annal. Tomo 1. anno Christi 34.

Aceto, hyssopo, & spögiæ, sanguinem sistendi vis insita.

Aceto autem sanguinem sistendi virtutem inesse, eamdemque hyssopo & spongiæ, maximè verò omnibus his simul commistis, insidere, locis quamplurimis memoriæ prodidit Plinius, præsertim verò vigesimo tertio libro, & capite primo suæ naturalis Historiæ; vbi testatur, acetum, in quo hyssopi fasciculus infusus fuerit, vim quamdam sistendi sanguinem habere, si calidum spongiâ applicetur vel propinetur. Eamdem quoque virtutem sistendi sanguinem ipsi aceto potato, tribuit etiam Dioscorides; inquit enim: *Acetum erumpentem vndecumque sanguinem potu sistit*. Quòd verò vim eamdem non sistendi sanguinem tantùm, sed etiam vulnera consolidandi, ipsa etiam spongia obtineat, sæpiùs idem Plinius repetit his verbis: *Veteres spongiæ conglutinant vulnera*. Et paulò pòst addit: *Spongiis vulnera vtilissimè fouentur*. Nec post multa, de eisdem spongiis adhuc agens, subdit: *Ipsæ vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccæ, nunc aceto inspersæ*. Et demum sæpè dictarum spongiarum materiam prosecutus, in hunc modum concludit: *Sanguinis profluuium sistunt, ex aceto, aut frigida*. Quibus Plinij auctoritatibus, antiquorum vsus & consuetudo, quod diligenter etiam Baronius animaduertit, optimè consentit. Nam cùm gladiator aliquis vulnera accepisset, spongias ei illicò subministrabant, quibus sibi sanguinem sisteret. Quam consuetudinem Tertullianus, licet breuiter & subobscurè, vt assolet, his verbis innuere videtur: *Poterit & de misericordia moueri defixus in morsus vrsorum, & de spongiis retiariorum.*

Lib. 5. c. 14.

Lib. 31. c. 11

De spectaculis, c. 25.

Ex supradictis igitur satis apertè & euidenter coniici videtur, non accelerandæ quidem mortis causa miserrimis Cruci affixis acetum propinari solitum; sed potiùs, vt diximus, ad sanguinem eorum sistendum, quò diutiùs discruciarentur ac torquerentur. Quin etiam idem Baronius autumat, vas illud aceto plenum, vnà cum hyssopo, spongia & arundine præparatum, ibique de industria in promptu haberi consuetum, non tantùm ad propinandum iis qui Crucibus suffigebantur, sed vt arundini affixam spongiam, aceto, hyssopique succo turgidam, vulneribus eorum admouerent, quò sanguis profluens illicò sisteretur:

A retur: huius rei non leuem coniecturam capiens, quòd ſpongia ſacratiſſima, qua Dominus potatus eſt, in Baſilica Lateranenſi Romæ ad hunc vſque diem ſumma cum veneratione aſſeruata, ruborem quemdam adhuc retinet, tamquam ſanguine olim tincta fuiſſet. Ex quo argumentum ipſe ducit, quòd ſpongia illa, clauorum vulneribus priùs admota, & ſanguine turgida, poſtquam fuiſſet compreſſa, denuoque aceto & hyſſopi ſucco madefacta, Chriſti ori ſacratiſſimo, vt eam exſugeret, (prô ſcelus abominandum!) porrecta fuiſſet. Demumque idem Baronius orationem colligens, atque concludens, ait: quòd etſi ſtatim poſt acetum deguſtatum, Dominus dixit, *Conſummatum eſt*; & inclinato capite tradidit ſpiritum; id tamen non idcircò euenit, quòd potus eiuſmodi ex ſui natura (vt nonnulli perperàm dixerunt) mortem accelerandi vim aliquam haberet; ſed potiùs Deo ſic diſpenſante, ne diutiùs ſuperuiuens, ad crurifragium reſeruaretur. Cùm de eo prophetice prædictum fuiſſet: *Os non comminuetis ex eo.* Imò B quia crurifragium, maximum omnium cruciatuum ac pœnarum erat, quas Cruci affixi ſuſtinerent; eiuſdem Baronij eſt ſententia, non humanitatis quidem intuitu, ſed ferali potiùs quadam ſæuitia, conſueuiſſe Iudæos, Cruci affixis, aceti, hyſſopi, & ſpongiæ applicare remedia: vt defluentem eorum ſanguinem ſiſtentes, diutiùs pœnis atque ærumnis illis truculentiſſimis diſtinerentur; donec nocte appropinquante, crudeliſſimo crurifragio ante ſolis occaſum (vt mos erat) demum necarentur.

Hæc ſpongia ſacratiſſima, Ieroſolymis olim viſebatur in Domini calice aſſeruata, vt memoriæ proditum eſt libello illo peruetuſto, cui titulus eſt, *De locis ſanctis*, à venerabili Beda in compendium redacto; cuius hæc ſunt verba: *In platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcrinio lo reconditus, per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix, duas hinc & inde habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit; in quo eſt illa ſpongia* C *Dominici potus miniſtra.* Verùm hæc ſpongia ſacratiſſima, noſtris temporibus hîc Romæ in Lateranenſi Baſilicâ, vt ſuperiùs diximus, ſummo honore aſſeruatur. Nec eſt cur ſcrupulum aut dubium nobis ingerat, quòd apud nonnullos Hiſtoricos legitur, ſpongiam hanc, vnà cum aliis ſacris Reliquiis, & Chriſti paſſionis inſtrumentis, à Balduino Conſtantinopolitano Imperatore, Venetorum Reipublicæ oppigneratam, & poſteà à Ludouico ſancto Francorum Rege, eodem Balduino permittente, perſoluto pignore, in Galliam tranſlatam, atque Lutetiæ Pariſiorum in Regio ſacello, quam ſanctam Cappellam vocant, collocatam; cùm facilè dari poſſit, hanc Chriſti Domini ſpongiam ſacratiſſimam, in duo, vel etiam plura fruſta diuiſam fuiſſe; atq; illam Franciæ, partem iſtius eſſe.

De locis ſanctis, cap. 2.

Sacratiſſima ſpongia Romæ in Lateranẽſi Baſilica aſſeruatur: eiuſdemq; pars Pariſiis in Regio ſacello.

Acetum verò, quod impij ac perfidi Iudæi Domino propinarunt; præter eas quas ſuperiùs ſignificationes diximus, legem etiam illorum ſignaſſe videtur, quæ poſt Chriſti mortem, quaſi acetum, id eſt vinum vetuſtate euaneſcens, atq; D ſapore & dulcedine deperdita, quoad litteram, inutilis & inſipida potio ſit effecta; ita vt bibi, id eſt obſeruari ampliùs non debeat. Quocircà in Gloſſa ordinaria dicitur: *Acetum etiam figura eſt Legis, quæ quantum ad litteram, dulcorem vini amiſit. Vnde & inepta facta eſt ad potum, nec ampliùs ſeruanda.* Aſperam atque amaram aceti & fellis potionem, quam Hebræorum Synagoga, quaſi vinea ingrata, plantatori, ac vero Domino ſuo Chriſto Ieſu propinatura erat, magnus ille Propheta, magnuſque Dux Moyſes prædixerat, inquiens: *Vua eorum, vua fellis, & botrus amariſſimus.*

Acetum figura Legis, quæ dulcedinem vini amiſerit.

Gloſſa ord. in Ruth c. 2.

Amara hæc Chriſti potio a Prophetis prædicta.

Deut. 32.

Eamdem quoque amaram potionem verbis præſignauit etiam Ieremias Propheta; dum quaſi in Chriſti perſona, de eadem impia atque ingrata Synagoga conqueſtus, inquit: *Satiauit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* Prophetauit

Thren. 3.

K

phetauit Habacuc quoque, quòd Hebræorum populus, iam Deo apprimè dilectus, Messiæ, vero amico suo, non fel tantùm propinaturus esset, sed vestibus eum expoliaturus, magnam quoque voluptatem capturus, cùm nudum eum, ac summa ignominia affectum, in Cruce pendentem prospiceret. Videturque eidem populo interminatus esse calamitates, maledictiones, atque ruinas, quas propter nequissimum scelus illud, & propter Christi mortem passurus erat, cùm dixit: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem suam.* A

Habac. 2.

Oratio ad Christum aceto & felle potatum.

Dulcissime Domine Iesu Christe, Rex meus, Deus meus & Redemptor meus, qui pro anhela atque ardenti nostræ salutis siti, acetum & amarum fel pro nobis miseris degustasti; te suppliciter obsecro, (quod summæ gratiæ loco mihi concedere digneris) vt te semper sitiam viuum ac verum vitæ fontem, fontem omnis dulcedinis & gaudij, fontem veræ scientiæ atque certissimæ sapientiæ, fontem veri luminis & charitatis, torrentem omnium virtutum atque gratiarum affluentissimum; flumen quo ciuitatem Dei lætificas, quodque è cælesti ac sancto monte tuo in imam hanc miseriarum ac lacrymarum vallem illapsum, aridam ac maledictam terram nostram pretioso sanguine tuo irrigasti, benedictionibusque repleuisti: ac demum te immensum atque vastissimum misericordiæ pelagus ostendens, super omnes fideles tuos innumerabilium gratiarum profluuio diffunderis. Influe aquas fauoris tui in animam meam, vt non ampliùs terra sterilis & arida sit; sed tamquam hortus fertilissimus, bonorum operum fructus vberrimos tibi prodat ac referat. Fac quæso, vt de te bibens, & in te me ipsum immergens, te semper ampliùs sitiam: atque vt amore tuo flagret & ardeat cor meum; ita vt corde te diligens, ore te laudans, & opere te subsequens, me ipsum totum in te transfundam atque immergam. Placeat tibi, vt ego quoque pro tui amore, huius sæculi calamitatum ac persecutionum acerbum acetum libenter degustem; vt sine molestia & nausea myrrhatum vinum mortificationis carnis ipse quoque bibam: vt magno stomacho amarulentum fel detractionum, iniuriarum & calumniarum diglutiam: vt denique in amaritudine compunctionis ac pœnitentiæ meæ, omne odium, angor animi, & omnis offensionum memoria obruatur ac deleatur. Concede, vt calicis tui amaritudinem & acerbitatem non perhorrescam, sed læto & intrepido corde eum sumens, ambabusque manibus complectens, pro salute mea hilariter ex eo bibam; ita vt sitienti animæ meæ, amoris tui gratia, amara pro dulcibus semper probentur. O benignissime Domine, qui pro nobis miseris acerbo & amarulento aceto degustato, *Consummatum est*, dixisti; innuens, gloriosum, benedictum ac sanctum redemptionis nostræ opus, quod infinitis laboribus & sudoribus cœperas, acerbissimis doloribus iam ad finem feliciter esse perductum. Benedictum propterea in æternum sit nomen sanctum tuum. Ea enim omnia consummasti, vt his adiuti, nos quoque optimo fine consummemur. Gratiam ah (deprecor) mihi impertire, vt sancta tua impleam præcepta: atque vt in viis tuis, de virtute in virtutem gradiendo, sic proficiam, vt opus peregrinationis huius, quod hîc mihi commisisti, feliciter consummem; ita vt gratia tua donante atque ducente, ad videndum pertingam te verum omnis perfecti optimique operis consummatorem: vtque æterna lætitia & exultatione perfusus, indesinenter concinere valeam: *Omnis consummationis vidi finem*, in sæcula sæculorum. Amen. B C D

CAPVT

A

CAPVT XVII.

De lancea, qua Domini nostri Iesu Christi in Cruce pendentis latus perfossum est.

CVM aduenisset hora illius diei, qui nobis semper felix & fortunatus illuxit, quo diuino & incarnato Verbo propriam carnem suam in sacrificium æterno Patri, super sanctæ Crucis altare, in peccatorum nostrorum expiationem, & humani generis redemptionem offerre placuit; postquam alta voce proclamans, ardentem qua æstuabat nostræ salutis sitim palàm protulisset, omniaque acerbissimæ & amarissimæ passionis suæ vaticinia atque mysteria consummata esse declarasset, vt præcedenti Capite demonstrauimus; magna
B voce clamans emisit spiritum, vt gloriosi Euangelicæ veritatis scriptores Matthæus & Marcus referunt. Verùm non declarauerunt, neque scripto ad posterorum memoriam transmiserunt, quid Saluator noster pendens in Cruce, è sacratissimo pectoris scrinio, sua illa voce deprompserit suprema: quod tamen pro nostro spirituali solatio atque doctrina sanctus Lucas litteris commendauit, inquiens: *Et clamans voce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens, expirauit.* Super quibus verbis Origenes: *Magnam vocem clamare, & sic emittere spiritum, quod est, in manus Domini commendare spiritum, aut inclinare caput, & tradere spiritum, non est nisi tantùm Sanctorum, qui bonis operibus Deum sibi præparauerunt, sicut & Christus, vt possint exeuntes de mundo fiducialiter in manus Dei commendare vel tradere spiritum. Si ergo intelleximus, quid est inclinare caput, & tradere spiritum, festinemus vitam nostram seruare, vt in exitu nostro possimus & nos magnam vocem clamare, & sic emittere spiritum, aut inclinare caput, &*
C *tradere spiritum, sicut Iesus, qui inclinauit caput, & quasi supra Patris gremium illud repausans, exiit; qui poterat illud in sinu suo fouere & confortare. Quòd si vis audire, quid profuit Christo magnam vocem clamasse, & sic emisisse spiritum; id est, in manus Domini commendasse spiritum; audi quod dicit Propheta: Propter hoc enim non dereliquit animam eius in inferno, nec dedit eum videre corruptionem. Si ergo & nos ita nos gesserimus, vt possimus commendare spiritus nostros in manus Dei, aut inclinare caput super gremium Dei, & sic tradere spiritum; sine dubio neque nostras animas derelinquet in inferno, nec dabit nos in corruptione in perpetuum manere. Sed qui illum post diem tertium reuocauit ab inferis, & nos reuocabit in tempore opportuno: & qui illi donauit, vt non videat caro eius corruptionem; nobis donabit, non quidem vt non videat caro nostra corruptionem, sed vt liberetur à corruptione tempore opportuno.* Hæc Origenes.

Lucæ 23.

In Matth. Tractat. 35

Præterea secum ipse expendens atque perquirens, quidnam causæ esse potuerit, quòd Centurio, id est Dux militum eorum qui ad Christi pendentis in Cru-
D ce custodiam deputati fuerant, statim vt eum expirasse vidit, exclamauit, dicens: *Verè Filius Dei erat iste.* postquam huius rei causam in alia prodigia & miracula, quæ idem Centurio in illo temporis momento fieri perspexit, reiecisset; subnectit, consueuisse Romanos lanceis sub axillis percutere eos quos Crucibus suffixissent, quò celeriùs decederent. At cùm Dominus noster Iesus Christus eo modo percussus non fuisset, vt naturali æstimatione coniici poterat, pluribus horis adhuc superuicturus erat: quod ceteris Cruci affixis plerumque contingere solebat, qui cùm sub axillis percussi non essent, vt quandoque fiebat his qui atrociora scelera perpetrauerant, quò diutiùs cruciatibus torquerentur; non per totam diem illam ac sequentem noctem tantùm, verùm & per alteram etiam subsequentem diem superuiuere consueuerant. Cùm igitur Christus Dominus,

Centurio cur exclamarit: Verè Filius Dei erat iste.

minus, post tres horas tantùm ex eo tempore quo in Crucem actus fuerat, expirasset, contra perfidorum Iudæorum expectationem, qui prolixiori tormento eum torqueri voluissent; id magno prodigio adscriptum fuit, eaque inter ceteras causas præcipua forsitan esse potuit, qua idem Centurio permotus exclamauit, dicens: *Verè Filius Dei erat iste.* A

Aut fortasse tam citò decessit Christus, subiungit idem Origenes, quia cùm potestatem haberet ponendi animam suam, eam posuit quando sibi placuit: & vt summatim dicam, magno miraculo adscriptum est, inquit, Christum Dominum post trium horarum curriculum tantùm expirasse; quandoquidem pro more eorum, qui Crucibus affigebantur, & sub axillis non vulnerabantur, per duos dies forsitan adhuc superuicturus erat: ita vt videatur præcipuum donum Dei, & magnum beneficium extitisse, quòd tam citò decesserit; idque merito orationis suæ potiùs, quàm Crucis violentiæ adscribendum: *Miraculum enim erat*, inquit, *quoniam post tres horas receptus est, qui fortè biduum victurus erat in Cruce, secundùm consuetudinem eorum, qui suspenduntur quidem, non autem percutiuntur: vt videretur beneficium Dei fuisse, quòd exspirauit; & meritum orationis eius magis, quàm violentia Crucis.* B

Origenes, loco superiùs citato, paulò inferiùs.

Quòd autem qui Crucibus affigebantur, nec sub axillis vulnerabantur, vt superiùs diximus, prolixè in Cruce pendentes, ac truculentissimis cruciatibus torti, diutiùs vitam protrahere consueuissent, fidem astruit gloriosi Apostoli Andreæ passionis historia: qui, vt alibi iam diximus, pendens in Cruce, ac docens populum, biduo superuixit. Quin etiam in sanctorum Martyrum Actibus complura eiusmodi comperiuntur monumenta: inter quæ insigne ac notatu dignum illud est, quod Romano in Martyrologio refertur de sancto Victore Amiternæ ciuitatis, quam recentiores Aquilam nuncupant, Episcopo; is enim capite ad terram verso Cruci suffixus, biduo superuixit. Quod magna planè admiratione dignum fuit, tamdiu vitam protrahere eum potuisse, in ea nimirum crucifixione, & corporis positione, ad longum vitæ spatium nullo pacto accommodata. Sed longè maiore admiratione illud dignum prorsus censendum, quod in eodem Romano Martyrologio proditum est de sanctis Timotheo & Maura coniugibus, gloriosisque Martyribus, qui cùm in Thebaide Ægypti Cruci affixi fuissent, nouem superuixerunt dies; in qua pendentes, seipsos vicissim cohortantes, atque in sancta fide confirmantes, gloriosam martyrij coronam adepti sunt. Sic enim ex eodem Martyrologio: *In Thebaide, sanctorum Timothei & Mauræ coniugis, quos Arianus Præfectus, post multa tormenta, Cruci affigi iussit, in qua nouem diebus viui pendentes, ac seipsos in fide roborantes, martyrium consummarunt.* C

Multi in Cruce biduo, & diutiùs superuixère.

Rom. Martyrolog. die 5. Septéb.

Sub die 3. Maij.

Magno igitur prodigio ac miraculo adscriptum fuit, Christum Dominum nostrum tam citò expirasse. Quocircà cùm vir ille optimus Iosephus ab Arimathia, Pilatum adiisset, petendi ab eo corporis gratia, quò sepulturæ traderet, vehementer obstupuit, quòd tam citò decessisset. Quod fortè etiam ideò factum est, vt alibi tradit Origenes, quia Christus spiritus sui è corpore emissionem maturare voluit, vt corpus suum integrum præseruaret, ne crura sibi suffringerentur. *Et fortassis ideò*, inquit, *maturauit egressum è corpore, vt conseruaret integrum, nec frangerentur eius crura.* Quod diuus etiam Cyprianus innuit, dicens: *Nam & Crucifixus, præuento carnificis officio, spiritum spontè dimisit.* Idque, vt in figurato & immaculato Agno Christo Iesu, re ipsa, & facti veritate, obseruaretur ac perficeretur illud quod olim in figura, iubente Deo, apud Hebræos inuiolabili consuetudine receptum erat, ne agni illius, quem in Paschate comedebant, os vllum confringerent. Quamobrem cùm sanctus Euangelista Ioannes rationem D

Citiùs Christus mori voluit, ne crurifragium pateretur.

Origenes contra Celsum, lib. 2.

Cyprianus de Idol. vanitate.

A nem redderet, cur Christo Domino crura non fuerint confracta, vt duobus latronibus factum est, meritò inquit, *Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Ioan. 19. Exod. 12. Numer. 9.

Consueuerant Hebræi Crucibus suffixis crura diffringere, vt acerbissimo & intolerabili illius fracturæ dolore confecti, eò citiùs decederent, & eodem die, quo erant in Crucem acti, sepulturæ demandarentur, vt Moysis lege expresse cautum erat: cuius legis verba, vt à Tertulliano interpretata fuere, superiùs octauo capite recensuimus. Verùm carnifices, cùm duorum latronum crura suffregissent; vt idem facerent, ad Christum accesserunt. At cùm eum iam mortuum comperissent, superuacaneum duxerunt, id laboris subire: ea igitur intacta & integra reliquerunt. Vnde Lactantius Firmianus: *Suffixus itaque Christus, cùm spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putauerunt ossa eius suffringere, sicut eorum mos ferebat.* Vbi notandum est, Firmianum cautè dixisse: *Sicut eorum* B *mos ferebat.* Nam Hebræi, ne legis præceptum, quod superiùs innuimus, infringerent, Crucibus affixorum crura diffringebant, vt in tuto essent, quòd eodem die mortem obirent, atque ante Solis occasum eorum possent humare cadauera. Etenim illius fracturæ dolor adeò crudelis atque intolerabilis erat, vt miserrimis illis proculdubiò vitam illicò adimeret; forsitan propter occultum & naturale vinculum, quo vitales spiritus genibus sunt alligati, vt tradit Plinius; cuius illa est opinio, inibi vitalitatem præsertim consistere. Ideò inquit, *In ipsa genu vtriusque commissura, dextera læuaque, à priore parte, gemina quædam buccarum inanitas inest; qua perfossa, ceu iugulo, spiritus fugit.*

Crurifragium adhibebant Hebræi, quò citiùs reus moreretur, eodem quo in Crucem actus die sepeliêdus. Lactantius Diuinarum Instit. c. 26. Nat. Hist. lib. 11. c. 45.

Non erat tamen hæc feralis immanitas in miserrimos Cruci affixos alibi semper, præterquam apud Hebræos obseruata, & hoc quidem ob eam quam superiùs recensuimus causam. Nam apud ceteras populorum nationes, crurifragium erat quoddam peculiare supplicium, à crucifixione diuersum, atque C seorsum reis infligi solitum; quod propter truculentissimam eius sæuitiam, fuit posteà, vt dicemus, piè sublatum: quo etiam vt vili, & nimiùm atroci, Romani ipsi raro aut numquam ferè præterquam in seruos vtebantur. Etenim id supplicij genus inter cetera, apud eos seruile habebatur, quo misera & abiecta illa hominum conditio plecteretur. Quapropter hæc Plautus:

Extra Iudæã, diuersum istud supplicium à crucifixione. Romani eo in seruos vsi sunt.

—— *Crura hercle diffringentur.*
Age impudice, ni istum impudicum percies.

In Asinaria, Actu 2. in fine.

Et Seneca hunc morem puniendi miseros seruos, apertiùs prodit his verbis: *Magnam rem sine dubio fecerimus, si seruulum infelicem in ergastulum miserimus: quid properamus verberare statim, crura protinus frangere?* Idem etiam ex Suetonio elicitur, qui supplicij huius, quo in seruos animaduertere solebant, locis pluribus meminit; præsertim verò in Augusti atque Tiberij Vitis; præter plures diuersorum scriptorum auctoritates, quas suis in Romanum Martyrologium Annota- D tionibus citat Baronius, sub die quarta Maij. Fuit tamen hoc crudele supplicium quandoque liberis etiam hominibus inflictum, sed nimia plerumque crudelitate, ira & odio impellente. Cuius rei atrox quoddam & immane nimis monumentum, in Tractatu suo De crudelitate, ad posterorum memoriam Valerius Maximus prodidit de Lucio Sylla, qui Marco Mario Gratidiano Prætori crura diffringi, oculos erui, manus abscindi, & vt summatim dicam, totum corpus in frusta paulatim concidi iussit. Quam feralem, & ab omni prorsus humanitate alienam barbariem abhorrens ac nauseans, refert etiam Seneca in Tractatu suo de Ira; inquit enim: *Vtinam ista sæuitia intra peregrina mansisset exempla, nec in Romanos mores, cum aliis aduenticiis vitiis, & suppliciorum irarumque barbaria transisset! Marco Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure &*

De ira, libro 3. *At Sylla in Marcum Marium crudeliter abusus:* Valerius Maxim. de crudelitate, lib. 9. c. 2. Seneca de Ira, lib. 3. cap. 18.

vino populus Romanus supplicabat, Lucius Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari A
manus iussit.

Et tyranni in sanctos Martyres.

Feralis hæc immanitas crurium fracturæ, quam Latini *crurifragium* appellant, Græci verò σκελοκοπίαν, sanctis quoque Christi Martyribus sæpè, ac locis diuersis inflicta fuit. Quamobrem recensurus Eusebius Cæsariensis varia ac truculentissima moriendi genera, quibus Christiani diuersis prouinciis Orientalibus in Maximini persecutione subiiciebantur, de his qui erant in Cappadocia sic tradit: *Martyres partim securibus percussi interierunt, sicut his qui erant in Arabia contigit; partim cruribus confractis diuexati, veluti his qui erant in Cappadocia contigit.* Quorum Sanctorum Romanum quoq; Martyrologium sub die XXIII. Maij his verbis meminit: *In Cappadocia commemoratio sanctorum Martyrum, qui in persecutione Maximini confractis cruribus necati sunt.* Hoc crudelissimo supplicio, pari modo in ciuitate Nicomediæ, Diocletiani Imperatoris temporibus, sanctus Hadrianus vnà cum aliis viginti tribus Christianis trucidatus est. Cuius passionis in eodem Martyrologio hæc habetur mentio: *Nicomediæ sancti Hadriani Martyris, cum aliis viginti tribus, qui omnes sub Diocletiano Imperatore martyrium crurifragio consummarunt.* B

Ecclesiast. histor. lib. 8 c. 24.

Die 8. Septemb.

Modus frangendi crura.

Crucibus autem affixis, dum adhuc pendentes viuerent, crura suffringi consueuerant, quibusdam magnis hastatis gladiis, id est, hastarum cuspidibus impactis, aut aliis quibusdam ferreis instrumentis, quæ Nonnus πολυόδοντα σίδηρον appellat, id est, multorum dentium ferrum. Ceteris verò, qui in Crucem acti non erant, sed ad crudele crurifragij supplicium erant damnati, crura incudibus extensa, ingentibus malleis, aut ferreis vectibus crudelissimè diffringebant & obterebant, vt ex peruetustis sanctorum Martyrum Actibus elicitur; præsertim verò ex his quos Surius edidit, quibus sancti Hadriani martyrium describitur. Verùm hoc truculentissimum supplicium, vt nimis inhumanum & efferatum, à pio ac magno Constantino Imperatore vnà cum Crucis patibulo expresse posteà vetitum atque sublatum fuit, vt Sextus Aurelius Victor testatur: *Denique Constantinus cunctos hostes, honore ac fortunis manentibus, texit recepitque; eò pius, vt etiam vetus teterrimumque supplicium patibulorum, & cruribus suffringendis, primus remouerit.* C

Surius Tomo 5. sub die 8. Septemb.

Crurifragium vnà cum Crucis supplicio à Constantino Imp. sublatum.

Victor in Constantino.

Christo lanceà latus apertum.

Christo igitur Domino crura minimè confracta fuère, ex causis quas suprà retulimus; verùm vnus ex militibus lancea latus eius percussit, & aperuit: forsitan experiendi causa, vt sanctus Cyrillus ait, an verè mortuus esset; vel vt Iudæis applauderet, vt inquit sanctus Ioannes Chrysostomus. Nos verò asseuerantes dicimus, id Deo sic expresse dispensante factum fuisse. Etenim sacratissimi lateris illius apertione, verè in Christum credentibus æternæ vitæ aditum reserauit; cùm ex cruore & aqua illa, quæ inde per miraculum effluxerunt, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta orta sint, sine quibus ad æternam vitam non datur ingressus. Quamobrem diuus Augustinus animaduertit, sanctum Euangelistam Ioannem circumspecto atque perpenso admodum verbo vsum, cùm dixit: *Sed vnus militum lancea latus eius aperuit*; & non dixit: Latus eius percussit, vulnerauit, aut simile aliud verbum; sed præcisè, *Aperuit*: vt ostenderet illic quodammodò ostium vitæ apertum esse, vnde Ecclesię fluxère Sacramenta, sine quibus vitam, quæ vera vita est, ingredi nemo potest: *Vigilanti verbo*, inquit, *Euangelista vsus est, vt non diceret, Latus eius percussit, ac vulnerauit, aut quid aliud, sed, aperuit: vt illic quodammodò vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt; sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur.* & alibi subiunxit: *Tibi est ostium apertum, quando est latus eius lancea perforatum. Quid enim manauit recole, & intellige quà possis intrare. De latere Domini pendentis & morientis in ligno, posteaquam est lancea perfo-*

Ex quo S. Ecclesiæ Sacramenta manarunt. D

In Ioan. Tractat. 120.

In Sermone 115. de diuersis, capite 3. in fine.

A *perforatum, aqua ſanguiſque profluxit. In vno eſt mundatio tua, in altero redemptio tua.*

Hoc barbaræ feritatis inſtitutum lanceis impetendi ac transfigendi Crucibus affixos, iam à peruetuſtis temporibus frequenti in vſu fuit; & propterea multi ſancti Martyres, glorioſi Regis Martyrum Chriſti Domini exemplum ſecuti, hoc idem paſſi ſunt: præſertim verò ſancti fratres Marcus & Marcellianus, qui in perſecutione Diocletiani Imperatoris ad palum alligati, eidemque clauis pedibus confixi, cùm per integrum diem ac noctem in eo cruciatu perſtitiſſent, pſalmis & gratiarum actionibus ſemper Deum collaudantes, lanceis demum transfixi obierunt; quorum, in Romano Martyrologio his verbis fit commemoratio: *Romæ via Ardeatina, natalis ſanctorum Martyrum Marci & Marcelliani fratrum, qui in perſecutione Diocletiani, à Fabiano Iudice tenti, & ad ſtipitem alligati, in pedibus clauos acutos acceperunt. Cumque non ceſſaſſent laudare Chriſtum, lanceis per latera transfixi, cum gloria martyrij, ad ſiderea Regna migrarunt.* De eis B etiam Beda, Vſuardus, Ado, & alij meminerunt. Eorumque paſſio apud Surium in Actibus ſancti Sebaſtiani, ſub die vigeſima Ianuarij conſcripta eſt.

Sācti Martyres lanceis olim à Gentilibus transfixi.

Die 18. Iunij.

At non priſcis temporibus tantùm, verùm & æuo quoque noſtro crudelis hæc barbaries, dæmone inſtigante, in nouo Orbe, & præſertim in Inſula Iaponia contra Chriſtianos exercetur, vt clarè patet ex Relatione paſſionis & mortis ſex Religioſorum Patrum, Ordinis ſancti Franciſci, ex his quos Diſcalceatos vocant, qui pro ſancta Chriſti fide vnà cum viginti ſex Chriſti fidelibus Iaponenſibus in ciuitate Nangaſaqui Crucibus affixi ſunt, vt ſuperiùs vndecimo capite retulimus. Qui quidem ſinguli, poſtquam in Crucem acti ſunt, duos lanceæ ictus, alterum in dextero, alterum in ſiniſtro acceperunt. Sic enim mortis eorumdem Sanctorum hiſtoriam depictam ego conſpexi; pictura inculta quidem, in eadem Iaponenſi Inſula exarata, ſed curioſis planè oculis inſpicienda; quæ huc Romam delata, ſummoque Pontifici, vnà cum totius ſucceſſus veriſſi-C ma relatione, oblata eſt. In qua, dum beati Patris Petri Baptiſtæ, glorioſæ illius cohortis & ſodalitatis ducis & magiſtri, crucifixio narratur, hæc præcipua verba proferuntur: *Vinò el riguroſo golpe de la lança, y ricibiendole por el coraçon, con vn eſpantoſo extremicimiento del cuerpo, y de la Cruz, al ſalir de la alma, pronunciò deuotiſſimamente el ſieruo de Dios, las miſmas palabras, que Chriſto en la Cruz embiando ſu diuino eſpiritu al eterno Padre: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. En eſto llegò el ſecundo golpe, y dandole por el otro lado, acabò de diſpidirſe el alma; dexando deſemparado el ſanto cuerpo.* Id eſt, Irruit rigidus lanceæ ictus, & accipiens eum in corde, cum horribili quodam totius corporis & crucis tremore, in egreſſu animæ, Dei ſeruus magno pietatis affectu eadem verba protulit, quæ & Chriſtus in Cruce, dum ſuum diuinum ſpiritum æterno Patri emitteret: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Interim ſecundo ictu lanceæ in alterum latus impetitus eſt, quo vinculis carnalibus anima demum expedita, ſanctum cor-D pus illud deſtitutum reliquit.

Etiamnunc in nouo Orbe à Barbaris, & in primis Iaponiis.

Hæſitauère nonnulli, an ſiniſtrum vel dextrum potiùs Chriſti Domini latus lancea perfoſſum fuerit: nam rationes multæ hinc inde ad vtriuſque opinionis fauorem videntur afferri ac pertrahi poſſe. Et primò quidem pro his qui ſiniſtrum, non autem dextrum Domini latus lancea transfixum autumant, maximè ad rem facere exiſtimatur id, quod Spiritus ſanctus in perſona ſponſi Chriſti dixit: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa.* Ille enim quaſi Hebræorum ſynagogam allocutus, quam ſororem appellauit propter carnis conſanguinitatem, ex qua natus eſt, ei dixit: Tu vulneraſti cor meum, cuius in ſiniſtro latere ſedes eſt. Conſtituunt hi inſuper opinionis ſuæ fundamentum in primæ matris noſtræ Euæ creationis figura. Nam quemadmodum dum dormiret Adam, ex

Vtrū Chriſti latus lācea apertū, nō vna omniū eſt ſententia.

De ſiniſtro latere opinantium argumenta.

latere & costa eius, Eua formata est; sic dum Christus Dominus noster in Cruce A dormiret, ex latere eius sancta Mater nostra effluxit Ecclesia. Vnde Augustinus inquit: *Cùm dormiret Adam, costa illi detracta est, & Eua facta est. Sic & Deus cùm dormiret in Cruce, latus eius lancea percussum est, & Sacramenta profluxerunt, vnde facta est Ecclesia. Ecclesia enim coniux Domini facta est de latere, quomodo Eua illi facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere morientis.* Et propterea, vt figura in omnibus figurato respondeat, necesse est (inquiunt hi) Ecclesiam ex Christi sinistro latere quodammodò exiisse, cùm ex sinistro Adami latere, Eua efformata pro certo credatur. Mulier (inquit Ambrosius) latus est viri. Nam sicut Principis sequaces, & Comites, laterones ipsius vocantur, sic latus viri mulier est. *Sicut enim*, inquit, *Principis latera dicimus Stipantes eius, & Comites; sic & mulier latus est viri.* Atque hinc est, quòd mulier à nonnullis Sinistra viri appellatur. Quamobrem cùm illa Domini verba quidam interpretari vellent: *Cùm facis eleëmosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat* B *dextera tua*; sic nimis insulsè illa exposuerunt, videlicet: *Nesciat sinistra tua, id est, nesciat vxor tua.* Quod meritò sanctus Augustinus irridens, ait: *Tertia solet esse carnalium opinio tam absurda & ridenda, vt nec eam commemorarem, nisi expertus essem, non paucos eo errore detineri, qui dicunt, sinistræ nomine vxorem significari. Vt quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse feminæ; lateat eas, cùm aliquid misericorditer viri earum egenis impendunt, propter domesticas lites.*

In Psal. 126

In Ioan. Tractat. 120.

In Psal. 47.

De Sermone Domini in monte, lib. 2. c. 2

Et quamquam non multum referat (vt piè ac prudenter Iacobus Gretserus) vtrum arbitretur quis, sinistrum ne an dexterum Christi latus lancea apertum fuerit; dummodò vulnus hoc Redemptoris nostri piè veneretur, ostiumque reputet, per quod ad cor facilis aditus nobis patefactus sit: neque enim à Christi corde aberrabimus, siue à dextris, siue à sinistris ingrediendum putauerimus: his tamen non obstantibus, equidem omni dubio procul credendum puto, dextrum, non autem sinistrum Christi latus lancea apertum fuisse. Nam præter C id quod omnes pænè Redemptoris nostri Cruci affixi peruetustæ imagines, in dextero, non autem in sinistro id lanceæ vulnus inflictum ostendunt, S. Bernardus apertè testatur, Christum pro nobis dextrum latus sibi perfodi & aperiri permisisse: *Et quidem Dominus meus Iesus*, inquit, *post cetera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parare refugij.* & alibi pari modo, dextrum Christi latus perfossum fuisse innuens, subiunxit: *Vulneret cor meum viuus & efficax sermo tuus penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens vsque ad diuisionem animæ meæ; & producens ex ea, tamquam de dextero latere meo, vice sanguinis & aquæ, amorem tuum Domine, & fratrum tuorum.*

De S. Cruce, lib. 1. cap. 35.

De dextro latere verius sentiẽtium rationes.

In Psalm. Qui habitat, Serm. 7

In Serm. De passione Domini.

Idem etiam clarè elicitur ex eo quod scripsit diuus Augustinus; qui de salute boni latronis ad dexteram Redemptoris nostri Cruci affixi agens, inquit, credibile esse, eumdem bonum latronem, cùm iuxta Christi latus Cruci suffixus D esset, aqua illa sanguine mista, quæ è latere eius profluxit, aspersum fuisse, atque ita sacratissimo illo Baptismate ablutum: *Creditur*, inquit, *aqua simul cum sanguine exiliente de latere Domini, iuxtà confixum potuisse perfundi, atque huiusmodi sanctissimo Baptismate dilui.*

Lib. 3. De anima, & eius origine, cap. 9.

At omnem prorsus hæsitandi ac dubitandi materiam, quæ circa id oriri posset, dirimit & aufert sindon, siue sacratissimum linteum illud, populariter sanctum Sudarium appellatum, quo Christi Domini corpus sacratissimum inuolutum, sepulturæ traditum est; hodie penes serenissimum Sabaudiæ Ducem asseruatum, in quo sanguineis lineamentis, diuini illius Corporis imago impressa remansit; eadem prorsus forma atque figura, qua constabat, cùm è Cruce depositum

A positum fuisset. Nam in eo clarè atque euidenter perspicitur, dextrum Christi Domini latus reuerà, non autem sinistrum lancea perfossum fuisse. Siquidem imago eidem linteo impressa, illius vulneris cicatricem in sinistro latere ostendit; typorum effectum prorsus imitata, qui quod in dextro habent, imprimunt in sinistro. Quod non sine mysterio, nec sine Domini misericordia factum est, qui in dextero latere vulnerari voluit; vt vulnus suum, corda fidelium, qui in eum piè respiciunt, ex directo transfigat, & piam plagam iniiciat.

Quin etiam certissimæ huius veritatis testimonium vllum reddi nequit maius eo, quod in sanctæ Brigittæ Reuelationibus legitur. Nam ibi litteris proditum est, Mariam Virginem gloriosissimam ipsam, dum omnia singillatim quæ in Christi Domini passione acciderant, eidem sanctæ Brigittæ reuelaret, hæc præcisa verba dixisse: *Alij verò dicebant alia verba irrisoria, & sic stantibus turbis in circuitu, venit vnus accurrens, & infixit lanceam in eius latere dextro tam vehe-* Reuelat. lib.7.c.15.
B *menter & validè, quòd quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire. Quòd cùm extraheretur lancea de corpore, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluuius sanguinis: ferrum verò lanceæ, & aliqua pars hastæ rubicunda exibat de corpore, & tincta sanguine.*

Quamobrem clarissimum est, Christi Domini dextrum latus lancea perfossum fuisse, non autem sinistrum, vt quidam perperàm dixerunt. Neque id vllo pacto aduersatur his, quæ de hoc lanceæ vulnere Saluatori mundi infligendo, iam Spiritus sanctus innuerat: *Vulnerasti cor meum:* vt superiùs diximus. Quandoquidem in eisdem sanctæ Brigittæ Reuelationibus asseritur, lanceæ ictum prædictum tanto impetu ac robore Christo Domino illatum, vt lancea ipsa à dextera vsque ad sinistram corporis partem pertingens, cor eius hinc inde transfixerit. Quod quidem earumdem Reuelationum locis complurimis replicatur, Reuelat. & præsertim libro secundo, capite 21. vbi hæc verba produntur: *In corde punctus* lib.2.c.21.
C *erat tam amarè & immisericorditer, quòd pungens non destitit, donec lancea attigit* Item lib.1. *costam, & ambæ partes cordis essent in lancea.* c. 10. & libro 4.c.70.

Sepulta fuerat lancea sacratissima, quæ latus Domini nostri aperuit, vnà cum ceteris passionis eius instrumentis, vt Hebræorum mos erat sepeliendi iuxta damnatorum cadauera, ea quæ eorum necis instrumenta fuerant, vt superiùs Capite decimo quinto diximus. Et quamquam sepulturæ sanctæ Crucis, clauorum, & tituli, complures auctores meminerint, vt loco superiùs citato ex parte aliqua scripsimus, & inferiùs scripturi sumus; nemo tamen lanceæ mentionem facit, præter vnum Andream Ierosolymitanum, Cretensium Archiepiscopum, qui hæc verba de ipsa ad posterorum memoriam prodidit: *Postquam* De pretiosæ Crucis *enim post mortem in Cruce susceptam, vitæ & mortis Dominus post tres dies reuixit;* venerabili *inuidiæ stimulis puncti Iudæi, & timore affecti, ne quid ex rebus illis sacrosanctis, quæ* exaltatione, c. 5. *fuerunt in illa veneranda & beata passione, seruatum, Iudæos quidem vlciscendi esset in-*
D *strumentum, custodiendi autem eos qui crederent in Christum; ea defoderunt in intimis terræ finibus, illic deponentes in primis pretiosum thesaurum, Crucem inquam, & omnia quæ ad Crucem pertinent, nempe clauos & lanceam, & quem in Cruce Pilatus scripsit & affixit titulum.*

Reperta posteà est hæc eadem lancea sacratissima à gloriosa Helena, magni *Sacratissima lancea,* Constantini Imperatoris matre, cùm sanctam Crucem, titulum, & clauos in- *vnà cum Cruce, clauis, & titulo, à sancta Helena reperta.* uenisset, vt superiùs diximus. Et in peruetusto libello illo, cui titulus est, *De locis sanctis*, à venerabili Beda in compendium redacto, legitur, lanceam hanc Ierosolymis, in porticu Templi sanctissimi Sepulcri, Cruce quadam lignea inclusam asseruari solitam ea veneratione, qua ibidem his verbis innuitur: *Lancea militis inserta habetur in Cruce lignea, in porticu martyrij, cuius hastile in duas inter-* De locis sanctis, c. 2.

cisum

D nuò Antiochiæ per miraculum inuenta.

cisum partes, à tota veneratur ciuitate. Deinde verò post longam annorum seriem, hæc ipsa lancea sacratissima Antiochiæ per miraculum reperta est, vertente nostræ salutis anno M. XCVIII. dum illa ciuitas arctissima obsidione oppugnaretur à Corbagat, siue vt Historici nostri scribunt, Corbana, Persarum Regis copiarum Imperatore: qui cùm validissimo Turcarum & aliorum barbarorum exercitu mouisset è Perside, vt Antiochiæ subsidio esset, contra Gothifredi Bulionis ceterorumque Principum Christianorum exercitum, qui ex Occidente, validissimis copiis instructi, ad Terræ sanctæ recuperationem proficiscebantur, illic adesse non potuit, nisi post eamdem à nostris vrbem expugnatam. Verùm ingenti exercitus sui multitudine confisus, illam obsidione vallauit. Atque intra paucos dies, obsessos Christianos ad summam rerum omnium difficultatem, & annonæ caritatem reduxit. Dum verò nostri his coarctarentur angustiis, Presbyter quidam, Petrus nomine, natione Prouincialis, Massiliâ oriundus, Podiensem Episcopum, qui Legati Apostolici munere fungebatur, B & Tolosæ Comitem adiit, asserens beatum Andream Apostolum per quietem sibi apparuisse, ac ter quaterque eum monuisse, vt Principes Christianos, Antiochiæ obsessos, commonefaceret de lancea, qua Dominicum latus in Cruce perfossum fuerat, diligentissimè perquirenda, quæ in Æde diui Petri eiusdem vrbis altè obruta abditaque latitabat; certisque indiciis locum vbi reperiri posset, designasse: affirmans, eumdem sanctum Apostolum multis comminationibus atque terroribus ad eam legationem ipsis deferendam impulisse; quam tamen cùm sibi timens diutiùs detrectasset, eò quòd pauper & humilis nulliusque auctoritatis & æstimationis homo esset, vrgentissima demum eiusdem Apostoli iussione, mortem ipsi minitantis, si id differre diutiùs auderet, compulsum atque coactum prodidisse.

Podiensis autem Episcopus, & Tolosæ Comes, ceteris Principibus omnia quæ Massiliensis Presbyter dixerat secretiùs communicantes, eumdem præsentem constituunt, vt totam visionis seriem iisdem quoque Principibus, sicut & C ipsis, ore proprio exponeret. Qui cùm verbis eius fidem adhibuissent, ad Principis Apostolorum Ecclesiam omnes simul confestim accessêre; terraque eo loco, vbi Presbyter innuerat, refossa, ingenti omnium admiratione, lanceam, quam prædixerat, re vera inuenerunt. Qua eruta, multitudinis clamor in cælum sublatus est, approbationis religionisque plenus; & Deo optimo maximo laudes atque ingentes gratiæ referebantur: & quasi felicissimum quoddam victoriæ præsagium è cælo iis descendisset, ingenti lætitia & certissimæ liberationis atque victoriæ spe omnes repleti sunt. Quamobrem triduano ieiunio indicto ac piissimè expleto, sacraque confessione peccatis expiatis, diuina Eucharistia refecti & communiti, vrbe explicatis vexillis egrediuntur, Podiensi Episcopo & Apostolico Legato sacram lanceam reuerenter manibus deferente: tantaque animi alacritate atque virtute inimicum exercitum adorti sunt, vt prœlio com- D misso fregerint & fugarint, Barbaris supra centena millia, vt scripto quidam prodidêre, desideratis. In quorum castris adeò ingens diuitiarum copia inuenta est, vt pretiosis opimisque spoliis omnes onusti Antiochiam sint reuersi. Vbi propter affluentissimam omnis generis commeatuum copiam, in eisdem castris repertam, ex summa rei frumentariæ caritate, omniumque rerum inopia, admirabilis annonæ vilitas repentè consecuta est.

Cuius beneficio ipsa vrbs ab arctissima obsidione liberata.

Admirabilem hanc sacratissimæ lanceæ inuentionem, plerique eorum temporum Historici ad posterorum memoriam prodidêre; atque inter ceteros præcipuè Gulielmus[a] Tyriensis Archiepiscopus, in sua De bello sacro Historia; Robertus[b] Monachus, qui adfuit: Blondus[c], Paulus Æmilius[d] Veronensis, sanctus Anto-

[a] Lib.6.c.14
[b] Lib.7.
[c] A decl. Rom. Imp. Dec.2.l.4.
[d] De rebus gest. Franc. lib.4.

A Antoninus[a] Florentiæ Archiepiſcopus, Nauclerus[b], Platina[c], atque alij complures. Delata deinde eſt eadem lancea ſacratiſſima ad Conſtantinopolitani Imperatoris manus, qui ferri eius aciem, limâ ſectam, Francorum Regi dono dedit, vt quidam memoriæ prodidêre; & inter eos Gulielmus Caorſinus in Commentariis ſuis; licet in Imperatoris, qui donum hoc eſt elargitus, atque in Regis qui illud accepit, nomine, deceptus ſit. Reſiduum poſteà eiuſdem ferri ſacratiſſimi, in Eccleſia ſancti Ioannis de Petra Conſtantinopolitanæ ciuitatis, magna veneratione aſſeruatum eſt, donec vrbs ipſa, Chriſtianorum peccatis ſic exigentibus, in Mahumetis Secundi Turcarum Imperatoris poteſtatem deuenit, ſalutis noſtræ anno M. CCCC. LIII. tunc enim ſacrum ac pretioſum pignus hoc vnà cum ſpongia, arundine, ac dextera ſancti Ioannis Baptiſtæ manu, quæ mundi Redemptori Baptiſmum tribuere meruit, quæque in eadem Eccleſia cuſtodiebatur, in victoris tyranni poteſtatem redactum eſt.

[a] De bello ſa. c. 13 § 5
[b] Gener. 35.
[c] In Vita Paſchalis II.

Conſtantinopoli ad Imp. delata eſt; qui eius cuſpidẽ Regi Frãc. impertiit. Deinde in Mahumetis II. Turcarum Imp. (victâ Conſtantinopoli) poteſtatẽ redacta, vnà cum ſpongia, arundine, & dextra S. Io. Bap. manu.

B Nam cùm idem Mahumetes non ignoraret, quanta gaza, quanta rerum eximiarum copia, quamque lauta & eleganti ſupellectile eiuſdem Imperatoriæ ciuitatis ſacræ ædes eſſent refertæ; publico præconis edicto mortis pœnam exactiſſimè non parentibus interminatus, iuſſit omnes Eccleſiarum Reliquias & ornamenta, vnà cum Imperatoris theſauro, ſibi intacta inuiolabiliter reſeruari. Quamobrem omnes confeſtim ſanctorum Reliquiæ, omnes gemmæ, aurum, argentum, omniſque pretioſus Eccleſiarum ornatus, vnà cum tota ſupellectile, aureis argenteiſque vaſis ac gemmis, in Imperatorio theſauro repertis, victori tyranno allata ſunt; ac inter ea præcipuè ſacratiſſimum lanceæ ferrum, cum ceteris ſanctis quas recenſuimus Reliquiis, quæ in magni Turcæ ærario diligenter poſtmodum aſſeruatæ ſunt, donec vitâ perfunctus eſt idem ſuperbiſſimus tyrannus, qui Dei iuſtiſſimi occulto iudicio, duo maxima Imperia, duodecim Regna, & innumerabiles pænè ciuitates (ô memoriam, prô dolor, profuſis la-
C crymis deplorandam!) Chriſtianis per ſummum ſcelus eripuit. Illi duo filij maſculi ſuperſtites fuerunt, Baiaret ſcilicet & Iem, quem noſtri Zizimum appellauêre; qui de paterni Imperij ſucceſſione ac diuiſione diſceptarunt atque belligerarunt. Zizimus deuictus, Regnoque pulſus, Rhodum, ad magnum Ieroſolymitanæ militiæ Magiſtrum confugit. Baiaret verò rerum potitus, vt ſtrenuiſſimi ac magnanimi Principis fratris Petri de Aubuſſon Magni Magiſtri gratiam iniret, atque ab ipſo fratrem ſuum Zizimum diligenter cuſtodiri impetraret, ne in patriam reuerſus nouas res moliretur, dono ei tranſmiſit venerabilem diui Ioannis Baptiſtæ dexteram, quæ ad hanc vſque diem à ſacra & illuſtriſſima Religione atque Militia ſancti Ioannis Ieroſolymitani, ſumma veneratione in Inſula Melitæ aſſeruatur.

Dextra S. Io. Bapt. Magno Militiæ Ieroſolymitanæ Magiſtro a Baiaret Mahumetis F. dono tranſmiſſa.

Verùm eiuſdem deinde Magni Magiſtri opera, conſilio, & gratia, idem Baiaret ſacratiſſimum etiam lanceæ ferrum Innocentio Papæ Octauo dono tranſ-
D miſit; Oratore ad eumdem Pontificem ad munus id præcipuè deferẽdum delegato, atque Romam à Priore Aluerniæ, fratre Guidone de Blanchefort, eiuſdem Magni Magiſtri nepote, deducto, anno ſalutis noſtræ vertente M. CCCC. XCII. vt in noſtra eiuſdem ſacræ Religionis, & illuſtriſſimæ Militiæ Hiſtoria, latiùs proſecuti ſumus. Vrbem Romam idem Orator magno ſanè luxu & apparatu eſt ingreſſus pridie Kalendas Iunij, qui Aſcenſioni Domini noſtri Ieſu Chriſti dies ſacer erat: cùm Pontifex Maximus Cardinalem, Legati ſui munere fungentem, ſacratiſſimæ lanceæ obuiàm proceſſurum, Narniam vſque præmiſiſſet. Atque ipſemet Pontifex ſacro Cardinalium Collegio conſtipatus, toto Romano Clero proceſſionaliter (vt aiunt) præcedente, ad portam Flaminiam eidem ſacræ lanceæ obuiàm prodiit, ac reuerenter eam ſuſcepit, manibuſque propriis

Et ſacratiſſimũ lanceæ ferrum Innocentio Papæ VIII.

priis vſque ad Apoſtolorum Principis Baſilicam detulit; cunctis vrbis viis, quà A
tranſeundum erat, aulæis ac periſtromatibus vndequaque circumſtratis, vt in ſanctiſſimi corporis Chriſti ſolemni die ornari conſueuêre. Cuius rei præcipua mentio habetur in antiquis Diariis rerum Vrbis Lælij Petronij, Pauli de Magiſtris, & Stephani Infeſſuræ, Romanorum ciuium, quorum id præcipuum inſtitutum erat, vt grauiora omnia ſuorum temporum annotarent, idque his quidem narratur verbis: *Vltima Maij, in die Aſcenſionis, anni* M. CCCC. XCII. *intrauit Vrbem Orator Magni Turci, qui donauit lanceam, vel ferrum lanceæ Longini, cum quo latus Domini noſtri Ieſu Chriſti fodit in Cruce. Et fuit receptum à Pontifice, & toto Clero proceſſionaliter, ab Eccleſia ſanctæ Mariæ de populo, vſque ad ſanctum Petrum. Et erat incluſum dictum ferrum in quodam tabernaculo pulcherrimo cryſtalli, cum pede, & aliis ornamentis puri auri. Et fuit res magnæ æſtimationis. Et forma eius eſt hîc deſignata in propria forma ipſius. Et cuſpis eius eſt apud Regem Franciæ, prout ipſemet Magnus Turca nuntiauit Papæ, per præfatum eius Oratorem.* B

Ex antiquis Diariis Lælij Petronij, Pauli de Magiſtris, & Stephani Infeſſuræ, fol. 76. & 77.

Fuit idem ferrum ſacratiſſimum ab eodem Pontifice in ſuum ipſius cubiculum, ad tempus aſſeruandum, delatum; ab ipſo priùs coram illo, in diui Petri Baſilica, fuſis de more precibus; & populo, qui frequentiſſimus eò confluxerat, elargita cum ipſo benedictione. Erat in animo Pontifici ſummo illud ferrum in eodem cubiculo aſſeruare, dum maturiùs determinaret, quo illud loco honorificentiùs collocaret: etenim agitabat animo ſumptuoſiſſimum ſacellum in ipſa diui Petri Baſilica conſtruendum curare; vbi ſumma veneratione atque ſplendore, vt tanti tamque pretioſi pignoris dignitas poſtulabat, perpetuò deinceps aſſeruaretur. Et meritò quidem. Nam ſi ſacri claui, quibus Dominus ac Redemptor noſter Ieſus Chriſtus Cruci confixus eſt, à piis Chriſti fidelibus venerantur & adorantur; quippe qui Domino magis quàm Crux ipſa fuêre proximiores atque coniunctiores; qui non pellem tantùm & corporis ſacratiſſimi ſuperficiem, vt Crux, tetigerint, ſed in carnem eius ſanctiſſimam penetrarint; C quanto maiore venerationis ac reuerentiæ cultu lanceam ipſam dignam eſſe putabimus, quæ non in Chriſti carnem tantùm penetrauit, ſed ipſum cor etiam (vt ſuperiùs patuit) ex vtraque parte transfixit?


At verò, vt ſępè contingit, quòd proponente homine, ac diſponente Deo, cogitationes & conſilia noſtra expectationi plerumque non reſpondeant; non multis tranſactis pòſt diebus, Pontifex aduerſa ac ſuprema valetudine decubuit: qua demum ex humanis exceſſit, octauo Kalendas Auguſti, eiuſdem anni. Quare pium illud ipſius integerrimumque conſilium exitu caruit. Statim enim vt compertum eſt infirmitate eius obitum indicari, ſacrum Cardinalium collegium, idem lanceæ ferrum, in ſancti Petri Baſilicam, magna veneratione ac reuerentia detulit, atque in ciborio, iuxta Portam ſanctam tunc exiſtente, includendum curauit. Vbi ſumma veneratione, vnà cum Vultu ſancto, iugiter poſteà conſeruatum eſt; donec impellente neceſſitate, vetus diui D Petri Baſilica diruta eſt, quippe quæ præ vetuſtate nimia ruinam minabatur. Tunc enim eadem lancea ſacratiſſima, vnà cum Vultu ſancto, Pauli Quinti Pontificis optimi maximi temporibus, in nouam Baſilicam eſt tranſlata; vbi inſignes planè ac ſacratiſſimæ ambæ iſtæ Reliquiæ, magna pietate populo ſæpè commonſtrantur.

Atque de eiuſdem lanceæ tranſlatione, ab Innocentij Papæ Octaui cubiculo in ſancti Petri Baſilicam à Cardinalium Collegio eo tempore facta, in iiſdem quæ ſuprà retulimus Diariis, præcipua quoque his verbis habetur mentio: *Die Lunæ, 16. menſis Iulij, ſanctiſſimum ferrum, quo fuit D. N. perfoſſus, Cardinales & Collegium, de camera dicti Pontificis in Eccleſiam ſancti Petri portauerunt; & loco*

vbi

A *vbi inclusum est sudarium, vnà cum dicto sudario collocauerunt. Et factum fuit inuentarium bonorum Ecclesiæ.* Innocentio igitur Papa Octauo vita perfuncto, corpus eius in diui Petri Basilica humatum est. Atque in pretiosi muneris memoriam, quo à magno Principe infideli, nostræque sanctæ fidei hoste, donatus fuerat, æneum summi illius Pontificis signum sepulturæ & monumento impositum est, eiusdem lanceæ ferri typum manu gestans; qui tamen typus posteà perfractus est, neque aliud hodie ex eo in ipsius statuæ manu permanet, præter manubrij partem quamdam, vt patet oculis intuentis, cùm hæc ipsa quoque statua in nouam Basilicam migrarit. Germanum autem ferri sanctæ lanceæ typum ex vero ac naturali eius prototypo, tam magnitudine, crassitie ac longitudine, quàm forma & pondere, quem à Reuerendissimo Iulio Sansedonio nobili Senensi, ac Grosseti Episcopo, Prælato verè religioso & pio, mutuò acceperam, animo sanè libentissimo, in piorum Lectorum gratiam ac spirituale solatium, hîc addere placuit. Is verò prælongarum hastarum, quibus hodie Milites nostri vtuntur, quasque Sarissas olim, nunc autem Piccas vulgò appellant, penitus formam refert.

Germanus ferri sanctæ lanceæ typus.



Narrat Tyriensis Archiepiscopus aliud insigne miraculum, quod huius lanceæ sacratissimæ occasione Dominus operari dignatus est. Nam posteaquam Antiochiæ reperta fuerat, & post adeptam à nostris eam, quam superiùs recensuimus, victoriam; cùm inter Principes ac Proceres illos Christiani exercitus, magna æmulatio & inuidia coorta esset, ac penitus serperet; quidam familiaris & Capellanus Normannorum Comitis, Arnulphus nomine, vir litteratus quidem, sed quem morum peruersitas, ac disseminandi tumultus & scandala exagitabat auiditas, crebris in populum atque exercitum diuulgare cœpit sermonibus, lanceæ ferrum illud in diui Petri Antiochena Basilica repertum, reuerà non illud verum ferrum lanceæ illius sacratissimæ existere, quæ Domini nostri latus in Cruce aperuit: verùm inuentionem ferri huius, callidum atque astutum commentum quoddam Tolosani Comitis extitisse, eliciendi inde quæstus gratiâ; cùm Presbyter ille, qui inuentionis huius auctor fuerat, ipsius Comitis familiaris esset. Qui quidem sermones, magni susurri atque altercationis excitandę seminarium extitêre. Quare cunctus exercitus & populus in duas factiones diuisus, magnis disceptationibus implicabatur: altera ex duabus partibus constantissimè affirmante ac defendente, illam verè Christi lanceam esse, diuinoque afflante Spiritu reuelatam, ac pro illius obsessi populi solatio repertam; altera verò contrà, commentitiam fabulam, & callidum Tolosani Comitis consilium id extitisse, pertinaciter contendente. Quamobrem optimus ille Sacerdos, qui eiusdem lanceæ inue-

Belli sacri lib. 7. c. 18.

Sacratissimæ lanceæ veritas insigni miraculo Antiochiæ asserta.

niendæ auctor fuerat, incredibili animi mœrore angebatur ac discruciabatur; A
sanctè affirmans, & iureiurando in animam suam sese deuinciens, nullam in eo negotio fraudem aut dolum intercessisse, sed pura reuelatione diuina, lanceam eamdem pro Christiani populi subsidio sibi commonstratam: atque vt sinceræ veritatis illius incredulis fidem astrueret, ignem se ingressurum pollicebatur. Die igitur Veneris, passionis Domini memoriæ sacro, ingenti lignorum strue eo iubente coaceruata, & igne succensa, cuius horribilis flammæ prospectus vel ipsis intuentibus terrorem incuteret; cùm bonus ille Sacerdos, qui Presbyter Petrus Bartholomæi de Massilia appellabatur, accepta in manibus lancea (vniuerso circumstante populo atque exercitu, qui vt tremendum illud flammæ iudicium ac probationem conspiceret, incredibili auiditate & curiositate eò confluxerat) postquam genuflexus aliquantisper orasset, signo Crucis se muniens, animosè atque intrepidè ingens & horribile incendium illud ingressus est: ex quo saluus & incolumis exiuit. Verùm plebs in- B
genti illo miraculo obstupescens, admiratione ac religione percita, tanta auiditate eum tangendi, ac manus ipsius deosculandi, in illum indiscretè irruit, vt oppressus, ac totus contusus, paucis inde exactis diebus diem suum clauserit extremum.

Eiusdem miraculi alij etiam Historici meminerunt, & inter eos præsertim Paulus Æmilius Veronensis, his verbis: *Quin Massiliensis auctor sacrosanctæ lanceæ effodiendæ, quia Comes Tolosatis erat, ad nouam inuidiam illi conflandam incusari cœpit falsæ Religionis. Is vt se purgaret, ad iudicium flammæ descendit. Et aderat dies passo Domino sanctus, circumfuso exercitu, sanctam lanceam nudus corpore manu gestans, per coaceruatorum latè lignorum struem ardentem, mediosque ignes, illæsus euasit. Mox ad miraculum ruente turba oppressus periit.*

De rebus gestis Frāc. lib. 4.

Non est quòd circa huius lanceæ sacratissimæ germanam essentiam & sinceritatem scrupulum aut dubium aliquod nobis iniiciat id quod penes com- C
plures Historicos legitur, Balduinum Secundum scilicet Constantinopolitanum Imperatorem graui pecuniarum inopia pressum, lanceæ ferrum, quo Domini nostri Iesu Christi latus perfossum est, vnà cum spinea corona, sanctæque Crucis partem, & alias sanctas Reliquias, Venetis pignori dedisse: quas cùm posteà redimere nequiret, sanctum Ludouicum Francorum Regem, eodem Balduino permittente, proprio ære, soluto pignore, omnes in Gallias deferri curasse; illasque in sancto ac Regio sacello, quod Lutetiæ Parisiorum extruxerat, collocari iussisse. Nullus enim auctor reperitur, qui asserat, Balduinum totum sanctæ lanceæ ferrum oppignerasse. At non pauci econtrà memoriæ prodidêre, non totum quidem, sed partem eiusdem ferri sacratissimi tantummodò ab eodem Balduino pignori datam, & posteà redemptam, atque in Gallias asportatam. Quamobrem apertè perspicitur, non totum sanctæ lanceæ ferrum, sed cuspidem eius tantùm, quam hîc deficere vi- D
demus, ab eodem Imperatore fortè oppigneratam, & ab eodem Rege sancto Ludouico in Franciam delatam. Quod sanè cum eo optimè congruit, quod Turcarum Imperator Baiazetes Innocentio Papæ Octauo per Oratorem suum significauit, cuspidem scilicet huius sanctæ lanceæ penes Francorum Regem esse.

Non tota lancea, sed eius cuspis Venetis olim à Balduino Imp. oppignerata, & in Gallias translata.

Quòd autem ferri sanctæ lanceæ pars, & non totum, à Balduino Venetis oppignerata fuerit atque in Gallias translata, inter ceteros Iacobus Philippus Bergomensis in Chronicorum Supplemento expresè testatur his verbis: *Balduinus huius nominis Secundus, quintus ex Gallis Constantinopolitanus Imperator, hoc anno, mortuis priùs Petro Antisidorense & Ioanne Imperatoribus, & ipse Græcanum*

Lib. 13. anno 1240.

A *canum Imperium suscipiens, imperauit annis viginti. Hic cùm biennio Imperium tenuisset, ægreque se ab hostibus tueretur; ærarij inopia compulsus, Venetis proprium filium, ob æs mutuò acceptum, pignori dedit: partemque lanceæ, spongiamque eadem sub conditione tradidit. Quas posteà Ludouicus Francorum Rex, cùm ipse Balduinus redimere non posset, ab ipsis Venetis, Balduino permittente, redemit, & in Franciam perduxit.*

Neque scrupulus aut dubitatio animo nobis iniicienda vlla est ex eo quod penes quosdam auctores legitur, sanctam lanceam in Rudolphi Burgundiæ Ducis manus deuenisse, Henricumque Imperatorem huius nominis Primum, violenter quodammodò, ac magnorum munerum atque minarum vi, ab eodem extorsisse: quodque post eumdem Henricum, in magni Othonis Imperatoris potestatem translata, ab eo posteà Etelstano Angliæ Regi sit donata, anno nostræ salutis labente DCCCC. LXIII. Nam lancea hæc non illa fuit sacratissima, B qua Christi latus perfossum est: sed magni Constantini Imperatoris lancea fuit; cuius ferrum, vt quidam tradiderunt, ad Crucis ferè imaginem fabrefactum fuit, quia frustum aliquod clauorum Christi admistum habuisse ferunt. De qua lancea Sigibertus in Chronico agens, sic tradit: *Lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundionum & Italiæ à Samsone Comite Rex Henricus precibus, minis & muneribus, addita etiam parte Prouinciæ Sueuorum, à Rudolpho Comite extorquet; & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris reliquit.* De hac eadem lancea meminit etiam Otho Frisingensis; eamdem sacram lanceam appellans, his verbis: *Lanceam quoque sacram, quam Reges nostri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunensi Galliæ seu Burgundionum Rege, minis extorsit.*

Genebrardus, lib. 4. Chronolog. ex Ranulpho, libro 6.

Alia lancea Cõstantini, clauis Christi sanctificata.

Anno Domini 929.

Lib. 6. c. 18

Verùm auctor, qui sancti Gerardi Broniensis Abbatis vitam conscripsit, C quam inter Sanctorum vitas edidit Surius, huius lanceæ successum clariùs ac fusiùs prosequitur. Nam dum Henrici Primi Imperatoris res gestas ad posterorum memoriam prodit, ac laudibus effert; hæc inter cetera notatu digna de eo tradit: *Sed vt interim omittamus*, inquit, *complura ab illo prudenter & fortiter gesta; magnum & præclarum quiddam, quo totam, cui præerat, Austriam beauit, annotare visum est. Quod nimirum eiusmodi est, vt decessorum eius nullus tale quippiam fecisse legatur: nec ipse quidem, qui totum penè subegerat orbem, Carolus Magnus. Obtinuit enim lanceam magni Constantini, Helenæ Reginæ filij, inuentricis, vt legitur & creditur, salutiferi ligni. Ea autem lancea Crucis habuit effigiem, clauis, quod dictu quoque mirum videri queat, Dominico corpori affixis. Qua verò prudentia & solertia eam indeptus sit, & quanto eam venerationis studio prosecutus sit, cuiusdam Chronographi luculenta prodit oratio, quam ædificationis causa his inserere voluimus: Henricus Rex*, inquit, *vt erat Deum timens, & amator Religionis Ecclesiasticæ, vbi percepit Rudolphum Burgundio-* D *num Regem habere tam cæleste & inæstimabile donum, quod idem Rudolphus pro summæ amicitiæ munere à Samsone Comite acceperat; missis ad eum Legatis, tentauit num oblatis muneribus id ab illo impetrare, sibique aduersus tum visibiles tum inuisos hostes arma inuictissima triumphumque perpetuum comparare posset. At Rudolpho Rege id se nulla vmquam ratione cuiquam daturum asseuerante; modis omnibus Henricus Rex, quem muneribus emollire non posset, minis intentatis frangere conatus est, affirmans se omne eius Regnum ferro & flammis vastaturum. Sed quia id quod petebatur, munus huiusmodi erat, quo olim Deus terrena cælestibus, vtraque pacificans, coniunxit, Rudolphi Regis animus tandem diuinitus est emollitus; ita vt iusto Regi iusta petenti annueret. Quo autem amore donum hoc eximium Rex Henricus complexus sit, hoc ipso vel maximè declaratur; quòd non modò auri argentique muneribus Rudolphum Regem honorauit, verùm etiam*

Quam Hẽricus Primus Imp. à Rudolpho Burgũdionum Rege maximo pretio impetrauit.

Surius, tomo Quinto, die 3. Octob. eiusdem vitæ, cap. 15.

Et hostes, sacro hoc praeunte signo, saepius vicit. *Sueuiæ prouinciæ non minima donauit parte. Deus autem qui cordium inspector est, & bonas muneratur voluntates, qua mercede huius rei causa pium Regem Henricum in æterna vita affecerit, quibusdam indiciis etiam in hoc sæculo prodere voluit; quando hostes in ipsum incurrentes, hoc victorioso præeunte signo, semper terruit atque fugauit.* Hæc ille. A

Tali igitur occasione, talique pacto, Henricus Rex lanceam illam obtinuit; quam moriturus posteà, filio suo, non minore veneratione asseruandam reliquit: cuius rei non paucæ sanè victoriæ, quas eadem in bello prodeunte lancea *Itemque filius eius Otho.* adeptus est, plenam fidem astruunt. Atque inter ceteras, quas Otho Henrici Imperatoris filius, hac eadem lancea consecutus est, victorias, vnam refert Sigibertus in Chronico, inquiens: *Gislebertus, & Euerardus, cum Henrico fratre Imperatoris, iuxta Rhenum, contra Imperatorem bellum parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione facta, interim in alio Rheni litore, ante clauos Domini lanceæ suæ infixos, in oratione prostrato, victi terga dederunt; Henrico in brachio insanabiliter vulnerato.* (In Chronico, anno Dom. 942.) B

In claris igitur posita, & ad concordiam redacta est eorum auctorum repugnantia, qui errore ducti, & minùs diligenter, quàm par erat, animaduertentes, hanc Constantini lanceam, pro illa Domini sacratissima perperàm capientes, de ea variè scripserunt. Atque hoc etiam pacto hæreticorum profligata est prauitas & malitia, supplementumque ex parte aliqua allatum quorumdam temporum nostrorum scriptorum incuriæ, licet tamen Catholici sint, qui huius lanceæ sacratissimæ, quam hîc Romę tenemus, germanam genuinamque sinceritatem in dubitationem reuocare conati sunt. Quæ quidem (quod illorum inuita malitia, istorumque pace sit dictum) licet retusa videatur, in mansuetudinis & veræ charitatis significationem, qua sancta Sedes Apostolica, vt pia Mater pacifica, omnes nationes cunctosque populos in pacis vinculo, ac solius veritatis sanctæque doctrinæ lancea, non autem armorum cuspide & C violentia, ad desiderabile ac salutiferum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium perducere cupit illius gratia & virtute, qui secundùm misericordiam suam magnam hac eadem lancea pro nobis perfodi passus est; inuictum atque inexpugnabile telum semper erit, ad omnes visibiles & inuisibiles hostes deprimendos ac prosternendos.

Lateris Domini & Redemptoris nostri apertio, præter eam quam superiùs explicauimus primi parentis nostri figuram, cùm ei dormienti costa detracta *Lateris Redemptoris nostri apertio, in ostio lateris Arcæ Noë præsignata:* fuit, ex qua prima mater nostra Eua est formata, præfigurata est etiam in ostio illo, in latere Arcæ Noë facto. Nam quemadmodum per ostium illud animalia, quæ à diluuio seruanda erant, in Arcam ingressa sunt; sic per ostium Sacramentorum, quæ ex Christi lateris apertione fluxerunt, in Arcam sanctæ Ecclesiæ ingredi quemcumque necesse est, qui æternæ damnationis aquarum diluuio obrui nolit. Quapropter apposité ad hoc sanctus Augustinus: *Hoc prænuntiabat, quod Noë in latere Arcæ ostium facere iussus est, quà intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura; quibus præfigurabatur Ecclesia.* (In Ioannē, c.19. Tractatu 120.) D

Et à Prophetis prædicta. Prædixerat iam Spiritus sanctus, per os Regij Prophetæ, Christi Domini latus & cor lanceæ ferro transfodiendum & transuerberandum, cùm dixit: *Ferrum pertransiit animam eius.* (Psal. 104.) Id quoque prædixerat per os patientissimi Iob, qui, vt superiùs ostendimus, Christi typum in multis præ se tulit; tuncque potissimùm, cùm dixit: *Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit.* (Iob 16.) Atque id pari modo ab ipso Spiritu sancto, per os Isaiæ Prophetæ, prænuntiatum patet, sub allegoria & metaphora petræ, quæ erat Christus; cùm dixit Deum scissurum petram, ex qua aquæ defluerent:

A rent: Baptiſmi ſacramentum ſignans, in quo mundi peccata diluenda erant: *Aquam*, inquit, *de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. Non eſt pax impiis, dicit Dominus*. Super quibus verbis, hæc ſanctus Hieronymus: *Non eſt*, inquit, *pax impiis, dicit Dominus: illis videlicet, qui in errore priſtino permanſerunt, qui non meruerunt bibere de petra, cuius (vt nouè loquar) latus lancea vulneratum, aquis fluxit & ſanguine; Baptiſmum nobis & martyrium dedicans.* Iſaiæ 48. in fine. In Iſaiæ cap. 48.

Sanctus Cyprianus inſuper eumdem textum Iſaiæ ad quoddam inſtitutum ſuum pertrahens, verba ipſius Prophetæ tunc ſignanter ad effectum perducta teſtatur, cùm Chriſti, qui petra eſt, latus ictu lanceæ in Cruce transfoſſum fuit: putatque, & quidem meritò, ibi innuiſſe Prophetam, Baptiſmi ſacramentum, ex cuius aquis, ſi Iudæi quandoque ſitierint, apud nos bibituros eſſe: *Item denuò præcinitur*, inquit, *& antè prædicitur Iudæos, ſi ſitierint, & Chri-* S. Cyprian. in epiſt. ad Cæcilium.
B *ſtum quæſierint, apud nos eſſe potaturos, id eſt, Baptiſmi gratiam conſecuturos. Si ſitierint, inquit, per deſerta adducet illos; aquam de petra producet illis: findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. Quod in Euangelio adimpletur, quando Chriſtus, qui petra eſt, finditur ictu lanceæ in paſſione. Qui & admonens quid per Prophetam ſit antè prædictum, clamat, & dicit: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Prædixit etiam idem Spiritus ſanctus, lanceæ hoc, ceteraque clauorum vulnera, quæ Chriſto Domino infligenda erant; dum ſub eadem petræ metaphora, quaſi petra ipſa Chriſtus, Catholicam Eccleſiam, dilectam & pulcherrimam ſponſam ſuam, quæ ex ipſius latere egreſſura erat, inuitaret atque alliceret ad introëundum, & iugiter vero gratitudinis pietatiſque & delectationis affectu in vulnerum ſuorum fixuris inhabitandum, inquit: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ.* Quæ verba ſanctus Ber- Cantic. 2.
C nardus exponens, inquit: *Columba mea in foraminibus petræ, quòd in Chriſti vulneribus tota deuotione verſetur, & iugi meditatione demoretur in illis.* & alibi ad id pariter alludens, ſubdit: *Vtinam ego talis merear eſſe columba, quæ in foraminibus petræ habitet, & in foramine lateris dextri.* Super Cãtic. Ser. 61. Super Pſal. Qui habitat.

In quo quidem foramine & oſtio anguſto, diuus Auguſtinus ſincero paternæ charitatis affectu, flagrantiſſimoque pietatis ardore, cunctos ad introëundum his verbis inuitat & allicit: *Venite*, inquit, *omnes, intrate omnes; eſt, quà poſſitis intrare, patet latus. Oſtendit enim ille latro, quò debeant omnes intrare: neminem ſuo exemplo docuit deſperare. Contendite, ait Dominus, intrare per anguſtam portam. Quid anguſtius illo foramine, quod vnus ex militibus, percutiendo latus Crucifixi, aperuit? Et tamen per has anguſtias penè iam totus mundus intrauit.* Et hæc de lancea, ceteriſque Domini ac Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti paſſionis inſtrumentis, atque de Crucis circumſtantiis, tandem dixiſſe ſufficiat. De tempore Barbarico, cap. 8.

D Quamobrem laudes debitas, gratiarumque actiones ex toto animi affectu eidem Domino referens, qui pro ſua ineffabili bonitate, & infinita miſericordia, proprium pro redemptione noſtra effundens ſanguinem, in eadem Cruce mori voluit; humiliter ad terram prouolutus, & ex intimis cordis mei viſceribus ad ipſum ſuſpirans, vnà cum glorioſo martyre Cypriano, ad altiſſimam ac piiſſimam Maieſtatem conuerſus, dico: Tu Domine Sacerdos ſancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, quique te ipſum pro nobis miſeris peccatoribus æterno Patri ſacrificium oblaturus, in ſancta tua Eccleſia Catholica, pretioſiſſimi ſanguinis tui permanentem plenitudinem reliquiſti; & beneficium huius ſancti liquoris in perpetuum tradidiſti; nobiſque inconſumptibiliter potum viuificum conſtituiſti, Crucis ſignum, & mortificationis De paſſione Chriſti in fine. *Oratio ad Chriſtum paſſum.*

 exem-

exemplum. Tu consummatis omnibus, quæ de te scripta erant, vade ad Patrem, & trahe nos post te: & concede, vt in præsenti hac vita, sanctæ Crucis tuæ, non quasi angariati, sed voluntarij & alacres efficiamur baiuli. Atque pro tuo summæ gratiæ munere tribue nobis, vt cum omnibus Sanctis comprehendere possimus, quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, & quid profundum huius sancti signi significet: ita vt eodem signo viuifico munitis & armatis non noceat nobis neque mordeat coluber solitudinis, sed incolumes per omnia sequamur te. Tecum in humilitate & cordis simplicitate paruuli simus, tecum in sæcularibus desideriis & carnis affectibus circumcidamur, tecum baptizemur, tecum ieiunemus, tecum lotis pedibus, mundissimisque manibus Panem Angelorum in veræ charitatis & dilectionis vinculo edamus. Tecum crucifixi, mundo viuamus. Tecum Spiritu sancto repleti, & corpore & spiritu in æternum maneamus. Qui viuis, & iam vltrà non morieris, in sæcula sæculorum. Amen. A



IACO-

IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE

LIBER SECVNDVS.

De ſanctæ Crucis figuris & ſignificationibus, quas Deus optimus maximus mundo, cælo, & quibuſdam aliis creaturis impreſſit; admirabile Redemptionis noſtræ
C mysterium per illas præfigurans, & innuens id quod per ſanctæ Crucis lignum operari ſtatuerat.

CAPVT PRIMVM.

Deum omnes penè creaturas ſalutiferæ Crucis charactere inſigniuiſſe.



VM iam inde à principio in æternitate ſua ſine principio, Deus optimus maximus, mundum ſeruandum, genuſque humanum admirabili ſanctæ Crucis myſte-
D rio redimendum ſtatuiſſet; quod opus ſanè inter omnia excelſa & glorioſa opera ſua incomprehenſibile atque admirandum fuit; vbi primùm pro ſua infinita bonitate, rerum procreatione mediante, ſe ipſum creaturis ſuis communicare voluit, altiſſimum & planè admirandum hoc myſterium innuere ac præfigurare aggreſſus eſt, ita vt nulla pænè ſit creatura viſibilis, quæ ſacro hoc ſigno, cæleſtique hoc charactere inſignita non ſit, vel quæ euidentem claramque eius ſignificationem, præcipuum ſymbolum, vel idoneam quamdam non contineat figuram. Quamobrem, quicumque ad vniuerſi ac rerum in eo creatarum contemplationem ſedula animaduerſione oculum intenderit, clarè admodum perſpiciet, non rationales, intel-

lectuales, & sensibiles creaturas tantùm, verùm etiam irrationales, non intellectuales atque insensibiles, hoc mysteriis refertissimum & admirandum Crucis continere ac præ se ferre sacramentum. Quod quidem licet ipsis etiam Angelis celatum fuerit, videtur tamen Deo optimo maximo placitum fuisse, idipsum per ceteras creaturas hominibus innuere, in quorum peculiare beneficium celebrandum erat. A

Quocircà cùm præcedenti libro, diuino Spiritus sancti auxilio suffulti, de Cruce & circumstantiis eius, ea omnia tractauerimus, quæ infinitæ bonitati suæ nobis suggerere placuit; consequenter nunc nobis agendum erit de eiusdem sanctæ Crucis figuris, symbolis ac significationibus, atque in primis de his, quas infinita Creatoris sapientia in quibusdam ex insignioribus creaturis suis visibilibus imprimere voluit. In quibusdam inquam: quia si de omnibus, aut de earum maiori parte agere vellemus, in immensitatem propè infinitam, nostra hæc sese extenderet disputatio. In paucis igitur quibusdam insignioribus & euidentioribus stylum nostrum coarctabimus. Nec sanè de figuris, Sophistica subtilitate, vel inani imaginatione conceptis, agendum puto: quod fecerunt quidam, quorum id instituti fuisse videtur, omnia (vt ita dicam) in Crucem agere; quique nos eò perducere conati sunt, vt iuxta eorum ingenium & impetum animi, Crucem in rebus omnibus imaginaria consideratione contemplaremur, vel fingeremus; dummodò quacumque ratione, in rebus ipsis singulis, quattuor accidentia siue qualitates excogitare, vel Crucem eamdem in quattuor punctis nobis demonstrare possent: vt, exempli gratia, in Diuinitate ipsa facere ausi sunt; diuinitatis scilicet naturam, essentiam, atque substantiam in Crucis superiore parte collocantes, Patrem in dextera, Filium in sinistra, & Spiritum sanctum in inferiore statuentes: in Angelis, naturam ipsam Angelicam in Crucis sublimiore extremitate, primam Hierarchiam in dextera, secundam in sinistra, & tertiam in infima disponentes: in elementis, ignem in Crucis superiore cornu, aërem in dextero, aquam in sinistro, terramque in imo locantes: atque in ceteris rebus omnibus, simili considerationis indagine mentis aciem intendentes. Quorum tamen pios labores, non quidem arguendos, aut vllo pacto incusandos existimo: quandoquidem, vt inquit Apostolus, *Alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet.* Eos enim omnes potiùs honorandos duco, qui suis studiis & lucubrationibus, acceptum talentum, in Dei honorem & proximi profectum, quo meliùs sciunt aut possunt, erogare satagunt: *Vnusquisque enim proprium donum habet à Deo. Alius quidem sic, alius verò sic.* Erit igitur sermo noster, de sanctæ Crucis figuris, non sola quidem mentis imaginatione conceptis; sed de veris, apparentibus, & visibilibus; vel saltem sanctorum Patrum auctoritate, vel aliorum grauium scriptorum approbatione suffultis.

Libri huius secundi argumentum. B C

Rom. 14. 1. Cor. 7.

D

CAPVT II.

De sanctæ Crucis signo atque figura, quam Deus in vniuerso mundi globo, ac decimæ sphæræ, quam Primum mobile appellant, impressit & constituit.

MVNDVS ipse in primis, qui per sanctæ Crucis mysterium reformandus, sanctificandus atque seruandus erat; iam inde ab ipsius creationis exordio, sacrosancto ac diuino charactere hoc consignatus est. Quapropter in huius admirandi sacramenti præsignificationem ac testimonium, illud ipsum sibi

A sibi ab initio impressum gessit, gerit, dumque permanebit, geret. Nam quattuor partibus suis, Oriente, Occidente, Septemtrione, atque Meridie, sanctæ Crucis signum nobis manifestè designat. Quamobrem diuus Ambrosius inquit: *Compactio ipsa, similitudo quædam est Dominicæ passionis. Cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est. Nam cùm quattuor partibus, hoc est, Oriente, & Occidente, ac Meridiano, & Septemtrione distinguitur, quattuor quasi Crucis angulis continetur.* Et sanctus Hieronymus, siue quiuis alius auctor commentariorum eorum in diui Marci Euangelium, quæ inter eius opera sunt impressa, paucis innuit quadratam Crucis formam nil aliud expressiùs, quàm quattuor mundi partes signasse; ad quas velut ad quattuor Crucis extremitates, passionis Christi virtus, redemptionisque salus, quæ in ea peracta est, pertingere debebat. *Ipsa*, inquit, *species Crucis, quid est, nisi forma quadrata mundi?* Neque ad hoc instituti nostri scopum parum refert illa diui Gregorij Nysseni auctoritas, quam præcedentis Li-

Mundus quattuor suis partibus sanctæ Crucis formam manifestè designat.

Ambros. de Cruce, Serm. 56. tomo 5.

Hieronymus in Marcum, cap. 11.

B bri capite quinto summatim citauimus; cuius hæc ipsa, Latinitati reddita verba sunt: *Cælum*, inquit, *suspice, & partes infimas animo complectere, extremosque ac summos orbis terminos cogitatione comprehende; atque considera, quænam potentia tamquam vniuersitatis vinculum, hæc omnia deuinciat atque contineat: videbisque sponte sua, in ea diuinæ potentiæ contemplatione, Crucis figuram exprimi in animo ac mente tua, à supremis ad infera, ab extremis ad extrema protentam atque descriptam.* Ac sanè idcircò antiquus ille Christianus Poëta, piè canendo, dixit:

In Christi resurrect. orat. 1.

Néve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans ratione potenti,
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis;
Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem.
C *Cunctaque de membris viuit natura Creantis;*
Et Cruce complexum Christus regit vndique mundum.

Sedulius, operis Paschalis libro 4.

In cęlis ipsis quoque Deus optimus maximus, multis variisque modis Crucis signum atque imaginem designauit & impressit. At ne prolixa nimiùm lectione pios Lectores defatigemus, ceteris figuris prætermissis, de duabus tantùm, vel ad summum tribus insignioribus ac manifestè magis apparentibus agemus. Variis igitur circulis posthabitis, quos in sphæra vniuersi excogitauêre Philosophi atque Astronomi, vt puta de Coluris, de vtroque Tropico, atque de aliis, qui in eorum circumferentia in Crucis modum vicissim intersecantur; de sphæra decima, quam Primum mobile appellarunt, in primis erit nobis sermo. Ibi enim summus ille omnium Moderator & Rector, virtutem atque intelligentiam illam videtur statuisse, quæ non omnibus sphæris tantùm, sed etiam elementis ipsis, atque his omnibus, quæ hîc infrà mouentur, motum impertitur.


In cælis multa variaq; Crucis imagines.

D In hoc igitur cælo diuinitus excogitauerunt Astronomi Zodiaci circulum, duodecim signis diuisum atque distinctum, quem Aristoteles Circulum obliquum appellauit: sub quo dum vertitur ac progreditur sol, per eam quam Eclipticæ lineam vocant, (quæ circulum eumdem per longitudinem in medio partitur) diuersitatem temporum, varietatem mensium, dierumque longitudinem ac breuitatem nobis affert: atque pro suo in eodem circulo accessu atque recessu, vt idem testatur Aristoteles, generationes corruptionesque in his inferioribus fiunt. In hoc ipso igitur circulo, per septenarij numeri virtutem, Crucis signum mirabiliter formatur. Nam dum sol ipse per supradictum Zodiaci circulum progreditur, à primo videlicet puncto Arietis, vbi vernale Æquinoctium procreat; confestim vt ad septimum signum deuolutus est, ad primum scilicet punctum

Meteor. lib. 1. c. 9.

Atque inprimis in Zodiaci circulo.

ctum Libræ, ibi autumnale Æquinoctium producit. Cùm autem hæc duo puncta in eodem circulo ita constituta sint, vt è regione opposita, se mutuò per diametrum intueantur; proiectione ab vno ad aliud extensa, recta linea, quasi Crucis trabs directa formatur. Deinde verò pergens sol ipse à primo puncto Cancri, vbi æstiuum Solstitium gignit, vsque ad septimum signum, atque ad oppositum Capricorni punctum primum, vbi Brumam facit; ab altero ad alterum è regione oppositum punctum, alia recta linea, quasi Crucis transuersale lignum protenditur. Vt in subiecto schemate clarè demonstratur. A



B

Quod cùm doctissimus Philo Iudæus sedulò contemplatus esset, ipsa veritate coactus dixit, quòd sol hoc cursu suo, hisque naturalibus effectibus, euidentissimam diuinæ Maiestatis probationem in septenario numero nobis demonstret. Ac nisi eum Iudaica peruicacia atque perfidia cohibuisset, diuinam sanè Crucis signi virtutem, quod eo modo formatur, apertè confessus esset. Quod tamen his subobscuris & clandestinis (vt ita dicam) verbis innuit: *Sol ipse diei dux*, inquit, *bina quotannis Æquinoctia faciens, Vere atque Autumno; Vernum in Ariete, Autumnale in Libra; euidentissimam probationem exhibet diuinæ Maiestatis in septenario.* Numerus septenarius, subnectit idem Philo Iudæus, sacratissimus est, ac mysteriis quamplurimis refertissimus; nec scio an illius naturam quis dignè laudare queat. Cumque eumdem numerum immobilem atque indiuisibilem demonstrasset; magni Dei imaginem quodammodò id ipsum esse testatur. Atque ad rem hanc testificandam comprobandamque, Philolai antiquissimi Philosophi auctoritatem affert, qui de Deo ipso appositè hoc videtur dixisse: *Est Auctor & Princeps rerum omnium Deus, semper vnus, stabilis, ipse sui similis, aliorum dissimilis.* Hæc Philo. Quamobrem non est sanè quòd miremur, si Deus optimus maximus septenario numero designatus, eiusdem numeri virtute Crucem sanctam in cælo figurari voluit; quo notaretur, mundum ipsum hoc sacrosancto signo quandoque ab eo seruandum esse. C D

De mundi opificio.

Numerus septenarius mysteriis refertissimus.

Septenarius numerus præterea, vt complures sacri Doctores testantur, sæpè in diuinis Scripturis, pro rerum vniuersitate significanda, videtur fuisse vsurpatus. Vnde sanctus Augustinus: *Multa huiusmodi in diuinis auctoritatibus reperiuntur, in quibus septenarius numerus pro cuiusque rei vniuersitate poni solet.* Venerabilis

De Ciuit. Dei, lib. 11. cap. 31.

A bilis autem Beda asserit, septenarium numerum iuxta Scripturarum auctoritatem, plenitudinem quamdam sacri mysterij signare: *Nam septem*, inquit, *iuxta auctoritatem Scripturarum, plenitudinem quamdam sacri mysterij significat.* Neque ea tantùm sanctorum Patrum est sententia, per septenarium numerum, rerum videlicet vniuersitates in genere, sed & ipsam electorum & sanctæ Ecclesiæ multitudinem præcipuè designari. Quocircà sanctus Hieronymus, siue quiuis alius Auctor commentariorum in Marci Euangelium, inquit: *Septeno namque numero, vniuersitas perfectorum signatur.* Atque alibi apertiùs seipsum declarans, testatur, eumdem septenarium numerum non vniuersitatem tantùm signare, sed etiam ad Ecclesiæ significationem potissimùm assumi: ac propterea sanctum Ioannem Euangelistam in Apocalypsi septem Ecclesiis scripsisse; hoc septenario numero innuens, se ad vniuersam Ecclesiam scribere: *Propter ipsum numerum septenarium*, inquit, *quo vniuersitatis signatio sæpè figuratur; qui etiam ipsi Ec-* B *clesiæ tribuitur, propter instar vniuersitatis: ideò Ioannes Apostolus in Apocalypsi, ad septem scribit Ecclesias.*

In Iob, c. 1.

In Marc. cap. 21.

De celebratione Paschæ.

Septenario igitur numero, electorum & sanctæ Ecclesiæ vniuersitatem signante, admirabile planè mysterium superiori schemate seu figura nobis proditur. Id verò illud est, Deum optimum maximum, cursu atque effectibus, quos sol materialis iste in Zodiaci circulo operatur, id quod verus sol iustitiæ Christus Dominus in huius mundi inferiore circulo operaturus erat, nobis innuere voluisse. Nam quemadmodum sol Zodiacum permeans, in Æquinoctiis atque Solstitiis, septenarij numeri virtute Crucis signum format; sic verus sol iustitiæ Christus, factus homo, mundi huius Zodiacum perlustrans, septenarij numeri virtute, id est, electorum vniuersitatis charitate atque salute compulsus, in sanctæ Crucis ligno mori voluit. Vnde ex sacratissimo sanguine & aqua, quæ è diuino eius latere profluxit, nata est Ecclesia Catholica; quæ sanctæ Crucis si- C gnum non modò effingit atque designat, (quippe quæ sub hoc glorioso & inuicto vexillo feliciter militat) sed etiam idem sanctæ Crucis signum fidelium & electorum suorum frontibus & cordibus imprimit; qui per sæculi huius tribulationes ac solicitudines incedentes, Crucem omnes libenter perferunt, inuictum sui ipsorum Ducem alacri animo consectantes, qui pro militibus suis dixerat: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Itaque septenarius numerus iste, hæcque militantis Ecclesiæ electa atque beata vniuersitas, per tribulationum, persecutionum, & molestiarum viam iugiter sequetur eum, donec felix sabbatismi æternæque requietis dies aduenerit. Quod sanè Spiritus sanctus per ós patientissimi Iob innuere voluit, cùm dixit: *In sex tribulationibus visitabo te, in septima autem non tanget te malum.* Quasi vnumquemque fidelium suorum allocutus Dominus dixisset: In sex tribulationibus visitaberis; id est, in præsenti hac vita, tentationibus, laboribus, atque D ærumnis refertissima, tentaberis; variisque difficultatibus, necessitatibus, atque afflictionibus implicaberis & exercitaberis: verùm in septima, hoc est, in futura vita, in qua beatus sabbatismus, & iustorum expetita requies inuenitur, nulla prorsus tribulationum aut molestiarum recordatio animam tuam attinget.

Septenarij virtute Crux consignata.

Matth. 16.

Iob 5.

Hic senarius tribulationum, posteà septenarius æterna quietis.

Numerus septenarius, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus, in diuina Scriptura pro multitudine sumitur, quod sæpè contingit; vtputà in illo Annæ Samuelis matris cantico, vbi gratiarum actiones Deo referens, quod à sterilitatis infamia ipsam liberasset, filiumque sibi concessisset, prophetauit, dicens: *Quoniam sterilis peperit septem, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Quo loco vox illa, septem, pro plurimis posita est. Quamobrem idem sanctus Pater adiecit: *Primum quidem septenarius numerus de multitudine dicitur in diuina Scriptura:*

1. Reg. 2.

In Gen. cap. 4. Homil. 19.

ptura : id quod sæpè in Scripturis occurrit, vt quòd sterilis peperit septem, & similia. A

Diuus autem Augustinus asserit, Annam verbis illis, ac septenario numero, vniuersæ Ecclesiæ perfectionem prophetasse: *Et hoc*, inquit, *velut quæreretur causa, cur factum sit, quia sterilis peperit septem, & multa in filiis infirmata est: hîc totum quod prophetabatur eluxit agnoscentibus numerum septenarium; quo est vniuersæ Ecclesiæ significata perfectio.* Theodoretus verò affirmat, Annam Ecclesiæ fecunditatem prædixisse: quandoquidem sancta Ecclesia, quæ de Gentibus est congregata, cùm iam olim sterilis esset, septem peperit; id est, infinito pænè filiorum numero multiplicata est. Hebræorum verò Synagoga, quæ priùs multorum filiorum prole erat fecunda, defecit. Ac multo plures mulieris sterilis atque desertæ filij extiterunt, quàm eius quæ virum habebat. *Sic enim sterilis quidem*, inquit, *hoc est, Ecclesia ex Gentibus conflata, peperit septem: Synagoga verò, quæ antè multis filiis fecunda erat, defecit. Et plures fuerunt mulieris desertæ, quàm illius quæ habebat virum.*

De Ciuitate Dei, libro 17. c. 14.

In Cantico Annæ matris Samuelis.

B

Septenarius numerus prætereà aliam planè diuinam excellentiam in se continet. Nam cùm ex ternario ac quaternario componatur; inuisibilis Artificis, visibilisque materiæ primarias substantias prodere & distinguere videtur. Ternario namque, Creatorem, propter Trinitatem; quaternario verò, creaturam, propter quattuor elementa designat. Quocircà numerus iste sub breuitate sua rerum omnium causas & semina complectitur. Atque, quod maioris est apud homines momenti, septenarius idem numerus animæ corporisque vinculum continet. Animæ quidem, quæ propter ipsius quasi diuinitatem ac tres potentias suas, intellectum videlicet, memoriam & voluntatem, ad ternarium refertur. Corporis verò, quod propter quattuor elementa, quibus compactum est, quaternario adscribitur. Quòd autem quaternarius ad corpus, ternarius verò ad animam referatur; sacri Doctores luculentissimum produnt testimonium: atque inter eos præsertim diuus Augustinus locis quamplurimis, ac præcipuè vbi inquit: *Manifestum est autem, ad corpus quaternarium numerum pertinere, propter notissima elementa quattuor, quibus constat; & quattuor qualitates, siccam, humidam, calidam, frigidam. Vnde quattuor etiam temporibus administratur, verno, æstate, autumno, hieme. Hæc sunt notissima. Ad animam verò ternarium pertinere, potest intelligi ex eo quòd tripliciter Deum diligere iubemur, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.*

In septenario, Trinitas simul Diuinitatis, & quaternarius elementorum.

C

In Psal. 6.

Cùm igitur numerus septenarius ex quaternario atque ternario sit compactus, quorum alter ad corpus, alter verò ad animam referatur; manifestè patet, numerum hunc, animæ & corporis vinculum continere. Quamobrem non est profectò quod miremur, si ipse idem numerus, insita quadam & à Deo sibi attributa virtute, tantam in humanam vitam auctoritatem ac potestatem obtineat, vt anni eius, scalares, siue quod vulgò vsurpatum est, climacterici appellentur; quibus obseruatione atque experientia apertissimè docemur, hominis ætatem magnæ planè alterationi ac mutationi esse obnoxiam. Cuius admirandi profectò naturæ arcani multi quidem effectus ipsos tantummodò obseruantes ac referentes, scripsère: nullus autem adhuc, quem sciam, causas, vnde hoc accidat, clarè demonstrauit. Quarum vnam quidem hanc esse puto, videlicet, quòd septenario numero, vt dictum est, connexionem animæ & corporis continente, quotiescumque ista connexio per annorum curriculum tangitur, aut concutitur aut dissoluitur. Ad quod Cicero forsitan alludere voluit, cùm dixit: *Septenarius numerus rerum omnium ferè nodus est.*

Septenarius iste an etiam annorum climactericorum causa.

D

De somno Scipionis.

Atque hinc etiam fieri fortasse potuit, quòd veteres Hebræi, diuturna obseruatione animaduertentes, maiorem hominum partem in ipsis annis climactericis

A ricis è vita decedere, mortuos suos septem diebus flere consueuerant, ad hanc admirabilem septenarij numeri vim alludentes. Quamobrem inquit Ecclesiasticus: *Luctus mortui, septem dies; fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.* Verùm diuus Augustinus asserit, septenarium numerum mortuis tamquam quiescentibus, meritò tribui consuetum; numerumque hunc, propter Sabbati sacramentum, quietis peculiare indicium esse: *Septenarius numerus,* inquit, *propter Sabbati sacramentum, præcipuè quietis indicium est. Vnde meritò mortuis tamquam quiescentibus exhibetur.* Græci autem, Romani, ceterique veteres Gentiles, mortuos suos nouem dierum luctu deflere solebant. Ac pro his qui conditione ac meritis ceteros antecellerent, sacra Nouemdialia ritu solemni celebrare consueuerant. Quapropter Homerus fingit Priamum Troianum Regem propterea ab Achille nouem dierum inducias efflagitasse, quibus interfecto Hectori filio iusta persolui possent. Sic enim Latinitati nunc redditus canit:

Eccli. 22.

Quæst. super Exod. lib. 1. quæstio. 172.

B

Si placet vt dignos nato impendamus honores;
Flere nouem luces permitte domi Hectora nostræ,
Ætheraque & miseris implere vlulatibus vrbem.

Homil. Iliad. 24.

Quod iidem Gentiles ea de causa facere consueuerant, quia anni nouenarij non minùs climacterici, quàm septenarij ipsi comperiuntur; propter quasdam qualitates ac prærogatiuas, quæ ipsi nouenario numero insunt, non minùs sanè mysteriis refertas, quàm quæ sunt septenarij. Et quidem præcipuè, quia est ternarij cubus (ideoque numerus stabilis & immobilis) ac propter admirabiles alias qualitates quæ Deo ipsi tribuuntur, vt apertiùs infrà demonstrabimus. Verùm de his, si Deo optimo maximo concedente, vita comes erit, alio quopiam opusculo nostro forsitan fusiùs agemus. Hæc enim pauca obiter tetigimus, ad id nos pertrahente numero septenario, cuius virtute, Crucis signum in

C primo Mobili atque Zodiaco designatur. Quod nihilo tamen seciùs, non à septenario tantùm, verùm etiam à ternario, ac quaternario quoque figuratur. A ternario quidem, quia discedens sol à primo Arietis puncto, vbi, vt iam dictum est, Vernale Æquinoctium gignit; nonaginta graduum, id est, trium signorum in Zodiaco, triumque mensium tempore, spatium emensus, nobis hîc infrà Ver producit. Deinde verò primum Cancri punctum ingressus, nonaginta aliorum graduum, id est, trium aliorum signorum itinere confecto, trium pariter aliorum mensium spatio Æstatem absoluit. Hinc postea Libræ signum attingens, totidemque gradibus ac tribus signis itidem peruolutis, trium aliorum mensium decursu Autumnum expedit. Demum ad primum Capricorni punctum delatus, statim vt inde digressus, tantumdem Zodiaci spatium infatigabili conuersione perlustrauit, in tribus postremis signis, atque aliorum trium mensium curriculo Hiemem conficit, & annum absoluit. Quaternario verò, in

Ternario numero quomodo etiã Crux latenter signata.

D primo Mobili atque in Zodiaco, Crucis signum vel inprimis designatur, eiusdemque sanctæ Crucis quattuor extremitates apertissimè figurantur; vt demonstrationis gratia ostendemus. Vt puta in primo Arietis puncto, atque in Vernali Æquinoctio, Crucis excelsior extremitas excogitari potest. In primo puncto Cancri (sicque in quarto signo) dextera extremitas. In primo puncto Libræ, quod ab ipso Cancro est quartum signum, inferior extremitas. Atque in primo Capricorni puncto, quod à Libra quartum quoq; est signum, Crucis ipsius sinistra extremitas, optima sanè ac solida ratione constitui potest. Nam quattuor hæc puncta, quæ æqualiter inter se quartæ Zodiaci partis spatio exactissimè distant, Crucem directè formant, solisque virtute quattuor anni tempora nobis producunt; singula ad trium mensium spatium duratura, dum sol per

Quatuor puncta Zodiaci inprimis formãt Crucem.

tria Signiferi signa progreditur. Ex quo cùm cuilibet ex quattuor anni tempori- A
bus, tria signa tribuantur; quattuor per tria deducta, duodecim conficiuntur si-
gna: quorum dum sol ibi supernè emetitur iter, hîc inferiùs duodecim menses,
sicque totus integer annus absoluitur. Admirandum planè mysterium, quod vt
ego quidem censeo, præcipua figura & euidens demonstratio fuit eorum præ-
clarorum facinorum, quæ verus sol iustitię Christus Saluator noster, Cruce san-
cta, hisque numeris pro salute nostra in mundo operaturus erat. Id enim aper-
tissimè demonstrat, Trinitatem sanctissimam ternario significatam numero (in
quo sol quattuor anni tempora producit, quattuorque Crucis extremitates no-
bis mirabiliter designat) iam inde ab initio statuisse, vt verus sol iustitiæ Chri-
stus Dominus, mortem in ligno Crucis oppetens, humanum genus ab æterna
damnatione seruaret; sanctisque Apostolis administris, qui quasi tot signa in
terrestri Zodiaco, vniuerso orbi Crucis prædicauêre sacramentum, sanctam Ec-
clesiam ex quattuor extremis mundi partibus vocandam congregandamque B
decreuisse. Quamobrem vt sol materialis iste per duodecim Zodiaci signa ter-
natim progrediens, ex quattuor anni temporibus, annum ipsum ad vnitatem
atque ad perfectum finem deducit: sic planè, ac non aliter, increatus sol iustitiæ,
sanctorum Apostolorum suorum ministerio ex quattuor mundi partibus ele-
ctos conuocans, eosque per Baptismum in nomine viuificæ Trinitatis, Patris,
Filij, & Spiritus sancti, sanctificans; in fidei vnitatem, in vnamque Ecclesiam
Catholicam & Apostolicam congregare & coadunare debebat, absolutissimè
perficiens quod idem ipse Saluator noster quandoque se facturum innuerat:
A quattuor ventis congregandos electos.

Zodiacus & sol, mysticus Christus crucifixus.

Quod mysterium diuinitus planè sanctus Augustinus his verbis explicauit:
Partes enim mundi, inquit, *quattuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo, & Meridies. Ab
omnibus istis quattuor ventis, sicut dicit Dominus in Euangelio, à quattuor ventis se
collecturum electos suos, ab omnibus istis quattuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo* C
*vocatur? Vndique in Trinitate vocatur. Non vocatur nisi per Baptismum in nomine Pa-
tris, & Filij, & Spiritus sancti. Quattuor enim ter ducta, duodecim inueniuntur.*
Quamobrem non abs re Pythagorici Ioui duodecim laterum figuram assigna-
bant; non tantùm quòd Iouis astrum naturalem conuersionem suam in cælo
duodecim annorum spatio absoluit, sed vt eo pacto vniuersum rerum domi-
nium innuerent, quod penes Iouem, quem ipsi errore ducti Deum maximum
putabant, absolutè existere arbitrabantur. Etenim duodenarius, numerus vni-
uersitatis censetur; numerusque is est, qui plenam consummatamque virtutem
signat. Vnde Petrus Bungus inquit: *Plenæ consummatæque virtutis est duodena-
rius: recipit enim diuisiones (ex quibus consurgit) ordinatas, multiplicatione senarij per
binarium, & binarij per senarium, & ternarij per quaternarium, & quaternarij per
ternarium.* Et idcircò non sine mysterio Dominus noster Iesus Christus duode-
cim Apostolos elegit, vt per hunc perfectionis & vniuersitatis numerum, vni- D
uersus terrarum orbis fidei lumen sanctamq; suam reciperet doctrinam. Quòd
si etiam numeri huius virtutem ac perfectionem diligentiore consideratione
contemplari velimus, comperiemus profectò, ipsum Deo esse conuenientissi-
mum, quandoquidem in ternarium conuertitur. Nam si duas eas quibus con-
surgit & graphicè describitur figuras summatim colligemus, re ipsa in terna-
rium verti conspiciemus. Qui numerus planè sacratissimus est, rerumque om-
nium principium, medium, & finem continens: numerus, quo Deus optimus
maximus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, in infinitum delectatur & gaudet.
At de sanctæ Crucis figuris, quæ vniuersi mundi globo, ac primo mobili, in-
genti diuinitatis mysterio descriptæ sunt, breuiter hactenus dixisse sufficiat.

In Psal. 86.

De numero duodenario, in principio, fol. 386.

Perfectio numeri duodenarij mystica.

CAPVT

A

CAPVT III.

De Crucis figuris, quas in octaua sphæra, siue firmamento, ceterisque inferioribus Planetarum sphæris Deus impreßit.

CAELVM magis visibile, humanisque oculis magis apparens, omni dubio procul octaua sphæra est, quam Sacræ paginę firmamentum vocant. Quamobrem in visibili cælo non imaginariè tantùm, sed visibiliter, apparentique ac stabili imagine & figura, salutaris viuificæque Crucis signum Deus magnus imprimere voluit; vt à cælorum ac terræ creationis exordio, vsque ad mundi finem, ibi fixum & visibile permaneret, sæculis cunctis præterlabentibus, hominum obtutibus conspiciendum & contemplandum. Ad id sanè, vt
B & ante Christi Domini aduentum, indicium ac testimonium proderet illius præter cetera admirandi facinoris, quod hoc sacrosancto signo administro perpetraturus erat; & post Vnigeniti sui ac Saluatoris nostri in Cruce passionem & mortem exantlatam, electi & fideles eius perpetuum salutis suæ monumentum quoddam iugiter conspiciendum ante oculos haberent, quo diuinæ Maiestati, pro redemptionis nostræ incomparabili beneficio, assiduas gratiarum actiones redderent: tum vt infideles, qui errorum & ignorantiæ tenebris obruuntur, dum oculorum ac mentis aciem intendunt, ac sacrosanctum Crucis signum, iam inde ab ipsius mundi exordio, à Deo optimo maximo inter astra collocatum vident, illius splendore illustrati, tantique mysterij admiratione excitati, erroris sui cæcitatem ac miseriam agnoscant, atque inscitiæ noctem, incredulitatisque pertinaciam excutientes, infinitam bonitatem & misericordiam illius fateantur, qui pro nimia charitate, & immenso dilectionis affectu, quo nos pro-
C secutus est, in Crucis ligno mortem oppetere voluit; vt iam inde à cęlorum creationis initio præfiguratum ac præordinatum fuerat, ad hominum naturam quam condiderat, à diaboli tyrannide & ab æterna damnatione redimendam. Ita vt diuina gratia, huiusque cælestis signi admiratione allecti, ad sanctam fidem, ad sacrum Baptisma, atque ad sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium confugiant; non secùs ac Magi, nouæ stellæ splendore pertracti, ab extremis Orientis partibus egressi, ad Regem Regum & mundi Saluatorem, tunc recèns natum, agnoscendum atque adorandum perrexêre. Admirandum Crucis signum, de quo nobis est sermo, Deus optimus maximus, in firmamento, iuxta Antarcticum Polum statuit. A nautis autem, corrupto vocabulo, Cruserum appellatum; quod nos Cruciferum dicere poterimus, alio nomine Australe plaustrum, siue Austri plaustrum nuncupatum. Quattuor sanè stellis lucidissimis formatum est, quę circa Antarctici Poli excubiarum circulum circumferuntur.
D Nec ab aliis præterquam ab his prospici possunt, qui versus Æquinoctialem nauigantes, ad vigesimum secundum Æquinoctij gradum saltem appulerunt; exactissimeque perstant, vt inferiori typo graphicè descripto conspiciuntur; iuxta eorum formam atque imaginem, quam Andreas Corsalius Florentinus Magno Iuliano Mediceo quadam epistola sua ex Cochin Indiarum oppido, anno salutis nostræ M. D. XV. die sexta Ianuarij conscripta, transmisit. Quæ quidem, vnà cum prædictarum stellarum typo, impressa est primo nauigationum & itinerum Tomo, quæ Ioannes Baptista Ramusius collegit, eiusdemque exemplar ex Italico idiomate in Latinum conuersum tale est:

Illustrissime Domine. Cùm promissis, quæ Illustrissimæ Dominationi tuæ, istinc discedens feceram, omnino deesse non poßim; hoc breue rationarium tibi transmittendum statui,

Crucis icon in astris perpetuò loquitur tam fidelibus quàm infidelibus.

De astro Crusero seu Crucifero circa Polum Antarcticum singularia.

Epistola Corsalij ad Ducē Florentiæ ex India de eodem astro & aliis.

statui, quò nostri ad Indias confecti itineris notitiam assequaris. Et quamquam non adeò copiosum sit, vt ego quidem speraueram, atque etiam præoptaueram, (cuius rei causam in temporis breuitatem, ex quo ad oras istas appulimus, reiiciendum esse scias) volui tamen omnino illud ad te dare, ne meo deessem officio; cùm mihi spes firma sit, illud ipsum ea grati animi alacritate abs te accipiendum, quam cordis mei affectus, meaque in te obseruantia postulat; cùm aliud tempus mihi dari cupiam, quo tibi in eo cumulatiùs satisfaciam. A

Posteaquam Vlissiponâ discessimus, secundis semper ventis nauigationem tenuimus, nullis aliis quàm Noti & Austri ventorum flabris vtentes. At Æquinoctialem lineam prætergressi, in triginta septem graduum altitudine huius alterius hemisphærij nos esse comperimus, contra Bonæ spei promontorium, flatuosum planè ac frigidum Clima; his præsertim temporibus, quibus Sol Septemtrionalia signa peragrabat; noctemque quattuordecim horis constare probauimus. Hîc admirandum stellarum ordinem prospeximus, quæ in hac cæli regione Aquilonari Polo nostro opposita circumferuntur. Vt autem scire possemus quonam loco Polus Antarcticus consisteret, per graduum altitudinem, die quidem Solem obseruauimus, noctu verò per astrolabium comprobauimus. Id ipsum autem duæ mediocris amplitudinis manifestè produnt nubeculæ, quæ circa eumdem nunc sese deprimentes, nunc verò erigentes circulari motu assiduè vertuntur, stella quadam in medio earum semper conspicua, quæ vnà cum ipsis circumfertur, vndecim ferè gradibus ab ipso Polo distans. Super has, quas recensuimus stellas, Crux quædam planè admirabilis apparet, in quinque stellarum medio, quæ eum, vt plaustrum Polum nostrum Arcticum, circumdant, vnà cum aliis stellis, quæ Polum eumdem Antarcticum circumambiunt. Vertitur autem Crux eadem ab ipso Polo triginta ferè gradibus procul, conuersionemque suam vigintiquattuor horarum spatio absoluit. Tantæ verò est pulchritudinis, vt nulli prorsus alij cælesti imagini comparandam putem. Quod facilè concesseris, si typum eius inferiùs graphicè delineatum expenderis. Illustrissimæ Dominationis tuæ studiosissimus Andreas Corsalius. B

Crux illius astri planè admirabilis & pulcherrima.



C

Huius admirandi Crucis signi, quod Deus optimus maximus inter stellas in firmamento constituit, vt superiùs ostendimus, præcipua etiam mentio habetur in secundo Indiarum Historiæ libro, Imperatori Carolo Quinto dicatæ. Et vt summatim rem expediam, omnes qui nauigatione ad Indos cursum tenuêre, atque inde redierunt, luculentissimum huius rei testimonium produnt, indubitatamque fidem faciunt. Quod & Pererius Valentinus suis in Danielem Prophetam Commentariis his verbis testatur: *Qui ad nos scripserunt vel etiam venerunt ex regione Americana, quæ cælo Antarctico subiecta est, affirmarunt, in cælo nec tot cerni stellas quot in Arctico; easque minùs fulgere, aspectuque notabiles, præter vnam quamdam valdè illustrem siderum speciem & effigiem, quam Cruciferum appellant. Hoc sidus quattuor fulgentibus ex æquo ferè distantibus stellis, in similitudinem Crucis pulcherrimè figuratum est.* Hęc ille. Quamobrem de eodem illud forsitan dici posset, quod Regius olim Propheta Spiritu sancto plenus intonuit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Quando enarrauerunt cæli gloriam Dei? inquit sanctus Augustinus. Tunc præsertim, cùm nato Domino noua illa stella numquam anteà visa apparuit. Verùm si eiusdem beati Patris temporibus nouus orbis detectus fuisset, atque huius admirabilis Crucis signi, quod cælum illi prodit hemisphærio, notitiam assecutus esset; procul dubio D

In Daniel. Proph. Comment. lib.4.

Psalm. 18.

In Psal. 18.

A dubio (meo quidem iudicio) asseruisset, cælum in hoc videlicet euidentiùs ac longè maiore hominum admiratione Dei optimi maximi enarrare gloriam, vbi illud admirandum signum vniuerso terrarum orbi iugiter ostendit, in quo cum ipsius æterna gloria, cunctarumque creaturarum summa admiratione, miraculum omnium miraculorum maximum operari voluit. Iureque optimo dixisset, quòd firmamentum per hoc signum numquam annuntiare desistit admiranda illa opera, quibus cuncta obstupescent sæcula, quæque manus Domini tunc fecerunt, cùm ligno Crucis extensæ atque confixæ, humani generis redemptionem tam mirabiliter operatæ sunt. Reuerà enim asseuerare possumus, cælum enarrare gloriam Dei, firmamentumque opera manuum eius annuntiare, dum hoc sacrosancto Crucis signo administro, ad memoriam assiduè reuocat immensum atque incomparabile beneficium, quo genus humanum Deo optimo maximo deuinctum est, dumque homines ad ipsius infinitam bonitatem & misericordiam collaudandam, extollendam atque glorificandam, B assiduè inuitat & allicit. *Cæli vel maximè apud Antipodes enarrant gloriam Crucis.*

Quandoquidem hæc verè lingua & vox est, qua cæli enarrant gloriam Dei, & qua firmamentum opera manuum eius annuntiat. Vnde sanctus Ioannes Chrysostomus ad hoc apposité inquit: *Neque enim cæli Deum per vocem aliquam emissam laudant, sed per eos quos aspectu suo ad laudandum Deum permouent; & tamen ipsi narrare gloriam Dei dicuntur*. De eodem Crucis signo, quod in firmamento quattuor fulgentissimis stellis formatum prope Antarcticum Polum prospicitur, Dantes etiam meminit; licet reuerà haud sciam, an æuo suo illius hemisphærij notionem vllam istud hoc nostrum adhuc assecutum fuerit; sic enim inquit: In Epist. ad Rom. c. 10. Homil. 18.

Jo mi volsi à man destra, e posi mente
All' altro Polo, e vidi quattro stelle,
C *Non viste mai, fuor ch'à la prima gente.* In Purgatorij principio.

Diuus Augustinus asserit, cælum in nobis significare animam, terram autem corpus ipsum: *Cælum*, inquit, *in nobis anima est, terra in nobis corpus est*. Ideoque dici posset, Deum Crucis signum stellis designatum adeò rutilans ac visibile in cælo collocasse, non ob id tantùm vt homines illud intuentes & contemplantes assiduam recordationem & monumentum quoddam ante oculos haberent ad infinitas gratias altissimæ Maiestati pro redemptionis incomparabili beneficio, vt diximus, persoluendas; verùm etiam quò scirent & intelligerent, se ad cælum, veram patriam nostram, nullo pacto reuerti posse, nisi in animarum cordiumque cælo Crucis signum insculptum & impressum assiduè tulerint. Nobis enim non tantùm necesse est, si Saluatorem nostrum in cælum sequi velimus, vt vnusquisque nostrûm hilariter tollat, corporaliterque portet Crucem suam, mundi huius calamitates, tribulationes, atque pressuras patienter perferens, D carnemq; nostram abstinentia, ieiuniis, peregrinationibus, ciliciis, aliisque mortificationibus edomans, quæ animale corpus hoc castigant, & spiritui subiectum reddunt: quin etiam nobis quoque expedit, & necessarium est, vt Crucem ipsam animo & corde perferamus; vt proximi nostri afflictionum ac miseriarum nos misericordia tangat, atque adeò commoneat, vt pro nostra virium facultate necessitatibus atque indigentiis eius spiritualibus & corporalibus opitulemur. De quibus duobus Crucis deferendæ modis sanctus Gregorius Magnus inquit: *Duobus etenim modis Crux tollitur, cùm aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compaßionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter vtroque modo Paulus Crucem suam tulerat, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Ecce in afflictione audiuimus Crucem carnis; audiamus nunc in compaßione proxi-* De temp. Serm. 135. *Crux ferēda etiam compatiendo Cruci proximi.* In Euang. Homil. 32.

proximi Crucem mentis. Ait enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator, vt exemplum daret abstinentiæ, Crucem portabat in corpore: & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, Crucem portabat in mente. A

Triplex Crux Christianorum, maximè Prælatorum.

Tribus modis Crucem iugiter in anima ferre debet Christianus; præsertim verò is qui Princeps, Prælatus, aut Iudex est. Primo quidem, vt proximo compatiatur. Secundo, vt nulli parcat labori, nullumque subterfugiat incommodum, quò officium munusque suum iustè ac fideliter præstet. Tertio verò, vt timorem Dei, iustique iudicij eius seueritatem cordi infixam assiduè ferat. Quamobrem Missæ sacrificium Romanus Pontifex solemni ritu celebraturus, tres permagnas acus siue aureos clauiculos Pallio suo infixos defert. Vnum videlicet ante pectus, quo proximi compassio siue misericordia designatur, quam animo semper infixam habere debet: secundum super sinistrum humerum, quo officij & muneris sui onus grauissimum innuitur, quod cor eius assiduis B solicitudinibus & curis transfigere debet: tertium verò post scapulas, ad iusti Dei iudicij terrorem alludens, quo semper absterrendus est. De quo Innocentius Papa Tertius, inquit: *Tres autem acus quæ Pallio infiguntur, ante pectus, super humerum, & post tergum, designant compassionem proximi, administrationem officij, districtionemque iudicij. Quarum prima pungit animum per dolorem, secunda per laborem, tertia per terrorem. Prima pungebat Apostolum cùm dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Secunda est: Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Tertia: Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Mysteriorum Missæ lib. 1. c. 63.

Quæ quidem licet de Romano Pontifice dicta sint, ad cuius sacrosancti & planè diuini muneris sublimitatem excelsam, omnium Ecclesiarum cunctorumque Christiani orbis populorum solicitudo & cura pertinet; priuatæ tamen cuiuslibet Christiani conditioni aptari possunt. Etenim vnusquisque nostrûm, C pro status sui gradu, Crucem tribus hisce quos superiùs recensuimus modis, animæ & cordi iugiter impressam deferre tenetur: vt videlicet proximo compatiamur, & necessitatibus eius pro nostrarum virium facultate subueniamus; vt assidua cura & solicitudo, velut stimulus quidam, cordibus nostris insideat, quæ noctes & dies nos excitet, & ad id cogitandum atque cauendum semper impellat; ne in his quæ muneris nostri sunt, siue committendo, siue omittendo, vel in minimo quidem vllo pacto delinquamus. Denique vt timor Dei eiusque iusti iudicij terror, animabus & cordibus nostris semper adhæreseat infixus.

Crux velut stimulus perpetuus ad virtutes.


Hæ namque veræ rationes sunt atque indubitati modi Christum Ducem & Magistrum nostrum sequendi, & Crucis eius mysterium, & pondus post eum, vt docuit, deferendi. Ipsius enim cæli exemplum in hoc quidem imitabimur: vt quemadmodum illud, Crucis signum assiduè sibi defert impressum; ita & nos D Crucem ipsam animæ nostræ cælo semper infixam ita portemus, vt in huius vitæ prælio, inuincibili hoc & inexpugnabili telo armati, licet corpore inermes, inuisibiles hostes superare possimus, qui totis viribus iter nobis præcludere conantur, ne redire possimus ad cælum, quod illo ipso Crucis signo ad desiderabilem patriam nostram repetendam assiduè nos allicit & inuitat. Omnino enim securi esse possumus, quòd si impenetrabili hoc thorace anima nostra induta fuerit, in periculoso ac terribili illo omnium horribilissimo certamine, inuidi ac nequissimi spiritus antiqui hostes nostri, nullo pacto ei obsistere poterunt. Quin etiam pauentes ac tremebundi, magnaque confusione perfusi, terga dare expeditumque aditum eidem relinquere cogentur, quo ad excelsum ac triumphantem

A phantem Ducem noſtrum, qui ibi ſurſum apertis vlnis nos auidè præſtolatur, hilaris ac tuta euolare queat. Quod ſanè ſanctus Pater ille innuere voluit, cùm piè canendo dixit:

Nos Crucis inuictæ ſignum & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quamquam membris videamur inermes;
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

S.Paulinus Nolanus, lib.8. Geſtor.S.Felicis matt.

Et hoc quidem ſatis abundè dixiſſe ſufficiat de admirabili ac lucidiſſimo Crucis ſigno, quod Deus optimus maximus iam inde ab ipſius vniuerſi creationis exordio, firmamento infixit; vt ibidem pro ipſius gloria vſque ad mundi finem ſtabile atque viſibile rutilo ſplendore perfulgeat. Reliquum nunc nobis eſt, vt de eiuſdem ſanctiſſimæ Crucis ſigno agamus, quod in inferioribus ſe-
B ptem Planetarum ſphæris accidentaliter ſæpè formatur. Quandoquidem Planetæ ipſi non in vno quidem certo cælorum loco ſemper immobiles conſiſtunt, ſed variis ſphærarum atque epicyclorum motibus delati, nunc in vna, nunc verò in alia ipſarum ſphærarum poſitione reperiuntur. Quamobrem, cùm rerum cæleſtium peritis ſubit in mentem velle ſcire aut demonſtrare in quam cæli regionem quilibet Planetarum ſit delatus, certo quodam imaginario ipſorum reti cælum metiri, duodecim regionibus ſiue domiciliis illud partiri conſueuerunt. Inter quæ domicilia, quattuor præcipua atque inſigniora ſunt, ab ipſis cæli anguli ſiue cardines appellata; nempe Oriens, Occidens, atque ea, quæ in vtriuſque hemiſphærij medio, ſupra videlicet atque infra terram conſtituuntur. Si autem contigerit, vt ſæpè ſolet, quattuor Planetas ita conſtitutos
C eſſe, vt vnuſquiſque eorum in vno ex quattuor prædictis cæli angulis reperiatur, tunc recta linea per diametrum, ac per tetragonum aſpectum, ſeſe inuicem intuentes, fulgoremque ac radiorum ſuorum virtutem directè alius contra alium proiicientes ac iaculantes, Crucis ſignum euidenter formant atque deſignant, vt præſenti hoc ſchemate demonſtratur.



Crux myſtica etiam in Planetarum aſpectibus.

Quæ quidem figura iam per annorum millia ante Chriſti Domini aduentum, ab antiquioribus ac ſapientioribus Ethnicorum Philoſophis conſiderata, magno in pretio habita, & ſuper omnes figuras efficaciſſima eſt iudicata. Ara-
D bes inter ceteros hanc ipſam omnibus aliis figuris anteferendam cenſebant, exiſtimantes huic eidem maiorem virtutem ineſſe, quàm cuicumque alteri figuræ, ſiue imagini, quæ cælorum virtute, ſeu ſtellarum influxu, pro humani generis beneficio conſtrui ſiue formari poſſit. Quocircà Marſilius Ficinus teſtatur legiſſe ſe, quanti Arabes præfati myſteriis hanc refertiſſimam figuram pluribus de cauſis facerent. Præſertim verò, quia putabant, (vt hodie quoque rerum cæleſtium materialium periti opinantur) ſtellas tunc maximè viribus pollere, cùm quattuor cæli angulos ſiue cardines nanciſcuntur. Tunc enim ſic conſtitutæ radios ſuos viciſſim inter ipſas tali pacto proiiciunt & iaculantur, vt Crucis imaginem effingant, efficaciſſimaque ac potentiſſima virtute in hæc inferiora influant. Quamobrem aſſeuerabant veteres, Crucem figuram eſſe ſtellarum for-

Figura Crucis, stellarũ summa vires.

Marsilius Ficinus, De vita cælitus comparanda, libro 3. cap. 18. Tomo 1.

titudine designatam, & earumdem virium esse receptaculum: ideoque inter A imagines summam potestatem obtinere, cùm Planetarum spiritus ac vires in se suscipiat: *Antiquiores autem,* inquit, *quemadmodum in quodam Arabum collegio legimus, figuram Crucis cunctis anteponebant, quia corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam. Prima verò superficies Cruce describitur. Sic enim in primis habet longitudinem atque latitudinem. Primaque hæc figura est, & omnium recta quàm maximè, & quattuor rectos angulos continet. Effectus verò cælestium maximè per rectitudinem radiorum angulorumque resultant. Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quattuor cæli tenent angulos, immò cardines; Orientis videlicet, Occidentisque, & medij vtrimque. Sic verò dispositæ, radios ita coniiciunt in se inuicem, vt Crucem inde constituant. Crucem ergo veteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earumdem fortitudinis susceptaculum: ideoque habere summam in imaginibus potestatem, ac vires & spiritus suscipere Planetarum.*

Hæc omnia de Crucis figura stellis formata Marsilius Ficinus asseruit, qui B etiam subtexuit, opinionem hanc ab Ægyptiis vel introductam, vel maximè approbatam confirmatamque fuisse. Deinde verò non post multa Christianè admodum subiunxit, putare se omne id quod de Crucis excellentia ante Christi Domini aduentum excogitatum est, non tam stellarum muneris & roboris argumentum ac testimonium extitisse, quàm præsagium quoddam virtutis eius, quam ab ipso Christo esset acceptura: Astrologos etiam qui statim post Christum fuerunt, videntes à Christianis per Crucis signum tot admiranda fieri, nescientes quidem, aut nolentes in Dominum Iesum tanta referre, in cælestia corpora retulisse. Quamquam si rem ipsam totam diligentiùs inuestigare atque expendere voluissent; didicissent vtique, miracula per Crucem sine Iesu nomine minimè perfici posse.

Miracula tamẽ Crucis non nisi per Christum.

Quo autem in pretio & veneratione, Ægyptij, Arabes, ceteræque antiquæ nationes illæ, per sæcula permulta, ante Christi Domini aduentum, Crucis si- C gnum & figuram apud semetipsas haberent, quantamque virtutem ac fortitudinem eamdem obtinere arbitrarentur, luculentissimum testimonium astruit epistola illa, quam Petosiris summus Philosophus, reconditarumque naturæ virtutum & arcanorum diligentissimus indagator, ad Necepsum Ægyptiorum Regem dedit; cui etiam vnà cum ipsa Epistola, quamdam Crucis imaginem & figuram, circulo inclusam transmisit; asserens, quòd si illa quorumdam numerorum calculo, certisque obseruationibus adhibitis (quæ in eadem Epistola continentur atque explanantur) vteretur, non tantùm de infirmorum vita & morte iudicium ferre, sed etiam quamplurima ad humanæ vitæ cautelam & vtilitatem necessaria prædicere sciret & posset. Quam Epistolam ac figuram venerabilis Beda in libello siue capite illo suo de Diuinatione mortis & vitæ, describit. Quod tamen reor, Venerabilem Bedam ibidem retulisse, vt se id omnino non ignorasse ostenderet; non autem quia huic rei fidem adhibendam D vllo pacto putaret: cùm non modò absurdum, sed à veritate alienum censendum sit, vitam aut mortem hisce numeris præsciri ac prædici posse. At hæc breuiter dixisse sufficiat de sanctæ Crucis signo, quod in Vniuerso, & in cælis ipsis Deus optimus maximus, pro gloria sua, ac beneficio nostro impressit atque constituit: cuius sanctum & benedictum nomen à nobis cunctisque creaturis laudetur & glorificetur in sæcula sæculorum. Amen.

De Diuinat. mortis & vitæ, tomo 2. fol. 348.


CAPVT

A

CAPVT IV.

De signo & figura Crucis, quam Deus effinxit in homine.

DIXIMVS de Crucis signo, quod summus rerum omnium moderator & creator Deus in mundo & in cælo impressit: consequenter agemus nunc de eo, quod in paruo mundo, quem ipse semper in deliciis habuit, id est homine, insculpsit. Meritò enim requiri videbatur, vt hoc salutari signo ceteris creaturis consignatis, eodem expressiùs & euidentiùs insigniretur homo, pro cuius præcipuo beneficio & salute, Crux ipsa formata est, & pro cuius amore & redemptione ille ipse mundi & Crucis formator in eadem Cruce mortem subire voluit. Sacrosanctо igitur Crucis signo, nobiliore ac sublimiore corporis B parte, id est, in fronte, homo signatus est. Nasi enim ipsius directio & longitudo vsque ad frontis summitatem, Crucis rectum lignum nobis repræsentat; eiusdem verò frontis latitudo cum superciliis ipsis hinc inde protensis, Crucis eiusdem transuersale lignum apertissimè designant. Quin etiam totum ipsius hominis corpus nihil planè aliud est, quàm verissima Crucis imago & figura. Nam si pedibus iunctis rectus steterit, bra- C chiaque ex directo in transuersum extenderit, expressam ac naturalissimè efformatã Crucis referet imaginem, vt hîc apertè conspicitur. *Crucis figura multiformis in homine.*



Quamobrem solidæ rationi sanctus Iustinus martyr innixus asseruit, humanam figuram nulla alia re ab ipsis belluis differre, præterquam quòd erecta est, brachiorumque ac manuum extensionem habet, & in ipsa facie nasum à fronte protensum, quo & ipsis animantibus ceteris respiratio datur; nihilque aliud, quàm Crucis signum designare videtur. *At humana figura,* inquit, *non alia re à belluis differt, quàm quòd & recta sit, & manuum extensionem habeat, & in facie à fronte protensum nasum, per quem & respiratio animalibus est: neque aliud demonstrat, quàm signum hoc Crucis.* Diuus autem Ambrosius, siue vt alij autumant, sanctus D Maximus Taurinensis, mysteriis refertissimam humanæ figuræ formam itidem contemplatus, asseruit, ipsum hominis gressum, cùm brachia extendens manus in altum extulerit, Crucis formam effingere: atque hinc propterea nobis iniunctum fuisse, vt erectis expansisque manibus orationi intendentes, ipsorum quoque corporis membrorum coaptatione, Domini passionem fateamur: quia orationem nostram tunc citiùs exaudiri credendum est, cùm corpus nostrum Christum, de quo mens loquitur, imitatur: *Ipsius etiam incessus hominis,* inquit, *cùm manus leuauerit, Crucem pingit: atque ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Hæc ille.

In Apologia secunda.

Pansis manibus orantes cur faciliùs exaudiamur.

Serm. 56. tom. 5.

Magnus autem Anastasius Synaita Antiochenus Patriarcha, admirabilem

hanc

hanc humani corporis nostri constructionem contemplatus, hominem quattuor corporis sui extremitatibus, quattuor Crucis cornua præsignasse, eumdemque ad Christi crucifixi imaginem formatum fuisse asseruit: *Similiter etiam homo*, inquit, *ad formam Crucis figuratam habens imaginem, vt qui factus sit ad imaginem Christi crucifixi, præfigurauit quattuor cornua Crucis.* A

Anastas. Synaita Anagog. contēplat. in Hexameron l.4.

Admirabile Crucis signum Deus optimus maximus, vt superiùs diximus, in cælo impressit, quod vniuersi facies & frons quodammodò dici potest; vt ab omnibus creaturis assiduè laudaretur, quòd per Crucem mundum sanctificauerit. Verùm longè maiora mysteria meditatus, id quoque in faciebus nostris insculpsit, in fronte scilicet, quæ huius parui mundi, id est hominis, cælum est. Ad id sanè non tantùm, vt homo genericè, id est, vniuersum humanum genus, perpetuum & indelebile monumentum quoddam ipsius Dei digito exaratum habeat ac deferat, (illius nimirum immensi & incomparabilis redemptionis suæ beneficij, quo diuinæ ipsius Maiestati in æternum deuinctum est, vt superiori quoque Capite diximus) verùm etiam, vt cùm vnusquisque nostrûm vultum natiuitatis suæ in speculo contemplatur, & sacrum Crucis signum in fronte sua tam mirabiliter insculptum intuetur, statim obstupescat, erubescat, amore liquescat, lachrymisque se ipsum totum aspergat; atque adeò pio quodam animi affectu, in tepidum humorem extrinsecus diffundatur, dum animo & cogitatione expendit, adeò incomprehensibilem atque immensam extitisse charitatem & amorem, quo summus vniuersi Imperator & Monarcha homines à se procreatos prosecutus fuerit, vt pro se ipso ρ̨cipuè homo fieri voluerit, atque vt eum à diaboli tyrannide, & ab æterna damnatione liberaret, Crucis mortem truculentissimam sponte subierit: ita vt quilibet Christi fidelis, dum hæc attenta consideratione complectitur, vnà cum deuoto Bernardo verè ac liberè dicere possit: *Christus totus mihi datus, totus in meos vsus expensus.* B

Quid dicere possit Christianus seipsum contemplans in speculo.

In Psalm. Qui habitat, Ser.14.

Quamobrem meritò dici potest, somno verè immersum, atque adeò mortuum esse illius Christiani affectum, qui hæc mente perpendens, vero charitatis ac dilectionis ardore in Creatorem & Redemptorem suum non inflammetur, nec propensa animi gratitudine huic incomparabili beneficio respondeat, neque in gratiarum actiones, ac laudum præconia totus diffundatur. Siquidem propter nimiam charitatem, qua benignissimus ac sine fine misericors Deus vnumquemque nostrûm dilexit (quod idem quoque sanctus Bernardus alibi subtexuit) ad redimendum seruum, nec Pater Filio, nec Filius sibi pepercit. O nimiam profectò charitatem, quæ mensuram omnem excedit, omnemque modum ac terminum transcendit & superat, atque adeò super rerum omnium vniuersitatem mirabiliter extollitur. *Propter nimiam quidem charitatem suam*, inquit, *qua dilexit nos Deus, vt seruum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Verè nimiam, quia & mensuram excedit, & modum superat; planè supereminens vniuersis.* C D

S. Bernard. in Serm. de Passione Domini.

Quamobrem sanctus Ambrosius inquit, meritò dixisse Apostolum, cùm de hac verè nimia atque admiranda Dei erga nos charitate recogitaret; *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Manifestum namque est (subiungit idem sanctus Ambrosius) omnia infortunia, omnes tribulationes, omnes calamitates & afflictiones, vel mortem ipsam, charitati, qua Christus Dominus nos prosecutus est, nullo pacto æquiparari posse. Enimuerò longè maiora constat ea esse quæ in nos contulit beneficia, quàm omnia quæ in mundo censentur aduersa. *Manifestum est*, inquit, *omnia exitia, tribulationes, pressuras, & mortem non posse conferri vel comparari charitati Christi, quam seminauit in nobis. Multò enim maiora eius beneficia habemus,*

Rom.8.

In epist. ad Rom. c.8.

A *bemus, quàm hæc sunt omnia, quæ videntur aduersa. Si enim morimur pro illo, quod grauius videtur in his, & ille mortuus est pro nobis; sed ille, vt prodesset nobis: nostra autem mors non illi proficit, sed nobis. Temporalem enim vitam perdimus, vt nobis rependatur æterna. Et quid mirum, si serui moriantur pro bono Domino, quando Dominus mortuus est pro seruis malis?*

Non sine causa, inquit sanctus Anselmus, *Christus Dominus signum suum in fronte nobis infigi voluit, tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat; cùm parum sit in corde habere Christum, & confiteri eum posteà nolle, dum timetur opprobrium. Quisquis enim salutem consequi cupit, fidem suam ore proprio proferre ac promere debet: quia ore confessio fit ad salutem; alioquin cordis credulitas salutem non confert, quamuis corde credatur ad iustitiam. Sed fides ore prolata verè ad salutem perducit: namque in libro Isaiæ proditum est, quòd omnis qui credit in illum, id est, in Christum, non confundetur, id est, in die iudicij non erubescet.* Hæc ille. Quamobrem sancta Ecclesia id imitata quod Deus naturaliter impressit in homine, in Confirmationis sacramento Crucis signum in omnium Christi fidelium frontibus Chrismate exarare solet. Quo sanè mysterio ac sacrosancto signo anima nostra, quasi impenetrabili quodam munita clypeo, atque inexpugnabili obtecta galea, tantum diuinæ gratiæ incrementum, tantum fidei robur, tantamque confirmationem nanciscitur, vt Spiritus sancti virtute suffulta, non solùm audeat Christum Dominum locis quibuscumque liberè confiteri, sed etiam contra diabolum & mundum, & omnes eius persecutiones, vsque ad sanguinis effusionem ac mortem ipsam intrepidè decertare non vereatur. Quocircà sanctus Augustinus asserit, illam eamdem cui Christus Dominus suffixus est Crucem nos fronti insculptam deferre, vt ipsam apertè confiteamur & prædicemus; ita vt pro eadem audacter & fortiter pugnemus, atque adeò cùm sese necessitas obtulerit, libenter quoque moriamur.

In Epist. ad Rom. cap. 10.

B

Crux in fronte, ne vmquam erubescamus Crucem.

De tempore, Ser. 131.

C Ad quod alludens diuus etiam Cyprianus iam pridem dixerat: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur.* Quasi diceret: Nos sanctæ Crucis signo in fronte munimur, vt anima nostra hac roborata lorica, Crucis & Christi passionis mysterium, quod per fidem in se suscepit, incorruptum atque inuiolatum seruet. Et sanctus Ambrosius appositè ad hoc institutum nostrum, illa Canticorum verba pertractans, *Pone me vt signaculum in cor tuum, vt sigillum in brachium tuum*, inquit: *Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde: in fronte, vt semper confiteamur; in corde, vt semper diligamus: signaculum in brachio, vt semper operemur.*

Epistola ad plebẽ Thibari confitentem.

De Isaac & anima c. 8.

Hoc est admirabile signum illud, quod super omnem potentiam quæ sub cælo est, diabolo adeò horrendum ac terribile esse probatur, vt cùm id in alicuius Christi fidelis, quem vera fides armauerit, fronte insculptum tantummodò prospexerit, tanto horrore perfundatur, vt nullo pacto ante eum consistere,

D neque intuitus aciem in frontem eius dirigere audeat. Quamobrem sanctus Hieronymus, vt ad Christi Crucem hilariter deferendam nos cohortaretur & animaret, inquit: *Gaudentes hoc signum leuemus in humeris nostris, victoriarum vexilla portemus: immortale lauacrum portemus in frontibus. Cùm hoc signum diabolus conspexerit in frontibus nostris, contremiscit. Qui aurea Capitolia non timent, Crucem timent. Qui contemnunt sceptra Regalia, & purpuras Cæsarum & dapes, Christianorum sordes & ieiunia pertimescunt.* Origenes autem, vt ostenderet nihil aliud magis perhorrescere dæmones quàm Christi Crucem; atque vt proderet, quidnam causæ sit, vt cùm illud frontibus nostris fideliter impressum conspexerint, illicò contremiscant; sic tradit: *Quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt principatus eorum & potestates. Timor*

Serm. de Natiuitate Domini.

In Exodi c. 11. Homilia 6.

ergo

ergo & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum. A

Veteri Testamento Hebræos circumcidi Deus præceperat, vt hoc signo à Gentibus differrent; quo ostenderetur, eosdem ex populo sibi dilecto existere. At nouo Testamento, Dei fideles atque electi Crucis signum in frontibus insculptum præferunt, vt tales ab vniuerso terrarum orbe cognoscantur. Quamobrem sanctus Anselmus inquit: *In fronte credentium, vbi sedes est verecundiæ, idcircò Crux infigitur, vt de nomine eius non erubescant. Signum veteris Testamenti circumcisio est in latenti carne; signum noui Testamenti, Crux est in libera fronte. Ibi enim est occultatio, hîc reuelatio. Illud est sub velamine, hoc in facie. Cùm quis inde transit ad Christum, aufertur ei velamen; vt qui habebat in occulto circumcisionem, in fronte portet Crucem.* Hæc ille. Præcipuus ac naturalis instinctus quidam à Deo ac natura ipsa homini tributus est, licet Ethnicus & infidelis sit, vt in suis maioribus discriminibus atque periculis ad Crucis præsidium illicò confugiat. Atque hinc fieri videmus, vt cùm repentinum infortunium vel calamitas aliqua improuidas hominum mentes occupat, statim ad cælum in Crucis formam erigantur extendanturque brachia. Atque hinc veteres etiam Ethnici, cùm orarent, eodem pari modo ac forma, brachia ad cælum expandebant. quod ab Ægyptiis præsertim præcipuo ritu obseruatum, ex antiquissimis obeliscis Ægyptiacis qui Romæ sunt, euidentissimè coniicitur. Quibus inter ceteras hieroglyphicas notas siue cælatas figuras, hominis cuiusdam imago, in orantis modum, brachiis expansis, ac sursum erectis, incisa conspicitur: eâdem prorsus forma ac gestu, vt apposito typo demonstratur.

In epist. ad Galatas, cap. 6.
Circumcisio in latenti carne, Crux in aperta frõte.

B



C

Quæ quidem imago in Constantij obelisco præsertim conspicitur, quem Ramises Ægyptiorum Rex excidi & construi mandauerat; qui hodie ante sancti Ioannis Lateranensis Palatium & Basilicam perstat, in ea obelisci eiusdem facie videlicet, quæ ad Hospitale vergit. Hæc ipsa itidem incisa conspicitur in Augusti obelisco, Semenesertei Ægypti Regis mandato olim exciso, multorumque artificum manu cęlato, qui in platea Portæ Flaminiæ, quam De populo vocant, nunc erectus perstat; in ea ipsius obelisci facie, qua ad monasterium sanctæ Mariæ de populo est prospectus. At non in orationis actu tantùm brachia in Crucis formam antiqui erigere atque extendere consueuerant, verùm etiam cùm diis suis pro aliquo inexpectato vel percupidè exoptato, ac demum accepto beneficio, gratias referre vellent; cumque veniam, aut pacem, aut vitam suppliciter precarentur. De quibus ritibus & consuetudinibus, atque de earum qualibet peculiariter, auctoritate grauium Ethnicorum scriptorum afferri possent plurima testimonia. Verùm pauca hæc pro tempore, exempli gratia, nunc sufficiant. Et primò, de erigendis extendendisque in infortuniis & calamitatibus brachiis, Ouidius inquit: D

Metamorphos. lib. 3.

Inde manus aliquis despectus ad æthera tollens.

De erigendis expandendisque in necessitatibus, atque vrgentissimis indigentiis brachiis, sic idem Ouidius:

Ibidem.

Jlle etiam matri cùm brachia tendere vellet,

Non

A *Non habet infelix, quæ matri brachia tendat.*

At de iisdem in oratione eleuandis & expandendis brachiis, Virgilius locis quamplurimis meminit; ac præsertim, vbi inquit:

Et duplices cum voce manus ad sidera tendit. Aeneid. lib. 9.

Idipsum Hebræi quoque facere consueuerant cùm Deo orationes effunderent. Cuius consuetudinis tunc quidem receptissimæ, diuersas sacræ Scripturæ auctoritates in medium afferendas in promptu habemus, vt, Dei optimi maximi accedente præsidio, inferiùs dicturi sumus, cùm de Crucis figuris, quæ ex veteris Testamenti textu eliciuntur, erit nobis sermo. At longè maiore pietate, pro sanctæ Crucis & Christi Domini passionis reuerentia & recordatione, id prisci quoque Christiani facere consueuerant. Quem pium ac planè laudabilem morem ad posterorum memoriam prodit Tertullianus in suo aduersus Gentes Apologetico. Qui locus, aduersus nostrorum temporum hæ-B reticos, sacrarum cærimoniarum Ecclesiæ, præsertim in orationibus, impios irrisores ac detractores, notatu sanè dignus censendus est. Sic enim tradit: *Illuc suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus; precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus.* Quæ quidem verba Franciscus Zephyrus eiusdem Tertulliani Commentator declarans & amplificans in sua ad eumdem textum Paraphrasi, inquit: *Cærimonia, ratioque Christianorum in fundendis precibus, talis quippe est, vt sola veritatem spectare videatur. Non enim, inquit, vt idololatræ, summisso vultu, Christiani precamur Deum, sed in cælum oculos mentemque conuertimus; non tenentes manibus aras, aut adductam togam; sed expansis brachiis & manibus, vt quæ innocentiam explicent: nec velato capite, sed nudo, quia liberi non erubescimus. Denique dictatas à sacrificulo preces non concipimus, sed ex ipsa sede animi spiritusque nostri, cum suspiriis gemitibusque, non vnus aut alter am-C bitiosè, sed in vna veluti conspiratione, cœtus omnis Christianorum, vota pro omnibus Imperatoribus exponimus.*

Apologet. cap. 30.

Prisci Christiani cur pansis manibus & nudo capite orarent.

Verùm de ritu erigendi & extendendi brachia in Crucis formam, quem veteres Ethnici obseruabant, cùm diis suis vanis atque mendacibus pro accepto aliquo ingenti & exoptato beneficio gratias agerent, ex his quæ hîc subiicimus, Virgilij carminibus, clarum proditur indicium:

At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit. Aeneid. lib. 2.

Eodem quoque modo, vt diximus, Gentiles manus suas expandebant & erigebant, cùm veniam, aut pacem, aut vitam sibi donari suppliciter precarentur. Et primò quidem, quoad pacem expetendam efflagitandamque, idem Virgilius inquit:

Tendentemque manus Priamum conspexit inermes. Aeneid. lib. 1.
D *Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.* Lib. 11.

De venia autem & vita deprecanda, Cæsar, dum victoriam, quam in Pharsaliæ campis obtinuerat, ad posterorum memoriam Commentariis suis proderet, de Pompeij militibus inquit: *Cæsar prima luce, omnes eos qui in montem conscenderant, ex superioribus locis in planiciem descendere, atque arma proiicere iussit: quod vbi sine recusatione fecerunt, passisque palmis, proiecti ad terram flentes, ab eo salutem petierunt; consolatus consurgere iussit.* Ad vnicum quoque Crucis refugium statim confugit homo, quantumuis barbarus & infidelis sit, cùm in mare vel in aliquod rapidum ac profundum flumen repentè deciderit, vel si necessitate ad id transnatandum impellatur. Confestim namq; expansis & extensis brachiis, iisdemque Crucis expressa & sæpè sæpiùs iterata forma, nauiter transnatans, huius admira-

Lib. 3. belli ciuilis.

Crucē formant Barbari etiam inscij.

N bilis

bilis ac sacrosancti signi suffultus auxilio, summis conatibus incolumitatem si- A
bi parare, atque in tutum se ipsum transferre conatur. Quod quidem Auctor commentariorum in diui Marci Euangelium, quæ inter sancti Hieronymi opera typis cusa circumferuntur, innuere voluit cùm dixit: *Homo natans per aquas, vel orans, forma Crucis vehitur.*

In Marc. Euāg c 15.

Aqua multiplex in Scripturis significatio.

Aqua in diuinis Scripturis ad diuersarum rerum significationem innuendam assumi consueuit. Verùm quod ad instituti nostri rationem attinet, sæpè pro tribulationibus capi solet. Quocircà sanctus Gregorius: *Aquarum etiam nomine, nonnumquam solent tribulationes designari; sicut per Psalmistam: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Pro aquis submergentibus, in Scripturis,* inquit Isidorus, *ingentia sæpè mala grauissimæque calamitates, quæ nobis vitam auferunt, designantur.*

Gregorius Moral. libro 19. c. 4. In Psal. 68.

Aquæ multæ, scribit Theophylactus, *pro tentationibus quandoque accipiuntur, sicut loco illo: Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt. Tentationum enim inundatio*, vt idem subiungit, *quamuis multæ sint, & licet aliæ post alias ingruant, homini tamen iusto & sancto non appropinquabunt*; ita nimirum, vt ei nocere possint. B

In Nahum Proph. c. 1.

Aqua quandoque etiam facilitatem & procliuitatem quamdam ad peccatum significat; de qua Psalmista inquit: *Et intrabit sicut aqua in interiora eius.* Quandoque etiam infernum ipsum innuit, in quem mali quasi plumbum demergentur. Vnde in Silua Allegoriarum dicitur: *Aquæ vehementes significant etiam infernum, in quem mali quasi plumbum demergentur.*

Psal. 108.

Quamobrem de reproborum submersione tunc intellexisse Spiritus sanctus videtur, cùm per os Moysis, Pharaonis & Ægyptiorum in mari Rubro submersorũ occasione sumpta, inquit: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Exod. 15.

Aquis igitur omnia quæ superiùs diximus designantibus, dicendum est, Deum ac naturam ipsam hominem docere voluisse, dum in aquis natans, propriis brachiis Crucis formam & imaginem designat & exprimit, atq; per eamdem sibi incolumitatem comparare nititur, nullum aliud remedium in hoc mundo homini præstò esse, quo à tribulationibus, à calamitatibus, à tentationibus, à peccatis, à morte, atq; ab inferno ipso sese liberare & eripere queat, quàm vt ad sanctæ Crucis vnicum præsidium ac tutissimum perfugium confugiat: & vt rem totam vno verbo dicamus, nullum aliud sub cælo hominibus datum esse remedium, quo in æternum saluari possint, quàm Domini nostri Iesu Christi nomen, eiusque sanctæ Crucis mysterium. Quocircà gloriosus Apostolorum Princeps appositè prorsus inquit: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* C

Act. 4.

Verùm vt materiam hanc totam summatim perstringamus, sanctæ Crucis signum Deus optimus maximus in homine imprimere voluit, eumdemque signo ipso non in facie atque in fronte tantùm obsignare, sed etiam totum corpus eius ea forma compactum esse statuit, vt nihil aliud quàm verissimam Crucis imaginem referat. Quod idcircò præsertim fecisse putarim, vt inexcusabiles sint, qui hoc sacrosancto & vnico remedio, quod propriis ipsorum membris impressum atque insculptum deferunt, miseri, cæci, & insani vti nolunt, nec se ipsos iuuare: qui Crucem sanctam, quam propriis brachiis naturaliter effictam habent, non amplectuntur: qui Christi Domini fidem sanctam non recipiunt: quique in Crucis sanctissimæ mysterium credere renuunt. De quorum lachrymabili ac miserando exitu, deque horribili ac formidabili in eos animaduersione, Spiritus sanctus, iuxta Septuaginta Interpretum versionem, hæc verba per os Malachiæ prædixit: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus: eritque* D

Crucem non venerantes, omnes inexcusabiles.

Malach. 4.

omnis

A *omnis alienigena, & omnes iniqui stipula: & succendet illos aduenies dies, dicit Dominus.* Super quibus verbis sanctus Cyprianus inquit: *Succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id est, alienos à diuino genere, & profanos, spiritualiter non renatos, nec Dei filios factos. Euadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur; quando ad vastationem mundi, & interitum generis humani Angelos suos mittens grauiùs in vltimo comminatur, dicens: Vadite, & cædite, & nolite parcere oculis vestris: nolite misereri senioris, aut iuuenis, & virginis; & paruulos & mulieres interficite, vt deleantur: omnem autem, super quem signum scriptum est, ne tetigeritis. Quod autem sit hoc signum, & qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: Transi per mediam Ierusalem, & notabis signum super frontes virorum qui ingemunt, & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. Et quòd ad passionem & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus & incolumis reseruetur quisquis in hoc signo inuenitur, item Dei testimonio comprobatur, dicentis: Et erit sanguis in signo vobis super domos, in quibus vos eritis: & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cùm percutiam terram Ægypti. Quod antè occiso Agno, præcedit in imagine, impletur in Christo, secuta postmodum veritate. Vt illic percussa Ægypto, Iudaicus populus euadere non nisi sanguine & signo Agni potuit, ita & cùm vastari cœperit mundus & percuti, quisquis in sanguine & signo Christi inuentus fuerit solus euadet.*

Ad Demetrianum, circa finem.

Ezech. 9.

B Exodi 12.

Solus tutus qui signo Christi & sanguine munitur.

Denique verò orationem suam idem sanctus Cyprianus colligens & concludens, cunctósque infideles ad Christi Domini fidem amplectendam, & viuifico sanctæ Crucis signo seipsos consignandos cohortans, adiecit: *Respicite itaque, dum tempus est, ad veram & æternam salutem: & quia iam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore conuertite. Deum vel serò quærite, quia iampridem per Prophetam Deus præmonens hortatur, & dicit: Quærite Deum, & viuet anima vestra. Deum vel serò cognoscite, quia Christus aduenies hoc admonet & docet, dicens: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Credite illi, qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit.* A quibus Saluatoris nostri infinita bonitas & misericordia, propter benedictum & sanctum nomen suum, ac per sanctæ Crucis mysterium nos liberare dignetur. Amen.

Amos 5.

C Ioan. 17.

CAPVT V.

De Crucis signo, quod in quibusdam animalibus Deus collocauit.

CVM de eo sanctæ Crucis signo, quod Deo optimo maximo in homine rationali animali, omniumque animalium nobilissimo & excellentissimo, imprimere atque infigere placuit, præcedenti Capite disseruerimus; ab ordine ipso nunc, & à quadam congruenti ac pænè necessaria consequentia pertrahi videmur, vt de eodem sacrosancto & venerabili signo, quod pro gloria sua & vtilitate nostra eidem adorando & admirabili rerum omnium formatori in quibusdam irrationalibus animalibus imprimere placuit, nunc agamus. In quibusdam inquam: nam ad vtiliorem ac magis necessariam materiam pertractandam stylum nostrum dirigentes, non ad pauca tantùm, sed etiam ad paucissima quædam, ac forsitan ad duo eorumdem animalium genera dumtaxat breuiter examinanda, sermo noster coarctabitur. Hæc namque ipsa ad nostram ac piorum Lectorum mentem excitandam satis abundè sufficere poterunt; vt ab his ipsis, qualis & quanta sit diuina bonitas atque clementia, ex parte aliqua

D

contemplari ac ſpeculari poſſimus: etenim his etiam adminiſtris,quæ in hominis vſum & commodum creata ſunt, ipſum eumdem hominem ad ſalutis ſuæ ſignum recognoſcendum & venerandum perducere voluit. A

Inter cetera igitur animalia,in quibus ſacrum Crucis ſignum conſiderari poteſt, pro ſancti Iuſtini Martyris honore ac reuerentia primum locum hîc obtineat vnicornis; quem alij, Græcum vſurpantes vocabulum, monocerotem appellant. Eidem enim Sancto inſedit opinio, eiuſdem animalis cornu ſanctæ Crucis lignum quodammodò figurari. In Dialogo enim ſuo cum Tryphone Iudæo, verba illa exponens, quæ Moyſes protulerat, dum Ioſephi tribui benediceret, nempe: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius: cornua monocerotis, cornua illius*: eadem ad Chriſti Domini, eiuſque ſanctæ Crucis ſignificationem pertrahit & applicat, ſic ex Græco Latinitati donatus, tradens: *Vnicornis enim cornua, non alterius cuiuſpiam rei aut figuræ aliquis dicere & demonſtrare queat ſimilia eſſe, quàm notæ eius quæ Crucem deſignat. Directum namque eſt vnum lignum, vnde ſumma pars in cornu ſuſtollitur cùm lignum ei aliud adaptatur: & vtrimque, vt cornua, vnicornu adiunctæ ſummitates apparent: & quod in medio fixum eſt, vt cornu & ipſum eminet, in quo vehuntur & inſident qui Crucis ſupplicium ſubeunt. Et cornu formam præ ſe fert iſtud ipſum quoque cum aliis cornibus conformatum & compactum lignum.* B

Deut.33.

Cornu monocerotis D. Iuſtino ſymbolum Crucis, & quomodo.

S. Iuſtinus Mart. in Dial. cum Tryphone.

Comparatio ſanè atque figura, machinis ferè (vt ita dicam) pertracta, ſubobſcura & planè difficilis; quæ tamen, cùm auctoritate grauis adeò, antiqui, & ſancti Scriptoris ſubſiſtat, ſummopere æſtimanda, ac magni profectò pendenda eſt. Quam ipſe nihilominùs ad Chriſtum Dominum, eiuſque ſanctam Crucem ſignandam, ſatis commodè perducit. Nam cùm Moyſes in ipſa eadem benedictione hæc etiam verba inſuper adiecerit: *In illis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ*: idem ſanctus Iuſtinus teſtatur, eum verbis illis rem innuere voluiſſe, quæ nunc inter omnes gentes ad effectum perducta eſt. Per hoc enim Crucis ſacramentum, quamplurimi ex cunctis nationibus homines, cornibus petiti, à vanis ſimulacris & à dæmonum cultu ad ſanctam fidem amplectendam pertracti ſunt: *Cornibus enim petiti*, inquit, *hoc eſt transfixi, ex nationibus omnibus, per ſacramentum iſtud ad veram Religionem conuerſi ſunt à vanis ſimulacris & dæmonum cultu homines.* C

Verùm hæc eadem ipſa Moyſis verba, hancque figuram ipſam multò clariùs ac faciliùs Tertullianus, contra naturalem ſuam breuiloquentiam, explicat, & ad Chriſti Domini eiuſque ſanctæ Crucis ſignificationem pertrahit. Nam poſtquam prædicta Moyſis verba recenſuiſſet, videlicet, *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius: in eius nationes ventilabit pariter ad ſummum vſque terræ*: ipſe illa deinde exponens, ſic tradit: *Non vtique rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis; ſed Chriſtus in illo ſignificabatur: taurus ob vtramque diſpoſitionem; aliis ferus vt Iudex, aliis manſuetus vt Saluator: cuius cornua eſſent Crucis extima. Nam & in antenna nauis, quæ Crucis pars eſt, hoc extremitates eius cornua vocantur. Vnicornis enim media ſtipitis palus. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornutus, vniuerſas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cælo in terram.* Hæc Tertullianus. D

Subſcribit Iuſtino Tertullianus, aduerſus Iudæos, cap. 10.

Similia propè ad verbum idem replicat aduerſus Marcionem, libro 3. c. 18

In Gloſſa ordinaria pari modo aſſeritur, cornua rhinocerotis, de quibus hoc loco Moyſes locutus eſt, Crucis cornua ſignaſſe, in quibus Habacuc Propheta Chriſti fortitudinem occultandam prædixerat. Etenim pro carnis infirmitate, quaſi aries per ludibrium ſpinis coronatus eſt: his namque cornibus ſentibus hæſit. Verùm admirabili eius in paſſione tolerantia & fortitudine, vnicornis iſte, mortis, & illius qui mortis habebat imperium, victor & triumphator extitit:

A titit: *Cornua rhinocerotis*, inquit Glossa, *cornua Crucis significant; de quibus Habacuc: Ibi abscondita est fortitudo eius. Per infirmitatem namque carnis, quasi aries illusorum spinis coronatur. His cornibus hæsit; sed passionis incomparabili fortitudine, vnicornis extitit mortis victor, & eius qui habebat mortis imperium.* Habacuc cap. 3.

Putant aliqui, vnicornem illud animal esse, quod Aristoteles asinum Indicum appellat, cuius libro secundo suæ animalium Historiæ meminit his verbis: *At solipes, idemque vnicorne est, quamquam rarum, vt asinus Indicus: ille enim & vnicornis & solipes est; talum etiam asinus ille Indicus, solus in solipedum genere possidet*. At Plinius multò magis peculiariter, ac longè aliter, monocerotem ipsum describit hoc modo: *Asperrimam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte cubitorum duorum emmente. Hanc feram viuam negant capi.* Natural. hist. lib. 8. cap. 21. Vnicornis igitur ipse, pro Plinij ipsius descriptione, iuxta imaginem, quæ præsenti hoc B typo demonstratur, effingi potest.



C

D

Vnicornis in diuinis Scripturis ad Christi Domini significationem sæpè assumi consueuit. Quamobrem magnus ille sanctus Basilius, super vigesimi octaui Psalmi versiculo, *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium*, sic tradit: *Vnigenitus Dei Filius, qui vitam dat mundo, vbi quidem offert victimam & oblationem seipsum Deo, pro peccatis nostris, & Agnus nominatur Dei, & ouis. Ecce enim, inquit, Agnus Dei. Et rursus: Tamquam ouis ad occisionem ductus est. Vbi verò vindicare oportet, & destruere potentiam humanum genus adorientem, efferatam quamdam agrestemque & asperam potestatem, tunc filius vnicornium appellatur. Est enim animal vnicornis, velut ex Iob didicimus, viribus inexpugnabile, hominibus non subiectum. Non* In Psal. 28. concione quinta. Isaiæ 53. Iob 39.

 enim

enim ligaueris ipsum, inquit, loro, neque dormiet in præsepi. Et multa de libertate animalis A
huius, & quòd homini subditum non est, in illa Prophetiæ parte dicta sunt. Ac demum sermonem suum summatim colligens, subdit: Cùm cornu quamplurimis Scripturæ locis pro gloria capiatur; vt eo præsertim loco: *Et exaltauit cornu populi sui*; vt & ab illo: *Cornu eius exaltabitur in gloria*. vel quia cornu sæpè etiam pro potentia intelligitur, vt ibi: *Protector meus, & cornu salutis meæ.* cumque Christus sit Dei potentia, propterea quasi cornu vnum, id est vnam Patris potentiam habens, vnicornis Filius appellatur. Etiam monoceros siue vnicornis, vt sanctus Hieronymus, imò veriùs Beda, vt doctiores communiter autumant, populi Gentilis imaginem præfigurauit. Quocircà & Crux Christi, cornu quod animal istud fronte media infixum habet, iure assimilata est: nam in fronte etiam populus Gentilis Crucis signo consignandus erat. Quin etiam eiusdem animalis cornu in diuinis quoque Scripturis sæpè pro antiqua & inueterata diaboli scelestissimorumque satellitum eius superbia capi solet. Vnde idem Be- B
In Iob c.9. da venerabilis inquit: *Hic igitur monoceros populi Gentilis imaginem præfigurat: cuius etiam superbia significatur in cornu, sicut quibusdam peccatoribus & superbis à*
Psalm.74. *Deo dicitur per Prophetam: Dixi iniquis, Nolite iniquè agere; & delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum. Quia veternosa atque antiqua his, quos Deus increpat, superbia est.* In cornibus vnicornium Regius quoque Pro-
Psalm.21. pheta diabolicam superbiam intellexit, cùm dixit: *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Quæ verba sanctus Augustinus exponens,
In Psal.21. inquit: *Et à sublimitate superborum, se singulariter erigentium, saluam fac animam meam.* Et in secunda eiusdem Psalmi expositione adiecit, Regium Psaltem hoc loco nihil aliud quàm de superbis intelligere potuisse, quandoquidem humilitate sua in altera libræ lance contra eorumdem superbiam quodammodò posita, eamdem à Deo seruari efflagitat. De superborum arrogantia & elatione Propheta ille pariter intellexit, cùm in eorum persona loquens, sub eadem cor- C
Amos 6. nuum metaphora inquit: *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Superborum namq; proprium est, felicitates, victorias, secundasque res omnes ad voluntatem eorum fluentes, propriæ industriæ & virtuti, non autem diuinæ gratiæ adscribere, contra idipsum directè, quod iusti & humiles facere consueuerunt; qui in Domino gloriantes, omnia infinitæ bonitati diuinæque gratiæ ipsius, iustè planè ac sanctè, accepta referunt. Quamobrem sanctus Hie-
In Amos c.6. ronymus de hoc quidem ita: *Erecti in superbiam dicunt: Nónne in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Cum è regione iustus in Domino glorietur, & dicat: In te inimicos ventilabimus cornu.*

Cornu vnicornis in malum acceptum nihilominùs illustrat Crucem.

Cùm autem vnicornis cornu diabolicam signet superbiam, meritò Christi Domini nostri Crux, (quæ eodem quoque cornu econtrà significata est) ea sola fuit, quæ propter profundissimam humilitatem illius qui pro salute nostra eam subiit, robur & virtutem obtinuit humiliandi, deprimendi, pessumdan- D dique diaboli superbiam, qui propter eamdem è cælo expulsus est. Superbia sanè omnium delictorum est maximum; de quo forsitan innuere voluit Propheta, cùm dixit: *Et emundabor à delicto maximo.*

In Psal.18. circa finé. Quocircà appositè sanctus Augustinus, *Quæritis*, inquit, *quàm magnum sit hoc delictum quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit Regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium deli-*
Eccli.10. *ctorum. Scriptum est enim: Initium peccati omnis superbia. Et ne quasi leue aliquid contemnas*, sedulò tibi considerandum est, quòd *propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum omnipotentem Medicum de cælo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contu-*

meliis

A *melius egit, ligno suspendit: vt per salutem tantæ medicinæ, curetur hic tumor; & iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.*

Superbia, inquit idem sanctus Augustinus alibi, *vitiorum omnium humanorum causa est. Ad hanc conuincendam atque auferendam talis medicina cælitus venit; ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam.* Hæc ille. Angelica, sed deprauata dæmonis natura, inferiorem, id est, humanam naturam per peccati communicationem sibi subditam detinebat. Quamobrem Mediator Dei & hominum, Angelis ipsis longè fortior, in hominum gratiam infirmus factus est: vnde captiuatoris superbia per Redemptoris humilitatem destructa fuit, vt is qui per Angelicam fortitudinem super filios hominum gloriabatur, ab ipso Dei Filio, postquam humanam imbecillitatem assumpserat, vinceretur. Quorum spectandum duellum, & admirabile planè certamen, idem sanctus Augustinus, siue quicumque alius Auctor libelli illius, cui titulus B est, Exhortatio de salutaribus documentis, hoc pacto luculentissimè describit: *Per superbiam & cupiditatem diabolus dicit: In cælum ascendam. Christus cum humilitate dicit: Humiliata est in terra anima mea. Diabolus per superbiam & cupiditatem dicit: Ero similis Altissimo. Christus per humilitatem, cùm esset in forma Dei, exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Diabolus per superbiam & cupiditatem dicit: Super astra Dei exaltabo solium meum. Christus cum humilitate dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Diabolus cupidus & superbus per Pharaonem loquitur, dicens: Nescio Dominum, & Israël non dimittam. Christus cum humilitate dicit: Si dixero, quia non noui eum, ero similis vobis mendax; sed noui eum, & mandata eius seruo. Diabolus superbus & cupidus dicit: Mea sunt flumina, & ego feci ea. Christus cum humilitate dicit: Non possum à meipso facere quidquam, sed Pater meus in me manens ipse facit opera. Diabolus superbus & cupidus dicit: Mea sunt omnia Regna mundi, & gloria eorum, & cui volo do ea. Christus cùm diues esset, pro nobis factus est pau-* C *per, vt eius inopia nos diuites redderemur. Diabolus superbus & cupidus dicit: Sicut colliguntur oua quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os atque ganniret. Christus cum humilitate dicit: Similis factus sum pellicano solitudinis; vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Diabolus per superbiam & cupiditatem dicit: Exsiccaui vestigio pedum meorum omnes riuos aggerum. Christus cum humilitate dicit: Numquid non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Et vt ad vltimum concludam: diabolus cum ruina magna per superbiam & cupiditatem ad infernum præcipitatur: Christus cum humilitate ad cælos subleuatur. Superbia Angelicam gloriam è cælo deiecit: humilitas autem, infirmam imbecillitatem humanam ibidem conscendere fecit.* Hæc ibi.

De peccat. merit. & remiss. contra Pelagianos lib. 2. c. 17. tom. 7.

Capite 9. Habetur tomo 7. in Appendice.

Insignes Antitheses superbiæ & humilitatis.

O sancta & venerabilis humilitas, tu Dei Filium è sinu æterni Patris in castissimum beatissimæ virginis MARIAE vterum deduxisti. Tu eum vilibus D panniculis inuoluisti, vt virtutum ornamentis nosipsos circumdaret. Tu eum in carne circumcidisti, vt nos mente circumcideret. Tu eumdem in corpore flagellis crudelissimè cædi permisisti, vt nos à peccatorum flagellis liberaret. Tu spinis ipsum coronasti, vt nos suis cælestibus æternisque rosis coronaret. Tu infirmum ac debilem illum reddidisti, qui verus omnium Medicus, omnia verbo suo sanat atque confirmat, vt nobis quoque ægris & infirmis, veram salutem impertiret. O sancta humilitas, quàm dissimilem te à superbia præbes! Superbia Luciferum è cælo præcipitauit; humilitas Dei Filium è cælo pertrahens, vt humanam carnem assumeret, effecit. Superbia è Paradiso Adamum expulit; humilitas latronem cælo inuexit. Superbia gigantum linguas diuisit; humilitas linguas omnes quæ erant dispersæ congregauit. Superbia Nabuchodonosorem

Regem in belluam commutauit; humilitas Iosephum in Ægypto Principem A
constituit. Superbia Pharaonem in mare submersit; humilitas Moysen exaltauit; eumdemque Israëlitici populi ducem delegit.

Ex variis in Matth. locis, Homil. 6. Tomo 2.

Quomodo igitur superbia, inquit diuus Ioannes Chrysostomus, *malorum omnium arx erat & radix, omnisque fons nequitiæ; remedium ægritudini Medicus noster præparans congruum, quasi validum quoddam tutumque fundamentum, hanc legem humilitatis iecit. Hac enim superposita firmitate, ædificator omnia reliqua superponit. Hac autem sublata, licet ad cælos vsque perueniat operarius, omnia facilè subruuntur, & in malum finem conuertuntur. Siue ieiunium, siue orationem, siue eleëmosynam, siue continentiam, siue quid aliud boni congregaueris, absque humilitate defluit, & omnia pereunt. Quod & in Pharisæo factum fuit: postquam peruenit ad ipsum verticem, omnibus amissis, descendit, quoniam bonorum matrem non habebat.* Hæc sanctus Chrysostomus. Eidem autem superbo & elato Pharisæo, de quo ipse agit, illud profectò penè accidit, quod naui cuipiam opulentissimis ac pretiosissimis mercibus onustæ quandoque contingere solet, quæ in medio portu submergitur; quoniam humilitatis gubernaculo carebat. B Nam sicut superbia, omnis nequitiæ fons esse comprobatur; sic humilitas omnis sapientiæ est principium. Superbiam, omnium malorum radicem, Pharisæus iste in corde suo plantauerat. Quocircà non est quod miremur, si omnes fructus operum eius exaruisse ac statim euanuisse constat. Sapiens enim appositè, superbiam omnis peccati originem dixit; vt ostenderet, eamdem malorum omnium radicem ac fontem, cunctorum verò bonorum expultricem ac populatricem esse. Quamobrem cùm callidus ac scelestissimus dæmon non ignoraret, quantum robur, quantumque virus hoc improbum semen, hæcque impia radix obtineat, quæ omnium bonorum operum fructus ex siccandi, atque adeò creaturam ipsam è cælo deturbandi vim habet; vt hominem in summum exitium, atque in mortem impelleret ac præcipitaret, hoc veneno vsus est. Nam cùm à tanta felicitate & gloria Adamum detrusit, per C
summam fraudem atque fallaciam ipsum inducens, vt crederet se Deo similem futurum, superbiæ tumore mentem eius inflauit; ac deinde cùm veternoso ac mortifero hoc veneno illum consopitum diabolus reddidisset, magno impulsu, ex tanto culmine repentè præcipitem deturbauit.

Quocircà necesse fuit, vt Dei Filius, ad erigendum hominem, cornu superbiæ à malo dæmone prostratum & captum, humilitatem nostram indutus, & vsque ad Crucis mortem humiliatus, superbissimo hoste sanctissimæ Crucis suæ cornibus deuicto, nos subleuaret, & ab eius tyrannide vindicaret. Quod sanè diuus Iustinus Martyr, Tertullianus, ceterique omnes, qui Christi Domini Crucem sanctam vnicornis cornu compararunt, innuere voluerunt. Venerabilis Beda asserit, monocerotem animal esse castissimum, vnde non nisi ab adolescentibus quæ verè virgines sint, capi valet: ad quas ille sponte accedens, caputque in gremio earum reclinans, sopore corripitur: *Vnicornis*, inquit, *animal castissimum, vnde etiam non capitur nisi per veras virgines; quia ad eas venit, & caput in gremio earum ponit, & obdormit. Et dicitur habere mundissimum habitaculum.* D

Vnicornis an in sinum virginis se abiiciat.

Verùm id mihi Poëticæ fictionis potiùs, quàm historicæ veritatis speciem præ se ferre videtur. Quamquam & Albertus Magnus, De animalibus libro 22. in vnicorne, affirmat, ab hoc animante virginem adamari; eaque re ipsum capi tamquam esca. Vero similius tamen solidiusque id equidem esse censeo, quod Plinius memoriæ prodidit, cuius verba superiùs retulimus; feram hanc scilicet viuam capi non posse: quandoquidem locis quamplurimis cornua conspiciuntur, quæ dicuntur fuisse vnicornis; scriptorem tamen auctoritate grauem nullum me adhuc legisse memini, qui animal hoc viuum captum vidisse testetur.

A tur. At quamquam ea, quæ de monocerote ipso hucusque obiter diximus, satis sufficere videantur; in studiosorum Lectorum tamen gratiam hæc insuper addere placuit.

Ælianus Græcus Historicus animal hoc satis luculenter describit, cuius verba Latinitati reddita, hæc sunt: *Monoceros*, inquit, *in Indiæ quibusdam montibus inaccessibilibus reperitur, ad confirmatæ ætatis equum magnitudine comparatus; iubaque ac pilis fuluus est, pedibus celer, digitis vt elephantum indiuisis: apri caudam habet. At inter supercilia cornu vnum, idemque nigrum, non læue, sed versuras quasdam naturales habens, quod desinit in acutissimum mucronem, omnibus aliis bestiis ad se accedentibus mansuetus; suo generi, siue mari, siue feminæ, semper pugnax.* Libet etiam in eorumdem studiosorum gratiam hoc loco adnectere, quæ de hoc animali Simon Maiolus Vulturariẽsis Episcopus, in libro suo, quem Dies caniculares, siue Colloquia nuncupauit, sedulò collegit. Qui cùm ea, quæ veteres Scriptores de mo- *De monocerote varia ex variis.* Aelianus De animalium hist. lib. 16. c. 20

B nocornu memorię prodiderunt, recensuisset; recentiorum posteà de eodem animali litteris commendata monumenta prosecuturus, inquit: *Vetustiores hæc quidem tradiderunt, at recentiores longè aliter habent. Paulus Iouius rerum curiosissimus indagator, Histor. libro decimooctauo, cùm de ortu Nili loquatur, paulò pòst sic habet: Monoceros animal, vnicorne à nostris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert; quod liuore candoreque eburneo, & pallidis distinctum spiris, ad obtundenda hebetandaque venena mirificam potestatem habere dicitur. Cornu enim immisso, & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibent, vt salubriter bibat, si inde virulentæ bestiæ præpotarint. Id viuo animali non detrahi, cùm vllis insidiis intercipi nequeat, cornu tamen sponte decisum, in desertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui & senectæ vitiis renouante natura, vetus cornu exuunt, venantibusque relinquunt. Hoc cornu Regiis impositum mensis, toxica, si qua sint epulis indita, emisso statim admirabili sudore, conuiuis prodere* Maiolus Colloquio 7. de quadrupedibus.

C *narrat. Ex his vidimus bicubitales, brachiali ferè crassitudine, primùm Venetiis, quod posteà Senatus Solimanno Turcarum Imperatori dono misit: alterum pari propè magnitudine, sed præcisa cuspide, argenteæ basi insertum, quod Clemens Pontifex Massiliã profectus, pro insigni munere ad Franciscum Regem detulit. Ceterùm de vi tantæ dotis in hoc animante nihil plus affirmauerim, quàm quod euulgata fama credentibus suadet: cùm antiquorum Auctorum nemo, quod legerim, præter vnum Ælianum Græcum, quidquam de hac monocerotis admiranda potestate memoriæ prodiderit. Hactenus Iouius. Verùm Nicolaus de Comitibus, Venetus, venenatis rebus remedio cornu istud esse memorat in prouincia Mangi Orientalis Indiæ. Ita ille in Itinerario*

Aliis non paucis locis monocornu reperiri proditum est à nonnullis. Marcus enim Polus libro 2. cap. 43. apud Tartaros, in Regno Mien, in siluis monocerotes compertos esse memorat. Compertos quoque in Regno Guzzerat, quod confine est Indico Regno Malabar, testatur libro 3. cap. 28. Præcipuè verò haberi in Regno Basma Iauæ maioris, tradit

D *libro 3. cap. 12. frequentissimos esse autem in Regno Lambri eiusdem insulæ, meminit eodem libro 3. cap. 15. eorumque formam in hunc conscribit modum: Primum quidem monocerotes elephantis minores sunt, villo à bubalorum non dissimili: elephantinis pedibus, vnico in fronte cornu armati, quo neminem vmquam lædunt. Est illis apri caput, semperque in terram pronum: in uolutabro luti, suum more, oblectatur, deformeque animal est. Cornu neminem prorsus petit, lingua tantùm exerta, quæ pinnis armata est, lædit. Ac genibus obuia petit, & substrata premit; neque, vti fabula, est credendum, ait, quæ ignarum vulgus putat, à solis virginibus capi: falsum enim id omnino esse. Hæc ex illo capite 12. Ludouicus autem Barthema, qui & ipse Orientalem Indiam perlustrauit, & Africanas oras etiam adnauigauit, simul & Persidem, meminit & monocerotis; sed villos eius subfusco colore esse tradit: cornu longitudinem tricubitalem habere affirmat;*

cerui-

*ceruinum caput illi, breuibus ac perraris crinibus: cruribus ceruinis, quorum posterio- ra admodum villosa: vngula pedum caprina, paululùm in summa anteriori parte diuisa. Mite animal videri, vidisseque duos testatur in Arabia, ex Æthiopia illò missos. Hæc ex illius Itinerario, cap.*17. Hæc ille. A

Venerabilis autem Beda, quem superiùs citauimus, de animali hoc loquens asserit, monocerotem, vtpote cornu vnum tantùm habentem, vnicam ac solidam spem illam significare, cui Christianus firmiter inniti debet, demum post huius vitæ labores & ærumnas, ad beatam ac felicem cælestis patriæ requiem perueniendi. Qua quidem spe firmiter munitus erat Propheta, cùm dixit: *Vnam petij à Domino, & hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Id etiam sanctus Augustinus iampridem dixerat ante Bedam, qui alibi tradit monocerotem vnico cornu à natura armatum, pro vnitate Ecclesiæ capi consueuisse: *Solet etiam vnicornis*, inquit, *quia vnum tantùm habet cornu, pro vnitate Ecclesiæ accipi.* Quamobrem hac etiam de causa sanctus Iustinus Martyr iure existimauit, huius animalis cornu Christi Crucem designare. Ab ipsa namque & per ipsam Ecclesiæ vnitas orta est. In qua Saluatoris nostri infinita bonitas nos confirmare, constabilire & conseruare dignetur, in fidei vnitate, in spei soliditate, & in charitatis vinculo; vt in tentationum ac tribulationum certaminibus, quæ in hac militante sustinentur, viriliter decertantes, illius gratia benè iuuante, digni tandem efficiamur, qui æterna pace veraque felicitate in triumphante perfruamur: vbi ille ipse cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat, per infinita sæcula sæculorum. Amen. B

(Psalm.22. — S.August. in Psal.77. — Beda in Psalm.91. — *Vnum cornu maxime vnam Ecclesiam designat.*)

CAPVT VI.

De admirandis animalibus quibusdam, in quorum dorso Crucis signum, & aliqua Christi sanguinis ac redemptionis nostræ mysteria mirabiliter sunt impressa. C

INTER omnia animalia quæ ad meam ac forsitan aliorum hactenus peruenêre notitiam, in quibus Deo optimo maximo sanctę Crucis signum clarè ac notabiliter imprimere placuit, nullum, dempto homine (meo quidem iudicio) gloriari potest, sacrosanctum se characterem hunc in se ipso aut admirabilius, aut maioribus mysteriis obsignantius insculptum deferre, quàm illud, quod Diodorus Siculus scriptor auctoritate grauis, ac super quoscumque Græcos qui Historias conscripsêre veridicus, non minùs admirabiliter, quàm diligenter, memoriæ commendauit. Admirabiliter inquam, si attenta animi contemplatione considerauerimus, Ethnicum scriptorem scilicet à vera Dei cognitione adeò remotum, eodem ferè tempore, quo Christus Dominus natus est, animal hoc descripsisse, quod Cruce non tantùm signatum est, sed eo planè modo consignatum, vt Crucis admirabile mysterium digito quodammodò demonstret ac repræsentet; quod paulò post illius ab ipso Diodoro Siculo euulgatam descriptionem, ingenti omnium admiratione ac salute, in vniuerso terrarum orbe audiendum ac propediem manifestandum erat. D

In Historiarum igitur suarum monumentis, ad posterorum memoriam idem Diodorus Siculus prodidit; temporibus suis à mercatore quodam aromatum, cui Iambulus nomen erat, natione Græco, admirabili quodam modo insulam non anteà cognitam, in Australi Oceano detectam fuisse, in qua multa ingenti admiratione digna reperiri testatur. Ac præter cetera refert, eumdem Iambulum

A lum affirmare solitum, in eadem insula quoddam animalium genus reperiri, non corporis quidem magnitudine, sed forma, natura, & virtute sanguinis præsertim admirabili. Sunt autem animalia hæc, inquit, corpore rotundo, testudinibus persimili, in quorum dorso duæ conspiciuntur lineæ, quæ per medium in Crucis formam intersecantur; in quarum cuiuslibet extremitate, oculus & auris manifestè cernitur; ita vt quattuor oculis videant, & totidem auribus audiant. Vnicum ventrem & intestinum habent, in quo comesus cibus traiicitur, ad digestionemque transmittitur. Pedes eis complures circum corpus, quibus in diuersas partes pro instinctus voluntate feruntur. Horum animalium sanguis, subiungit, admirabili virtute pollere asseueratur. Omne enim corpus concisum atque truncatum, dum adhuc spirat, hoc tinctum sanguine, illicò connectitur, & simul cohæreſcit. Pari modo, si manus, vel quodcumque aliud membrum è corpore truncatum, hoc tinctum sanguine, viuo adhuc corpori, ac re- *Manifestissima nota Crucis in muto animali.*

B centi vulneri applicetur; confestim cohæret, conglutinatur, in pristinamque salutem reintegratur. Ipsius autem Diodori verba, ad maiorem huius rei fidem astruendam, Latinitati donata, hîc subdere placuit: *Esse insuper animalia, ea in insula,* inquit, *magnitudine quidem parua, sed natura, ac sanguinis virtute admirabili. Corpore sunt rotundo, ac testudinibus simili; duabus lineis inuicem per medium transuersis, in quarum vtriusque extremo est auris & oculus, vt quattuor oculis videant, & totidem audiant auribus. Vnicis ventre atque intestinis, in quæ comesta confluunt. Pedes circum habēt plures, quibus in vtramque partem ambulant. Huius belluæ sanguis, mirabili asseritur virtute. Omne enim corpus cōcisum, dum spi-* Rerū Antiq. lib. 2. cap. 13.



C *rat, hoc tinctum sanguine, è vestigio cohæret. Similiter & manus cæsa, reliquæque corporis, dum vita suppetit, partes, resarciuntur, si recenti adhuc applicentur vulneri.* Quod quidem admirandum planè animaliū corpus, iuxta Diodori Siculi descriptionem, in eam formam effingi potest, quę hoc

D typo demonstratur.

Huius animalis corpus, inquit Diodorus Siculus, forma est rotunda, & in qualibet Crucis extremitate, quam in dorso impressam defert, aurem & oculum habet. Qua quidem forma & figura, mens ac memoria nostra velut manu quadam ad meditandum ac recolendum perducitur, admirabile Crucis mysterium in vniuersa terræ rotunditate, & in omnibus quattuor orbis partibus, Oriente scilicet, Occidente, Septemtrione, atque Meridie, audiendum & videndum esse. Auditum profectò est per Apostolorum vocem & prædicationem, qui per vniuersum terrarum orbem sanctum prædicauêre Euangelium: de quorum prædicatione ac voce iam Regius Propheta prædixerat: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Visum autem est à Gentibus Psalm.18.

tibus

tibus per fidem, cùm ſtatim poſt Euangelij ſancti prædicationem, è veſtigio in A
Chrſtum Dominum credid erunt, ſanctamq́; eius fidem amplexæ ſunt. Quem
proſperum planè atq; felicem progreſſum & exitum, iam Iſaias Propheta adeò
clarè præuiderat, & luculenter deſcripſerat, tamquam ipſe corporeis oculis
Pedes euãgelizãtium in omnem terram extenti. Apoſtolos ſanctos propriis pedibus orbem terrarum peragrantes, & Euangelium ſanctum prædicantes, Deique pacem & ſalutem, quam Chriſtus hominibus attulerat, annuntiantes conſpexiſſet; inquiens: *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, di-*
Iſaiæ 52. *centis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox ſpeculatorum tuorum leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion. Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem; quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem. Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium. Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.*

Super quibus verbis ſanctus Hieronymus teſtatur, Paulum Apoſtolum ſen- B
ſum Hebraicæ veritatis ſecutum, verba prædicta Iſaiæ Prophetæ plurali nume-
In Iſaiæ c.52. ro expreſſiſſe, ad Romanos ſcribens; inquit enim: *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium bona, euangelizantium pacem.* ſanctos Apoſtolos innuere volens: *Paulus*, inquit, *ſequens ſenſum Hebraicæ veritatis, ponit in Epiſtola ad Romanos: Quàm ſpecioſi pedes Euangelizantium bona, euangelizantium pacem: Apoſtolos intelligi volens, quorum Dominus lauit pedes, vt mundi & pulchri eſſent ad prædicandum, & in toto orbe diſcurrerent; breuique doctrina Chriſti implerent mundum.* Quod quidem myſterium apertè ſignificari videtur in pedibus his multis, quos animalia prædicta à Diodoro Siculo deſcripta, circa corpus ſuum habent, quibus in eam quam voluerint partem ambulant. Pedibus namque ſancti Apoſtoli & Euangeliſtę propriè deſignantur, qui pedes Domini appellantur; eò quòd per eorum prædicationem, ac ſanctam Euangelicam hiſtoriam, Dominus ipſe vniuerſum terra-
In Pſal.90. rum orbem peragrat. Quocircà diuus Auguſtinus: *Qui ſunt pedes Domini? Apo-* C
ſtoli miſſi per totum orbem terrarum. Qui ſunt pedes Domini? Omnes Euangeliſtæ, in quibus peragrat Dominus vniuerſas gentes.

Auris illa, oculuſque ille præterea, quem in ſingulis quattuor Crucis extremitatibus animalia prædicta habere dignoſcuntur, ingens miraculum illud innue-
Iſaiæ 35. re videtur, quod idem Iſaias iam prædixerat, inquiens: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* Quod licet in eo, quod ad miraculorum magnitudinem ſpectat, vt ſanctus Hieronymus teſtatur, tunc quidem impletum ſit, cùm Dominus diſcipulos illos ſibi à ſancto Ioanne Baptiſta delegatos allo-
Lucæ 7. cutus, inquit: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* id quotidie tamen in Gentibus expleri conſpicimus, cùm hi qui anteà obſcura adeò cæcitate obruebantur, vt impia prorſus adoratione in ligna & lapides paſſim offenderent, veritatis nunc lumen aſpiciunt; & qui diuinarum D
Scripturarum verba ſurdis auribus audire nequibant, nunc Dei præceptorum
In Iſaiæ c.35. auſcultatione lætantur. *Quod quamquam ſignorum magnitudine*, inquit diuus Hieronymus, *completum ſit, quando Dominus loquebatur diſcipulis Ioannis, qui ad eum miſſi fuerant: Euntes renuntiate Ioanni, quæ audiſtis & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. tamen quotidie expletur in gentibus; quando qui priùs cæci erant, & in ligna & in lapides impingebant, veritatis lumen aſpiciunt: & qui Scripturarum verba ſurdis auribus audire non poterant, nunc ad Dei præcepta lætantur.*

Tunc pariter, id eſt, poſt ſuſceptam à Gentibus Chriſti Domini noſtri fidem, aliud quoque eiuſdem Prophetæ vaticinium ad veritatis effectum per-
ductum

A ductum est,quo sic prædixerat: *Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt*. Tunc enim credentium in Christum oculi, & eorum,qui sanctam eius fidem amplexati fuerant,& ad sacrum Baptisma conuolauerant,nulla prorsus caligine offusi sunt:neque eorum aures, qui Dei verbum libenter audientes sancto obtemperauêre Euangelio, iam amplius surdæ in posterum extiterunt: eorumque intellectus, qui stupidi & obtusi anteà videbantur,subtiliter & acutè veram scientiam intellexit. Balborum verò ac mutorum lingua,quæ Christi nomen pronuntiare anteà nequibat,pleno atque aperto sermone Dominum confessa est. Isaiæ 32. *Quatuor aures & quatuor oculi huius animalis quid innuant.*

Præterea auris & oculus, quæ in Crucis extremitatibus animalia de quibus agimus obtinent, sanctæ Ecclesiæ vocationem videntur in memoriam reuocare; quæ nullo sanè alio instrumento quàm oculorum & aurium, ad fidem, & ad Regis ac dilecti sponsi sui amorem allecta atque pertracta est.

B Quamobrem Spiritus sanctus Psalmistæ voce eam compellans,inquit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum.* Quasi diceret: Audi filia,dilectaque sponsa mea intellige, auremque tuam sancti Euangelij prædicationi inclina. Idololatriæ impietatem & iniquitatem, cuius cæcitatis atque errorum tenebris obruta immergebaris,obliuiscere: vanitatem impij cultus, errores, peccata, cæcitatem, & tenebras, in quibus orta & educata eras, derelinque: ad veritatis claritatem veni,& ad sanctæ fidei lumen accede: Rex enim ac sponsus tuus Christus pulchritudinis ac decoris tui amore capietur. Psalm.44.

Primo loco, sponsæ,id est Ecclesiæ sanctæ,dictum fuit: Audi; deinde,Vide. *Ventum est ad nos*,inquit Augustinus, *cum Euangelio, & prædicatum est nobis quod nondum videmus; & audiendo credimus, & credendo videbimus: sicut dicit idem Sponsus apud Prophetam: Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in obauditu auris obediuit mihi. Quid est in obauditu auris? Quia non vidit. Viderunt Iudæi, & crucifixerunt. Non viderunt Gentes, & crediderunt. Veniat Regina de Gentibus, in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Veniat à Gentibus, veniat circumamicta omnibus linguis, in vnitate sapientiæ. Dicatur ei: Audi filia, & vide. Si non audieris, non videbis. Audi, vt mundes corda fide; sicut Apostolus ait in Actibus Apostolorum: Fide mundans corda eorum. Ad hoc enim audimus, vt credamus, antequam videamus; vt credendo, cor mundemus, vnde videre possimus. Audi, vt credas, munda cor fide. Et cùm cor mundauero*, respondet illa, *quid videbo? Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* In Psal.44. ferè circa finem. C

Et alibi idem Augustinus de eisdem instrumentis adhuc agens, quibus sancta Ecclesia ad Christi fidem perducta est, de auribus scilicet & oculis; imò vt veriùs dicam, auditu & visu, dum versiculum illum Psalmi exponeret, *Sicut audiuimus, sic vidimus*; inquit: *O beata Ecclesia, quodam tempore audisti, quodam tempore vidisti. Audiuit in promissionibus, videt in exhibitionibus. Audiuit in Prophetia,* In Psal.47.
D *videt in Euangelio. Omnia enim quæ modò complentur, anteà prophetata sunt. Erige oculos ergo, & diffunde per mundum, vide iam hereditatem vsque ad terminos orbis terræ. Vide iam impleri, quod dictum est: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes seruient illi. Vide impletum esse quod dictum est: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Et hæc videns, exclama cum gaudio: Sicut audiuimus, ita & vidimus.* Hæc Augustinus. Psalm.71. Psalm.21.

Admirabilis deinde proprietas & virtus, quam animalium prædictorum à Diodoro Siculo descriptorum sanguis obtinet, vulnera consolidandi ac persanandi, corporibusque abscissa atque truncata membra connectendi & coagmentandi, pia vtilique consideratione ad recolendum nos prouocat, cælestem scilicet ac diuinam sacratissimi Christi sanguinis virtutem, qui tantam vim & *Sanguinis huius animantis, insignis typus sanguinis Christi.*

O effica-

efficacitatem obtinuit, vt non tantùm illud primæuum terribile ac letale vulnus, quod primi parentes nostri in transgressione acceperant, quodque illos vnà cum vniuersa eorum posteritate ad temporalem atque æternam mortem miserabiliter pertrahebat, curauerit; sed etiam tot alias pænè innumerabiles sanauerit plagas, quibus miserum & infelix humanum genus, post lapsum omni prorsus alio remedio destitutum, mortaliter affectum decumbebat; quorum planè causa in omnem æternitatem mortuum fuisset, nisi illius miseratus Pater æternus (qui non mortem aut sanguinem, sed salutem eius auidè cupiebat) sanguinem, quem Vnigenitus suus, inaudito charitatis & amoris excessu in tanti & omni prorsus spe destituti vulneris efficacissimum remedium in ara Crucis obtulit ac profudit, non recepisset; sciens profectò, veram illius salutem in pretiosissimo illo sanguine constitutam. Quocircà sanctus Bernardus inquit: *Non requisiuit Deus Pater sanguinem Filij; sed tamen acceptauit: quia salus erat in sanguine, siquidem pro qualitate vulneris, allata est medicina.* A B

Ad Innocentium Papam, epistola 190.

Certissimum sanè pharmacum, atque saluberrima medicina, quæ omnem ægritudinem à curatione alienam sanat, omneque animæ letale vulnus consolidat, si vera applicetur fide. De qua sanctus Chrysostomus: *Pretiosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur, omnis hoc remedio morbus extinguitur.* Pretiosissimus Christi sanguis verè ille solus est, qui truncata atque abscissa membra corporibus denuò connectendi & conglutinandi admirabilem vim & efficacitatem obtinet. Quin etiam inter præstantiora & supernaturalia virtutum suarum opera, hoc vnum præcipuum est, quod sanguinem ille suum ad hunc finem peculiari voluntate profudit, vt membra sua, videlicet Dei electos anteà per vniuersum terrarum orbem dispersos, in corpus vnum aggregaret. Vnde sanctus Bernardus: *Sanguis Christi effusus est pro dispersis filiis Dei, vt eos congregaret in vnum: & ideò iustè fremebat in dispersores. Odit nimirum dispersores, qui non nouit nisi colligere. Minatur autem se dispersores dispergere, qui pro dispersis colligendis effusus est.* C

In Matth. cap. 1. Homil. 4.

Ad Adam Monachũ, epist. 7.

Nos quidem membra sumus, quæ propter infidelitatem & peccatum à viuo corpore olim non abscissa tantùm, sed obtruncata & mortua iacebamus: verùm pretiosissimi Christi sanguinis virtute, viuificata, & mystico eius corpori coniuncta fuimus. Nam quemadmodum ipse, pro excessiua atque immensa charitate sua, in omnium salutem proprium effudit sanguinem: sic meritò, expiandi & ab operibus mortuis liberandi eos qui credunt in illum, potestas eidem sanguini attributa est; ita vt iam non ampliùs mortua, sed viua & cooperantia membra, in vno corpore & in fidei vnitate Deo seruiamus. Quod sanctus Cyrillus Alexandrinus innuere voluit, cùm dixit: *Quoniam autem is qui ex Deo est, carne assumpta, posuit pro omnibus suum sanguinem; hac ratione & purgare potest credentes in ipsum, & à mortuis operibus liberare, & adducere ad obsequium Dei.*

De recta fide, ad Reginas, ex Epist. ad Hebræos.

Tanta est Christi sanguinis efficacitas & virtus, infirma truncata & penitus iam mortua membra corpori connectendi ac denuò conglutinandi, vt non eos tantùm ex Hebræorum populo qui in illum credere voluerunt, quique infirma & mortificata membra propter peccata dici poterant; sed etiam Gentiles, qui propter idololatriam & infidelitatem truncata & omnino mortua membra erant, à viuo corpore penitus segregata, summaque longinquitate remota, persanauit, viuificauit, & in vno eodemque corpore admirabiliter coagmentauit. Quamobrem sanctus Ioannes Chrysostomus verba illa Apostoli ad Corinthios exponens, quibus ingens hoc mysterium innuerat, adiecit: *Et quid dico, inquit, Iudæos? Græcos enim seu Gentiles, qui tantùm à nobis aberant, ad vnum planè corpus redegit.* D

In Epist. ad Corinth. 1. c. 12. Homil. 30.

Quin etiam huius planè diuinæ & admirabilis virtutis, quæ Christi Domini sanguini

A ſanguini ineſt, vniendi ſcilicet ac ſimul coniungendi, teſtimonium nullum profectò aut maius aut verius quàm ipſe idem in medium proferri poteſt, qui ore proprio dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Quaſi diceret: Qui carnem meam manducauerit, & ſanguinem meum biberit, adeò mecum vnitus atque coniunctus erit, vt ille in me permanſurus ſit, & ego in illo. Quocircà ſanctus Chryſoſtomus meritò teſtatus eſt, Chriſtum Dominum hoc dixiſſe, vt oſtenderet, tantam ſanguinis ſui vniendi & connectendi virtutem exiſtere, vt cum illo qui ex eo bibit, vltrò ſeſe coniungat & coagmentet. Vnde poſtquam Chriſti verba prædicta recenſuiſſet, ipſe poſteà hæc adiecit: *Hoc dicit*, inquit, *vt cum ipſo ſe admiſceri oſtendat.* Et alibi appoſitè planè repetit dicens: *Ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Et hoc quidem de Crucis ſigno, quod Deus optimus maximus pro ipſius gloria, & vtilitate noſtra, in animalibus imprimere voluit, hactenus dicta ſint.

Ioan.6.

In Ioannis c.6. Homilia 46. & ad populū Antiochenum, Homil.59.

B Etenim ex duobus hiſce, de quibus veluti exempli gratia breuiter egimus, curioſo Lectori pia mentis contemplatione ac ſpirituali ſolatio, hoc idem ſanctum Crucis ſignum in multis aliis animalibus, ac diuerſis creaturis aliis, detegere & contemplari licebit; in arboribus ſcilicet, in plantis, atque in floribus.

Ad quod ſane inſtitutum, pro Saluatoris noſtri gloria & honore, nullo pacto prætermitti poteſt, nec debet; quin hoc loco commemorationem faciamus, & ad piorum Lectorum notitiam, vel certè memoriam reuocemus, admirabilem Crucifixum illum, qui in Hiſpaniis, *el Crucifixo de la Cepa*, vulgò appellatur; quique magna pietate & veneratione aſſeruatur, ſæpeque ingenti populorum concurſu in Eccleſia Monaſterij illius oſtenditur, quod Hiſpanico idiomate, *Santo Bendito el Real*, Valliſoletanæ ciuitatis, dicitur. Qui Crucifixus, peruetuſta & communiter recepta traditione conſtanter creditur ex vitis cuiuſdam C radicis ſtipite admirabiliter natus eſſe: atque hinc ſanè factum autumant, vt Crucifixus *de la Cepa* appellatus ſit. Eſt autem hæc admirabilis Chriſti crucifixi imago eius prorſus materiæ & formæ, (ſicut complures auctoritate graues viri, qui eam non tantùm ſæpiùs viderunt, ſed propriis etiam manibus contrectauerunt, pleniſſimam mihi fidem aſtruunt) vt quicumque commodè eam intuetur ac contemplatur, ſtatim ſentiat, & pro comperto habeat, eam ex ligno vitis exiſtere; nulla prorſus humana induſtria aut artificio conſtructam, ſed eo modo per miraculum enatam, atque ab ipſa natura productam.

Crucifixus miraculoſus ex vite natus in Hiſpania.

Eiuſdem verò admirabilis Crucifixi altitudo vnà cum Cruce, vt ex multorum relatione accepimus, vnius palmi cum dimidio, vel circà eſſe poteſt. Et licet hæc imago ex radicibus vitis ſit, ita vt diximus, nulla prorſus humana arte aut induſtria læuigata ac perpolita, ab ipſa natura ſimpliciter producta: habet tamen in capite promiſſam cæſariem, vt veteres paſſim deferre conſueuerant; ſub D axillis pilos, ac mento prominentem barbam, capillis ex eodem ligno tanta ſubtilitate mirabiliter conſtructis, vt planè naturales eſſe dixeris. Aſſeruntque, qui propiùs eam viderunt, ac diligenti conſideratione contemplati ſunt, neſcio quid diuini in vultu, & maieſtatem quamdam adeò venerabilem ac tremendam præ ſe ferre, vt timore & deuotione corda illicò repleat eorum, qui intuitus aciem in oculos eius intendere auſi fuerint. Naturæ partus planè admirabilis, in quo enixa videtur fuiſſe, vt in plantis quoque ipſis ſui noſtrique Domini paſſionis memoriam inſculperet & conſeruaret: niſi tamen id præcipuo miraculo adſcribere velimus.

Primus omnium, qui admirandi ac ſancti Crucifixi huius notitiam mihi prodidit, fuit Reuerendus Ioannes à Carthagena Ordinis Obſeruantium ſancti

Francifci, publicus facræ Theologiæ Profeffor, ac Romæ generalis Lector in A Monafterio diui Petri in Monte aureo. Qui, dum his confcribendis intentus effem, librum illum edidit, cui titulus eft, *Homiliæ catholicæ in vniuerfa Chriftianæ Religionis arcana*; anno Domini videlicet M. DC. IX. quem Paulo Quinto Summo Pontifici dicauit. Atque poft ipfum eiufdem Crucifixi certiorem ac longè pleniorem informationem accepi à duobus venerabilibus Monachis ipfius Regalis Monafterij fancti Benedicti, Vallifoletanæ ciuitatis profeffis filiis, qui pro eiufdem Monafterij negotiis in Romana Curia hodie verfantur, quique fæpè fæpiùs eumdem percommodè non folùm viderunt & contemplati funt, fed etiam fe variis temporibus propriis manibus contrectâffe teftantur. Quorum alter Magifter Laurentius de Ayala, alter verò Magifter Gregorius de Criales, appellantur. A quibus tamen de eiufdem Crucifixi hiftoria & inuentione nullam aliam notionem habere potui, præterquam præfatum Magiftrum Laurentium de Ayala teftari, quandoque legiffe in libro Benefactorum eiufdem Monafterij, prædictum admirabilem Crucifixum eidem Monafterio donatum à Don Sancio de Rojas Toletano Archiepifcopo, viro fanè in rebus agendis infigni, atque ab Hiftoricis valdè celebrato: qui ab Antipapa Benedicto Decimotertio ab Epifcopatu Palentiæ ad Toletanum Archiepifcopatum tranflatus eft, per mortem Don Petri de Luna, eiufdem Antipapæ nepotis, anno Domini M. CCCC. XV. Atque vnicum hoc admirabile exemplum fufficere poterit ad oftendendum Crucis fignum, quod in plantis ipfis imprimere atque infculpere Deo optimo maximo placuit. At tamen non in arboribus ac plantis tantùm, fed etiam in floribus, fructibus, herbis, atque lapidibus, pro ipfius gloria, & pro falute noftra idipfum infcribere atque infculpere voluit. Et quidem in floribus, vt demonftrationis gratia aliquid obiter dicamus, in papauere rubeo; in cuius medio, Crucis fanctæ fignum mirabiliter & affabrè defcriptum eft. B

Hieronymus Zurrita, Annal. lib. 11. c. 49 par. 2 tomo 3.

Io. Mariana De rebus Hifpan. lib. 10. c. 7.

At non Crux tantùm, fed permulta etiam Domini ac Redemptoris Iefu C Chrifti paffionis myfteria, in quibufdam floribus repræfentantur. Inter quos nullum prorfus florem admiratione digniorem confpectum fuiffe, aut aliquando in futurum confpici poffe putauerim, eo qui in Indiarum Peru Regionibus vniuerfis, & in noua Hifpania paffim nafcitur; quem Hifpani patrio gentis idiomate, *la flor de las cinco llagas* appellant. Cuius typus graphicè delineatus atque coloribus pictus, Romam primùm delatus eft, dum hæc confcriberem, à Reuerendo Emmanuele de Villegas, Ordinis Eremitarum diui Auguftini, è ciuitate Mexico oriundo; in quo admirabili ac myfteriis refertiffimo flore, videtur mifericordiarum Deo, omnium rerum creatori optimo maximo, potiffimùm placuiffe, euidentiffimas imagines, clarafque fignificationes infigniorum myfteriorum vnigeniti Filij fui paffionis infculpere atque formare, vt fuo tempore idololatrarum populorum illorum inftitutioni & conuerfioni effent.

Flos quinque Chrifti vulnerũ in Peru prorfus ftupendus.

Producitur flos ifte à quadam filueftri planta, quæ paffim & copiosè admo- D dum in omnibus pænè Regionum illarum campeftribus aruis nafcitur, *Granadillo* Hifpanicè vulgo appellata, quæ altiùs admodum erigendi fefe vim à natura non obtinet, nifi ftipitis aut arboris cuiufpiam fulcimento innitatur; quocircà humi ferè extenditur & ferpit: fed arbori aut ftipiti cuipiam innixa, breuiffimo temporis fpatio fulcri fui cacumen afcendit, quod noftrarum vitium more quibufdam viticulis fuis paulatim amplexatur. Infidet flos ifte quinq; virentibus foliis, quæ pro vefte quadam quodammodò ei inferuiunt, conuoluuli floris inftar, quem vulgò Campanellam appellant, in quo flos ipfe ineft, ad rofarum ipfarum fimilitudinem quodammodò effictus; fed longè maior: cuius tamen folia rofarum noftrarum foliis multò arctiora exiftunt. In Regionibus autem Peru,

A Peru omnes ferè flores iſti coloris ſunt ſpadicei ſeu fului, quem vulgus noſter leonatum appellat. Sed in noua Hiſpania albi ſunt, rubeis quibuſdam maculis eleganter depicti; in quorum culmine quibuſdam filis ſiue ſtaminibus omnes circumdati ſunt, laciniarum inſtar, ſanguinei coloris; quaſi ad virgas illas, quibus Dominus cęſus eſt, alluſionem facere videantur. Ex roſæ huius medio granum quoddam erumpit; è cuius culmine, breuis quidam truncus, ad columnæ formam emergit; quæ illius imaginem & recordationem nobis ingerit, ad quam Dominus ac Saluator noſter flagellis cæſus eſt. Ex cuius columnæ cacumine tres ramuſculi ad ſpeciem trianguli exeunt, qui clauorum imaginem omnino referunt, illorum, quibus mundi Redemptor Cruci ſuffixus eſt. Hi verò quibuſdam aliis ramuſculis circumdati ſunt, qui ad corollæ formam, inuicem complicantur: coronamque illam omnino referunt, qua Dominus eſt coronatus. In eiuſdem floris medio, circa granum illud de quo ſuperiùs egimus, ſitus
B ſiue area quædam crocei coloris exiſtit, eius amplitudinis, quam argenteus nummus, quem Iulium vocamus, poſſet obtegere; in qua quinque puncta, ſiue paruæ quædam maculæ ſanguinei coloris conſpiciuntur, quæ quinque illas inſigniores plagas, quas Chriſtus in Cruce accepit, apertiſſimè innuunt. Atque hinc factum eſt, vt quinque plagarum flos vulgò appelletur. Granum illud in medio floris conſiſtens, ex quo columna, claui, atque corona, vt diximus, emergunt, procedente tempore, in fructum quemdam excreſcit, qui ab ipſius plantæ nomine, *Granadillo* appellatur. Fructu autem creſcente, flos ipſe paulatim euaneſcit, non ſecùs ac mala apud nos Punica.

O miraculum! ſimul hic & claui ſacri, colũna, & corona ſpinea.

Excreſcit granum hoc pænè ad anſerini oui magnitudinem, & vltrà; imò & ad mali Maſſilici ex mediocribus. Cùm autem ad maturitatem peruenit, croceum colorem, viridis quibuſdam maculis aſperſum aſſumit: eſtque liquore quodam odoris ſuauiſſimi repletus, qui moſchum & ambracam odores præ-
C ſtantiſſimos pænè ſpirat; & guſtui delicatiſſimus eſt. Confracto enim vel conciſo ipſius fructus cortice, in cacumine liquor eius quaſi ouum quoddam ſorbetur. Sorbitione autem eius ſtomachus corroboratur, digeſtioque adiuuatur, & eſt optimi ac ſalubris nutrimenti. Columnæ, coronæ, & clauorum color, claram viriditatem quamdam præ ſe fert. Corona verò, velo ſiue pilo quodam ſubtiliſſimo violacei coloris tota circumtegitur. Planta ipſa valdè diues & copioſa eſt frondibus; quæ ſariſſæ ſiue lanceæ ferreæ formam referunt, ad illud idem ferrum alluſionem facientes, quo Redemptoris noſtri latus perfoſſum eſt. Folia autem hæc eadem, vt plurimùm, fructus ipſius magnitudinem quadruplo excedunt; licet locis quibuſdam in tantam magnitudinem non dilatentur.

Habet flos iſte proprietatem quamdam ab ipſa natura inſitam, qua ſtatim occidente ſole, quinque frondibus illis, quibus inſidet, includitur; ita vt dum ſol hemiſphærium hoc noſtrum illuſtrat, ipſoſque Antipodas in tenebris &
D vmbra noctis ſedere patitur, nihil aliud ex flore ipſo appareat, quàm viridis quidam calyx, ſiue intumeſcens alabaſtrus, noſtrarum quę ſeſe adhuc non aperiunt roſarum inſtar. Verùm exoriente ſole, denuò reſeratur; non adeò tamen, vt (niſi digitis dilatetur) liberè diſcerni & conſiderari poſſint, quæ eidem mirabiliter includuntur myſteria; nam campanellæ formam, quam diximus, ſemper retinet. Verùm nos præter ipſius naturam apertum, ad roſæ cuiuſpiam quæ ſeſe in totum expanderit formam, in piorum Lectorum gratiam delineandum curauimus; vt in ipſo eodem flore, ipſius, ac noſtri Creatoris excelſa & mirabilia commodè contemplari poſſint. Cui infinitæ ſapientiæ, eo forſitan pacto abditum atque in vagina quadam incluſum hunc florem formare placuit; quò innueret, admirabile Crucis & paſſionis ſuæ myſterium, Regionum illarum idololatris

gentibus occultum futurum, vſque ad tempus ab altiſſima Maieſtate ſua pręordinatum; iuxta illud quod Apoſtolus his verbis prodiderat, quæ in operis huius A
Coloſſ. 1. Prolegomenis citauimus; nempe: *Myſterium, quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in Gentibus.* Et vt ſummatim hanc deſcriptionem tandem perſtringam, planta ipſa, flos, & fructus, de quo agimus, ſimilis eſt graphidi huic, quæ ingenti ſanè animi attentione & cura delineata eſt coram quamplurimis tum conditione tum auctoritate grauibus viris, Regionum illarum incolis, atque inde oriundis; iuxta adumbrationem ac typum, quem ipſi etiam manu ſua propria exaratum prodidêre. Eſt autem omnino talis.

B



C

D

Fateor equidem diu hæſitaſſe me, vtrùm de admirabili hoc & myſteriis planè refertiſſimo flore hoc in Tractatu agendum mihi eſſet; res enim adeò monſtroſa,

A ſtroſa,vt ita dicam, & extra omnes naturæ terminos efficta mihi videbatur, vt iure quodammodò vereri poſſem,ne apud auctoritate graues viros fidem inueniret, ac ne leuitatis & nimiæ credulitatis notam ſubirem: verùm enimuerò, tot tamque authenticæ, omnique prorſus exceptione maiores extiterunt relationes & cognitiones, quas demum nactus ſum à multis viris omni fide digniſſimis, qui ad hoc vniuerſi terrarum orbis theatrum Romam ex nouo illo (vt ita dicam) mundo pro variis eorum negotiis appulerunt, vt omnem hæſitationem & ſcrupulum ex animo tandem mihi euellerint.

Iam deuolutus erat annus M. DC. VIII. ad decimum tertium Kalendarum Ianuarij diem, cùm inter ceteros Romanam hanc Curiam ingreſſus eſt vir quidam nobilitate inſignis, Capitaneus Ioannes Oſorius nomine, qui in Bogota noui Regni Granatæ multo pridem domicilium contraxerat. Is ampliſſimam mihi fidem fecit, in vniuerſo tractu Indiarum Peru, ex eo loco quo Beneçuolæ *Teſtimonia ſupradictorum, omni exceptione maiora.*
B gubernationem ingreditur vſque ad nouæ Granatæ Regnum, atque in toto ipſo Regno, plantam iſtam floremque in campeſtribus aruis enaſci, eiuſdem formæ & figuræ, quæ præcedenti typo demonſtratur; coloris quidem ſpadicei ſeu fului, vt ſuperiùs tradidimus. Affirmabatque, eumdem florem in noua Hiſpania, atque in toto tractu Guatimalæ & Aguagachæ pariter reperiri, foliis tamen albis, & rubeis maculis depictis. Addebat etiam, ſancteque aſſeuerabat, quòd ſi eiuſdem Roſæ folium, ſeu columna, ſiue etiam clauus perfringatur, liquor quidam ſanguinei coloris inde ſtatim effluit, ab his ſcilicet, qui fului ſunt coloris; verùm ex his quæ albæ ſunt, quaſi lac quidam ſanguine aſperſus egreditur. Romam deinde venerunt duo Religioſi ex Societate IESV, quorum alter Hiſpanico quo loquebatur idiomate, *el Hermano Iuan Martines* appellabatur, qui die XXIII. Aprilis anni M. DC. IX. in Domo profeſſa eiuſdem Societatis, coram Gaſpare Hurtado Martinel de Carate, Toletanæ Diœceſis nobilitate inſigni
C viro, ac ſacræ Theologiæ Doctore, Romæ nunc commorante, ac quamplurimis aliis nobilibus & conditione inſignibus viris aſtantibus aſſeruit, ſe viginti duorum annorum ſpatio Indias incoluiſſe; teſtatuſque eſt vidiſſe ſe florem hunc, qui *la flor de las cinco llegas* appellatur, ea prorſus forma, quæ ſuprapoſito typo oſtenditur, in toto nouo Regno Granatæ, atque in prouinciis his, quæ Tocaime, Vage, Carthago, Vuga, Almager, Paſto, & Quito appellantur: reperirique pariter in Lima, in Guamanga, Cuſco, & Iuli: ſancteque affirmauit, eumdem florem ac plantam ipſam à qua producitur ſe vidiſſe in vniuerſo earum Regionum tractu, qui trecentarum ſupra mille leucarum itineris dimenſione metitur, à Sancta Fide ſcilicet vſque ad vniuerſam plagam *de los Andes*, atq; aliis Regionibus quamplurimis; teſtaturque ſæpè ſæpiùs ſe ſua manu fructum huiuſmodi à propria planta decerpſiſſe & comediſſe. In reliquis etiam dictis ſuis conſenſit cum his, quæ de planta, flore, & fructu hoc ſuperiùs dicta ſunt.
D Die verò decima ſexta eiuſdem menſis Aprilis, ſocius eius, cui *el Hermano Iuan Teſtado* nomen eſt, in eadem Domo profeſſa ipſius Societatis, poſtquam omnia confirmaſſet quæ ſocius eius dixerat, affirmauit mihi & fidem fecit, florem hunc ab ipſa natura formatum ea prorſus forma atque imagine quæ in ſuprascripto typo delineata conſpicitur, in ipſo Viridario etiam exiſtere, quod Patres eiuſdem Societatis IESV in ciuitate Mexico poſſident; teſtaturque folia habere alba, rubeis maculis depicta. Non multis quidem diebus poſteà tranſactis, Romam venerunt duo Religioſi ac venerabiles Patres, Ordinis ſancti Dominici; quorum alter appellatur Magiſter Alphonſus de Armeria, Prouinciæ Mexicanæ in noua Hiſpania Definitor, alter verò Frater Hieronymus de Aguero, in ipſa ciuitate Lima natus, quæ totius Peru caput & metropolis eſt. Qui quidem ſe-

cunda Septembris die eiusdem anni M. DC. IX. in Hospitio Conuentus sanctæ Mariæ supra Mineruam, Romæ, non amplissimam relationem tantùm, & indubitatam eiusdem floris mihi fidem astruxerunt; verùm idem Pater ac Magister Alphonsus de Armeria, acerrimo planè ingenio vir, eumdem florem calamo & atramento manu sua eleganter mihi delineauit. Frater verò Hieronymus de Aguero socius eius, manu ad pectus admota, testatus est, ciues Limæ in pomariis ac viridariis suis, ex planta hac, quam Granadillum appellant, amplissimas pergulas, atque vmbracula conficere solitos, sub quibus ad æstiuos solis ardores deuitandos insident; sæpeque ibi magna animi oblectatione cœnare consueuerunt. Ipsius enim Granadilli fructus adeò suauem & iucundum odorem spirant, vt in quodam terrestri paradiso versari sibi videantur. A

Vmbracula ex hoc flore in Peru suauissima.

Omnes insignes viri isti, rerum harum authenticas testificationes manu propria subscriptas mihi tradiderunt, quas hoc loco addere decreueram, vt ex incorruptis & integris his testibus dictis nostris plenissima fides accederet: verùm dum liber hic sub prælo moram traxit, flos noster Bononiæ impressus est: vbi accepi permultos præstanti ingenio viros, in eumdem florem, ac planè admiranda quæ repræsentat mysteria, varias compositiones atque eximia Poëmata edidisse. Præterea ex Hispaniis, ab ipsa Serenissimi Regis Catholici Curia, flos mihi transmissus est; vbi eodem anno M. DC. IX. pariter impressus fuit. Quamobrem cùm publicus adeò iam effectus sit, ac apud graues viros satis auctoritatis iam sit nactus, non illas testificationes tantùm hoc loco addendas superuacaneum censui, sed etiam veritus sum, ne tædium potiùs quàm solatium Lectoribus afferrent. Et quibusdam quidem forsitan videbimur fusiùs quàm necessitas exigebat, id prosecuti; verùm enimuerò in hoc statim excusari iure optimo prætendimus. Nam ipsius floris qualitas, singularitas, atque momentum, id omnino postulare videbatur. B

In fructibus quibusdã & Crucis & Crucifixi imago.

In fructibus quoque Crucis signum sacrosanctum Deo optimo maximo imprimere placuit: vt de eo potissimùm fructu inter ceteros dici posset, quem recentiores Græci μῆλον τοῦ παραδείσου, id est, Paradisi pomum vocant; quod alij etiam Musas appellant; quorum in Cypri insulæ, Hierapolis, (quam nunc Aleppum vocant) Damasci, atque vniuersæ pænè Syriæ tractu, ingens copia nascitur; quorumque species cucumerum nostratum, quos Cedruolos vulgò appellant, formam & corpus imitatur. Qui cùm ad maturitatem perueniunt, molles ac teneri, nostrarum ficuum instar, odoris suauissimi, & gustatus varij & gratissimi sunt; & concisi, vndequaque Crucis signum apertissimè, vt accepi, ostendunt. Quin etiam non Crucem tantùm, sed Crucifixi ipsius referunt imaginem. Si tamen fides adhibenda est his, quæ Henrici Canisij Antiquarum lectionum monumentis prodita sunt. Verùm longè admirabilior est fructus quidam ferè similis, qui in Indiarum Peru tractu, in omnibus Regionibus calidis illius Prouinciæ nascitur: quique in noua Hispania, in insula sancti Dominici, atque in magnæ Canariæ insula, ac præsertim in Conuentu sancti Francisci gignitur. Producitur autem fructus iste ab arbore quadam, quam Hispani Platanum appellant; quæ singulis annis plantari solet, & ad hominis altitudinem excrescit, parùm plus minùsve, longis latisque admodùm frondibus. Qui quidem fructus gustui est suauissimus. Cuius medulla concisa, non Crucis tantùm signum, sed ipsius Crucifixi expressam prodit imaginem: cuius rei insignes viri prædicti, amplissimam mihi fidem astruxerunt, atque inter eos præsertim Reuerendus Frater Hieronymus de Aguero, & Capitaneus Ioannes de Osorio. C D

Antiq. lectionum tom. quinto, fol. 112.

Verùm quid enixè laboramus exempla ab extraneis Regionibus, atque ab ipsis etiam Antipodibus petere, quibus probemus Deo optimo maximo vniuer-

A vniuersorum Creatori pro sua gloria, & hominum salute, sacrosanctum Crucis signum in fructibus imprimere voluisse; cùm hîc Romæ ac domi (vt ita dicam) eius rei clarissimum experimentum manifestò teneamus? Certè me ad hæc perscribenda incumbente, pridie Nonarum Augusti, in primis solemnibus Vesperis festi sanctæ MARIAE ad Niues anni M. DC. IX. domum meam accesserunt duo venerabiles Religiosi, reformati Ordinis sancti Bernardi, qui Congregationis beatæ MARIAE Iuliensis Ordinis Cisterciensis appellatur, qui nomine Reuerendi Fratris Don Philippi Malabailæ, nobilitate insignis iuuenis Pedemontani; qui iam decem vel duodecim superioribus annis eumdem Ordinem professus, in eo sanctè admodum viuit; enixè efflagitarunt, ne grauarer ad eorum Conuentum apud sanctam Pudentianam huius Romanæ vrbis accedere: asseuerantes percupere eum rem mihi planè singularé & admirabilem ostendere, quam pro huius Tractatus nostri de triumphante & gloriosa Cruce compilatione, ad rem maximè facere putabat: sciebat enim me his lucubrationibus per id tempus operam dare. Rogatus verò illicò accessi: mecumque perrexerunt quattuor nobilitate insignes viri; nempe Frater Hieronymus Magona Pisanus, Ordinis sancti Ioannis Ierosolymitani Miles; Ioannes Laurentius Iannatius, Ill^{mi} Cardinalis Montelpari à Secretis; Abbas Iulianus Maruscelli Florentinus, & Americus de Gallo Pistoriensis, ac sacrę Theologiæ Professor. Statim verò vt Conuentum ipsum appulimus, idem Don Philippus Malabaila, ac perplures alij Religiosi Patres qui aderant, permagnam cucurbitam nobis ostenderunt, quę cùm media cōscissa fuisset, Crucis signum naturaliter in se cælatum præbebat; pulchrè adeò expressum, vt quiuis etiam excellens pictor vix meliùs aut elegantiùs exarare potuisset. Atque vt sibi ipsis nobisque cumulatiùs satisfacerent, duas alias ab ipso cucurbitario absciderunt, paruam alteram, alteram mediocrem; quæ cùm nobis inspectantibus incisæ essent, Crucis signum, cūctis admirantibus, vt supposito hoc typo fideliter delineatum est, in iis apparuit. Eratque Crucis signum ipsum, in minore pręsertim cucurbita, adeò venustè delineatum, vt præ admiratione nimia, ingentem animi stuporem, spirituali gaudio admistum, cunctis incusserit. Atque in ipsa cucurbita longè gratior quàm in typo erat eius aspectus. Nam in alba eiusdem cucurbitæ medulla, Crux viridis apparebat, quæ religiosa quadam atque iucunda nos omnes admiratione perfudit. Et meritò quidem notatum ac præcipuè obseruatum est, in quolibet ex quattuor Crucis angulis maioris cucurbitæ, quinque seminis animulas existere: quinque inquam præcisè, neque plures aut pauciores; quasi ad quinque insigniores plagas illas, quas Christus Dominus in Cruce accepit, allusionem facere vellent. Erant autem omnino, quales graphide hac demonstrantur.

Quin & in cucurbitis quibusdam Romæ Cruces deprehensa.

B

C

D



Verùm

Verùm enimuerò, admirabilis ac meritò suspicienda hæc cucurbita, Crucis signum in floris sui medio excultum longè expressius prodit atque demonstrat. Quod sanè non à venerabilibus supradicti Ordinis & Conuentus Patribus tantùm obseruatum fuit, sed & ego ipse hisce oculis sæpiùs inspexi, perplurésque nobilitate ac dignitate insignes viri magna admiratione contemplati sunt. Cumque vnus ex floribus prædictis ab eisdem Patribus domum meam missus esset; cùm liber hic, quem Italico idiomate conscripseram, typis iam impressus esset; neque alius superesset locus, vbi eiusdem floris imago collocari posset; ne pij Lectores eius frustrarentur aspectu, illam in calce Indicis statuendam censui. Nunc autem in longè decentiorem ac sibi magis conuenientiorem locum in eorumdem piorum Lectorum gratiam transferri curauimus. Est autem eiusmodi. A B



At hoc tandem demonstrationis atque exempli gratia dixisse sufficiat, dum ad grauiora, quæ nobis conscribenda supersunt (vt hoc opus pro Dei optimi maximi gloria ad optatum finem perduci queat) stilus noster diuino sancti Spiritus afflatu suffultus, turgidis velis, vt ita dicam, ac secunda aura dirigitur. C

CAPVT VII.

Quòd litterarum characteribus, quibus dictio hæc Crux conscribitur, non tantùm Crux ipsa formatur, sed apertè etiam innuitur, Christum Dominum in Cruce sponte oppetere voluisse, vt mundum redimeret.

PRIVS QVAM sanctus Isaias Propheta, admirabilia planè ea, quæ de veri Messiæ incarnatione, passione & morte, Spiritus sanctus ei reuelauerat, explanare & aperire inciperet, sciens hæc ipsa peruicacibus Iudæis non probanda solùm, sed vt incredibilia prorsus, & tamquam paradoxa quædam respuenda, dixit: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum.* Quasi diceret: Quisnam hominum erit ille, qui his quæ à nobis modò auditurus est, fidem habendam censeat? Vnigenitum nimirum Dei Filium, diuinæ potentiæ brachium & fortitudinem, per quem facta sunt omnia, carnem sumpturum, & tamquam virgultum quoddam nasciturum? vel iuxta Symmachi interpretationem, tamquam ramum de terra sitienti? vel sine via, vt Aquila traduxit, quo virginitatis priuilegium ostenderet; innuens, virgultum vel ramum hunc sanctum ac benedictum, sine virili (Isaiæ 53.) D

A viriliſemine à terra, quæ anteà erat ſine via, id eſt, ab immaculata Virgine ſacratiſſima producendum. De quo virgulto, ſiue ramo, idem Propheta alibi priùs dixerat: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Iſaiæ 11.

Quis vnquam hæc audiens, crediturus ſit, inquit ille, & brachium Domini cui reuelatum erit? cùm humilis Dei Filius homo factus, venturus ſit abiecta planè ac deſpicabili forma, vt teterrimum & ſuperbiſſimum hoſtem humani generis diabolum proſternat? Non erit in eo aſpectus neque decor, dum ſputis turpiſſimè illitus, alapis impetitus, alba veſte per ſummum ludibrium indutus, ſpinea corona redimitus, ac denique Cruci confixus, inter ſceleſtos atque iniquos reputabitur. Nos & omnes ſancti Patres, cunctique Dei electi aduentum eius enixè deſiderauimus. Verùm quia in forma humillima & abiectiſſima omnium formarum quæ in cunctis hominibus fuerit, apparebit; & quia vir erit doloribus oppreſſus, qui experientia edoctus, quales & quantæ humanæ in- *Crux Iudæis ſcandalum & Gentibus ſtultitia, ſed piis Dei virtus.*
B firmitates & miſeriæ ſint, optimè norit, propter labores, ærumnas, paſſionem, Crucem, ac mortem pro nobis exantlandam; propterea diuinitatis eius vultus adeò delitеſcens atque abſconditus erit, vt à cæcutientibus Hebræis nullo pacto ſit cognoſcendus, neque Dei Filius reputandus. Quare vt alibi dixi: *Verè tu es Deus abſconditus.* Iſaiæ 45.

Poſteà verò quàm ſanctus ac magnus hic Propheta omnia pænè, quæ verus Meſſias paſſurus erat, mirificè prædixiſſet (quæ humanæ quidem exiſtimationi & iudicio incredibilia videbantur;) cumque ipſe certiſſimè ſciret, & omnia prorſus ſine fallacia futura; quaſi ratione comprobare vellet, cur Chriſtus Dominus tanta paſſurus eſſet, adiecit: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & eius liuore ſanati ſumus.* Reuerà hæc Iſaiæ 53.
C omnia, inquit, verus Meſſias ac mundi Saluator patietur; non ſuos quidem, ſed noſtros languores ſuſtinens; non ſuos, ſed noſtros patiens dolores. Nos verò reputabimus eum, (neque aliter reputandum exiſtimabimus) tamquam leproſum ab ipſo Deo percuſſum atque depreſſum; vt contaminatum eſſe, quicumque illum ſequatur, cenſuerimus; non ſecùs ac iuxta legem contaminatum conſtat eum qui leproſum attigerit. Illum igitur morte damnatum, extra vrbis portam eiiciemus; ibique in Crucem agemus: atque illudentes ei, legem nos in hoc obſeruaſſe putabimus, quæ extra portam ciuitatis leproſum eiiciendũ præcepit.


Cumque eum reipſa vitam in Cruce profundere videbimus, arbitrabimur Deum, horribili ac probroſa morte illa, pro peccatis eius eum deprimere ac plectere voluiſſe: ipſe autem reuerà pro peccatis noſtris vulnerabitur, iuxta quod iam in eius perſona Regius Propheta prædixerat: *Foderunt manus meas, & pedes meos:* vt plagis ſuis vulneribus noſtris medeatur. Præterea noſtrorum ſcelerum Pſalm. 21.
D cauſa totus erit flagellis attritus, verberibuſque contuſus, ac demum in Crucem actus, pro nobis maledictus fiet, vt nos ab æterna eripiat maledictione. Nam iuxta ſanctionem legis, maledictus eſt quicumque pendet in ligno. Quocircà diſciplina pacis noſtræ erit ſuper eum. Namque omnem animaduerſionem ac pœnam à Deo in nos ob noſtra ſcelera meritò adhibendam, ipſe innocentiſſimus, pro feruidæ ſuæ charitatis immenſitate, pro nobis ſponte ſubibit: pacificans per ſanguinem ſuum, quem in Cruce profundet, ſiue quæ in terris, ſiue quę in cælis ſunt; cùm ipſe ſit vera pax noſtra, per quem Deo reconciliati erimus: atque per liuorem ſacratiſſimi corporis eius, quod verberibus & flagellis tam durè & aſperè concidetur, clauiſque & lancea tam crudeliter tranſuerberabitur, nos ipſi corporis & animæ integram ſanitatem nanciſcemur. Ad Coloſſ. 1. Epheſ. 2.

At

At verò, quia rationibus his omnibus non obstantibus, quibus sanctus Propheta causam apertè prodiderat, cur verus Messias tanta passurus esset, prospiciebat peruicacissimos Iudæos verbis suis fidem non habituros, neque in Christum credituros; cùm fieri non posse arbitraturi essent, Verbum æternum, Domini brachium & fortitudinem, humanitatem esse assumpturum, atque in humana carne tot ærumnis & opprobriis subiiciendum; ne fortè putarent dicere illum voluisse, Christum vi compulsum aliqua, talia esse passurum, tacitæ obiectioni respondens, atque apertiùs semetipsum declarans, adiecit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Quasi diceret: Absurdum ne vobis videatur, ea quæ superiùs dixi in fidem admittere; licet iure fieri non posse iudicetis, omnium robustorum fortissimum, Verbum æternum, quod illius brachium & fortitudo est à quo omnis fortitudo promanat, ad ea quæ dixi patienda posse compelli; quandoquidem non vlla vi prorsus coactus, sed vltrò ac sponte sua in sacrificium illud admirabile, quod vobis innui, offeretur. A

Sacrificiū Crucis, sacrificium spōtaneum.

B Hæc omnia, vt rem tandem summatim perstringamus, sanctus Propheta dicere voluit, vt propensam, definitam ac determinatam voluntatem ostenderet, quæ Verbo æterno iam inde ab initio insedit, pro nimia charitate & misericordia sua, ac pro immenso amore, humanam carnem induendi, nos seruandi, ac per mortem suam in Cruce mundum redimendi. Quæ quidem constans & libera voluntas licet pluribus ac diuersis sacræ Scripturæ locis apertè probari possit, mirabile tamen dictu iure mihi videtur, vel in ipso etiam Crucis nomine id non obscurè significari. Litterarum enim characteres, quibus dictio hæc CRVX exprimitur, non Crucem ipsam tantùm formant; quod reipsa fieri perspicies, si C in superiore extremitate constituta, R in dextera, V in sinistra, & X in inferiore collocaueris; sed etiam liberam quoque Christi Domini voluntatem produnt per sanctam Crucem mundum redimendi, vt ex præsenti imagine coniici licet. C



Quocircà diuus Hieronymus, vt hanc Christi Domini liberam & vltrò susceptam voluntatem pro nobis Crucem sustinendi assereret, in Isaiam Prophetam scribens appositè sic tradit: *Non enim*, inquit, *necessitate Crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Euangelio: Calicem, quem mihi dedit Pater, non bibam illum? & ad Petrum qui scandalizabatur ad Crucis nomen, quia non nouit mysterium, & humano pauore trepidabat: Vade retro me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Alioquin si non propria voluntate esset oblatus, qui indicare & prædicere poterat proditorem? & Apostolis loquebatur: Omnes vos in hac nocte in me scandalum sustinebitis. Poterat eos qui ad se missi fuerant declinare, quibus occurrit intrepidus, & vltrò se obtulit, dicens: Quem quæritis? qui statim ceciderunt retrorsum: vocem enim præsentis Dei ferre non poterant.* D

In Isaiam, cap. 53.

Sanctus etiam Augustinus, vt hanc eamdem Christi Saluatoris nostri liberam voluntatem pro nobis patiendi ostenderet, inquit: *Vtique volens passus est, & si nollet, numquam pateretur: qui si nollet, nec nasceretur. si autem hoc solum vellet, vt nasceretur tantùm, & non moreretur; & quidquid vellet, faceret: quia omnipotentis Patris Filius omnipotens est. Ex ipsis rebus probemus: quia cùm voluissent eum tenere, discessit ab eis, loquitur Euangelium: & cùm voluissent eum de vertice montis præcipitare, discessit ab eis illæsus. Et quando venerunt ad eum comprehendendum, iam vendi-*

Tractatu in Ioan. xi.

A *venditum à Iuda proditore, cùm ille putaret in potestate se habere, tradere Magistrum suum & Dominum suum: & ibi ostendit Dominus voluntate se pati, non necessitate. Nam cùm eum comprehendere Iudæi voluissent, dixit illis: Quem quæritis? At illi dixerunt: Iesum Nazarenum. Et ille: Ego sum. Hac voce audita, redierunt retrò, & ceciderunt. In eo quòd eos respondens deiecit, ostendit potestatem; vt in eo quòd ab eis comprehensus est, ostenderet voluntatem. Ergo quòd passus est, misericordiæ fuit. Traditus est* Rom.4. *enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Audi verba ipsius: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi* Ioan.10. *eam. Nemo tollet eam à me; sed ego pono illam à me ipso.*

Et alibi idem Pater, vt doceret omnia quæ Christus pro nobis passus est, propria voluntate & potestate, non autem necessitate aliqua coactum, passum fuisse; hæc apposite etiam adiecit: *Dominus*, inquit, *secundùm carnem & formam* De vnitate *serui, quam suscipere dignatus est, & contumelias passus, & vincula, & flagella, &* Trinitatis, cõtra Ma-
B *mortuus esse manifestatur: vt omnia veridicè veritas, & nihil falsò fecisse credatur:* nichæos, *quia potestate ac voluntate Verbum caro factum est, & natus, & passus, & mortuus,* cap.26. to- *& resurrexit, nulla sua necessitate, sed voluntate & potestate.* Et paulò inferiùs sub- mo 6. dit: *Nos credimus, vt in Euangelio scriptum est, quia Christus voluit pati, & quando* Ibid.c.30. *voluit passus est. Non enim quando voluerunt Iudæi, passionem ipsam fecerunt. Volebant quidem tenere eum, & occidere, & secundùm voluntatem suam iam perfecerant scelus, quod conabantur, & iam rei erant immanissimi peccati; quia volebant, etiamsi nihil fecissent: tamen ille qui potestatem habuit ponendi animam suam, quando voluit eos facere permisit; qui legionibus Angelorum potuit iubere vt Iudæi perirent, vel vno verbo suo omnes interimere.* Ac demum idem sanctus Augustinus, quasi pro huius materiæ conclusione alibi subiungit: *Quemadmodum nos non voluntate morimur, sic* Octuagin- *& non voluntate nascimur. Ille autem voluntate, vt oportebat exhibuit, & tamen verissimè exhibuit.* ta trium Quæstion. Quæst.80.

C Sanctus autem Ioannes Chrysostomus ex verbis illis, quibus Christus Dominus Discipulos suos aliquando dum Ierosolymam ascenderent, allocutus est, prædicens eis se tradendum in manus Principum sacerdotum, morte damnandum, in Gentium potestatem dandum ad illudendum, & flagellandum, & cru- Matth.20. cifigendum, seque die tertia à mortuis resurrecturum; argumentatur, atque apertè probat Christum non necessitate coactum, sed propria electione ac libera voluntate sua passum; asserens illum, qui ea quæ sibi obuentura erant prædicere sciuit & potuit, eadem etiam, si voluisset, nullo negotio effugere atque vitare potuisse. sed spontè, inquit, illum pati omnino voluisse constat, qui locum vbi pateretur, vltrò ascendit: *Qui futura prædicere potuit, potuit & cauere. Ignaros* In 5. feriã *aduersa præueniunt, non scientes. Pati voluit, qui spontè locum, vbi pateretur, ascendit.* Pasionis, *Mors inuitis imperat, volentibus seruit. Ergo quòd volens moritur, non casus est, sed po-* Serm. 5. *testas. Potestatem habeo, inquit, ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi* tomo 3.
D *eam. Nemo tollit eam à me; vbi animam ponendi potestas est & sumendi, ibi moriendi non est necessitas, sed voluntas. Nemo, inquit, tollit eam à me. Si nemo, vtique nec mors. Denique nec mors tollere, nec infernus potuit hunc tenere, quo iubente, tremens etiam vinctas animas, quas tenebat, amisit.* Hæc sanctus Chrysostomus.

Diuus autem Gregorius Magnus, vt hanc eamdem Christi pro nobis patiendi liberam voluntatem validissimis rationibus comprobatam proderet, inquit: *In carne veniens Dominus non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessita-* Moralium *te suscepit. Nulla enim labe peccati pollutus, reatus nostri teneri conditione non potuit:* lib.24.c.2. *atque ideò mortem nostram, omni necessitate calcata, cùm voluit, spontè suscepit. Nos omnes cùm nolumus, morimur: quia ad soluendæ pœnæ debitum, culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem nulli admistus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ: sed*

quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit. Hæc ille. A

Deuotus verò Bernardus, pia mentis contemplatione expendens mysterium illud, cùm Virgo sacratissima post purificationis suæ dies, puerum Iesum in templo præsentauerit, offerens pro eo, iuxta Legis edictum, agnum anniculum, & pullum columbæ, vel duos turtures, aut duos pullos columbarum, inquit: *Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, vbi tantùm sistitur Domino, redimitur auibus, & illicò reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra ciuitatem, inter brachia Crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio: quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem iucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis. De vtroque tamen potes accipere, quod Propheta prædixit: Oblatus est, quia ipse voluit. Nam & modò oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub Legis edicto fuit, sed quia voluit. Et in Cruce nihilominùs oblatus est, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit, sed quia* B *ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit Hostiam pretiosiorem quam habuit; nimirum qua pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi; quod sumus, vtique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit; tu qui es, qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur Maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine; corpus & animam dico: vtinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longéque gloriosius atque vtilius est, vt tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea turbatur; in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Iudæus mortuas hostias offerebat: sed iam nunc, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Non vult Dominus mortem meam; & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia pla-* C *cabilis, Deo placens hostia, hostia viua. Sed in oblatione illa Domini, tres fuisse leguntur: & in oblatione nostra, tria nihilominùs à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Ioseph sponsus Matris Domini, cuius filius putabatur, fuit & ipsa Virgo Mater, & Puer Iesus qui offerebatur. Sit ergo in oblatione nostra, constantia virilis: sit continentia carnis: sit conscientia humilis: sit inquam in proposito perseuerandi animus virilis: sit in continentia castitas virginalis: sit in conscientia simplicitas & humilitas puerilis. Amen.*

In festo Purificat. B. Virginis de Puero, Maria, & Iosepho, Serm. 3.

Isaiæ 3.

Ierem. 18. & 33.

Domine Iesu Christe, firma spes ac stabilis fiducia nostra, qui cùm sis vniuersorum Dominus & Creator, pro mundi tamen redemptione, & pro peccatorum salute, naturam nostram assumere dignatus es: quique humanæ fragilitatis & miseriæ experientia ipsa conscius factus, in humana carne constitutus, tot laboribus & ærumnis te ipsum voluntariè subiecisti, ac pro mirabili diuinæ tuæ erga nos charitatis excessu, Crucis mortem sponte subire voluisti: quid nos miseri pro tot excelsarum gratiarum, atque immensorum fauorum cumulo, tibi dignè offerre atque rependere poterimus? Ah omnipotentissime & clementissime Domine, humiliter supplico, vt summæ gratiæ dono concedere digneris nobis miseris ac mendicis seruis tuis, qui inter tot peccatotum scelera, nil preter corda habemus, hæc eadem saltem tibi sincerè offeramus. Atque vt tribulationum salutarem calicem, pro culparum nostrarum expiatione libenti animo accipientes, earum indulgentiam & veniam abs te consequi mereamur. Adiuua Domine imbecillitatem nostram, frigida corda refoue, blæsas balbasque linguas solue; ita vt cunctis animarum nostrarum potentiis, totisque cordium nostrorum visceribus te diligentes, dignè te laudemus; tibi benedicamus, gratiarumque actiones referamus pro infinitis beneficiis quibus humano generi nostro D

Quid gratus homo vicissim crucifixo Domino offerat.

A stro subuenire atque opitulari dignatus es. Signa, Redemptor & Saluator noster, sanctæ & viuificæ Crucis tuæ diuino charactere atque sigillo animas nostras, & eiusdem sanctæ Crucis virtute expurga, munda, fulci, & circummuni nos; vt antiqui veteratores hostes nostri nihil in nobis deprehendant, nihilque contra nos possint aut moliantur. Quin etiam vt tibi, ô Crucifixe sanctissime, in omnibus configurati in pœna, & in resurrectionis gloria consortes fieri mereamur. Amen.

CAPVT VIII.

Nihil penè serium, vel quod multum referat, nisi Crucis figura interueniente, ab homine perfici posse.

B SALVTIS nostræ percupidum adeò sese in omni tempore Deus optimus maximus ostendit, vt iam inde ab ipsius vniuersarum rerum creationis exordio, in rebus à se formatis atque dispositis, hominem Crucis formam atque imaginem præferentem, eamdem semper ante oculos suos habere voluerit; vt salutis ille suæ signum agnoscens, ac debita veneratione prosequens, ad illam sese recto tramite dirigeret. Quin etiam res ipsas Deus ita disposuit, vt nihil ferè quod magni momenti sit, sine Crucis figuræ siue imaginis interuentu homo facere queat. De quo licet alij ante nos scripserint, non tamen de eodem aliquid etiam dicere prætermittemus; eorum partem aliquam hîc referentes, quæ sancti Patres ac sacri Doctores piè atque ingeniosè scripserunt: præsertim verò cùm eiusmodi res sint, quæ doctis viris, licet sæpiùs etiam repetitę, displicere non possunt: qui verò hæc ipsa adhuc nusquam legerint, his magnum planè fructum ac spirituale solatium afferre poterunt.

C Sanctus ergo Iustinus Martyr (vt ab antiquioribus Patribus incipiamus) ad Gentiles pro Christianis scribens, sic tradit: *Considerate namque*, inquit, *vobiscum res in ordine cunctas, an absque forma ista Crucis administrare quidquam, aut commercium aliquod habere homines queant? Mare certè quidem non scinditur, nisi trophæum hoc, quod antenna siue velum vocatur, in naui integrum maneat. Terra absque hoc non aratur. Fossores autem opus non faciunt, neque itidem manuarij artifices, nisi figuram hanc habentibus instrumentis.* Quæ quidem verba sanctus Ambrosius, siue vt alij magis autumant, sanctus Maximus Taurinensis, quodammodò declarare voluisse videtur, cùm dixit: *Grande est Crucis sacramentum: & si intelligimus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cùm à nautis scinditur mare, priùs ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, vt Cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc Dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit axaltatus in* D *Cruce. Atque ideò, confidentia de mysterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine Cruce stare non potest, ita & sine arbore nauis infirma est. Statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit: at vbi signum Crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur. Sed & bonus agricola, cùm parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere; nonnisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subiicit, affigit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur. Compactio enim ipsa, similitudo quædam est Dominicæ passionis. Hoc igitur Dominico signo scinditur mare, terra colitur, cælum regitur, homines conseruantur.* Hæc ille.

[Margin notes: In Apologia 2. pro Christianis. — *Mysterium Crucis in nauis antenna veteribus celebre.* — De Cruce Christi, Serm. 56. Tomo 5. — *Itemque in aratro.*]

Verùm hæc eadem pænè paucioribus verbis ad posterorum memoriam prodidit Marcus Minutius Felix, in suo Octauio, inquiens: *Signum sanè Crucis*

naturaliter vidimus in naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expansis palmulis labitur; & cùm erigitur iugum, Crucis signum est. Nec sanè minùs accuratè aut diligenter id etiam considerauit, atque his verbis commendauit Origenes: *Antennæ nauium*, inquit, *velorum cornua, sub figura nostræ Crucis volitant. Aues quoque ipsæ, quando in sublimiora obuoluuntur, & pendent per aëra, extensis alis, imitantur Crucem.* Aduertendum tamen, hæsitauisse nonnullos, an Homilia siue Sermo, in quo verba prædicta referuntur, ipsius Origenis sit; quandoquidem eiusdem sermonis stylus Origenianæ phrasis genuinum sonum reddere non videtur. Quocircà inter diui Hieronymi opera impressus etiam reperitur; vt nono eorumdem operum Tomo videre licet; sic enim incipit: *Hodie verus sol ortus est mundo. Hodie in tenebris sæculi lumen exortum est.* His addantur ea quæ idem sanctus Hieronymus, siue quicumque alius Auctor Commentariorum in diui Marci Euangelium, quæ inter eius opera impressa circumferuntur, scripsit, inquiens: *Aues quando volant ad æthera, formam Crucis assumunt. Nauis per maria antenna Cruci assimilata sufflatur.* Magnus verò Pater Anastasius Synaita, Patriarcha Antiochenus, asseruit, non volucres tantùm dum per aërem volitant, sed pisces etiam natantes in aquis, formam Crucis assumere. Eius autem verba ex Græcis Latinitati reddita, hæc sunt: *Et tamen nec pisces sunt priuati figura quaternarij, cùm habeant figuram Crucis; sicut etiam volucres, cum quibus facti sunt. Ipsi enim duabus alis, & capite & cauda feruntur in aëre & aquis.*

(Margin: Homil. 8. in diuersis. — In Marc. 15 — Anagogic. cõtempl. in Hexameron, lib. 4.)

A B

Verùm quid mirum est volucres in aëre Crucis imaginem referre atque exhibere dum per aërem volant, cùm Christus ipse Dominus in Sacrarum litterarum codicibus aui assimilatus sit? Hæc enim sacra atque cælestis auis illa est, quæ pro hominum salute è cælo in terram deuolans, ab impiis ac perfidis aucupibus Hebræis iniquè capta & occisa est. De qua innuere voluit Propheta, cùm dixit: *Venatione ceperunt me, quasi auem, inimici mei gratis.* Super quibus verbis sanctus Hieronymus inquit: *Auis enim nomine, ipse Dominus significatur: qui licet in terra de Virgine matre sit editus, tamen cælestia doctrinâ suâ & exemplo semper petit; membraque sua fide & spe, quasi duabus alis, ad superna semper subleuat, dicens in Euangelio: Regnum meum non est de hoc mundo.* De aue hac ipsa patientissimus Iob intelligere voluit, cùm dixit: *Semitam ignorauit auis, nec intuitus est oculus vulturis.* Quem textum sanctus Gregorius exponens, sic tradit: *Quis hoc loco auis nomine*, inquit, *nisi ille signatur, qui corpus carneum quod assumpsit, ascendendo ad æthera librauit? Qui aptè etiam vulturis appellatione exprimitur. Vultur quippe dum volat, si iacens cadauer conspicit, ad esum se cadaueris deponit. Et plerumque sic in morte capitur, dum ad mortuum animal de summis venit. Rectè ergo Mediator Dei & hominum, Redemptor noster, vulturis appellatione signatur, qui manens in altitudine Diuinitatis suæ, quasi quodam volatu sublimi, cadauer mortalitatis nostræ conspexit in infimis, & sese de cælestibus ad ima submisit. Fieri quippe propter nos homo dignatus est: & dum mortuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud se erat immortalis, inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit ipsa intentio nostræ resurrectionis: quia ipse ad triduum mortuus, ab æterna nos morte liberauit.* Hæc D. Gregorius.

(Margin: Ierem. 3. — In Lamẽt. Ierem. libro 2. c. 3. — Iob 28. — Moral. libro 18. capite 28.)

C D

Auis quoque anima nostra appellari potest, quæ à rerum terrenarum depressione & vilitate, atque à peccatorum sordibus sese expedire & soluere non potest, nisi sinistra ala contemplationis super temporalium rerum vanitate & inconstantia, atque super retributionis aut pœnæ immensitate atque æternitate priùs extensa, dexteram demum alam quoque desiderij saluandi se non expanderit; & nisi omnibus neruis, totisque viribus enitens, diuino fauore adiuta, & inuictæ Crucis signo protecta, in altum sese extulerit. Neque euadere poterit auis hæc infinitos laqueos, quos in captionem eius vafri & iniqui venatores, id

est

A eſt dæmones, ferales hoſtes, aſſiduè ſtruunt; niſi orationis & eleëmoſynę alas expandens atque exercens, patientiaque ac bonis operibus adhibitis, Cruci Chriſti ſeſe affigens, & velut auis quædam, expanſis alis ad ipſius Crucis figuram & imaginem conformans, in altum ſe extulerit, ac per aërem volitans, à terreſtribus & mundanis affectibus ſe explicuerit, atque omnino ſeiunxerit. Orationis igitur & charitatis alas aſſiduè expanſas teneat Chriſtianus, vt cum Propheta ipſe quoque dicere valeat: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.* Pſal. 123.

Neque eſt cur miremur, quòd nauis malus, atque antenna, quæ eidem ex tranſuerſo adaptatur, & cui velum ſuſpenditur, Crucis forment imaginem: naui enim in Scripturis ſacris plerumque comparatur Eccleſia, quæ per huius ſæculi procellis ac tempeſtatibus agitatum mare nauigans, ſanctæ Crucis malum in media ſui parte fixum atque immobilem tenet; qui ab omni naufragio & ſubmerſione eam tutiſſimam reddit. Hoc vnicum illud lignum eſt, hæc ſola nauis *Nauis Eccleſia; malus & antenna viuifica Crux.*
B illa, in qua mundi huius periculoſum pelagus transfretandi (vt ad cæleſtem patriam noſtram, à qua expulſi fuimus, demum appellere poſſimus) ſpes nobis eſſe poteſt. *Longè ab illa patria,* inquit ſanctus Auguſtinus, *proiectus eras, & fluctibus huius ſæculi interrupta eſt via; & quà tranſeatur ad patriam, non eſt, niſi ligno porteris.* In Ioan. Tract. 2.

Quod verò ſit lignum illud, quo tam importuoſum hoc mare nobis tranſfretandi facultas eſt, vt ad cæleſtem patriam noſtram redire poſſimus, ipſe idem paulò ſuperiùs declarauerat, inquiens: *Nemo enim poteſt tranſire mare huius ſæculi, niſi Cruce Chriſti portatus.*

Idem verò ſanctus Auguſtinus, ſcribens in verſiculum illum Pſalm. 103. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus: animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt:* verba ſua ad Chriſtianum dirigens, qui ſanctæ Eccleſiæ vectus naui huius vitæ periculoſum pertranſit ęquor, In Pſalmum 103. Conc. 4.
C inquit: *Noli timere, noli terreri, deſidera patriam, intellige peregrinationem. Illic naues commeabunt. Ecce in eo quod terrebat commeabunt. Naues natant, & non merguntur. Naues Eccleſias intelligimus, commeant inter tempeſtates, inter procellas tentationum, inter fluctus ſæculi, inter animalia puſilla & magna. Gubernator eſt Chriſtus in ligno Crucis ſuæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valdè attendant vbi natent, ſed à quo gubernentur. Illic naues commeabunt. Quem commeatum reperient triſtem, quando gubernatorem ſentiunt Chriſtum? Commeabunt ſecurè, commeabunt perſeueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.* Hæc Auguſtinus.

Beatiſſimus autem Pontifex ſummus & Chriſti Martyr fortiſſimus, Clemens Romanus, de ſancta Dei Eccleſia ſub nauis metaphora loquens, ait: *Reſtat igitur, vt hæc nauis, curſu proſpero, tuta poſſit portum deſideratæ vrbis intrare. Deo itaque indeſinenter ſupplicetur à cunctis de proſperitate ventorum; vt nauigantes, omnem tribulationem & omne periculum ſuperent, tamquam in mare profundum mundi* Ad Iacobum fratrem Domini, epiſtola 1.
D *iſtius, & vitæ humanæ pelagus nauigantes, in quo eſuriendum ſit & ſitiendum, nuditas quoque ferenda, morbi etiam corporis & ægritudines tolerandæ; inſuper & hominum inſidiis ac dolo ſæpè laborandum.* Hactenus ſanctus Clemens.

Diuus verò Pater Auguſtinus, ſub naualium apparatuum & inſtrumentorum metaphora nos hortatur ac docet, vt prompti ac parati ſimus ad nauem conſcendendum, qua ad cæleſtem patriam nauigemus, ſic tradens: *Præparemus ſitarchias, apprehendamus & aſcẽdamus nauem fidei ſimul & Crucem; nec deſit anchora ſpes noſtræ ſalutis: extendamus funes, diuerſas virtutes; vela charitatis colligamus; inuocemus ventum proſperum, Verbum Dei: exhauriamus ſentinam à peccatis; per eleëmoſynas mundetur conſcientia. Non impediatur huius noſtri curſus nauigij; operemur manibus, vt poſſumus. Manibus ſuis ſentinam exhauriebat qui dicebat: Manibus meis* De Cantico nouo, & de reditu ad cæleſtẽ patriam, ac vitæ periculis, c. 2. tom. 9. Pſalm. 76.

 coram

coram eo nocte, & non sum deceptus. Non negligamus nostra peccata: minuta sunt, sed A *multa sunt. Fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minaturque naufragium: humor autem per rimas influens, & in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur sentina, non negligatur misericordia; quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Adsit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus Alleluia, vt læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, sæculum scilicet; cuius fluctus ac turbines sentimus inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi iam Sancti hos fluctus spreuerunt; multi calcauerunt, multi super eius aquas ambulantes, securi ad patriam peruenerunt: sed exurgit ventus validus, & magna tempestas, sua cuiusque cupiditas. Titubat fides in mari: clamet in te Petrus, Domine pereo: dabit manum mergenti; nec sinet perire ille, qui propter nos dignatus est super aquas ambulare.* Hactenus Augustinus.

Nauis item anima cuiusque fidelis in hoc pelago. Nauis prætereà non Ecclesiam tantùm, sed cuiusque fidelis animam mysticè quoque significat, quæ à persecutionum minacibus ventis, à tentationum B vndis numquam quiescentibus, atque à persecutionum horribilibus fluctibus in huius sæculi turbinibus ac tempestatibus concitato mari assiduè agitatur. Quocircà Ludolphus Carthusianus apposité ad hoc inquit: *Mysticè nauicula est Ecclesia, vel qualibet fidelis anima, quæ fluctibus persecutionum & tentationum sæculi, modò in hæreticis, modò in tyrannis, modò in falsis fratribus tunditur & turbatur.* Hæc ille. (De vita Christi, part. 1. cap. 69.) Sanctus verò Augustinus, naui denique in mari fluctuanti, cor Christiani hominis, in quo fides titubet ac vacillet, comparauit. Quamobrem ad significationem hanc Apostolorum nauem pertraxit, cùm ventorum vi agitata, & minacibus vndis impetita, timorem iis attulit ne mergerentur, dum in ea Christus dormiret, inquiens: (In Psal. 34.) *Nam & Dominus dormiebat in mari, & ideò fluctuabat nauis, quia dormiebat Iesus. Nam si illic vigilaret Iesus, non fluctuaret nauis. Nauis tua cor tuum. Si oblitus es fidem tuam, dormit Christus: obserua naufragium. Verumtamen quod restat fac; vt si dormierit, excitetur. Dicas illi: Domine exurge, perimus; vt* C *increpet ventos, & fiat tranquillitas in corde tuo: recedent enim omnes tentationes, aut certè nihil valebunt, quando Christus, hoc est fides tua, vigilauerit in corde tuo.*

Verùm iam tempus est, vt cordis mei nauicula vela expandat, & calami styli que remigatione in magis altum atque profundum vehatur mare, vt secundo diuinæ gratiæ vento & Spiritus sancti afflatu perducta, hunc de sancta Cruce Tractatum ad finem optatum deferat: atque vt eiusdem sanctæ Crucis, & veræ pœnitentiæ naui iam vecti, ad verum salutis portum post fluctuantem & periculosam huius agitati & æstuantis maris nauigationem perueniamus. Tu verò Domine, qui sollicitis atque defessis discipulis tuis, dum ne mergerentur, timerent, ac squallore tremoreque pænè confecti in remigiis concitandis desudarent, opportunè opem tulisti, pectoris mei agitatam ac turbine obsessam ingrediaris nauiculam; ac tentationum laqueis dissolutis, tribulationum ventis sedatis, animi perturbationibus compressis, perpetuam tribuas tranquillitatem: D in ambiguis consilium, in persecutionibus auxilium, in tribulationibus solatium, in aduersitatibus fortitudinem, in tentationibus vniuersis virtutem, & gratiam tum mihi, tum cunctis tuis fidelibus impertias, vt cursum hunc in pace conficiamus, & ad te tutissimum veræ salutis æternæque quietis portum feliciter peruenire valeamus, qui es gloriosus & benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE LIBER TERTIVS.

Quo ſanctæ Crucis figuræ & ſignificationes, quæ veteris & noui Teſtamenti ſacrarum Scripturarum paginis continentur, adiectis ſanctorum Patrum expoſitionibus, explicantur.

CAPVT PRIMVM.

De arbore Vitæ, & de flumine quod in terreſtris Paradiſi medio emanabat.



VM de ſanctæ Crucis figuris & imaginibus, quas Deus optimus maximus, iam inde ab ipſo vniuerſarum rerum creationis initio, mundo, cælo, homini, quibuſdamque aliis creaturis impreſſit, præcedenti libro tractauerimus, conſequenter agemus de eiuſdem ſanctæ
D Crucis figuris, quæ ſacris Scripturis continentur. Atque vt ordine concinnè diſpoſito procedatur, ab ipſa ſacra Geneſi ſumemus exordium; & per magni Moyſis Pentateuchum, ac libros Iudicum ac Regum Iſraëlis percurrentes, de prædictæ ſanctæ Crucis clarioribus euidentioribuſque figuris & ſignificationibus, quæ ex eorumdem ſacrorum Textuum lectione eliciuntur, breuiter mentionem faciemus; ſanctorum Patrum auctoritates & ſententias, quibus eas approbauerunt & confirmarunt, in medium adducentes; ceteris, quæ ad hunc ſenſum pertrahi poſſent, conſultò prætermiſſis; non breuitatis tantùm cauſa, ſed ne hîc quidquam penitus addatur, quod ſacroſanctæ huius materiæ grauitati & maieſtati vel minima ex parte officere aut detrahere poſſit. At ne prolixa harum rerum

enarratione Lectorem defatigemus, eam per capita distribuentes explicabimus, & in vnoquoque eorum duas vel tres figuras coniungemus, prout materiarum ipsarum prolixitas vel breuitas exigere videbitur. Erit sanè lectio (meo quidem ni fallor iudicio) vnicuique pio Lectori suauis & periucunda: atque his quibus multos euoluendi libros tempus aut commoditas non suppetit, non parum vtilis & opportuna: quandoquidem sine vllo ipsorum labore, aut temporis iactura, inuenient hîc pænè quidquid sancti Patres & sacri Doctores circa hanc materiam scripto ad posterorum memoriam transmiserunt. A

Prima igitur sanctæ Crucis figura ex sacræ Genesis libro, lignum illud est, siue arbor vitæ, quam Deus optimus maximus in Paradisi medio ab ipsa terra progigni voluit; de qua, in eodem sacro textu, verba hæc litteris commendata sunt: *Produxitque Dominus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio Paradisi.* Quod quidem lignum siue vitæ arborem, complures sancti Patres sacrique Doctores sanctæ Crucis Christi certissimum symbolum & figuram fuisse autumant. Quamobrem sanctus Iustinus Martyr in Dialogo siue disputatione sua cum Tryphone Iudæo, inquit: *Quòd autem ligni Crucis, postquam in eo affixus est iste, quem gloriosum denuò aduenturum esse Sanctæ ostendunt litteræ, symbolum atq; notam, lignum vitæ obtinuerit quod in Paradiso satum fuisse dictum est, eorumq; item quæ obuentura erant iustis omnibus, audite.* B

Arbor vitæ in Paradiso, typus Crucis Christi.

Idem quoque innuere voluit Clemens Alexandrinus, vbi de corona agens, breuissimè pro more suo, coronam vitæ typum esse dixit, propter ligni substantiam; ad vitæ lignum procul dubiò alludens, quod in terrestris Paradisi medio plantatum erat. Quocircà Gentianus Heruetus eius commentator, ipsius Clementis verba declarans, subdit: *Dicitur etiam Crux Christi lignum vitæ per quam vita nostra, quæ per lignum perierat, per lignum est reparata, & in integrum restituta. Nam & si morte naturali moriamur, quæ est pœna peccati; tamen & hîc Deo viuimus per vnigeniti Filij mortem, ei vniti & reconciliati, quæ est vita animæ: & quæ à nobis recedit vita corporis, in Christo est absconsa, qui est vita nostra: qui cùm apparuerit, vita nostra nobis reddita, cum eo apparebimus in gloria. Quamuis autem sit auctor vitæ Christus, atque adeò ipsa, vt ipse vocat, vita, & per eius Crucem vita sit nobis restituta; ad vitam tamen æternam, absque fide in eum qui dat vitam, non deducemur. Quomodo enim lignum in Paradiso non fuisset causa mortis protoplasto, nisi credidisset serpenti, nempe cacodæmoni, qui est auctor & peccati & mortis; ita Christus qui est auctor gratiæ & vitæ, non dat vitam, nisi ei, qui habuerit fidem Sacramentis obsignatam.* Hæc ille. C

Pædagog. lib.2.c.8.

Venerabilis autem Beda, Commentariorum eorum libro in Iob quæ sancto Hieronymo à quibusdam perperàm tribuuntur, hanc eamdem figuram ipsam auctoritate sua comprobatam volens, de eadem pauca hæc breuiter admodum dixit: *De ligno autem vitæ, id est Cruce, vel de Cruce dicitur.* Quibus verbis apertè dignoscitur, eum opinioni huic adhæsisse, ac pro constanti firmiter tenuisse, lignum nempe vitæ sanctæ Crucis indubitatam figuram & præsignificationem extitisse. Verùm sanctus Ioannes Damascenus de eadem figura apertiùs sic tradit: *Pretiosam Crucem præfigurauit vitæ lignum, quod in Paradiso plantatum est à Deo. Nam posteaquam per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam & resurrectionem.* Quamobrem sancta Dei Ecclesia quolibet anno, in sanctæ Crucis Exaltationis die, salutis nostræ Auctorem summis laudibus extollens, quòd exantlata morte Crucis, quæ in arbore vitæ iam in Paradisi medio plantata præfigurabatur, mortem omnium superauerit; ingenti perfusa lætitia, sic de eadem sancta Cruce concinit: *Hæc est arbor dignissima, in Paradisi medio situata, in qua salutis auctor propria morte mortem omnium superauit.* D

Beda in Iob, c.24.

Orthodoxæ fidei, lib.4. c.12.

Sanctus

A Sanctus verò Cyrillus Alexandrinus, siue potiùs Iodocus Clithoueus, hanc sanctæ Crucis figuram itidem approbans, asseruit, sanctam Christi Crucem, lignum illud esse vitę, quod sacra nobis Scriptura ad memoriam reuocat, in Paradisi medio plantatum fuisse; quandoquidem ex ipsa salutaris & viuifica nobis medicina profluxit: *Hæc enim Crux*, inquit, *est lignum vitæ, quod in medio Paradisi plantatum esse Scriptura commemorat: quia ab ipsa, viuifica nobis & vitalis medicina processit.* Hæc Iodocus. cui sententiæ subscribit etiam Innocentius Papa Tertius, dum de sancta Cruce loquens asserit, hanc esse vitæ lignum in Paradisi medio; & de qua Auctor libri Sapientiæ dixit: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia. Hoc est lignum vitæ, inquit, in medio Paradisi; de quo Sapiens protestatur: Benedictum lignum per quod fit iustitia; quoniam regnauit à ligno Deus.*

In Ioan. lib.8.c.17. — Mysteriorum Missæ, lib.2.c.17. — Sap.14.

Theodoretus quoque rationem explicans, cur altera ex duabus illis celeberrimis arboribus, quæ erant in Paradiso, lignum vitæ, altera verò boni & mali
B scientiæ lignum appellaretur; apertè innuit arborem vitæ, sanctæ Crucis figuram & significationem extitisse, propter salutem & vitam quæ ex illa processit: *Quemadmodum enim lignum Crucis*, inquit, *salutare dicitur, propter salutem nascentem ex fide, quæ de eo est: sic & ista ligna sunt quidem plantæ è terra natæ, sed propter diuinam sententiam, alterum ex his lignum vitæ nominatum est, alterum verò, quia per ipsum sentiri cœpit peccatum, appellatum est lignum cognitiuum boni & mali.* Hæc Theodoretus.

Quæst. in Genes.26.

Sanctus verò Episcopus Moses Bar-cepha libro Commentariorum suorum de Paradiso, post varias proditas rationes, cur vitæ arbor sic appellata fuisset, hoc demum adiecit: *Alij*, inquit, *Crucem Christi putant arborem vitæ dici, quia ex ea promanant omnia bona spiritualia, abolito peccato atque execratione.* Et sanctus Anastasius Synaita Patriarcha Antiochenus apertè ostendit, sanctam Christi Crucem vitæ lignum appellatam, asserens, hominem, corporis sui imaginem ad
C Crucis formam effictam habentem (vtpote qui ad Christi Crucifixi imaginem formatus est) quattuor Crucis cornua præfigurasse, quæ vitæ quoque lignum dicitur. Et Cosmas Ierosolymitanus in pio quodam Hymno, quem in sanctæ Crucis Exaltationis die composuit, deuotionis feruore inflammatus, ad beatissimam Virginem sermonem suum conuertens, ait: *Mysticus es, ô Deipara, Paradisus, illaboratè germinans Christum, à quo Crucis vitæfera in terra plantata est arbor, per quem nunc eleuatum adorantes ipsum, te magnificamus.* Et hæc quidem circa arborem vitæ breuiter dixisse sufficiat.

De Paradiso, part.2. cap.6. — S. Anastas. Synaita Anagogic. contempl. lib.5. — Cosmas Ierosol. in Theogniã Hymno12.

Secunda sanctæ Crucis figura, sanguinisque pretiosissimi quem in eá Christus Dominus noster profudit, quæ ex sacro Genesis textu educitur, fluuius ille fuit, qui è loco voluptatis & deliciarum profluebat ad terrestrem Paradisum irrigandum; qui in quattuor posteà diuidebatur capita. De quo flumine in sacro eodem Libro, iuxta vulgatam editionem nostram, hoc litteris commendatum
D est: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde in quattuor capita diuiditur.* Fluuius ille à loco voluptatis egressus, iuxta sacrorum Doctorum sententiam Christus Dominus noster fuit, qui ab æterni Patris sinu exiens, è cælo ad terras descendit, vt terrestrem Paradisum, id est mundum, benedictionis redemptionisque & doctrinæ suæ gratia irrigaret. Cuius sanguis pretiosissimus in quattuor Crucis capita siue cornua, quasi aqua affluentissimè effusus est; ita vt inde, quasi è quattuor fluminibus erumpens, vniuersi terrarum orbis partes, Orientem, Occidentem, Septemtrionem, atque Meridiem, efficacissima sua virtute irrigauerit. Ita sanè, vt terra nostra, quæ olim diuinæ maledictioni subiacens sterilissima erat, nihilque aliud, propter peccata, quàm spinas & tribulos germinabat, nunc per Christi sanguinem Deo reconciliata, atque

Fluuius irrigans Paradisum, signat Christi sanguinē in Cruce effusum.

iterùm benedicta, diuina elargiente gratia, adeò fecunda effecta sit, vt bonorum operum copiosos ac Deo gratissimos fructus ferat. Quocircà hinc factum est, vt ad hoc ipsum alludendo, in vetustioribus Romanæ vrbis Basilicarum turribus, præsertim verò in ipsa sancti Ioannis Lateranensis, & sancti Clementis, aliisque pluribus, opere musiuo, diuersorum colorum lapillis compacta Crux ipsa conspiciatur; ex cuius infimo cornu quattuor erumpunt flumina, quę terrestrem Paradisum, id est mundum, copiosè atque fecundè irrigant. A

Fontem & fluuium hunc Christum, qui manifestus & patens mundo futurus erat, postquam exaltatus in Cruce pretiosum sanguinem suum largissimè profudit, cuius virtute hominum peccata diluta, idololatria profligata, dæmonesque deuicti fuère, innuere voluit Propheta, cùm dixit: *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatorum & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.* Super quibus verbis sanctus Gregorius Magnus inquit: *Fons quippe occultus est Vnigenitus Patris inuisibilis Deus. Fons verò patens est idem Deus incarnatus. Qui fons patens, rectè domus Dauid dicitur; quia ex Dauid genere, noster ad nos Redemptor processit.* B

Zachar. 13.

In Ezech. lib. 2. Homil. 20.

De eodem fonte Christo Regius Propheta tunc intellexit, cùm sermonem suum ad Deum dirigens, inquit: *Quoniam apud te est fons vitæ.* Super quo Scripturæ loco Theodoretus asserit, Dauidem sanctissimæ Trinitatis mysterium clarissimè nobis aperuisse, dum vnigenitum Dei Verbum vitæ fontem appellauit; qui apud Ieremiam hoc eodem nomine semetipsum nuncupauit, dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & abierunt, & effoderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere aquas non valent.* Christum Dominum nostrum fontem esse, etiam sanctus Ioannes Chrysostomus affirmat his verbis: *Christus enim fons est misericordiæ, sua fluenta semper humano generi profundens.* Hæc ille. Verùm sanctus Hieronymus Christum Dominum non fontem simpliciter esse tradit, sed fontem à quo flumina largissimè profluunt: *Flumina ipsa*, inquit, *de fonte Christi currunt. Ille fons est, nos flumina sumus, si tamen meremur esse flumina. Christus fons est, Sancti flumina sunt. Qui autem inferiores sunt, riuuli sunt, alij verò torrentes sunt. Qui sunt torrentes? Qui ad horam habent aquas, & tentatione veniente siccantur.* C

In Psal. 35.

In Genes. cap. 8. Homil. 26.

In Psal. 97.

Sanctus autem Ambrosius sacrum textum Genesis iuxta mysticum sensum exponens, vbi de terrestri Paradiso agitur, sic tradit: *Est ergo Paradisus terra quædam fertilis, hoc est, anima fecunda in Eden plantata, hoc est, in voluptate quadam vel exercitata terra, in qua animæ sit delectatio. Erat fons, qui irrigaret Paradisum. Quis fons, nisi Dominus Iesus Christus, fons vitæ æternæ sicut & Pater? Quia scriptum est: Quoniam apud te est fons vitæ. Et flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hic fons irrigat Paradisum, hoc est virtutes animæ eminentissimo merito pullulantis. Sed quemadmodum fons dicitur Sapientia Dei (fons enim est, secundùm Euangelium dicens, Si quis sitit, veniat ad me & bibat) sicut fons vitæ est sapientia, fons gratiæ spiritualis; ita fons virtutum est ceterarum, quæ nos ad æternæ cursum dirigunt vitæ. Ex hac igitur anima quæ culta est, non ex ea quæ inculta, fons iste procedit, vt irriget Paradisum, hoc est, quædam diuersarum fruteta virtutum, quarum sunt quattuor initia, in quæ sapientia ista diuiditur. Quæ sunt quattuor initia virtutum, nisi vnum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum iustitiæ?* D

De Paradiso ex Genesi, cap. 3.

Ioan. 7.

Fons nobis Christus est, inquit sanctus Bernardus, in quo sordes nostras diluere possumus, sicut scriptum est: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et ab hoc fonte diuinissimo quattuor flumina scatent; flumen nimirum misericordiæ, flumen sapientiæ, flumen gratiæ, & flumen charitatis.

In die Natalis Domini, Ser. 1

A A misericordiæ flumine, subdit idem, habemus aquam remissionis ad diluendas culpas: à fonte sapientiæ, ad extinguendam sitim nostram, habemus aquas discretionis: habemus è fonte gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas deuotionis. Quæramus nunc ad decoquendos cibos calidas atque ferventes aquas zeli & æmulationis: quandoquidem hæ sunt, quæ condiunt & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte charitatis. Vnde Propheta: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Psalm. 38.

Idem verò Sanctus, prophetiam illam Isaiæ explicans: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, inquit: *Pro Paradiso quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Saluator. Sicut ergo de vno fonte Paradisi deriuantur quattuor flumina ad irrigandum Paradisum, ita de pectoris eius arcano procedunt quattuor fontes, ex quibus hauriuntur quattuor aquarum genera, vnde tota per vniuersum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quattuor fontes: Veritas, Sapientia, Virtus, & Charitas. Ex his ergo* Isaiæ 12. In paruis Sermonibus, Ser. 66

B *fontibus hauriuntur aquæ: ex singulis scilicet singulæ. Nam de fonte veritatis sumuntur aquæ iudiciorum: de fonte sapientiæ, aquæ consiliorum: de fonte virtutis, aquæ præsidiorum: de fonte charitatis, aquæ desideriorum. In aquis iudiciorum cognoscimus quid liceat vel quid non liceat. In aquis consiliorum discernimus quid expediat vel quid non expediat.* Et post pauca subdit: *Quid prodest nosse quid liceat & expediat (quod vtique docent iudicia atque consilia) si posse perfici minimè contingat? Ideò post aquas iudiciorum & consiliorum, quærendæ sunt aquæ præsidiorum. Rursum & posse quid valet, si horum omnium non sit finis charitas? Rectè itaque post iudicia, post consilia, post præsidia, hauriuntur de fonte charitatis desideria, vt videlicet, quidquid sapimus aut loquimur, quidquid operamur aut patimur, æternæ vitæ finis concludat.* Hæc ille. *Quatuor capita fluminis Paradisi mysticè explicata.*

At diuus Ioannes Chrysostomus huic metaphoræ nostræ adhærescens, fluuium scilicet, terrestrem Paradisum irrigantem, qui in quattuor diuidebatur capita, sacratissimum Christi sanguinem in Cruce profusum significasse, (qui

C Paradisum, id est animam irrigat, virtutumque & bonorum operum eam fecundam reddit) ad populum Antiochenum de sanctissimo altaris Sacramento sermonem habens, de eodem pretiosissimo sanguine, sic inquit: *Hic sanguis floridam nobis reddit Regiam imaginem. Hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non permittit, eam irrigans iugiter & nutriens. Nam ex cibis quidem sanguis in nobis nascens, non statim hoc efficitur, sed aliud quiddam: huic autem non ita, sed statim animum irrigat, & magnam inducit quamdam virtutem. Hic mysticus sanguis, dæmones quidem expellit & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vbi namque Dominicum viderint sanguinem, dæmones quidem fugiunt, concurrunt autem Angeli. Hic sanguis effusus omnem terrarum ambitum abluit. Hic sanguis adyta mundauit, & sancta sanctorum. Si verò figura ipsius tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in Ægypti medio, superliminaribus inunctis; multò magis veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificauit: sine hoc Pontifex adyta non audebat* Homil. 61. ad populũ Antiochenum.

D *intrare. Hic sanguis Sacerdotes creabat, hic in figuris peccata purgabat. Si verò tantam habebat vim in figuris, si mors vmbram perhorrebat; quomodo veritatem ipsam quæso non timuerit? Hic est salus animarum nostrarum; hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic sanguis effusus est, & cælum fecit accessibile. Ascendebat ex Paradiso fons, fluuios emittens sensibiles. Ex hac mensa fons ascendit, spirituales emittens fluuios. Apud hunc fontem plantæ; non infructuosæ salices, sed arbores ad ipsum cælum peruenientes, fructum semper habentes maturum & immarcescibilem. Si quis æstuat, ad hunc veniat fontem & æstum refrigeret. Nam siccitates resoluit, & cuncta refouet inflammata, non à sole, sed iaculis ignitis: supernè enim principium habet, & inde radicem, vnde & deriuatur. Hic sanguis antea semper præfigurabatur in sacrificiis, & in iustorum cædibus.*

Hic

Hic terrarum orbis est pretium, hoc Christus emit Ecclesiam, hoc eam omnem adornauit. A
Hæc omnia os illud aureum.

Hic est sanguis ille, qui publicæ vtilitatis ergò, & in redemptionis nostræ pretium in Cruce effusus, non demortui Domini nostri corporis tantùm in sepulchro à corruptione præseruandi virtutem obtinuit, verùm etiam pro ipso, & pro nobis omnibus resurrectionem de iure promeruit, & consecutus est. Quod quidem Regius Propheta, Spiritu sancto sibi reuelante, præuiderat; cùm in Psalm.29. ipsius Domini nostri persona prælocutus ait: *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* id est, quem fructum sanguis meus in Cruce profusus hominibus attulisset, si humana caro mea, quam pro æterna vita aliis elargienda iam assumpseram, morte interueniente, in sepulchrum descendens, corrupta atque in putredinem resoluta fuisset; & nisi die tertia à mortuis resurrexissem? Quasi diceret, Profectò nullam. Nam si ego non resurrexissem, nemo prorsus ad æternam quoque vitam proculdubiò resurgeret. B

At mi Domine ego planè scio, firmiterque credo, te pro inæstimabili vtilitate summoque beneficio nostro pretiosum sanguinem tuum profudisse, te mortem pro nobis truculentissimam sustinuisse, & pro nobis resurrexisse: te inquam moriendo mortem nostram destruxisse, resurgendoque vitam nostram instaurasse. Quamobrem pro eiusdem sacratissimi sanguinis tui infinita meritorum magnitudine, cuius virtute omnes infallibiliter resurgemus, te humiliter deprecor, vt resurgendo gratia tua donante, sic resurgamus, vt tecum per æterna sæcula viuere mereamur; ac post mortalis vitæ huius laboriosas ac lacrymosas ærumnas, in æternis gaudiis tuis benignè suscepti, cum eodem sancto Propheta, & cum omnibus electis tuis hilariter concinentes, dicere possimus: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: vt tibi cantet, & te laudet gloria mea, id est anima mea; ab omni compunctione & conscientiæ stimulo deinceps & in sempiternum C æuum libera. Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi, laudesque excelsæ maiestatis tuæ decantabo in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT II.

De baculo, quo iustus Abel ab impio & crudeli fratre Cain occisus est: & de ligno, ex quo Arca Noë constructa fuit.

TERTIA sanctæ Crucis Christi figura, quæ ex sacro Genesis textu elicitur, fuit baculus ille, quo iustus Abel ab impio fratre suo Cain crudeliter occisus est. Cuius scelestissimi fratricidij in eodem sacro textu his verbis ad Genes.4. posteros commendata est memoria: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cùmque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, &* D *interfecit eum.* Verùm quia ibi non exprimitur modus, neque instrumentum quo Abel interfectus fuit, hinc variæ atque diuersæ circa id sacrorum Doctorum insurrexerunt opiniones. Quidam namque eorum volunt, quòd ligno, alij ferro, alij verò quòd propriis manibus guttura elidens, impius ac pessimus ille eumdem virum iustum interemerit. Et inter ceteros sanctus Ioannes Chrysostomus opinionem hanc se imbibisse ostendit, innocentem illum videlicet cultro siue gladio interfectum fuisse. Sic enim crudelissimum fratricidium illud detestatus, inquit: *Horrendum facinus, periculosi ausus, abominabile opus, incondonabile peccatum, efferatæ animæ sententia: Surrexit, inquit, contra Abel fratrem suum, & occidit illum. O abominabilem manum! ò dexteram miserabilem! Imò non manum oportet vocare*

Variæ sententiæ veterum de instrumẽto necis Abel. In Gen.4.

A *vocare abominabilem & miserabilem; sed mentem, cui membrum seruit. Dicamus ergo sic: O audacem mentem & abominabilem, & miserabilem! & quidquid dici potest, non satis dicetur. Quomodo non obtorpuit manus? Quomodo potuit tenere gladium, & infligere plagam?* Hæc Chrysostomus. Sanctus quoque Isidorus Hispalensis eamdem opinionem se tenuisse ostendit. Sic enim ille de vita & morte Sanctorum scribit: *Abel filius Adam, & pastor ouium, in vita innocens, in morte patiens, post mortem non silens: in martyrio primus, in obedientia summus, in sacrificiis Deo placens, in meritis fratri displicens: quem Cain impius, & fratricida nouus, ira stimulante, inuidiæ innocuum, ferro mundum, sanguine immaculatum prostrauit; cùm adhuc innocens ferrum, cruoris humani facinus non haberet.*

Fortissimus verò Christi Martyr & Pontifex Cyprianus eius sententiæ fuit, innocentem nimirum Abel, à crudeli fratre Cain non ferro sed propriis manibus strangulatum occubuisse. Ita enim de eodem memorabili atque horribili B facinore, poëticè cecinit:

Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arua; Carmine in Gen.
Atque vbi deprensum deserto in gramine vidit,
Elidit geminis frangens pia guttura palmis.

Sed veritati longè magis consentaneum esse videtur, Cain baculo potiùs quàm ense, vel cultro, aut strangulatione fratrem interemisse. In eo namque rerum principio, enses & cultros vsui adhuc sese non ingessisse crediderim: manibus verò guttura ei fregisse, difficile admodum videtur; Abel enim non adeò puerulus esse debebat, vt quoquomodo seipsum defendere nequisset, præsertim verò Scriptura attestante, eum pastorem ouium fuisse. Verùm quouis modo Abel occisus fuerit; constat mortem eius, Christi Domini nostri passionis & Crucis indubitatam figuram extitisse. Quocircà in Silua Allegoriarum dicitur: *Est autem Abel manifesta Christi figura, eiusque passionis. Nam cùm est frater Cain, Christus est* C *frater Iudæorum, ex quorum est genere natus: vt ille iustus, ita Christus iustissimus, omnisque auctor iustitiæ. Ille pastor ouium Christus de se ait: Ego sum Pastor bonus. Illius* Ioan. 10. *munera grata fuère Deo; Christus suo munere genus humanum Deo reconciliauit. Ille obtulit oues; Christus seipsum, qui tamquam ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit. Ille per inuidiam occisus est à fratre; Christus per inuidiam à fratre suo populo Iudæorum, qui dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Ille occisus est in agro; Christus extra portam passus est, in monte Caluario. Et quemadmodum Abel plurimam aut vberiorem hostiam obtulisse dicitur quàm Cain,* Rom. 11. *vt ait Paulus; ita Christus vnica sui oblatione vberiorem hostiam obtulit, quàm fuerint omnia veteris Legis sacrificia, quæ simul omnia iustificationem afferre non valuerunt.*

Probabilissimum, Abel ligno à fratre trucidatum.

Abel typus Christi; Cain Iudæorum.

Quòd Abelis mors Saluatoris nostri Iesu Christi passionem, Crucem, & mortem præfigurauerit, omnes ferè sacri Doctores testantur: quamobrem sanctus Gregorius magnus inter ceteros inquit: *Nam Abel Redemptoris nostri passio-* Moral. libro 29. capite 16. D *nem significans, agnum in sacrificio obtulit; de cuius passione Isaias ait: Sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum.* & sanctus Isidorus adiecit: *Abel* Allegor. ex Genesi 4. *pastor ouium Christi tenuit typum, qui erat venturus pastor, ponens animam suam pro ouibus suis, venturus rector fidelium populorum.* Quod verò ad Cain attinet, ipsum videlicet Hebraici populi typum & figuram extitisse, iam pridem sanctus Ambrosius scriptis suis commendauerat, inquiens: *Per Cain parricidialis populus intel-* De Abel & Cain, lib. 1. cap. 2. *ligitur Iudæorum, qui Domini & auctoris sui, & secundùm Mariæ Virginis partum fratris, vt ita dicam, sanguinem persecutus est.* Hæc ille. Quin sanctus Augustinus vtrumque etiam affirmauit, nimirum Abel qui à Cain occisus est, Christi à Iudæis interfecti typum præ se tulisse; Cain verò qui illum interemit, Iudæos qui Dominum crucifixerunt, præfigurasse: *Cain*, inquit, *inualescente inuidiæ vitio,*

De ciuitate Dei, lib. 15. cap. 17. *fratrem insidiatus occidit: Cain autem significauit etiam Iudæos, à quibus Christus occisus est, pastor ouium hominum, quem pastor ouium pecorum præfigurauit Abel.* A

Cōtra Faustum Manich. lib. 12 cap. 9. 10. & 11. Et alibi idem Augustinus eidem figuræ insistens, *Occiditur*, inquit, *Abel minor natu à fratre maiore natu. Occiditur Christus caput populi minoris natu, à populo Iudæorum maiore natu. Ille in campo, iste in Caluariæ loco. Interrogat Deus Cain, non tamquam ignarus, eum à quo discat, sed tamquam Iudex reum quem puniat, vbi sit frater eius Respondit ille nescire se, nec eius esse custodem. Vsque adhuc quid nobis respondent Iudæi, cùm eos Dei voce, hoc est, sanctarum Scripturarum voce interrogamus de Christo, nisi nescire se Christum quem dicimus? Fallax enim Cain ignoratio, Iudæorum est falsa negatio. Essent autem quodammodò Christi custodes, si Christianam fidem accipere, & custodire voluissent. Nam qui custodit in corde suo Christum, non dicit quod Cain: Numquid ego custos sum fratris mei? Dicit Deus ad Cain: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Sic arguit in Scripturis sanctis vox diuina Iudæos. Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cùm eo accepto, ab omnibus gentibus respondetur Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. Dicit Deus ad Cain: Et nunc maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua, quoniam operaberis terram, & non adiiciet virtutem suam dare tibi: gemens & tremens eris in terra. Non dixit, maledicta terra, sed, maledictus tu à terra, quæ aperuit os suum accipere sanguinem fratris tui de manu tua. Maledictus est enim populus Iudaicus infidelis à terra, id est, ab Ecclesia, quæ aperuit os suum confessione peccatorum, accipere sanguinem Christi, qui fusus est in remissionem peccatorum, de manu persecutoris, nolentis esse sub gratia, sed sub lege, vt esset ab Ecclesia maledictus, id est, vt eum intelligeret & ostenderet Ecclesia maledictum, dicente Apostolo: Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis.* Hæc Augustinus. B

Galat. 3.

Hebr. 12. Paulus Apostolus ad Hebræos scribens, & ad verba illa alludens quæ Deus Caino dixit: *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra*; asserit *Christi sanguinem multo meliùs clamare, quàm sanguinem Abel.* Quibus verbis innuere voluit, sanguinem Abel interempti Deo clamasse, vindictam contra fratricidam efflagitantem; sed Christi sanguinem Deo Patri assiduè clamare, pro nobis orantem. Ad quod sanctus Ambrosius apposité: *Beatus Paulus dicit, sanguinem Christi meliùs clamasse pro nobis, quàm sanguinem Abel, qui ad accusandum fraternum scelus, de terra clamauit. Christi enim sanguis ad interpellandum pro nobis de terra clamat ad Patrem.* Isidorus autem clariùs verba supradicta Apostoli pariter exponens, inquit: *Abel adhuc mortuus loquebatur; sed Christi vox maiorem maiestatem, maioremque gloriam obtinet. Sanguis Abel prætereà è terra contra homicidam clamabat; sed Christi sanguis Patri pro nobis verba pacis & salutis loquitur.* C

In Epist. ad Hebr. capite 6.

In Epist. ad Hebr. c. 12

Quarta Crucis Domini nostri Iesu Christi figura, quæ sacro Genesis libro continetur, fuit Arca Noë, de qua Iustinus Martyr in Dialogo siue disputatione sua cum Tryphone Iudæo, sic ait: *Christus cùm primogenitus esset omnis creaturæ, & primogenitus ex mortuis, primitiæque dormientium, principium rursus alterius generationis fuit, regenerati ab ipso per aquam & fidem, & lignum, quod mysterium Crucis obtinet. Quomodo & Noë in ligno seruatus est vnà cum suis super aquis inuectus. Cùm ergo prophetia dicit: In Noë seruaui te: ad populum itidem fidelem & signa hæc habentem loquitur. Nam virgam in manibus quoque tenens Moses, per mare populum vestrum duxit. Vos autem opinamini ad genus tantummodò vestrum aut terram locutum esse. Omnem enim terram Sanctæ litteræ testantur diluuio contectam fuisse, & aquam supra montes omnes quindecim cubitos extitisse. Proinde apparet Deum non cum terra, sed populo sibi obedienti locutum esse. Cui etiam requiem præparauit in Ierusalem, prout per omnia diluuij symbola præmonstratum est. Dixi autem deinceps per aquam* D

Item Arca Noë typus Crucis Christi eiusque Ecclesiæ.

A *aquam & fidem, & lignum, eos qui se præparant, & pœnitentiam de peccatis agunt, effugituros esse futurum iudicium.* Hæc Iustinus. Quæ quidem omnia ille magnus Pater Alcimus Auitus his quoque carminibus breuiter innuit:

Effugiet tunc ille malum, quicumque paratus Lib. 4. de diluuio mundi.
Praeduri validam ædificarit tegminis arcam,
Per lignum vitale Crucis seruatus ab vndis.

Quòd Arca Noë fuerit figura probrosi olim, nunc verò adorandi Crucis ligni, in quo æterna & summa Dei incarnata sapientia Christus Dominus noster humanum genus à profundis atque letalibus aquis formidabilis diluuij (quod infernus est) mirabiliter seruare decreuerat; Spiritus sanctus per os Sapientis tunc etiam innuerat, cùm dixit: *Propter quem, cùm aqua deleret terram, sanauit iterùm sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans.* Sapiēt. 10.

Sanctus verò Ambrosius locis quamplurimis innuit, imò clarè ostendit, Arcam Noë Crucis Christi symbolum & figuram extitisse. Et primò quidem, vbi ait: *Prima disciplina pietatis, secundùm Euangelium, quia per Crucem & sanguinem credimus Christo; cuius Abraham diem vidit, & gauisus est; cuius Noë gratiam in typo Arcæ figuratam spirituali cognitione præsensit.* Et alio quodam loco idem sanctus Pater, siue potiùs Prosper Aquitanicus, affirmat Arcam Noë Ecclesiam sanctam significasse, lignum verò, quo eadem Arca constructa est, præfigurasse Crucem Domini; aquas verò diluuij sanctum Baptismum signasse, per quem iusti saluabuntur; inquiens: *In conseruatione autem Noë, filiorum eius, & nuruum, in quibus omnium gentium seminarium disponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata sint, sancta Scriptura manifestat; dum in illa mirandæ capacitatis Arca, vniuersi generis animalium quantum reparationi sat erat receptatrice, congregatura ad se omne hominum genus Ecclesia figuratur; dum per lignum & aquam, redemptio Crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur; dum in iis qui ex illa mundi vastatione saluati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur.*

In Lucæ cap. 3. — De vocatione Gentium, c. 4.

C Alibi verò ipsemet Ambrosius eamdem figuram apertiùs explicans, inquit: *Volens Deus reparare quod deerat, diluuium fecit, & iustum Noë in Arcam iussit ascendere. Qui iam decedente diluuio, coruum dimisit priùs, qui non reuertitur: dimisit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur reuertisse. Vides aquam? vides lignum? columbam aspicis, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo, qua caro mergitur, vt omne abluatur peccatum: sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suffixus est Dominus Iesus cùm pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in nouo Testamento, qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inspirat.* De his qui mysteriis initiantur, cap. 3.

Et vt summatim dicam, Arcam Noë Christi Crucis symbolum & figuram extitisse, omnes pænè sacri Doctores testantur. Quocircà Isidorus Hispalensis de eo sic tradit: *Quòd verò Noë per aquam & lignum liberatur; lignum quippe & aqua Crucem designant & Baptisma. Sicut enim ille cum suis per lignum & aquam* D *saluatur, sic familia Christi per Baptismum & Crucis passionem sanatur.* Hæc ille. Verùm Cyrillus Alexandrinus, imò potiùs Iodocus Clithoueus, breuiter asseruit Crucem Christi sanctam, Arcam esse Noë, qua ab inundantibus vitiorum & peccatorum aquis seruamur: *Hæc Crux,* inquit, *est Arca Noë, per quam saluamur à diluuio inundantis aquæ vitiorum.* Commēt. in Genes. de Arca siue Diluuio mundi.

At non ab Arca Noë tantùm euidentem Crucis figuram sancti Patres educunt, verùm etiam è numeris, è mensuris ac proportionibus, quibus Arca ipsa constructa fuit. Quamobrem Clemens Alexandrinus Origenis Præceptor inquit: *Geometriæ testimonium sit tabernaculum quod construitur, & Arca quæ fabricatur, quæ quibusdam proportionibus, quæ cum summa ratione procedunt, diuinis construuntur inuentionibus, per donum intelligentiæ; quæ à sensibilibus ad ea quæ perspiciuntur* Stromatū lib. 6. c. 4.

ciuntur intelligenda, vel potiùs ab iis ad sancta, & ad sancta sanctorum nos traducunt. A
Ligna enim quadrata significant quadratam figuram quoquouersus peruasisse, securitatem & stabilitatem efficientem rectis angulis. Sunt autem qui trecentos cubitos longitudinis Arcæ, dicunt esse symbolum signi Domini.

Verùm Origenes, quemadmodum doctrina Magistrum suum longè videtur superasse, sic à mensuris, quas Arca Noë in longitudine, in altitudine, in profunditate, & in latitudine habebat, euidentissimum Crucis symbolum & figuram ad Apostoli imitationem elicuit, alium tamen sensum verè altum ac diuinum eidem tribuens; sic enim tradit: *Apostolus in quodam loco, cùm de mysterio Crucis sacratiùs loqueretur, ita ait: Vt sciatis quæ sit longitudo, & latitudo, & altitudo, & profundum. Profundum autem & altitudo idem significant; nisi quòd altitudo spatium de inferioribus videtur ad superiora metiri; profundum verò de superioribus incipere, & ad inferiora descendere. Consequenter igitur Spiritus Dei, & per Moysem & per Paulum, ingentium sacramentorum figuras enuntiat. Nam Paulus quoniam de-* B *scensionis Christi mysterium prædicat, profundum nominauit, quasi de superioribus ad inferiora venientis: Moyses verò quia restitutionem designat eorum, qui per Christum de interitu & perditione sæculi, tamquam de nece diluuij, ex inferioribus ad superna & cælestia reuocantur, in mensura Arcæ non profundum memorat, sed altum, tamquam vbi de terrenis & humilibus ad cælestia & excelsa conscenditur.* Hæc Origenes.

In Genes. cap. 6. Homilia 2.

Quod Apostolo profundum Crucis, cur in Arcæ typo altum?

Diuus autem Augustinus non tantùm probat, Noë & familiæ eius ac animalium, quæ in Arca seruata sunt, incolumitatem, Ecclesiæ Dei symbolum & figuram extitisse, quæ per lignum, in quo Christus Dominus noster pependit, saluanda erat; verùm etiam mensuram ipsius Arcæ, humani corporis dimensioni æquiparat, in cuius forma atque substantia idem Dominus in mundum venit, inquiens: *Imperat Deus Noë, vt Arcam faciat, in qua cum suis, id est vxore, filiis, & nuribus, & cum animalibus, quæ ad illum ex Dei præcepto in Arcam ingressa sunt, liberarentur à diluuij vastitate. Proculdubiò figura est peregrinantis in hoc sæculo* C *ciuitatis Dei, hoc est Ecclesiæ, quæ fit salua per lignum, in quo pependit Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Nam & mensuræ ipsæ, longitudinis, altitudinis, latitudinisque eius, significant corpus humanum, in cuius veritate ad homines prænuntiatus est venturus, & venit. Humani quippe corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia, sexies tantum habet quàm latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus: & decies tantum quàm altitudo, cuius altitudinis mensura est in latere, à dorso ad ventrem: velut si iacentem hominem metiaris supinum seu pronum, sexies tantum longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextera in sinistram, vel à sinistra in dexteram, & decies quàm altus à terra. Vnde facta est Arca trecentorum in longitudine cubitorum, & quinquaginta in latitudine, & triginta in altitudine.* Hactenus Augustinus.

De ciuitate Dei, libro 15. capite 26.

Sanctus verò Ioannes Chrysostomus Arcam Noë non Crucis mysterij tantùm signatricem ostendit, verùm etiam ex numeris ac dimensionibus, quibus Arca ipsa constructa fuit, quædam alia prodit occulta & nobis proficua my- D steria, dicens: *Legimus in Genesi, quia illa Arca, quæ facta est à Noë, trecentorum cubitorum habuerit longitudinem, & quinquaginta latitudinis, & triginta in altum. Videte sacramenta numerorum. In quinquagenario numero pœnitentia demonstratur: siquidem quinquagesimo Psalmo David Rex egit pœnitentiam. In trecentis verò numeris Crucis mysterium demonstratur. Diximus de Arca, de quinquagenario, de trecentis numeris; dicamus de triginta, quoniam ipsa Arca habebat altitudinis triginta cubitos, & in vnum consummabatur. Videte: quid dicitur? Primùm agimus pœnitentiam in quinquaginta; deinde per pœnitentiam venimus ad Crucis mysterium: ad Crucis mysterium venimus per perfectum Verbum, qui Christus est.* Hæc ille.

In Marci Euangel. Homil. 14.

Vnde sanctus Isidorus de trecentis cubitis agens, quos Arca Noë habebat in longi-

A longitudine, hinc Crucis symbolum & figuram elicit ex forma litteræ T, quæ trecentorum numerum apud Græcos exprimit, asserens in his trecentis cubitis signum ligni Passionis ostendi posse, quandoquidem ipsius litteræ T numerus signum Crucis demonstrat: *Potest quidem in his trecentis cubitis*, inquit, *signum ligni Passionis ostendi: ipsius enim litteræ* T *numerus, Crucis demonstrat signum; per quod socij Christi passionis effecti per Baptismum, longitudinem vitæ æternæ percipimus.* Hæc Isidorus. Rupertus autem Abbas ex octo personarum numero, quæ vnà cum Noë in Arca seruatæ sunt, pulchrum planè mysterium prodit, inquiens: *Ipse octonarius numerus animarum, quæ in Arca saluantur, perfectionem designat corporis Ecclesiæ, quod pereunte mundo infidelium per aquæ iudicium, quo nunc fideles ab infidelibus separantur, fide sua se saluat, & in ligno Crucis supernatat.*

In Genes. De Arca.

De Diuinis officiis, lib. 8. c. 13.

Domine igitur Deus Redemptor noster, vnica spes nostra, & vera salus animarum nostrarum, mirificæ gratiæ tuæ dono concede, vt dum in Arca Ecclesiæ B sanctæ tuæ, infidi & periculosi huius sæculi maris minaces vndas percurrimus, nullus tentationis ventus, nulla vexationum tempestas, nullaque perturbationum procella à sanctæ Crucis tuæ arbore, quæ in huius felicissimæ nauis medio fixa est, euellendi aut semouendi nos vim obtineat: sed vt viua fide eidem semper firmiter adhærentes (gratia tua id nobis elargiente) tutum & desiderabilem cælestis patriæ portum tandem pertingere tuo præsidio valeamus; vbi tu cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per infinita sæcula sæculorũ. Amen.

CAPVT III.

De vite, quam plantauit Noë; & de Crucis signo, quod Deus Abrahamo designauit ac præmonstrauit, cùm ei iniunxit, vt terram in longitudine & latitudine sua perambularet.

C

QVINTA Crucis figura quam sacer Geneseos liber prodit, vitis illa fuit à Noë plantata, de qua ibidem ita scriptum est: *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam: bibensque inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo.* Circa quam figuram sanctus Cyprianus hæc planè notatu digna, ad vtilitatem nostram, & ad posterorum memoriam litteris commendauit: *Inuenimus enim*, inquit, *& in Genesi, circa sacramentum Noë hoc idem præcurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse; quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd fuit recumbens nudus & patentibus femoribus: quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est, & foras nuntiata; à duobus verò, maiore & minore, contecta; & cetera, quæ necesse non est exequi; cùm satis sit hoc solùm complecti, quod Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem Dominicæ passionis* D *expresserit.* Hæc ille.

Genes. 9.

Ad Cæcilium, de sacramento Dominici Calicis, epist. 63.

Verùm totum hoc mysterium fusiùs atque apertiùs sanctus Hieronymus posteà his verbis explicauit: *Post Diluuium mundi istius*, inquit, *bibit Noë, & inebriatus est in domo sua, & denudata sunt femora eius, & eius apparuit turpitudo. Et venit frater maior, & irrisit: frater autem minor texit. Hoc totum dicitur de Saluatore, quoniam dicebat in Cruce passionis: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Bibit & inebriatus est, & denudata sunt femora eius; & apparuit ignominia Crucis. Venit frater maior, populus Iudæorum, & irrisit, & minor populus de Gentibus texit ignominiam. Propterea maledictus Chanaam, seruus erit fratris sui. Ecce maledictio illa vsque hodie perseuerat. Nos minor populus imperamus maiori populo Iudæorum. Sicut ergo Dominus in passione inebriatus est; sic & Sancti in ardore fidei quotidie inebriantur Spiritu*

Noë ebrius ex vite, & propter nuditatem irrisus, typus est Christi in Cruce suspensi.

ritu

ritu sancto. Tu qui die hesterna aurum colligebas, hodie proijcis, nonne apud ignotos videris insanus? Denique & Apostoli, quando Spiritus sanctus descenderat super eos, & impleuerat eos, & loquebantur varijs linguis, propterea dicebantur musto pleni. A

Et alibi idem Hieronymus, siue quicumque alius auctor Commentariorum eorum in diui Marci Euangelium, quæ inter opera sua circumferuntur impressa, eamdem Noë figuram Christo Domino nostro adscripsit, dum nudus in Cruce pendebat, quando sol tenebris offusus est, quasi tunc cælum obscuro pallio suo nuditatem eius piè tegere conaretur; dumque super Crucis ligno sanguinem profunderet, tunc quasi ex vite Noë mustum proflueret; sic ait: *Facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram. Hîc adest Noë inebriatus ac nudatus, à cælo & terra pallio tenebroso tectus, & ab homine irrisus. Hîc stillauit sanguis de ligno.* Hæc ille.

In Marci Euang. cap. 15.

Et Venerabilis Beda inprimis omnes mysterij huius vitis & ebrietatis Noë particulas, fusiùs quàm ceteri omnes ac magis appositè, Cruci & passioni Domini Iesu Christi applicans, inquit: *Iam verò illud, quòd post Diluuium de vinea quam plantauit Noë, inebriatus est, & nudatus est in domo sua; cui non appareat Christi esse figuram? qui inebriatus est, dum passus est; nudatus est, dum crucifixus est; in domo sua, id est in gente sua, & in domesticis sanguinis sui, vtique Iudæis. Tunc enim nudata est mortalitas carnis eius, quando nuditatem, id est passionem Christi videns Cham, derisit. Et Iudæi Christi mortem videntes subsannauerunt. Sem verò & Japhet, tamquam duo populi ex circumcisione & præputio, credentes, cognita nuditate patris (qua significabatur passio Saluatoris) sumentes vestimentum posuerunt super dorsa sua, & intrantes auersi, operuerunt nuditatem patris; nec viderunt quòd verenda texerunt. Quodam enim modo passionem Christi velamento tegimus, id est, sacramento honoramus, eiusque mysterij rationem reddentes, Judæorum detractionem operimus. Vestimentum enim significat sacramentum, dorsa memoriam præteritorum; quia passionem transactam Christi celebrat Ecclesia, non adhuc prospectat futuram. Medius autem frater Cham, id est, impius populus Judæorum (ideò medius, quia nec primatum Apostolorum tenuit, nec vltimus in gentibus credidit) vidit nuditatem patris, quia consensit in nece Domini Saluatoris. Post hæc nuntiauit foras fratribus. Per eum quippe manifestatum est, quod erat in Prophetis secretum; ideoque fit seruus fratrum suorum. Quid est enim aliud hodie gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, baiulans Legem & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ; vt nos honoremus per sacramentum, quod nuntiant illi per litteram?* Hactenus Beda. B C

In Quæst. super Genesim.

Gens Iudæa baiulatrix Legis, & sic famula Christianitatis.

Verùm hæc pænè omnia, iam multo tempore ante illum sanctus Augustinus dixerat; quin etiam hæc insuper adiecerat: *Christus*, inquit, *ipse est ille Noë, qui plantauit vineam, de qua dicit Propheta: Vinea Domini Sabaoth domus Israel est: & bibit de vino eius. Siue ille calix hîc intelligatur de quo dicit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & ; Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Quo suam sine dubio significat passionem: siue, quia vinum fructus est vineæ, hoc potiùs illud significatum est, quòd ex ipsa vinea, hoc est, ex genere Israelitarum, carnem pro nobis & sanguinem, vt pati posset, assumpsit, & inebriatus est, id est, passus & nudatus. Ibi namque nudata est, id est, apparuit eius infirmitas, de qua dicit Apostolus: Etsi crucifixus est ex infirmitate. Vnde idem dicit: Infirmum Dei fortius est hominibus, & stultum Dei, sapientius est hominibus. Quod verò cùm dictum esset, Et nudatus est; addidit Scriptura, In domo sua; eleganter ostendit, quòd à suæ carnis gente, & domesticis sanguinis sui, vtique Iudæis, fuerat Crucem mortemque passurus. Hanc passionem Christi, foris in sono tantùm vocis reprobi annuntiant; non enim quod annuntiant intelligunt: probi autem in interiori homine habent tam grande mysterium, atque honorant intus corde infirmum & stultum Dei, quod fortius est & sapientius hominibus. Huius rei figura est, quòd Cham* D

De ciuitate Dei, librò 16. c. 2.

2. Cor. 13.

1. Cor. 1.

A *Cham exiens nuntiauit foris: Sem verò & Iaphet, vt hoc velarent, id est, honorarent, ingressi sunt; hoc est, interiùs egerunt.* Hactenus Augustinus.

Rupertus quoque Abbas non minùs doctè quàm ornatè figuram hanc explicauit hoc modo: *Noë (quod interpretatur requies) scilicet Dominus noster, cuius dum iugum super nos tollimus, requiem animabus nostris inuenimus: plantauit vineam; videlicet illam, quam de Ægypto transtulit, gentem Iudaicam; bibensque ab ea vinum nimis amarum, imò acetum cum felle mistum, nudatus est in tabernaculo suo: scilicet in similitudinem hominum factus, verè passibilis, & habitu & veritate mortis inuentus vt homo. Quam eius infirmitatem despicit Cham (quod interpretatur callidior) id est contentiosus & impatiens, promptusque ad rixam hæreticus; & quem passionis infirmitate hominem verum intelligit, dedignatur verum Deum confiteri. Propter quod, sicut Cham in filio suo Chanaam, sic & iste in posteritate, id est, in anima sua maledicitur. At verò Catholici viri, qui per Sem & Iaphet figurati sunt, eamdem patris infirmitatem di-* In Ioan. Euang. cap. 2.

B *gnis sacramentis venerantur, scientes quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmius est Dei, fortius est hominibus: & idcircò in regno Patris inclyti fiunt, & æternis mãsionibus dilatantur. Sem enim inclytus, & Iaphet dilatatus interpretatur. Et quidem illi omnes, scilicet hæretici, cum istis in eadem Arca Ecclesiæ Baptismi aqua supernatauerunt, sed abalienati sunt retrorsum, & à nobis exierunt, sed non erat ex nobis.*

Sexta sanctæ Crucis Christi figura, quæ in sacro Genesis libro apertè & clarè admodum sese nobis prodit, illa est, quam Deus optimus maximus Abrahamo figurauit, atque descripsit, altissimis planè ac mysteriis refertissimis verbis; innuens hoc sacrosancto signo, atque admirabili instrumento, humanum genus saluare decreuisse: Leua, inquit, *oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad* Genes. 13. *Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & Occidentem; omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum, faciamque semen tuum sicut puluerem terræ. Si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum nume-*

C *rare poterit. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Quibus verbis Deus optimus maximus, non quattuor Crucis extremitates tantùm Abrahamo designauit, cùm ei dixit, vt oculos eleuans versus Aquilonem, & Meridiem, & Orientem Occidentemque prospiceret; sed voluit quòd ipsemet suis propriis gressibus formaret, suisque pedibus ipsis Crucis signum & imaginem delinearet atque imprimeret; dum ei iniunxit, vt terram perambulans, in longitudine ac latitudine sua metiretur; eamdem ei se & semini suo in sempiternum daturum, & semen eius sicut puluerem terræ multiplicaturum, pollicitus. Quibus profectò sermonibus, velut pictura quadam delineauit Deus, & ante oculos ipsius Abrahami & cuiuscumque qui verba hęc diligenter expenderit, sanctę Crucis figuram atque imaginem posuit. Arbitrandum enim nobis est, Abrahamum cùm hanc Diuinæ Maiestatis sponsionem accepit, in loco quopiam eminenti ac spatioso

Typus Crucis in quattuor mũdi partibus Abrahæ designatus.

D cõstitisse, vnde totum Horizontem, quasi integrum circulum vndequaq; prospicere poterat. Dum verò ei Deus pręcepit vt surgeret, & à Septemtrione ad Meridiem pergeret, terramque in longitudine sua metiretur; proculdubiò rectam Crucis trabem ei designauit: rursusque dum eidem iniunxit, vt ab Oriente in Occidentem proficisceretur, transuersale eiusdem Crucis lignum ei innuere voluit, formans quodammodò atque delineans ipsi Abrahamo sanctæ Crucis imaginem, huic ferè similem.



Verùm enimuerò, quia veritate ipsa comprobatum non est, Deum vniuersæ terræ dominium Abrahamo eiusque secundùm carnem posteritati dedisse; cùm palàm sit, Regum Israelis ex semine eius descendentium dominium vltra Iudææ ac Palæstinæ confinia non extitisse; propterea clarissimum est, id numquam adimpletum fuisse, nisi cùm Christus in gloriosæ ac beatissimæ Virginis vtero incarnatus est. Tunc enim verè dici potest Abrahami semen (ex quo Virgo sacratissima descendebat) dominium suum ab Oriente in Occidentem, & à Meridie in Aquilonem extendisse: non ex eo tantùm, quòd æternum Verbum incarnatum, Rex cæli & terræ, ex progenie illa secundùm carnem descendere voluit; verùm quia per Crucem, passionem, & mortem suam, ab ipsa tyrannide ac durissima dæmonis seruitute mundum liberans, electos suos sub iurisdictionis suę, ęternique & felicissimi dominij sui suaui iugo, à quattuor Orbis terrarum extremis partibus, ad fidei vnitatem redegit & congregauit, cæliq̀ue heredes demum constituit. Sicque intelligendum est, quod diuinus Psaltes inquit: *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ*; & quæ sequuntur. Quod in Salomone, cui Psalmus ille titulo directus est, numquam adimpletum fuit; benè autem in Christo mystico Salomone, ac vero Rege pacifico. Quod optimè Augustinus in eiusdem Psalmi proœmio animaduertit, dum ait: *In Salomonem quidem Psalmi huius titulus prænotatur: sed hæc in eo dicuntur, quæ non possunt illi Salomoni Regi Israel secundùm carnem, iuxta ea quæ de illo sancta Scriptura loquitur, conuenire; Domino autem Christo aptißimè possunt. Vnde intelligitur etiam ipsum vocabulum Salomonis ad figuratam significationem adhibitum, vt in eo Christus accipiatur. Salomon quippe interpretatur pacificus: ac per hoc, tale vocabulum illi verissimè atque optimè congruit, per quem Mediatorem, ex inimicis, accepta remißione peccatorum, reconciliamur Deo. Etenim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius. Idem ipse est ille pacificus, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, Legem mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in se vnum nouum hominem, faciens pacem: & veniens euangelizauit pacem his qui longè, & pacem his qui propè. Ipse in Euangelio dicit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Psalm. 71. — In Psal. 71. — *Promissum Abrahæ non in Salomone, sed in Christo demũ impletum.* — Ioan. 14.

Quòd autem per longitudinem & latitudinem, in Scripturis sacris Crux sancta intelligi consueuerit, altissimis verbis innuerat Apostolus, cùm totus desiderio exardesceret, vt Ephesij sanctæ Crucis admirabile mysterium cognoscerent, inquiens: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur; vt dèt vobis secundùm diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritũ eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Super quibus verbis sanctus Augustinus ait: *His enim Apostoli verbis Crux quodammodò nobis ante oculos constituta est. Habet enim latitudinem, in qua manus figuntur: habet longitudinem, quòd inde vsque ad terram ducitur lignum: habet & altitudinem, quòd ab ipso transuerso, in quo figuntur manus, excedit aliquantum, vbi caput crucifixi ponitur: habet & profundum, hoc est, quod in terra figitur & nõ videtur.*

Ad Ephes. cap. 3. — De verbis Apostoli, Serm. 7. cap. 3.

Deinde declarans, quid longitudo ista, quid latitudo, quid altitudo, & quid profunditas hæc iuxta mysticum sensum significet, alibi adiecit: *Latitudo*, inquit, *est in bonis operibus; longitudo in longanimitate & perseuerantia bonorum operum: altitudo in supernorum expectatione præmiorum. Propter quam altitudinem tibi dicitur vt sursum cor habeas. Benè operare, & in bonis operibus perseuera; propter beneficia Dei, terrena pro nihilo existimes: faciendo enim bona opera, quasi habuisti longitudinem; sed terrena conquirendo, non habuisti altitudinem. Adde profundum: gratia Dei*

In festo omnium Sanctorũ, Serm. 14.

A *Dei est in occulto voluntatis eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Et iudicia Dei abyssus multa.*

Tu igitur Domine Redemptor noster, cuius altissima iustitia, sicut montes Dei, impiis est incomprehensibilis; & cuius profundissima iudicia abyssus multa sunt (quorumdam enim misereris, quosdam autem permittendo sinis vt errorum ac peccatorum suorum tenebris immergantur) illumina corda nostra, multiplica super nos misericordiam tuam, & gratiæ tuæ dono nobis concede, vt in humanæ huius peregrinationis itinere, per quattuor sanctæ Crucis semitas, recto semper tramite ambulantes, in bonorum operum latitudine, in perseuerantiæ longitudine, in spei altitudine, & in humilitatis profunditate, sic exerceamus nos, vt à misericordiæ tuæ dextera deducti, ad te fontem vitæ, & omnium bonorum originem demum peruenire valeamus; ibique in beatæ æternitatis tuæ iucunditate, & in perenni tuo cælorum regno, adoremus, laudemus ac
B magnificemus te, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT IV.

De Abrahami expeditione, qui trecentis decem & octo vernaculis suis ad arma excitatis, quattuor illos Reges, qui Sodomorum & Gomorrhæorum vrbes diripuerant, aggressus debellauit; nepotemq; suum Lot in libertatem vindicauit. Et de vitulo, quem idem Abraham sub quercu, in valle Mambre, tribus his viris qui ei apparuerant, comedendum apposuit.

SEPTIMA sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura, quæ in sacro Gene-
C sis textu nobis innuitur, expeditio siue bellicum illud facinus Abrahæ fuit, qui cùm accepisset Lot nepotem suum captum, & vnà cum vxoribus ac filiis, vniuersaque familia & substantia eius, captiuum abduci à quattuor Regibus illis, qui quinque alios Reges prælio deuicerant, Sodomitasque & Gomorrhæos depopulati fuerant; numeratis trecentis decem & octo vernaculis suis ad arma pertractanda idoneis, quatuor Reges illos insecutus, intempestaque nocte repentè adortus debellauit, & in fugam vertit, nepoteque suo Lot è vinculis & hostium manibus erepto, vniuersam familiam & substantiam eius recuperauit. Cuius notatu planè digni facinoris mentio his verbis in sacro eodem textu commendata est litteris: *Cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Choba, quæ est ad læuam Damasci: reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius; mulieres quoque & populum.* Cuius historiæ monu- Genes. 14.
D mentum sacri Doctores ad Crucis figuram atque mysterium pertrahentes accomodant: littera namque Græca T, quæ, vt superiùs diximus, Crucis est imago, apud ipsos trecentum signat; litteræ autem ἰῶτα & ἦτα numerum decem & octo; & IESVS nomen salutare inchoant. super quibus Clemens Alexandrinus inquit: *Cùm enim audisset Abraham abductum fuisse Lot captiuum, trecentis decem & octo vernaculis suis numeratis hostes aggressus, vicit maximum eorum numerum. Dicunt ergo Dominici quidem signi typum, quod ad figuram attinet, esse elementum quod significat trecentos: ἰῶτα autem & ἦτα significare nomen salutare. Significari ergo eos esse Abræ domesticos & coniunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum & nomen Domini confugerunt; & superasse eos, qui ipsos abducebant in captiuitatem, & plurimas gentes, quæ eos sequebantur.* Quæ verba Gentianus Heruetus eius Commenta-

Trecentorum decem & octo exercitus Abrahæ, quomodo typus Crucis.

Stromatũ lib. 6. c. 4. prope fin.

mentator clarè admodum exponit, dicens: T *littera Græca trecentos significat; cuius etiam figura Crucem, quæ est signum Domini, repræsentat: ἰῶτα autem & ἦτα, decem & octo significant, & nomen salutare, nempe Jesum Seruatorem nostrum. Hi ergo sunt Abræ domestici & ei coniuncti, qui ad salutem assequendam, ad signum Domini, nempe Crucem confugiunt, & salutare eius nomen. Hi eos superant, qui eos abducebant captiuos, nempe dæmones, quos etiam sequebatur magna multitudo infidelium.* Hæc ille. A

Sanctus autem Ambrosius diligenti animi speculatione perpendens sacratissimum mysterium, quod admirabili hoc Abrahami facinore includitur, de eodem sic tradit: *Quid est*, inquit, *numerauit? Hoc est, elegit. Unde illud non solùm ad scientiam Dei refertur, sed etiam ad gratiam iustorum, quod in Euangelio dixit Dominus Jesus: Et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Cognouit autem Dominus qui sunt ipsius: eos autem qui non sunt ipsius, non dignatur cognoscere. Numerauit autem trecentos decem & octo, vt scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim adsciuit, quos dignos numero fidelium iudicauit, qui in Domini nostri Iesu Christi passionem crederent. Trecentos enim* T *Græca littera significat. Decem & octo autem summam* ἰῶτα *&* ἦτα *exprimunt. Fidei ergo merito Abraham vicit, non populoso exercitu.* Hæc Ambrosius, qui paulò inferiùs in eodem tractatu adhuc de eodem Abrahami insigni facinore, & de ipsa hac sanctæ Crucis figura differens, & circa eamdem mysticis sensibus pia atque iucunda grauitate ludens, hæc adiecit: *Numerauit*, inquit, *Abraham trecentos decem & octo vernaculos suos, & percussit eos, & persecutus est vsque Chobal, quæ est ad dexteram Damasci. Hic numerus vitalis est. In ipso enim vita, si credamus in passione, in nomine Domini Iesu: nam hæc est nominis interpretatio huius, quod diximus Chobal, id est vita. Ipsa ad dexteram Damasci pulchrè esse dicitur. Agni enim ad dexteram, hœdi ad sinistram. Scit exercitata mens quos ad prœlium sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus ducat vexillis. Non aquilarum præfert imagines, nec dracones: sed in Cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prœlium: hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Alibi verò idem sanctus Pater, vt ostenderet Gratiano Imperatori, oportere Principes victoriarum spem in Deo, in fide, in religione, atque in Ducis excellentia & bonitate magis, quàm in militum numerositate & fortitudine collocare, scripto sic eum admonuit: *Nosti enim*, inquit, *fide magis Imperatoris, quàm virtute militum quæri solere victoriam. Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hostibus reportauit: signoque Dominicæ Crucis & nominis, quinque Regum victriciumque turmarum subacto robore, & vltus est proximum, & filium meruit, & triumphum.* Deinde verò de Arij hæresi agens, quæ in Nicæno Concilio trecentorum decem & octo Patrum sententia damnata fuit, sacratissimum Crucis mysterium, & IESV nomen quod numero prædicto secretiùs includitur, reuelat: eidemque Imperatori scribens ait: *Accepisti sancte Imperator, eos qui talia asserunt, iure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua: sed trecenti decem & octo, vt suprà dixi, Episcopi ad Concilium conuenerunt; vt in numero eorum, per signum suæ passionis & nominis, Dominus Iesus suo probaret se adesse Concilio, Crux in trecentis,* IESV *nomen in decem & octo est sacerdotibus.* Hactenus Ambrosius.

[Margin: De Abraham lib. 1. cap. 14. — B — De Abraham lib. 2. cap. 7. — C — In Prologo primi libri ad Gratianum. — *Itē hic numerus 318. sacer in Synodo Nicæna.* — De fide, ad Gratianum Imp. lib. 1. cap. 9. — D]

At sanctus Isidorus, pro huius sacræ historiæ huiusque mysteriis refertissimæ figuræ expositione, non minùs vtilem, quàm diuersum quemdam mysticum sensum afferens, inquit: *Deinde à quinque Regibus, qui Sodomis irruerant, captum Lot, Abraham liberat; habens secum in prœlio trecentos decem & octo vernaculos. Sed quid hæc victoria Abrahæ de quinque Regibus indicabat, quos ille fidei Pater in prœlio superauit; nisi quòd fides nostra, si confirmata sit in Spiritu principali, totidem corporis nostri sensus, verbo Dei subigit? Nam sicut ille de proximo in Regibus victor extitit: ita & fides nostra pro anima victrix, de exteriore homine triumphabit. Quod verò non*

[Margin: Comment. in Genes. cap. 10.]

A *non multitudine, nec virtute legionum, sed tantùm trecentis decem & octo comitibus aduersarios Principes debellauit, iam tunc in sacramento Crucis (cuius figura per* T *litteram Græcam in numero trecentorum exprimitur) imaginabatur! quòd nos Christi paßio liberaret à dominatu quinque carnalium sensuum, qui nos anteà vitiis captiuatos exsuperauerant.* Hæc omnia Isidorus vtiliter planè atque moraliter. Verùm animaduertendum est, non quinque, sed quattuor tantùm fuisse Reges, quos persecutus Abraham debellauit. Sic enim præcisè in sacro textu litteris commendatum est. Quamobrem ipsius textus veritati adhærens Clemens Alexandrinus, inquit: *Abraham itaque trecentos & octodecim suis famulis, quattuor Reges subegit, qui Lot captiuum abduxerant.* Pædagog. lib. 3. c. 2.

Rupertus autem Abbas sancti Ambrosij verba, quæ superiùs recensuimus, amplificans, de hac sanctæ Crucis figura itidem agens sic tradit: *Etenim quisquis vexillum Crucis erigit, & nomen Christi prædicat, sicque legitimè certans, fanaticum* In Genes. Comment. lib. 5. c. 15.
B *errorem, siue hæreticam barbariem expugnat, & exinde non quæ sua sunt quærit, sed quæ Iesu Christi, ipse quodammodò est Abram, qui cum trecentis octodecim vernaculis suis quattuor Reges deuicit, & eos qui spoliauerant, spoliauit, atque propinquum liberauit, & hoc facto, ab homine siue per hominem ditari noluit, dicens Regi Sodomorum: Quia à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. Siquidem numerus præscriptus totus sacer est; quo & sancta Nicæna Synodus, non humana industria, non compositione aliqua, sed diuina agente prouidentia, gauisa est: in qua vastator Christianitatis Arrius superatus & damnatus fuit. Huius siquidem numeri illic insigne splenduit, id est, trecenti octodecim conuocati adfuerunt Episcopi, qui numerus (vt prædictum est) totus sacer est. Nempe si Nicænis, id est Græcis, vti numerando velis elementis,* T *trecentos,* I *&* H *explicant decem & octo;* T *Crucem,* I *&* H *cum supra ducta linea, nomen* IESV *significant; & nota, quia hîc nomen* IESV *genitiuo casu, non nominatiuo effertur; & ideò hîc littera sigma non additur, sed cum* I H, *superposita li-*
C *nea scribitur, quibus numerus octodecim completur. Sanè* T *litteræ supertransuersa linea deest, quæ si adderetur, iam non Crucis species, sed ipsa Crux esset.*

Octaua sanctæ Crucis figura, quæ in sacro Genesis textu, sub mystico sensu continetur, arbor illa quercus est, sub qua in Valle Mambre quiescens Abraham ad æstiuum calorem deuitandum, vitulum pinguem tribus viris illis qui ei apparuerant, & in quibus vnum adorauit, comedendum exhibuit. Quandoquidem vt vitulus ille sub arbore quercu occisus & comesus est, sic Christus Dominus super sanctæ Crucis lignum mactatus est & occisus fuit. Vitulus verè immaculatus, pinguis & tener. Sic enim in sacro Euangelio seipsum nuncupauit, sub istius figuræ allegoria, atque sub parabolæ illius velamine patris familiæ, nimirum illius, qui in errabundi & prodigi filij reditu saginatum & perpinguem vitulum occidi mandauit. Super cuius sacræ historiæ expositione, Origenes hæc inter cetera: *Totum,* inquit, *quod agit mysticum, totum Sacramentis* In Genes. c. 17. Homil. 4.
D *repletum. Apponitur vitulus, ecce aliud sacramentum. Vitulus ipse non est durus, sed bonus & tener. Et quid tam tenerum, quid tam bonum, quàm est ille, qui humiliauit se pro nobis vsque ad mortem, & animam suam posuit pro amicis suis? Vitulus est ille saginatus, quem pro recepto pœnitente filio iugulauit pater. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro huius mundi vita.* Hæc ille.

Vitulus saginatus sub quercu Abrahæ item figura Christi crucifixi.

Sanctus autem Ioannes Chrysostomus filij prodigi parabolam exponens, iisdem pænè animi sensibus vtens, quas iam Origenes litteris mandauerat, sed figuram prædictam fusiùs explicans, ait: *Addit & vitulum saginatum iugulandum in conuiuij exhibitione. Sine dubio Dominum nostrum Iesum Christum, quem dedit Pater in victimam pro salute nostra. Quem vitulum nominat, propter hostiam corporis immaculati: saginatum autem verè dixit, quia pinguis & optimus in tantum est,* In Lucæ cap. 15.

vt

vt pro totius mundi salute sufficiens sit ad odorem suauitatis, & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Propter quod etiam mystica ratione dictum est, Patrem dare aliis immolandum hunc vitulum, ipsum verò gaudere & epulari in victima vituli Dei. Sic enim, inquit, dilexit hunc mundum, vt Filium suum vnicum pro salute eius daret. Non ergo ipse immolauit, sed alij immolandum tradidit. Permittente enim Patre, consentiens Filius ab hominibus crucifixus est. Ipse autem Pater, qui fide nostra pascitur, & Filij pro nobis sui immolatione lætatur, gaudet in reditu Filij, & conuiuatur in vitulo: quia misericordiæ suæ fructum immolatione Filij sui gaudens Creator, acquisitione populi credentis epulatur. Hactenus Chrysostomus. A

De eodem verò vitulo ab ipso Abrahamo in conuiuium exhibito sub quercus arbore, quæ sanctæ Crucis arborem præsignabat, sanctus quoque Isidorus sic inquit: *Iste autem vitulus tener, saginatus, Domini nostri Iesu Christi est corpus. Hic est vitulus Domini, qui propter salutem credentium ad aram Crucis est immolatus. Hic est vitulus Dominici corporis, qui in Euangelio pro peccatore occiditur filio. Sub arbore autem tres vidisse, passionis Dominicæ erat signum, cuius credentes sunt prædicatores.* Eadem pænè de verbo ad verbum venerabilis Beda libro Quæstionum suarum in Genesim inscripsit. Et vt summatim dicam, omnes fere sacri Doctores hanc vituli figuram sub quercu in valle Mambre conuiuantibus ad vescendum exhibiti, ad Christi Domini humanitatis super Crucis arbore pro nobis occisi significationem deducunt. Pro cuius demum figuræ breui conclusione addemus hîc alterius cuiusdam sancti Patris verba, qui de Crucis mysterio ac de visibili atque inuisibili luce sermonem habens, ait: *Hæc est illa lux, quæ in conualle Mambre Abraham diuinitus illustrauit, quando sub arbore Crucis tres vidit & vnum adorauit: tanta videlicet diuini luminis illustratus claritate, vt quem trinum nouit in personis, vnum adorauit in maiestate.* B

(Comment. in Genes. cap. 14.) (In Quæst. super Genes. tom. 8. fol. 204.) (Diuus Benengosus Abbas de mysterio ligni Dominici, & de luce visibili, & inuisibili.)

Tu igitur lux inuisibilis, lux, quæ omnis lucis fons es & origo; lux, quæ in omnem diffusa lucem, cunctis lucibus lucem impertiris; lux, quæ lucem inaccessibilem inhabitans, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminas; lux, quæ fidei patrem Abrahamum sic illustrasti, vt cùm te trinum in personis conspexisset, incomprehensibilem tuæ vnitatis essentiam adorarit; illumina quæso sic oculos cordis mei, vt in infidelitatis & peccati letali somno numquam obdormiam. Mihique gratiæ tuæ dono præcipuo misericorditer concede, vt figurati vituli tui, pro nobis in ligno Crucis oblati, suauitate & pinguedine sic repleatur hîc anima mea, vt labiis exultationis atque lætitiæ inter sanctas electorum tuorum acies te semper in cælis laudet os meum. Amen. C

CAPVT V.

De lignis, quæ Isaac Abrahami filius, dum ad sui ipsius sacrificium deduceretur, propriis humeris tulit: & de scala Iacob. D

(Genes. 22.) NONA sanctæ Christi Domini nostri Crucis figura in sacro Genesis textu, illa Isaac fuêre ligna quę humeris suis portauit, dum à patre suo Abrahamo sacrificandus duceretur. Sic enim ille ligna sacrificij sui propriis humeris detulit; sic Christus Dominus, dum æterni Patris ac sua ipsius permissione pro nobis miseris peccatoribus, super Caluariæ montem crucifigendus duceretur, graue & arduum Crucis lignum, in quo pro salute nostra immolatus & mactatus est, suis ipsius humeris tulit. De qua Crucis figura Clemens Alexandrinus sic tradit: *Ipse est Isaac, qui est typus & figura Domini. Puer quidem, vt filius Abrahæ, quemadmodum Christus Filius Dei: hostia autem sicut Dominus, sed non ob-*

(Pædagogi lib. 1. c. 5.)

A *latus est vt Dominus; ligna solùm sacrificij portauit Isaac, vt lignum Dominus. Mysticè autem risit, prædicens fore, vt Dominus nos risu impleret, qui sanguine Domini ab interitu & corruptione redempti sumus. Solummodò autem iure Isaac non passus est, qui primas passionis partes Verbo cesserit. Quin etiam significat Domini diuinitatem, dum non fuit occisus: surrexit enim post iusta facta funeris* IESVS; *non passus, quemadmodum Isaac dimissus est è sacrificio.* Idem pænè, sed paucioribus verbis, magnus Discipulus eius Origenes dixit, qui de apertissima hac passionis & Crucis Christi figura hæc ad posterorum memoriam prodidit: *Quòd ipse*, inquit, *sibi ligna ad holocaustum portat Isaac, illa figura est, quòd & Christus ipse sibi baiulat Crucem: & tamen portare ligna ad holocaustum, sacerdotis officium est. Fit ergo ipse hostia & sacerdos.* Isaac lignũ portans, typus Christi Crucem baiulantis. In Genes. c. 21. Homil. 8.

Tertullianus pariter consueta licet breuiloquentia sua vsus, eadem ferè secutus asseruit his verbis: *Itaque inprimis Isaac, cùm à patre in hostiam deditus lignum* Aduersus
B *ipse sibi portauit, Christi exitum iam tunc denotabat in victimam concessi à Patre, & lignum passionis suæ baiulantis.* Sic sanctus quoque Cyrillus Alexandrinus, siue Iodocus Clithoueus, inter ceteras Crucis figuras quas in medium adducit, de hac eadem clarissima Isaac mentionem habens, inquit: *Hæc Crux designata fuit per ligna quæ humeris suis tulit Isaac, cùm immolandus erat in holocaustum: nam Christi humeris Crux baiulata totius mundi in se tulit pretium.* Nec minùs doctè Theophylactus in diui Ioannis Euangelium scribens, dum admirandum contemplaretur mysterium, quo Christus suam ipsius Crucem tulit, illum Isaac in hoc comparauit, qui pro suo ipsius sacrificio ligna detulit, inquiens: *Portans autem* IESVS *Crucem suam, egreditur. Abominabile enim putabant omnino vel lignum attingere. Et propterea condemnato & maledicto maledictum lignum imponunt. Vide autem & in veteri typo hoc factum. Isaac enim & illic ligna portans, vadit vt immoletur. Ita & hoc loco Dominus Crucem habens vadit, quasi miles arma gerit, quibus aduersarium pro-* Marcion. lib. 3. c. 18. In Ioan. lib. 8. c. 17.
C *sternat. Huius Isaac pater est Abraham, pater multarum gentium, qui est Deus super omnia, qui & Iudæorum est Pater & Gentium; cuius voluntate & consilio Crucem Filius eius portat. Verumtamen in veteri, in sola voluntate patris res stabat; (figura enim erat.) hoc autem loco, opere completur; veritas enim erat. Fortassis sicut illic Isaac dimissus est, & agnus immolatus est; ita & hoc loco diuina natura impassibilis mansit: humana autem natura, quæ & Agnus dicitur, quia Adæ erraticæ ouis filius, immolatur.* Hæc ille. In Ioan. cap. 19.

Sanctus autem Ioannes Chrysostomus, postquam sacrificij Abrahami totam recensuit historiam, verba hæc ad institutum nostrum appositè subiunxit: *Hæc autem omnia*, inquit, *figura fuerunt Crucis. Propterea & Christus Iudæis dicebat: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum; & vidit, & gauisus est. Quomodo vidit, qui temporibus præcessit? Per figuram, per vmbram. Sicut enim hic ouis oblata est pro Isaac; ita & rationalis Agnus oblatus est pro mundo: oportebat enim*
D *in vmbra describi & præsignari anteà veritatem. Vide obsecro hic quomodo omnia per vmbram præfigurata sunt. Vnigenitus illic, & Vnigenitus hic: dilectus illic & germanus, dilectus hic ac germanus. Hic enim est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. A Patre ille in holocaustum offertur, & hunc Pater exposuit. Et clamat Paulus, dicens: Qui sanè proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non cum illo omnia nobis daturus est? Hucusque vmbra, posteà rerum veritas magna excellentia monstratur: Agnus enim hic rationalis pro toto mundo oblatus est, totum orbem terrarum purificauit, homines ab errore liberauit, & ad veritatem adduxit; terram cælum fecit, non elementorum immutata natura, sed conuersatione cælesti, hominibus super terram degentibus allata. Propter hunc omnis dæmonum cultus solutus est. Propter hunc non adorantur lapides & ligna ab hominibus; & antè insensata,* In Genes. cap. 22. Homil. 47. tom. 1.

insigniti ratione non procidunt; sed omnis abiit error, & veritatis lux orbem illustrauit. Hucusque Chrysostomus. A

De Abraham, lib. 1. cap. 8. In Apoc. c. 6. tom. 3. *Isaac immolatio, profundus typus Crucis Christi.*

Sanctus autem Ambrosius historiæ prædictæ sensum ac significationem ad Crucis mysterium deducens, ait: *Ligna Isaac sibi vexit, Christus sibi patibulum Crucis portauit. Abraham comitabatur filium, Pater Christum.* Et alibi figuram hanc in omni eius particula fusiùs explicans, adiecit: *Ligna ergo Jsaac portauit, quia peccata nostra Christus pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: per manus verò Abrahæ, potestas Domini nostri Jesu Christi intelligitur. Jn eius namque potestate fuit vt moreretur, & vt non moreretur, si vellet; sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Per ignem autem passio, per gladium eius mors intelligitur. Cùm venisset ad locum, ædificauit altare, & desuper ligna composuit. Cumque colligasset Jsaac filium suum, posuit eum super struem lignorum. Per altare Crux intelligitur. Crucem ergo Filius Dei, in qua homo, quem assumpserat, vt immolaretur, ædificauit; quia ipso permittente factum est.* B *Super altare verò ligna composuit, & super ligna posuit Jsaac filium suum colligatum. Jllud namque quod suffocare volumus, nobismetipsis supponimus, vt pondere nostro suffocetur & pereat: similiter & Redemptor noster ligna, id est peccata nostra, in Cruce pendens sibi supposuit, vt pondere suo atque virtute peccata nostra suffocarentur ac delerentur. Vincula autem Jsaac afflictionem Domini in Cruce designauerunt.* Hactenus Ambrosius.

De temp. Serm. 71. tom. 10.

Sanctus verò Augustinus pro admirabilis ac diuini ingenij sui more, hanc plenissimam sacramentis figuram pariter exponens, ait: *Quòd verò Jsaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Christum Dominum figurauit, qui ad locum passionis Crucem suam ipse portauit. De quo mysterio multò antè dictum fuerat per Prophetam: Et erit, inquit, principatus eius super humerum eius. Tunc enim Christus principatum super humerum eius habuit, quando Crucem suam admirabili humilitate portauit. Non incongruè Crux Christi significat principatum. Nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam vel gratiam reuocatur.* C Et paulò inferiùs de ariete illo agens, qui vepribus hærens Abrahamo monstratus est, vt illum loco filij sui Isaac immolaret, hæc addidit: *Potest tamen, inquit, & de beato Jsaac, & de illo ariete, etiam sic intelligi; vt in beato Jsaac significata sit diuinitas, in ariete humanitas Christi. Et quia in passione non diuinitas crucifixa creditur, ideò non Jsaac, sed aries immolatur. Dei enim Filius vel vnigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur. Audite aliud sacramentum fratres charissimi: Hieronymus Presbyter scripsit, ab antiquis & senioribus Judæis se certissimè cognouisse, quòd ibi immolatus sit Jsaac, vbi posteà Christus crucifixus est.* Et alibi idem magnus Pater, de ipsa hac eadem figura inquit: *Cuius similitudinem referebat Abraham, nisi illius de quo dicit Apostolus; Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Propterea & Jsaac, sicut Dominus Crucem suam, ita sibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipse portauit. Postremò quia Isaac occidi non oportebat, posteaquam est pater ferire prohibitus; quis erat ille aries, quo immolato, impletum est significatiuo sanguine sacrificium? Nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur nisi Iesus Christus, antequam immolaretur, spinis Iudaicis coronatus?* D Et breuiùs alibi, eadem repetens, subiunxit: *Quis alius in Isaac lignum sibi portabat ad victimam, nisi qui Crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi qui Crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur, spinis primitus coronandus?* Verùm quia longum nimis esset huc omnia transferre, quæ idem Augustinus Ecclesiæ sanctæ lumen clarissimum de hac figura ad posterorum memoriam transmisit; sat erit nunc, pro dictorum eius conclusione, vnicam clausulam hîc referre ex his quæ litteris commenda-

De ciuitate Dei, lib. 16. cap. 32.

Cõtra Faustum Manichæum, lib. 12. c. 25 tom. 6.

A mendauit dum Psalmum trigesimum exponeret, vbi ait: *Isaac tamquam filius vnicus dilectus, figuram habes Filij Dei, portat ligna, quomodo Christus Crucem portauit.* In Psal. 30.

Nec minùs sanè diligens & curiosus in hac sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura explicanda & exponenda diuus Hieronymus extitit, dicens: *Nam & Isaac in typo Christi fuit, quòd futuræ mortis ligna sibi ipse portauit.* Et alibi id etiam paucioribus repetens subtexuit: *Quòd Isaac in typo Domini Crucem suam ipse portauit.* Deinde verò totam sacrificij Abrahami integram historiam fusiùs exponens ait: *Hic idem Dominus in nouissima mundi senescentis ætate, per figuram beati Abrahæ longæui patris offertur ad victimam; quo tempore, dum nouo sacrificio in vnici filij sui iugulum pius parricida consurgit, ex improuiso aries oculis eius apparuit, sicut eloquitur sermo diuinus: Et vidit Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus. Inter vepres, inquit; requiramus quæ ista sit nouitas: id est, in multitudine circumstantium peccatorum. Hærentem cornibus; id est, ad Crucis cornua, clauorum confixione pendentem;* B *sicut in alio loco legimus: Cornua in manibus eius sunt. Hoc ideò, quia venerandas manus eius patibuli brachia susceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spineo serto, innocentiæ & iustitiæ auctor illusus est. Sed aliud introspicere debemus, quidnam sit quòd Isaac à patre altaribus admouetur, ac subitò aries pro eo, non mutata, sed duplicata oblatione supponitur. Gemina hîc adoranda substantia Redemptoris ostenditur. Dei enim Vnigenitus offertur, & Virginis primogenitus immolatur.* Hactenus Hieronymus. In Oseæ cap. 11. In Epist. ad Ephes. c. 1. De Resurrectione Domini, Serm. 29. Tom. 9.

Magnus autem sanctus Gregorius Papa, huic sanctæ Crucis figuræ suam pariter declarationem & expositionem afferens, non minùs doctè & altè quàm ceteri Patres pauca hæc protulit: *Quid, quòd Isaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ superimponitur, & viuit? nisi quòd Redemptor noster ad passionem ducitur, lignum sibi Crucis ipse portauit? & sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, vt tamen immortalis remaneret ex diuinitate?* Deuotissimus verò Anselmus eamdem hanc ipsam Crucis figuram in omni eius particula exponens, omneque eius altiùs mysterium declarans, de ea sic tradit: *Isaac multis locis* C *personam Christi gestauit, & nomine suo eum significauit. Christus enim est risus noster, de quo dicitur: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Isaac ab Abraham ductus est ad immolandum, comitantibus duobus pueris, quibus Abraham, cùm ad montem peruenisset in tertio die, in quo monte Deus Isaac immolari præceperat, dixit: Exspectate hîc cum asino, donec reuertamur ad vos. Et tunc portauit Isaac ligna: Abraham verò gladium & ignem. Nec tamen immolatus est Isaac, sed aries hærens cornibus inter vepres. Abraham Deum Patrem figurat, qui Filium suum passioni tradidit: duo verò pueri, Iudaicum populum in duo regna diuisum, id est, Regnum Iuda, & Regnum Israël; asinus stultitiam Iudæorum significat. Iudæi cum asino exspectant, quia adhuc in stultitia sua perseuerant. Aries, non Isaac immolatus est; quia carò Christi hærens cornibus Crucis inter vepres tribulationis, non Deitas, quæ per Isaac significatur, passa est: & hoc ter-* D *tio die, id est, in tempore gratiæ. Isaac ligna portauit, & Christus Crucem suam tulit: Abraham verò ignem & gladium; quia in manu Dei erat gladius mortis Christi, & ignis persecutionum.* In Ezech. lib. 1. Homil. 6. In Matth. cap. 1. *Quomodo Isaac typus Christi, & tamen pro eo immolatus aries?*

Venerabilis etiam Beda ceteros Patres imitatus, quin etiam fusiùs ac magis præcipuè totam hanc historiam, & hanc sanctæ Crucis figuram exponens, ait: *Quis ergo in Abraham per illam immolationem figurabatur, nisi Pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? Nam sicut Abraham vnicum & dilectum filium Deo victimam obtulit; ita Dominus vnicum Filium suum pro nobis omnibus tradidit: & sicut Isaac ipse sibi ligna portabat, quibus erat imponendus, ita & Christus gestabat in humeris lignum Crucis, in quo erat crucifigendus. Duo autem serui illi dimissi, & non perducti ad locum sacrificij, Iudæos figurabant, qui cùm seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, non intelligebant humanitatem Christi, non intelligebant passionem eius; ideò non* In Quæstionibus super Gen. Tom. 8.

peruenerunt ad locum sacrificij. Deinde Isaac ligatis pedibus altari superponitur; & Dominus in ligno suspensus Cruci affigitur. Sed illud quod figuratum est in Isaac, transgressum est ad arietem. Cur? quia Christus ouis. Ipse enim filius, ipse agnus. Filius, quia natus; aries, quia immolatus. Sed quid est quòd in vepribus hærebat aries ille? Crux cornua habet: sicut enim duo ligna, cùm compaginantur in se, speciem Crucis reddunt; vnde scriptum est de eo: Cornua in manibus eius sunt. Cornibus ergo hærens aries crucifixum Dominum significat. Vepres autem spinæ sunt: spinæ iniquos & peccatores significant, qui suspenderunt Dominum in Cruce. Inter spinas itaque peccatorum Iudæorum suspensus est Dominus, sicut per Ieremiam idem dicit: Spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic. Alij hunc arietem cornibus in vepribus obligatum, eumdem Christum senserunt antequam immolaretur, spinis à Iudæis circumdatum. A

Habac.c.3.

Verùm his omnibus, quæ pro huius sanctæ Crucis insignis figuræ declaratione & comprobatione hactenus diximus, longè admirabilius ac planè notatu dignius id censendum est, quod Petrus Galatinus se legisse testatur in priscorum Talmudistarum ac Rabbinorum Hebræorum sacræ Genesis expositione: qui & ipsi ante Christi aduentum cognouerunt, & fassi sunt, Isaac, dum immolandus duceretur, ligna propriis humeris portantem, significasse Messiam, qui Crucem suam suis humeris quandoque laturus erat. Sic enim inquit: *In Beresith etiam Ketanna, id est, in Expositione minori libri Genesis, hoc certè mirabile quod dicturus sum scribitur; super illud 22. cap. eiusdem libri dictum: Et accepit Abraham ligna holocausti, & posuit ea super Isaac filium suum. Sic enim ibi dicitur: Sicut* זה *Ze, id est, iste, hoc est, Deus, qui baiulat Crucem suam super scapulam suam.* B

Lib.8.c.17.

Etiam antiquis Rabbinis Iudæorũ notus hic typus Isaac.

Decima sanctæ Crucis figura, quæ sacræ Genesis historia continetur, scala illa fuit, quam Iacob Patriarcha in somnis vidit, cuius pars infima terram, summa cælum pertingebat, per quam Angeli ascendebant & descendebant; Dominus autem eidem scalæ innitebatur. de qua in eodem sacro textu hæc litteris consignata fuisse comperimus: *Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat ad Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum; tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum. Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Pro cuius visionis declaratione sanctus Augustinus inquit: *Iacob ergo dormiebat, & Dominum in cacumen scalæ videbat incumbere. Quid est in scala incumbere, nisi in ligno pendere? Considerate fratres, quis in ligno Crucis pendens pro Iudæis orauerit, & agnoscetis quis ad Iacob, scalæ incumbens, de cælo clamauerit. Sed quare hoc in itinere factum est, antequam Iacob vxorem acciperet? Quia & verus Iacob Dominus noster priùs in scala, id est, in Cruce occubuit, & posteà sibi Ecclesiam sociauit; dans ei in præsenti arrham sanguinis sui, daturus postmodum dotem sui Regni.* Et paulò inferiùs, circa finem huius Sermonis subdit: *Beatus Isaac mittens filium suum, typum Dei Patris habuit. Iacob, qui missus est, Christum Dominum designauit. Lapis, quem ad caput habuit, & oleo vnxit, & ipse significauit Dominum Saluatorem. Scala vsque ad cælos attingens, Crucis figuram habuit. Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur.* C D

Gen.28.

Serm.79. de temp. in Feria 5. post 2. Dominicam Quadrag. tom.10.

Scala Iacob mysterio Crucis accommodata.

Et alibi idem Augustinus de ipsa hac mystica scala agens, docensque Christianum, quonam pacto, per eiusdem scalæ gradus ad cælum ascendere possit ac debeat, sic tradit: *Crux virga est, & de ista virga quàm magna & mira fecit hic Architectus? Et arborem fecit Crucis, vbi ipse angularis pependit lapis; & scalas cæli, per quas hominem lapsum ad Patrem leuauit. Quale miraculum, fratres, huius Architecti, vt de virga faceret scalas, & tales, quarum caput in cælum poneret, & per eas ipse ascenderet & descenderet, & propter confirmationem ipse super eas incumberet.*

De Cataclysmo, c.6. tom.9.

Ascende

A *Ascende securus qui desideras cælum. Non te terreat earum nec angustia, nec longitudo, nec latitudo: nihil timeas; non nutant gradus eius, quos ille Architectus sic confirmauit, vt in eius ligno manus suas clauis affigi voluerit. Vide has scalas huius Architecti discipulum Apostolum Paulum & demonstrantem, & gradus quasi numerantem, & ascendentem, & quamplurimos inuitantem. Flecto, inquit, genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit altitudo, & latitudo, longitudo, & profundum. Quattuor gradus posuit Crucis. Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ. Quattuor gradus habent, & perducunt ad cælum. In altitudine Crucis caput positum est Crucifixi. Sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet; & ascendit vnum gradum. In latitudine Crucis manus affixæ sunt Crucifixi Perseuerent manus Christiani in operibus bonis; & secundum gradum ascendit. In longitudine Crucis corpus pependit Crucifixi. Castiget quis corpus suum obseruationibus, ieiuniis illud suspendat, vt seruituti animæ subiiciat; & tertium* B *gradum ascendit. In profundo Crucis occultum est, quod non vides; sed inde exurgit hoc totum quod vides. Adsit fides Christiana, quod non potest comprehendere, credat corde: altiora à se non quærat, spes eum nutriat; & tunc quartum gradum ascendit. Per hos gradus ascenderunt Sancti omnes, continentes, coniugati, fideles; euaserunt ruinas mundi, migrauerunt ad loca tutissima, vbi iam nec barbaros timent, nec fragiles casus humanos exhorrent, nec corruptiones metuunt, nec ægritudines patiuntur, nec tribulationibus affliguntur, nec ipsam mortem timent; sed cum Deo de Deo viuunt.* Hactenus Augustinus.

Sanctus verò Hieronymus hanc scalæ Iacob figuram ad Christi Crucis significationem pariter accommodans, ait: *Ego puto Crucem Saluatoris istam esse* In Psal. 91. *scalam, quam vidit Iacob. In ista scala descendebant Angeli & conscendebant. In ista scala, hoc est in Cruce, descendebant Iudæi, & conscendebant Gentiles.* Et Cyrillus Alexandrinus, siue potiùs Iodocus Clithoueus, inter ceteras veteris Testamenti figuras, C quas ad Christi Crucem signandam affert, de hac scala Iacob sic habet: *Hæc est scala Iacob à terra in cælum porrecta, cui Dominus innixus est, per quam nobis* In Ioan. *cælestia regna conscendere datur.* Dono igitur cælestis gratiæ tuæ, Domine, nobis lib. 8. c. 17. concede, vt scalæ sanctæ Crucis tuæ sic semper firmiter hæreamus, vt pro tui amore, mundi huius tribulationes, ærumnas, & persecutiones libenti animo perferentes, per huius sanctæ & admirabilis scalæ gradus de virtute in virtutem sic ascendamus, vt à benigna & omnipotenti manu gratiæ tuæ adiuti atque pertracti, peruenire demum valeamus ad videndum te Deum deorum in tua beata Sion, vbi cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VI.

D ***De baculo Patriarchæ Iacob: de annulo obsignatorio, quem Pharao Iosepho dedit; & de prædicti Iacobi brachiorum decussatione, cùm eiusdem Iosephi filiis benediceret.***

VNDECIMA sanctæ Crucis figura ex sacro libro Genesis excerpta, baculus ille erit, quem Iacob Patriarcha in itinere manibus deferebat, cùm Isaac Patris sui iussu è patria discedens, ad vxorem ducendam in Mesopotamiam tenderet. Cuius baculi fulcimento adiutus, Iordanem fluuium traiecit. Quo etiam baculo posteà dirigebat oues soceri sui Laban quas pascebat. Et de Genes. 32. quo ipsemet ait: *In baculo meo transiui Iordanem istum.* Quamobrem de eodem baculo breuissimè pro more suo agens Clemens Alexandrinus, & planè ni-

 miùm

Pædagog. lib.3.c.10. miùm ſubobſcurè, inquit: *Iacob autem paſcebat oues Laban, quæ relictæ fuerant, regale habens ſignum, virgam ſtyracinam, quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius.* Prægnantia ſanè adeò & obſcura verba, vt ipſius Clementis Commentator Gentianus Heruetus ingenuè fateatur, non intelligere ſe quid verbis illis Clemens dicere voluerit. Vnde in textus illius expoſitione inquit: *Quod autem dicit Clemens, Iacob paſcere relictas oues Laban, habentem virgam ſtyracinam, quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius, ingenuè fateor me non intelligere, niſi accipiatur allegoricè. Fortaſſe enim intelligit Iacob fuiſſe figuram Chriſti. Iacob paſcens oues, habebat virgam. Per virgam autem intelligit baculum, per baculum intelligitur Crux, quam portabat Chriſtus, qui eſt Princeps paſtorum. Ea eſt autem ſignum regale, & tamquam ſceptrum Regis. Idem autem Chriſtus eſt Rex & Princeps paſtorum. Baculus ille Iacob, per lignum meditabatur mutare naturam in melius, cùm oues albas mutat in oues varias, & diuerſi coloris. Chriſtus per ſanctam Crucem ſuam quæ perierat reſtituit naturam, & omnia inſtaurauit tam in cælo quàm in terra. Hactenus videtur ſatis procedere allegoria: ſed cur virgam dicat ſtyracinam, quam non legitur habuiſſe Iacob, nec legi, nec poſſum diuinare.* Hæc Gentianus Heruetus.

Obſcura verba, ſed quæ tàdem eleganter explanantur.

Verùm enimuerò, quia credendum eſt Clementem Alexandrinum, id ſine ingenti myſterio, quod ad inſtitutum noſtrum valdè ſpectet, non dixiſſe, proptereà neceſſarium eſt pro huius loci clara intelligentia, vt quid ſtyrax ſit, priùs oſtendamus. Styrax igitur arbor eſt, cydonio ſiue cotoneo malo ferè ſimilis, fructu maiore quàm auellana, ſpecie candidi pruni. Manat ex ea liquor eiuſdem nominis, coloris flaui, ſordidi, reſinoſi, albicantibus fragmentis, graui & perſeueranti odore. Hodie officinæ ſtoracem appellant. copioſè hæc arbor naſcitur in monte Idæo, vt his carminibus innuit Virgilius:

Quid baculus ſtyracinus Iacob, & quomodo is typus Crucis.

In Ciri.

Non ſtyrace Idæo flagranti picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia ſeruans.

Huius arboris lignum ad ſpiritus exhilarandos, animique mœſtitiam expellendam, eius ſuaui & grati odoris fragrantia, in ſuis cubiculis veteres vrere conſueuerant. Quin etiam neceſſitate magis impellente, illud concremabant, vt odorifero eius fumo ſerpentes abigerent. Quocircà Plinius: *Ex Syria reuehunt ſtyracem, acri odore eius in focis abigentes ſuorum faſtidium.* Et paulò inferiùs ſubdit: *Eumdem ad ſerpentes fugandas vrunt, in odoriferis ſiluis frequentiſſimas.* Ingenti igitur myſterio, magnæque rationi innixus Clemens Alexandrinus aſſeruit, Iacob, dum oues paſceret Laban, virgam ſtyracinam manibus geſtaſſe; non ex eo tantùm quòd id veriſimile admodum videatur, cùm ſtyrax, vt Plinius teſtatur, in illis regionibus Syriæ & Meſopotamiæ naſcatur, vbi tunc Iacob conſiſtebat; verùm etiam, quia virga ſiue baculus ille, Crucis Chriſti figuram clarè præ ſe ferebat. Styrax enim, vt diximus, lignum odoriferum eſt, & cùm vritur, fumo ſuo ſerpentes expellit. Quamobrem pro virga ſiue baculo ſtyracino, Clemens Alexandrinus ſanctam Domini noſtri Crucem innuere voluit. Ipſa enim odoriferi ſtyracis baculus fuit, in quo ſeipſum æterno Patri pro nobis ſacrificium in odorem ſuauitatis obtulit. Hic eſt odoratiſſimus ille ſtyrax, qui pro ſerpentibus abigendis tùnc crematus eſt, cùm Chriſtus verus amoris ignis, qui pro ſua in nos immenſa atque ardenti charitate adeò in noſtræ ſalutis deſiderium exarſit, vt totus denique conflagrans, in ligno Crucis mortem oppetens, ſit abſumptus. Cuius ſanè diuini & admirandi ſacrificij odorifera flamma, ſerpentes dæmones ab huius mundi ſilua expulſi ſunt.

Natural. Hiſt. lib.12 cap.17.

Quocircà apertè patet, Gentianum Heruetum ſacræ Geneſis textum à Septuaginta tranſlatum non legiſſe. Etenim ibi expreſsè dicitur, quòd cupiens Iacob oues deinceps vario colore naſci, virgas ſtyracinas in alueis canalium, vbi

matres

A matres bibebant, immisit. Neque eumdem Heruetum legisse puto illum sancti Ambrosij tractatum, in quo Patriarchæ Iacob vitam describens, asserit, posuisse eum in canalibus, vbi oues bibebant, styracinas, nucinas, & platani virgas; ibique altè explicat, quid virgæ illæ iuxta mysticum sensum præsignarent, dicens: *Quasi mercenarius ingreditur iustus, & rector est: qui sibi gregem multarum præstantissimarumque virtutum splendore fulgentem, Euangelicæ prædicationis mysterio colligebat; vt potaturis ouibus virgam styracinam, & nucinam, & de platano proponeret in canalibus: quò concupiscentes beatissimæ Trinitatis præfigurata mysteria, haudquaquam decolores fetus piæ mentis conceptione formarent. Bonæ oues, quæ bonorum partus operum fidei sacræ non degeneres ediderunt. Per styracem significatur incensum & sacrificium vespertinum, quod Deo Patri defertur in Psalmo: per nucinam virgam sacerdotale Christo munus defertur; hæc enim virga Aaron, quæ reposita floruit, qua sacerdotalis gratia sanctificationis emicuit: per platanum spiritalis fructus significatur vbertas, quia arbori huic vitis annectitur, vt eius læta consortio, in partus sese vberes fundat. Siquidem Dominicæ munera passionis, remissionemque omnium peccatorum, adiuncta Spiritus gratia dare consueuit.* Nec etiam idem Heruetus vidisse existimandus est id, quod ad institutum hoc Beda testatum reliquit: inquit enim: *Itaque Iacob nouam stropham commentus est, & contra naturam albi & nigri naturali arte pugnauit. Tres enim virgas, populeas, & amygdalinas, & mali granati, (quamquam Septuaginta styracinas, & nucinas, & plataninas habeant) ex parte decorticans varium virgarum fecit colorem, vt vbicumque in virga corticem reliquisset, antiquus permaneret color; vbi verò tulisset corticem, color candidus panderetur.* De Iacob, & vita beata, lib. 2. cap. 4. — B — In Quæstionibus super Gen. tom. 8.

Hanc autem virgam Iacob sanctæ Crucis Christi figuram extitisse, idem Beda eodem loco paulò inferiùs testatur, dum verba illa eiusdem Iacob, *In baculo meo transiui Iordanem istum*, exponens inquit: *Christo conueniunt verba hæc, qui solus relictus in passione sua, in baculo, id est, in Cruce transiuit Iordanem istum, id est, flumen tribulationum mundi huius, & flumen rapidissimum passionis & mortis; cuius aquæ intrauerunt vsque ad animam eius.* Hæc ille. Ibid. — C

Diuus autem Augustinus, iter illud quod in Mesopotamiam iniit Patriarcha Iacob ad vxorem ducendam, baculum manu gestans, itineri illi assimilans, quod Christus Dominus ad Caluariæ montem emensus est, Crucem sibi baiulans, vt sanguine suo sanctam Ecclesiam sponsam suam redimeret; itidem innuit baculum illum Iacob sanctæ Crucis figuram præ se tulisse. inquit enim: *Jacob ergo ad accipiendum vxorem exhibuit baculum; & Christus ad redimendam Ecclesiam, detulit Crucis lignum.* De tempore Serm. 79

Duodecima sanctæ Crucis figura, quam sancti Doctores in sacro Genesis textu diligenti ac pia animaduersione considerant, annulus ille obsignatorius est, quem Pharao Ægypti Rex è digito suo extrahens, Iosephi magni Patriarchæ Iacob filij digito immisit; nomenque illius immutans, Zaphnath Paænah, id est mundi Saluatorem, Ægyptiaco idiomate illum appellauit; vt in eodem sacro textu his verbis proditum est: *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stolam byssinam, & collo torquem auream circumposuit; vertitque nomen illius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi.* Super quibus verbis hæc Beda Venerabilis: *Nam Iesus,* inquit, *accepit quoque annulum, quo credentium salutis signo signantur animæ, & in frontibus & cordibus nostris per figuram Crucis, figura æterni Regis exprimitur.* Sanctus verò Ioannes Chrysostomus ad verba prædicta sacri textus alludens, inter cetera, quæ in sanctæ Crucis laudem aureo suo ac planè diuino eloquentiæ flumine testatus est, hæc habet: *Signaculum Crux appellata est, quòd testamenta & statuta diuina omnia, quæ accepimus, hoc quasi signo quodam Regio & annulo obsignamus.* *Annulus Ioseph, typus Crucis Christi, & quare.* — D — Genes. 41. — In Gen. 41. — Homilia de veneratione Crucis.

Decima tertia sanctæ Crucis figura, in sacro Genesis textu ex mystico actu illo trahitur, quem fecit Iacob Patriarcha, cùm filiis Ioseph Ephraim & Manasse benediceret. Is enim cùm maiorem benedictionem, & primogenituræ prærogatiuam in Ephraim transferre vellet, qui secundo loco genitus erat, quique ad sinistram suam positus fuerat; in transuersum obliquatis decussatisque brachiis, manum dexteram super caput eiusdem Ephraim statuit, sinistramque super caput Manasse, qui primogenitus ad dexteram suam constitutus erat. Actio sanè sacratissimis referta mysteriis, quam Spiritus sanctus ei dictauerat. Qua Christi Crux non tantùm præfigurata fuit, sed etiam benedictio, & primogenituræ ius, quod per eiusdem sanctæ Crucis mysterium, & per Christi sanguinis pretiosissimi in ea profusi virtutem, à Iudæorum populo in Gentiles transferendum erat. Quamobrem Tertullianus de gratia illa agens, quæ per manuum impositionem, signo sanctæ Crucis adhibito, in sacramento Confirmationis confertur, id iam in Patriarchæ Iacob manuum decussatione præfiguratum fuisse asseruit. sic enim ait: *Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph Ephrem & Manassem Iacob capitibus impositis & intermutatis manibus benedixerit; & quidem ita transuersim obliquatis in se, vt Christum deformantes, iam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram.* Quæ quidem verba per se aliquantulùm subobscura, Iacobus Pamelius declarans adiecit, Tertullianum hoc loco ostendisse, Iacob Patriarchę benedictionem, sacramenti Confirmationis figuram extitisse, in quo manus imponuntur, & Christi confertur benedictio, id est per signum Crucis.

De Baptismo, c. 8. *Item Crux Christi in transuaricatione manuum Iacob præsignata.*

Sanctus autem Athanasius illi quæstioni respondens, in qua proponitur quis in veteri Testamento primus fuerit qui viuificæ Crucis signum præfigurauerit, asserit Iacob fuisse, cùm Iosephi filiis benedicens, manus decussauit: *Quis*, inquit, *in veteri Testamento primus exhibuit typum Crucis viuificantis? Iacob, cùm benedicens filiis Ioseph transponeret manus.* Diuus quoque Hieronymus hanc historiam benedictionis, quam Iosephi filiis idem Iacob Patriarcha impertitus est, ad institutum suum deducens, constanter asseuerat, eamdem sanctæ Crucis Christi figuram præ se tulisse. *Ephraim autem*, inquit, *in typo esse populi de Gentibus congregati, Scriptura testatur: fuit enim posterior filius Ioseph, & surripuit primogenita Manasse, qui natura primogenitus erat. Sed in mysterio Crucis, decussatis manibus, qui stabat ad sinistram Iacob, dexteræ manus eius suscepit benedictionem: & qui steterat ad dexteram, sinistrâ benedictus, in secundum redactus est gradum.* Sanctus verò Ioannes Damascenus asseruit, Iacobum Patriarcham, Iosephi filiis cancellatis decussatisque manibus benedicentem, Crucis signum manifestè designasse: *Iacob*, inquit, *adorans summitatem virgæ, alternatis cancellatisque manibus filios Ioseph benedicens, signum Crucis manifestissimè descripsit.* Pro quorum verborum Damasceni intelligentia dicimus, in sacra Genesi iuxta vulgatæ editionis nostræ textum, nullam fieri mentionem, quòd Iacob summitatem virgæ illius adorauerit, quam Ioseph, tamquam Ægypti Præfectus, manu gestabat; sed hoc ibi litteris tantùm in fine capituli XLVII. commendatum esse, quòd Iacob, postquam Ioseph iureiurando sibi pollicitus fuit corpus suum in terra Chanaan omnino sepulturæ se mandaturum, ad lectuli caput conuersus, Dominum adorauit: *Quo iurante, adorauit Israël Dominum, conuersus ad lectuli caput.* Verùm Septuaginta pro verbo illo, *Ad lectuli caput*, virgam dixerunt. Atque hinc est, quòd Apostolus ad Hebræos scribens, inquit: *Fide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.* Ad quæ verba alludit Damascenus: cuius Commentator pro verborum ipsius clariore intelligentia hæc adiecit: *Eadem quoque Crux*, inquit, *designata fuit per summitatem virgæ Ioseph, quam adorauit Iacob. Verumtamen*

De pluribus & necessariis quæstion. quæst. 25.

In Ierem. cap. 31.

Orthodoxæ fidei libro 4. c. 12.

Hebr. 11.

A *tamen non virgam illam, quam manu gestabat Ioseph in signum potestatis traditæ ei à Pharaone in tota terra Ægypti, adorauit Iacob simpliciter, & ad nihil aliud referens; sed in ea Crucem sanctam adorauit, cuius mysterium oculis internis & Spiritu sancto illustratis (etsi corporales eius caligarent oculi) cognouit; Christumque per Ioseph sanctum Patriarcham non obscurè designatum veneratus est, in Cruce (vt Spiritus reuelatione didicerat) exaltandum. Porrò sumptum est hoc exemplum de Iacob adorante fastigium virgæ, ex capite* XI. *Epistolæ beati Pauli ad Hebræos, dicentis: Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius, & id quidem postremum videtur esse depromptum ex* XLVII. *cap. Geneseos, vbi dicit littera, quòd adorauit Israël Dominum, conuersus ad lectuli caput. At quoniam in hac littera nostræ translationis apud Genesim, nulla fit mentio de adoratione summitatis virgæ, sed dumtaxat de conuersione ipsius Iacob cùm adoraret Dominum ad lectuli caput (quod nonnulli idcirco factum existimant, quoniam id vocabulum, quod Hieronymus ad Hebraicam veritatem* Quomodo nō pugnent textus Genesis & ad Hebræos.
B *lectulum iuterpretatus est, Septuaginta Interpretes virgam traduxerunt) idcircò sacratissimæ Crucis figura & typus etiam clarè expressus est in benedictione filiorum Ioseph, à Iacob facta manibus cancellatis: de qua mentio fit* XLVIII. *cap. Geneseos. Nempe illa manuum cancellatarum positio & collatio, Cruciformis fuit: & Crucis figuram prætulit, cùm dexteram manum superposuit Iacob capiti ipsius Ephraim ad sinistram constituti; & manum sinistram, vertici Manasse positi ad dexteram ipsius Iacob. Vnde ex huiusmodi manuum translatione in transuersum, præsignificauit Iacob in spiritu (vt credibile est) formam Crucis; per quam Christus, ablata maledictione, nobis filiis suis, & in sortem filiorum Dei vocatis, benedictionem æternam largitus est, gratiarum incrementa distribuit, & largam miserationum suarum copiam in omnes effundit abundè.* Hæc ille.

Hanc clarissimam sanctæ Crucis figuram, & hoc benedictionis & vocationis populi Gentilis altissimum mysterium, in filiorum Ioseph benedictione præfiguratum, Beda etiam doctè admodum explicauit, hoc modo: *Cùm bene-* In quæst. super Genesim.
C *dicere vellet Iacob nepotes suos, posuit Ioseph Ephraim ad sinistram, Manassen autem ad dexteram illius constituit. At ille cancellatis manibus, Crucis mysterium præfigurans, translata in minorem dextera, maiori sinistram figuraliter superposuit: sicque Crucis similitudo super capita eorum denotata, Iudæis scandalum, Christianis futuram gloriam præsignauit: senioremque per Crucis mysterium, sinistrum factum de dextro, & iuniorem dextrum de sinistro: quia Iudæis in nostra deserta labentibus, nos illorum gloriam adepti sumus; talique sacramento, maiori populo Iudæorum præpositus est minor populus Gentium.*

Nec minore sanè doctrina hanc ipsam figuram Rupertus Abbas exposuit his verbis: *Sine dubio transpositio manuum Iacob, Crucis expreßit figuram. Numquid in eo sic manus commutando, casu Crucem figurauit? Numquid non poterat eadem ratione data, Manassen ad sinistram, Ephraim verò ad dexteram suam posuisse? Poterat planè. Sed Propheta erat, & Prophetico spiritu sciebat quòd per Crucem componenda es-* Comment. in Genesim lib. 9. cap. 24.
D *set benedictio, quam venturus Legislator daret: vel quia in semine Abrahæ benedicerentur omnes Gentes. Qui enim postmodum de illo qui mittendus erat, & qui expectatio Gentium futurus erat, id est, de Christo, dixit; Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum; nescire poterat quali torculari ipsa vua premenda, vel ipsum vinum foret extorquendum? Igitur tamquam Propheta simul & Patriarcha, quomodo verbis verum prophetare potuit dicendo; Et iste quidem erit in populos, & multiplicabitur, sed frater eius minor, maior erit illo; sic & manuum positione Crucem Christi præfigurare sciuit, per quam priori iunior, id est, Iudaico præferendus erat populus Gentilis.* Et hæc quidem quo ad sanctæ Crucis Christi figuras, quæ ex sacro Geneseos libro extrahuntur, satis dixisse sufficiat. Agemus in sequentibus capitibus, de his quæ in Exodi libro perleguntur.

A

CAPVT VII.

De Rubo, quem ardere, sed non absumi Moyses conspexit; & de Virga, qua tot prodigia in Aegypto patrauit.

RVBVS ille ardens & emicans, qui non comburebatur, à Moyse conspectus dum Iethro soceri sui oues ad radices montis Oreb pasceret, prima erit sanctæ Crucis figura, quæ ex sacro Exodi textu depromitur. Pro cuius apertiore intelligentia sciendum est, Dei indignationem & iram, vt sacræ Scripturæ locis quamplurimis comprobatur, igne sæpè describi. Vnde Propheta: *Indignatio eius effusa est, vt ignis.* Et ille alius subdit: *Ecce nomen Domini venit de longinquo; ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Peccata verò hominum rubo & spinis figurantur, vt iam superiùs libro primo probauimus, dum de spinis, quibus Dominus ac Redemptor noster coronatus fuit, ageremus. Vlteriùs illud quoque sciendum, communem omnium pænè Patrum esse sententiam, Deum, qui Moysi in rubo locutus est, Verbum æternum fuisse, quod humanam carnem assumpturum erat. Vnde hæc sanctus Ambrosius: *Non Pater in rubo, non Pater in eremo, sed Filius Moysi locutus est.* B

Nahum 1. Isaiæ 30. De fide, libro 1. c. 5.

Cùm ignis igitur Dei indignationem & iram significet; rubusque siue spinę, peccata; iniecisse se Verbum æternum in medio rubi ardentis, planè admirandam Crucis figuram fuisse censendum est. Christus enim Dominus, dum semetipsum inter iram Dei & hominum peccata posuit, cælestis Patris sui iram iustissimam placauit, pro peccatis nostris satisfaciens. Quamobrem, sicut Dei Verbum Moysen è rubo vocauit, eidem litteraliter dicens, descendisse se, vt populum suum à dira Pharaonis seruitute eriperet; sic etiam ab eodem rubo, quasi ex ipsa Cruce, mysticè ei innuere voluit, se è cælo in terram descendere statuisse, ibique in beatissimæ Virginis vtero, humana carne assumpta, per eiusdem Crucis mysterium, quam ei figuratè tunc præsignabat, populum suum, id est omnes credentes in ipsum, à mystici Pharaonis infernalis, scilicet diaboli impia atque tyrannica seruitute liberare decreuerat. In cuius altissimi mysterij contemplatione non parua inprimis admiratione afficimur, quod auctoritate grauissimi Scriptores memoriæ prodiderint, rubo perimendi serpentes virtutem inesse. Quasi id nobis ad memoriam reuocet incomparabile beneficium illud, quod æternum Verbum pro immensa sua charitate & misericordia, in humanum genus conferre dignatus est, tunc quidem in rubo præsignatum, ac re ipsa postmodum in Crucis ligno effectum, quo nos ab æterna morte, cui per antiqui serpentis morsum damnati eramus, eripuit. Testatur enim Plinius, rubi florem, aut mora, aduersus hæmorrhoïdis omnium serpentium sceleratissimi morsum, præstantissimum remedium. Et sanctus Ambrosius memoriæ prodidit, rubi frondes serpenti superiniectas ipsum perimere. *Rubi folia*, inquit, *superiecta serpenti, interimunt eum.* C D

Rubus ardens, ostensus Moysi quomodo præfiguret Crucem Christi.

Lib. 24. c. 13.

In Hexameron libro 5. c. 8. in fine.

Vocato Deus è rubo Moysi, iamque ad eumdem rubum adrepenti, iniunxit, vt calceamenta solueret, dicens, terram eam, quam tunc pedibus calcabat, sanctam esse. Quibus verbis mysticè ei innuere voluit, vt omne odium, quod conceperat in populum Gentilem, qui per terram significabatur, deponeret; quandoquidem ipse dedita opera in mundum venire decreuerat, vt eumdem Gentium populum à diaboli seruitute suo pretioso sanguine redimeret. Quamobrem sanctus Ambrosius: *Calceamenta*, inquit, *pedes muniunt, ne terram tangant:* *per*

Super Apocalyp. c. 6. tom. 9.

A *Per terram verò Gentes designantur. Solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis; id est aufer odium, & despectionem Gentium de corde tuo. Locus enim in quo stas, terra sancta est: id est, mundus, in quo habitas, meo sanguine redemptus est.*

Vocauit Christus Dominus Moysen è rubo; ad id non tantùm vt populi sui Ducem eum constitueret, sed vt Crucis & passionis suæ mysterium ei declararet, & vt idem Crucis ac perfectionis iter eum doceret, quod ipsemet post humanitatis assumptionem discipulos suos docere, & electis prædicare decreuerat; monens, vt si ipsum sequi vellent, seipsos abnegarent, id est, propriæ voluntati resisterent, omnibusque carnalibus affectibus renuntiantes, & Crucem suam sumentes ipsum sequerentur. Quod etsi in ipso executionis initio durum atque difficile videtur; his tamen qui saluari cupiunt, & Ducem nostrum sequi statuerunt, non graue admodum videbitur, mundi huius tribulationum & ærumnarum sentibus pungi, & sufferre aliquid pro nimio illo quod pro nobis pati dignatus est Saluator, qui nostri gratia pro nihilo duxit spinea corona pungi, clauis transfigi, ceterosque acerbissimæ & amarissimæ passionis suæ dolores atque angores libentissimè perferre.

B

In cuius admirandi contemplatione mysterij, infructuosum non erit, piam Clementis Alexandrini iam alibi à nobis citatam considerationem, hoc loco repetere. Is enim inquit, admirandum ac notatu planè dignum illud esse, quòd cùm æternum Verbum Christus Dominus, vniuersi Creator & Dominus, Isräeliticum populum liberare statuisset, legemque ei tradere, & potentiam suam Moysi detegere vellet, in ardenti rubo & inter spinas sese illi ostendit. Et postquam idem Verbum, humana carne circumdatum, admirabile opus suum, quo hominibus legem, documenta, ac diuina præcepta sua præscripsit, expleuisset, mundumque relinquere, & ad cælestem Patrem suum redire vellet, sentibus denuò circumdatum ac spinis redimitum sese ostendit. Quod iure profectò peractum est. Etenim ipse venerat vt nostra omnia in se peccata susciperet, quorum significatio per spinas præcipuè demonstratur.

C

Secunda sanctæ Crucis Christi figura, quæ ex sacro Exodi textu desumitur, virga illa est Moysis in serpentem versa, qua idem Moyses, & Aaron frater eius, tot prodigia in Ægypto atque miracula patrarunt. De qua, vt in eodem sacro textu litteris proditum est, Deus Moysi hæc dixit: *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terra. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Super quibus verbis hæc sanctus Augustinus: *Virga illa*, inquit, *fratres charissimi, Crucis mysterium præferebat. Sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur, ita & per Crucem totus mundus humiliatur & vincitur. Et sicut Pharao & populus eius per virgæ sacramentum affligitur, vt ad seruiendum Deo dimittat populum Judæorum: ita & diabolus & Angeli eius per Crucis mysterium fatigantur & premuntur; vt à Dei seruitio reuocare non possint populum Christianum.* Exod. 4. De temp. Serm. 86.

D

Et alibi hæc de eadem Moysis virga adiecit: *Virga*, inquit, *per quam Ægyptus subijcitur, & Pharao superatur, Crucis Christi imaginem præferebat, per quam mundus hic vincitur, & Princeps huius mundi, cum Principibus & Potestatibus triumphatur. Quòd autem virga proijcitur, & fit draco & serpens, & deuorat Ægyptiorum serpentes, serpens pro sapientia ponitur, sicut scriptum est: Estote prudentes sicut serpentes. Idcircò virga Moysis, id est Crux Christi, posteaquam ad terram descendit, id est, posteaquam ad credulitatem & fidem hominum venit, conuersa est in sapientiam & in tantam sapientiam, quæ nomen Ægyptiorum, id est, huius mundi sapientiam deuoraret.* Et iterùm idem sanctæ Ecclesiæ lumen fulgentissimum de sacratissima Cruce Christi ait: *Ipsa est illa virga Regni tui, Crux ipsa, inquam, qua virtus in infirmitate* De temp. Serm. 87. *Virgæ versæ in draconem profunda mysteria.* De Cataclysmo. tractatu 4. c. 5 tom. 9.

perfici-

perficitur. Ipsa illa virga, Crux ipsa: illa virga quæ floruit ex radice Iesse. Ipsa illa virga, A
quam portabat Moyses, quæ conuersa in serpentem, glutiit magorum serpentes. Doctrina Christi diffusa per omnes Gentes, hæreticos superans dementes. In illo enim populo, fratres, in quo multa signa faciebat Moyses per virgam, exsurrexerunt magi Pharaonis, facientes & ipsi prodigia contra famulum Dei Moysen. Sed ad hoc quædam facere permissi sunt, vt mirabiliùs vincerentur. Magi Pharaonis quid aliud significant, nisi omnes hæreticos ministros diaboli, qui sub nomine Christi, deuorare cupiunt populum Christi? Scatent nunc hæreses in hanc terram tamquam serpentes magorum, quos deuorauit & deuorat ille serpens exaltatus in ligno. Hæc Augustinus.

Venerabilis autem Beda non minùs vtiles quàm delectabiles circa huius sanctæ Crucis figuræ mysticum sensum declarationes & expositiones afferens, de ea sic tradit: *Proiecit deinde*, inquit, *Moyses virgam coram Pharaone, & serpens factus deuorauit serpentem Ægyptiorum: significans quòd Verbum caro fieret, qui serpentis diri venena euacuaret per indulgentiam & remissionem peccatorum. Virga est* B
In Quæstionibus super Exodum, c. 13.
enim Verbum directum, regale, plenum potestatis, quod est insigne imperij. Virga serpens facta est: quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre natus, Filius hominis factus est, natus ex Virgine. Qui quasi serpens exaltatus in Cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. vnde & ipse Dominus ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Virga enim Moysis in draconem conuersa, magorum absorbuit virgas: & Christus post gloriæ suæ dignitatem factus est obediens vsque ad mortem; & per ipsam mortem carnis, consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta: Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne. Hactenus Beda.

Magnus verò Anastasius Synaita Antiochenus Patriarcha, hoc mysterium virgæ Moysis in serpentem versæ, mentis contemplatione perpendens, de eodem sic: *Fortassis*, inquit, *Deus ad filios Israël monendos, & ad reuocandum eis in memoriam ea quæ facta sunt in Paradiso, eis diuersa exhibuit prodigia per serpentem & lignum: nunc quidem virgam Moysis transmutans in serpentem, & deinde serpentem* C
Anagogic. contemp. in Hexameron libro 10.
in lignum mortificans: priùs describens quòd non oportebat obedire serpenti, ad lignum adorandum; vel quòd per lignum Crucis perdet & morte afficiet Paradisi ligni consultorem serpentem. Demum verò sanctus Macarius Ægyptiacus, ex effectibus illis, quos Moysis virga contra Ægyptios ad Hebræorum fauorem producere consueuerat, eorum similitudinem deducens, quæ in animarum nostrarum beneficium sancta Christi Crux contra dæmones operatur, hæc litteris commendauit: *Virga Moysis duplicem gerebat imaginem. Nam hostibus occurrebat, vt serpens mordens & enecans; at Israëlitis erat vice baculi, quo nitebantur: sic etiam verum lignum Crucis, quod est Christus, hostium quidem spirituum nequitiæ mors est; animarum verò nostrarum baculus, tuta sedes, & vita, in qua conquiescunt. Siquidem antè figuræ fuerunt & vmbræ, quàm hæ res veræ; quia cultus antiquus est vmbra & imago cultus præsentis.*
Homil. 47. in fine.

Tu igitur Christe, luminum omnium verum lumen, qui cælestis ac sanctæ D doctrinæ tuæ splendore tenebras è mundo depulisti, diuinisque actionibus tuis quasi solaribus radiis vniuersas vmbras expellens, humanis intellectibus velum abstulisti, verumque omnium figurarum sensum detexisti: singularis gratiæ dono nobis concede, vt sancta Crux tua, quæ olim sub Moysis virga mirabiliter adumbrata fuit, hostibus nostris terribilis sit serpens, qui alarum suarum coruscatione in frontibus nostris, præcipites eos in fugam vertat; nobisque sit firmus baculus, tutissimumque sustentaculum, cuius fulcimento ad laboriosi itineris huius metam feliciter peruenire valeamus; vt vnusquisque nostrûm debitas tibi gratiarum & laudum actiones referens, tandem dicere queat: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Amen.
Psalm. 22.

CAPVT

A

CAPVT VIII.

De Agno Paschali, quem assum igni, iubente Deo, comederunt Hebræi, cùm ab Aegypti seruitute recessuri erant: & de Columna nubis in die, & ignis in nocte, quæ eorum exercitum præcedens ac protegens deducebat.

AGNVS ille Paschalis, quem assum igni, ex Dei præcepto, comederunt Hebræi, cùm ab Ægypti dura seruitute discessuri essent, tertia erit sanctæ Crucis figura, quæ ex sacro Exodi textu delibatur. De qua sic Iustinus Martyr: *Agnus namque assus*, inquit, *in figuram Cruci similem conformatus, ad ignem torretur: nam veru vnum ab infimis partibus ad caput vsque adactum præfigitur; & aliud rursum secundùm scapulas, ad quod suspenduntur manus agni.* Ad quod alludens etiam beatissimus Martyr & Pontifex Cyprianus: *Finem*, inquit, *legalibus cærimoniis impositurus Dominus, parari sibi voluit Pascha; & ex consuetudine Legis ea quæri, quæ sollennitas exigebat, agnum assum, panes azymos, & lactucas agrestes. Non oportet esse fermentarios noui Testamenti ministros, puras sincerasque mentes sanctum quærit conuiuium. In veru Crucis, boni odoris assatio, omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, & induret solidetque mentis affectus.* Hæc Cyprianus.

In Dial. cū Tryph. Iudæo.

B

Agnus Paschalis assus, typus Christi Cruci affixi.

S. Cyprian. de Cœna Domini.

Magnus autem Pater Augustinus, de hac sacrosancta Paschalis agni figura sic inquit: *Filij Israël acceperunt præceptum Domini per Moysen, vt in occisione agni celebrarent Pascha: ex cuius sanguine postes domus suæ vnusquisque liniret; nec timerent angelum vastatorem, qui signum sanguinis agni occisi in suæ fronte domus haberent. Os, inquit, dictum est, non comminuetis ex eo; nec relinquetis quidquam in manè; cum picridiis & azymis comedetis agnum. Fecerunt quod præceptū est filij Israël. Demonstra & tu, Israël spiritalis, fili Abrahæ secundùm fidem, non secundùm carnem: demonstra & tu quomodo celebras Pascha; habes Agnum occisum, demonstra: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Lini sanguine eius postes domus tuæ; demonstra, & dic: Ecce Crux sanguinis Christi in frontibus est pudoris nostri. Dic cum Paulo: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Os non comminuetis ex eo, dictum est: impletum est hoc in ipsa Domini passione, ipsius sancti Agni immolatione, quando crucifixus cum duobus latronibus, in medio pendebat ipsa summa iustitia; liberans vnum confitentem, alium puniens blasphemantem. Ita factæ sunt tres Cruces, tres caussæ. Vnus latronum Christo insultabat; alter sua demerita confessus, Christi se misericordiæ commendabat. Crux Christi in medio, non fuit supplicium, sed tribunal. Mox vt peregit omnia quæ de se erant scripta, accepto felle & aceto, propter illud quod prædictum erat; Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto; inclinato capite, tradidit spiritum. Venerunt milites, fregerunt crura latronibus in Cruce pendentibus: ad Iesum autem cùm venissent, non fregerunt eius crura; vt impleretur, ait Euangelista, quod scriptum est: Os non comminuetis ex eo. Sed vnus militum latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina Sacramenta. Percussit latus lancea persecutor, & fudit pretium Redemptor. Hic sanguis inebriat mentem, vt amorem obliuiscatur mundi. Hæc aqua mundat animam, vt corpus careat sordibus diaboli. Nec relinquetis ex eo quidquam vsque manè. Hoc nunc agitur: comeditur enim agnus per noctem huius sæculi, vt cùm manè illud venerit, quod vesperum non habebit, iam non offeratur sacrificium imaginis Agni, sed ipsum Agnum, quem quotidie immolamus, comedamus, & cuius sanguinem bibimus, inueniamus illic eum Sacerdotem perfectum, quem constat hîc pro nostra salute occisum. Quæ sunt hæ picridiæ, olera amaritudinis, quæ*

De Cataclysmo, tractatu 4. c.4. tom. 9.

C

D

comedit Israël spiritalis? nisi vox illa amara ad tempus sanctorum Martyrum, emissa per sanctum Dauid, ac dicentem: Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in mensura. & per Apostolum Paulum: In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Demonstra & azyma sancte Paule, ex Israëlita carnali spiritalis effectus: celebrasti enim Pascha cum populo vetere; & quemadmodum nouus populus figuras in veritatem verteret, tu docuisti, tu demonstrasti. Ostende ergo azyma, conspersionem nouam. Non in fermento, inquit, veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. O Agne occise, ô Christe sancte pro nobis crucifixe, qui vt lapsa reparares, in Cruce pependisti. Hæc omnia Augustinus. A

Hieronymus autem ipsam hanc quoque declarans figuram, clareque ostendens, quis pro agno illo, quem assum Israëlitæ comederunt, præsignaretur, inquit: *Christus ille Agnus est, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in postibus, exterminatorem fugabat Ægypti: qui non solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, sua veste calefaceret; & audiremus Apostolum nobis loquentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. & alio in loco: Induimini Christo Iesu.* Et alibi idem sanctus Hieronymus eidem demonstrationi adhuc insistens, subdit: *Quis sit agnus iste immaculatus, siue perfectus, & anniculus, pleniùs Isaias nos docet, dicens: Sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus in conspectu tondentis se sine voce, & non aperuit os suum. & Ieremias: Ego autem sicut agnus innocens ductus ad victimam non cognoui. & Ioannes Baptista: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Iste est Agnus, qui immolatur in Ægypto, de cuius sanguine armantur postes fidelium, & exterminator excluditur. Anniculus autem, quia prædicauit annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.* Hæc Hieronymus. B

(In margin: In Isaiam cap. 53. tom. 4. — In Ezech. cap. 46. tom. 4.)

Cyrillus verò Alexandrinus, siue potiùs Iodocus, dum veteris Testamenti figuras, quæ sanctæ Cruci Christi accommodari possunt, recenset, inquit: *Hæc Crux postibus & superliminaribus domorum Israëlitarum figurata describitur, quæ sanguine agni delibuta, exterminatorem primogenitorum Ægypti, ne ingrederetur, prohibuit.* C Et Ioannes Damascenus id etiam breuissimè innuens ait: *Ipsa Crux est signaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit Scriptura.*

(In margin: In Ioan. lib. 8. c. 17. — Orthod. fidei lib. 4. cap. 12.)

Demum verò Isidorus Hispalensis Episcopus, agni Paschalis immolationem ad Christi Domini nostri eiusque sanctæ Crucis significationem pariter accommodans, de hac figura sic tradit: *Intereà fit Pascha. In occisione agni occiditur Christus; de quo in Euangelio dicitur: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vespere immolatur agnus: in vespera mundi passus est Dominus. Prohibentur enim, qui Pascha faciunt, ossa frangere. Non franguntur in Cruce ossa Domini; attestante Euangelista, qui ait: Os eius non comminuetis. Sanguine agni illiniuntur Israëlitarum postes, ne vastator angelus audeat inferre perniciem. Signantur signo Dominicæ passionis in frontibus fideles populi, ad tutelam salutis; vt hi soli ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ passionis, corde & fronte signati sunt: qui etiam ore loquuntur: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Vnde & appellatur ipsa sollennitas Phase, quod nos transitum possumus vocare; eò quòd de peioribus ad meliora pergentes, tenebrosam Ægyptum derelinquamus. Quod autem ait de agni illius esu; Omnis alienigena non comedet ex eo, in vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras; hoc de Christi corporis Sacramento, cuius agnus ille figuram obtinuit, propriè tenetur scriptum: cuius corpus & sanguis in vna domo, id est, in Ecclesia vesci præcipitur; nec efferri foras in plebibus, scilicet hæreticorum, quæ ab eadem Ecclesiæ Catholicæ vnitate foris vagantur.* D

(In margin: In Exod. de Pascha, cap. 15.)

Quarta sanctæ Crucis figura quæ ex sacro Exodi textu decerpitur, columna illa est nubis in die, & ignis in nocte, quæ Israëliticum populum antecedens, dum ab Ægypto discedens ad promissionis terram progrediebatur, iter illi osten-

A ostendebat, ducatumque ac tutelam præstabat. Qua de columna hæc habet sacer textus: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis; vt dux esset itineris vtroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.* Quam quidem columnam Clemens Alexandrinus (licet subobscurè ac breuiter, vt assolet) ad sanctæ Crucis significationem deducit: *Quin etiam*, inquit, *ignis ille, qui columnæ erat similis, & ignis qui ingrediebatur per loca inuia, & ad quæ non patebat aditus, est symbolum ac signum sanctæ Crucis, quæ transit per terram, & in cælum rursus recurrit per lignum; per quem etiam datum est nobis videre per intelligentiam.* Quasi diceret, columnam illam ignis, quæ Israëliticum populum antecedebat, ignemque illum, quem Moyses in rubo conspexit, significasse lucem quæ de cælo descendit, id est Christum, qui de seipso dixit: *Ego sum lux mundi.* qui denuò per Crucis lignum cælos conscendit. Cuius Crucis virtute nobis datum B est intelligibiliter videre. Nam per illam lucem, quæ à refulgente Crucis lumine nobis in terra nascitur, mens nostra in cælum attollitur, atque intelligentes efficimur. Sanctus verò Gregorius Nazianzenus ad hanc figuram ipsam intentionem intendens, breuiter inquit: *Ego autem relictis omnibus rebus, Crucem vnam habeo, quæ tamquam clarissima quædam columna, vitæ meæ præluceat.*

Exod. 13.

Stromat. lib. 1. c. 13.

In columna nubis & ignis quomodo Crucis mysteria.

De extern. hominis vtilitate.

At sanctus Ioannes Chrysostomus eamdem figuram clariùs atque vtiliùs explicans, & ad sanctam Domini nostri Iesu Christi Crucem accommodans, ait: *Semper Crucem habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis. Nam sicut columna nubis figura nostræ Crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur: ita & Crux ante oculos visa, omnem statim abigit malam voluptatem. Hæc enim salus est animæ, fœdarumque concupiscentiarum salubre antidotum.* Hæc Chrysostomus. Quòd autem columna ignis, quæ noctu Israëliticum populum antecedebat cùm Ægypto exiret, Christi Crucis figu- C ram & symbolum præ se tulerit, firmissimum habetur testimonium ex sancta Dei Ecclesia, quæ quotannis in Sabbati sancti Officio, Paschalem cereum præaltæ columnæ impositum accendere consueuit, quinque thuris grana, in Crucis formam infigens ei. Dumque eadem grana cereo ipsi configuntur, Diaconus in solemni Præfationis tono hæc verba canit: *In huius igitur noctis gratia, suscipe sancte Pater incensi huius sacrificium vespertinum, quod tibi in hac cerei oblatione solemni, per ministrorum manus, de operibus apum, sacrosancta reddit Ecclesia. Sed iam columnæ eius præconia nouimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit.* Quibus verbis sancta Ecclesia cereum Paschalem illum non tantùm in columnæ igneę illius memoriam, quæ Israëliticum populum Ægypto exeuntem noctu illuminabat, viamque monstrabat, se accendere innuit; verùm etiam apertè nos docet, columnam illam, symbolum & figuram sanctæ Crucis extitisse, in qua Christus Dominus gratum sacrificium æterno Patri, in odorem suauitatis se- D ipsum obtulit. Quamobrem quinque illa grana thuris in Crucis formam Diaconus cereo infigit, in quinque eorum vulnerum honorem, quæ Christus Dominus in Cruce accepit. Circa cuius Paschalis cerei benedictionis cærimoniam, Gulielmus Durantus Mimatensis Episcopus, in suo Diuinorum officiorum Rationali hæc scribit: *In quibusdam Ecclesiis, illuminatio cerei vsque post appositionem incensi differtur. Infigit enim ipsi cereo Diaconus quinque grana thuris in modum Crucis, cùm dicit: Suscipe sancte Pater huius incensi sacrificium vespertinum. Siquidem Passio Saluatoris re vera fuit sacrificium vespertinum Legis; iuxta illud: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum: quod fuit in vespera mundi, id est, in sexta ætate factum, & in vespera diei. Quæ grana thuris designant aromata, quæ mulieres emerunt, vt vngerent crucifixum.*

In Ioseph. de contientia Serm. circa finē, tom. 1.

Declarata mysteria cerei Paschalis.

Lib. 6. de benedictione Cerei.

Magno igitur mysterio Christi passio & mors, sacrificium vespertinum à A
Spiritu sancto appellata fuit. Nam cùm ipse manus in Crucem extendit, tunc Deo oblatum est omnium sacrificiorum sacrificium, cuius vmbra & figura fuerunt omnia, quæ ab initio mundi vsque tunc immolata fuêre sacrificia: tum etiam sacrificium hoc omnia veteris Legis sacrificia deduxit ad vesperam, clarissimo & felicissimo gratiæ superueniente die: qua in æternum potiri pro diuina eius misericordia nobis ille concedat, qui per sanctam Crucem suam nobis illam dedit. Amen.

CAPVT IX.

De Moysis Virga, quæ Mare rubrum diuisit, vt Israëliticus populus, eo traiecto, Pharaonem & Aegyptios illæsus effugeret; & de Ligno, quod amaras aquas in dulcedinem conuertit. B

CVM Israëliticus populus ab Ægypto fugiens ad Maris rubri litus appulisset, sanctus & magnus eorum Dux Moyses, virga sua, Deo iubente, aquas percussit, quæ confestim hinc inde diuisæ, ingenti ac numeroso exercitu iter præbuere, vt sicco pede, ad vlteriora litora traiiceret; quo Pharaonis & Ægyptiorum tyrannicas manus tutus euaderet. Quod admirandum planè facinus, quinta erit sanctæ Crucis figura, quæ in sacro Exodi textu continetur. De qua
Exod. 14. ibidem: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israël in medio mari per siccum. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisaque est aqua. Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua,* &c. *Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* C *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis.*

Virga Moysis diuidens Mare, variè signat Crucem. Moysis autem virgam, tunc præsertim cùm Mare rubrum diuiserat, sanctæ Crucis Christi symbolum præ se tulisse, omnes ferè sacri Doctores testantur. Quamobrem Cyrillus Alexandrinus, siue Iodocus Clithoueus, in diui Ioannis Euangelium scribens, & de veteris Testamenti figuris agens, quæ eidem sanctæ
Lib. 8. c. 17. Cruci adaptari possunt, inquit: *Hæc Crux est virga Moysaica, quæ Mare rubrum percutiens, diuisit aquas, & traducto Dei populo, Regem Ægypti cum toto equitatu submersit.* Idem quoque Ioannes Damascenus affirmat, dicens: *Virga Moysaica in similitudinem Crucis, mare percussit, & saluauit Israël; Pharaonem autem submersit.* (Orthodoxæ fidei, libro 1. c. 12.) Idem quoque scripto commendatum reliquit sanctus Chrysostomus, qui exponens quid sit virga illa virtutis, de qua intelligere voluit Regius Propheta, D
In Psal. 109 Homil. tomo 1. cùm dixit: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, sic tradit: *Habuit etiam Moyses virgam, sed cum ea suscepit Dei operationem, per quam operabatur in omnibus. Et illa quidem diuisit fluuios, hæc autem fregit impietatem totius orbis terræ. Neque à vero aberraueris, si Crucem quoque Domini voces virgam virtutis. Hæc enim virga mare & terram conuertit, & magna potestate repleuit.*

De temp. Serm. 90. In feria 5. post 3. Dominicam Quadrag. Verùm longè altiùs quàm ceteri omnes, vtilioribusque & moralioribus sensibus diuus Augustinus hanc ipsam figuram explicat, & ad sanctam Domini Crucem his verbis accommodat: *Post hæc iubetur Moyses virga percutere mare. In virga mysterium sanctæ Crucis agnoscite. Et verum est, fratres: attendite enim & videte, quòd nisi virga super mare eleuetur, populus Dei de Pharaonis potestate non tollitur:*

A *tollitur. Sic est fratres charissimi: si sancta Crux eleuata non esset, Christianus populus in æternum periisset; eleuata verò virga, id est, Cruce erecta, cedit mare, cedunt & fluctus eius; hoc est, vincitur mundus, & mundi istius potestates. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & vnda in semetipsa repressa curuatur. Soliditatem recipit liquor, & salum maris arescit in puluerem. Bonitatem Creatoris intelligite. Si voluntati eius obtemperas, si legem ipsius seruaueris, ipsa tibi elementa etiam contra sui naturam seruire compellit. Oremus ergo, fratres dilectissimi, vt Dominus noster, quod de Ægyptiis fecit in Mari rubro, faciat in corde & in corpore nostro, vt det nobis virtutem & adiutorium Spiritus sancti, vt in nobis ipsis spiritales Ægyptios possimus extinguere. Extinguit namque spiritalem Ægyptium, qui non agit opera tenebrarum. Extinguit Ægyptium, qui non carnaliter, sed spiritaliter viuit. Extinguit Ægyptium, qui cogitationes sordidas & impuras vel depellit ex corde, vel omnino non recipit. Sicut & Apostolus dicit: Assumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela maligni ignita extinguere. Hoc ergo modo possumus hodie etiam Ægyptios videre mortuos iacentes ad litus, submergi quadrigas eorum & equos. Possumus etiam Pharaonem videre submergi, si tanta fide viuamus, vt Deus pacis conterat satanam sub pedibus nostris velociter.*

B

Et alibi, supradicta pænè repetens, hæc insuper adiecit: *Moyses figuram habuit Domini Christi, quoniam Dux fuit populi. In virga agnoscite Crucem, in Mari rubro agnoscite Baptismum Christi sanguine purpuratum; Regem Ægyptiorum, populosque eius, auctorem peccatorum diabolum cum omnibus ministris eius. Sæuit diabolus, quando nos videt per aquam Baptismi à sua oppressione liberari. Exclamate ad Moysen vestrum Dominum Christum, vt virga Crucis percutiat mare Baptismi: reuertatur aqua, & operiat Ægyptios: vt quemadmodum nullus remansit Ægyptiorum, nihil remaneat etiam vestrorum peccatorum. Totum mundet, qui totum fecit: reparet perdita, qui creauit omnia integra. Extinguat Pharaonem diabolum mortis auctorem, & suum populum liberet per aquam salutarem.* De cataclysmo, tractat. 4. cap. 3. in fine, tom. 9.

C Eadem posteà pænè, licet breuiùs, scripsit etiam Beda Augustinum imitatus: *Percussit virga Moyses aquas, & transierunt filij Israël. Rubrum Mare significat Baptismum Christi sanguine consecratum: virga autem qua mare tangitur, Crux Christi est, quam per Baptismum accipimus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum. Inimici sequentes cum Rege, qui à tergo moriuntur, præterita peccata sunt, quæ diluuntur: & diabolus in spirituali lauacro, id est Baptismo, suffocatur.* Hanc figuram virgæ Moysis quæ rubrum Mare diuisit, ad Domini nostri Iesu Christi Crucis significationem, aliis planè vtilibus atque moralibus sensibus constipatam & exornatam pariter deduxit Arator sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, cùm hisce carminibus piè canendo, dixit: Beda in Exod. c. 4.

Quàm benè vox Pauli cecinit, præcepta lauacri
Permiscens antiqua nouis, nec epistola cessat
Nec iterare docens: Patres Baptismate nostri Histor. Apostolicæ lib. 2.
D *In rubro fulsêre Freto sub nomine Moysi*
Per Legem, cùm Petra simul sequeretur euntes.
Consule signa Maris, quæ mystica dona susurrant
Temporibus ventura Crucis, cùm sanguine IESVS
Tinxit aquas, laterisque vno de vulnere fluxit.
Quòd vitæ tria dona daret, rubor Æquoris ille
Causa futura fuit: sic Conditor abluit omnes,
Sic emit, hic pretij color est in gurgite Ponti;
Apparentque vado miracula debita ligno.

Cosmas autem Ierosolymitanus de hac eadem sanctæ Crucis figura agens, innuit, quòd cùm Moyses rubri Maris aquas virga sua diuidere vellet, Crucis

Opinio singularis de diuiso Mari rubro, sed pia. signum super aquas expressit; videlicet, cùm aquas ipsas diuidi voluit, vt iter A præberent, quo filij Israël sicco pede in alterum rubri Maris litus traiicerent, lineam rectam fecit; cùm autem aquas easdem denuò conglutinari, & ad locum suum reuerti mandauit, vt Pharaonem cum Ægyptiis suis obruerent, Crucis transuersalem lineam designauit. Sic autem ille: *Crucem figurans Moyses, in recto baculo rubrum Mare dissecuit Israëli pedibus eunti; hoc autem conuersiuè Pharaonem curribus pulsans vniuit, in latitudine describens inuincibile telum. Ideò Christo canamus Deo nostro, quoniam glorificatus est.*

In Theog. Hymn. 9.

Neque enim hoc sanctus iste Pater propria inuentione, aut animi sui motu dixit: quin etiam veteres Rabbini Hebræi asseuerant, quòd cùm Moyses virga sua prodigia illa magna patraret, versus quattuor ventos illam mouens peruoluebat: idque Isaac Abarbanel præcipuè testatur, sua in Pentateuchum expositione, folio 142. columna 4. dum de ciniphum plaga agit, quam Deus in Ægyptios immisit: sic enim textus eius ex Hebraico in Latinum conuersus B habet: *Ecce autem quòd virga in manu eius erat, ad conuertendum illam versus quattuor ventos: nam ducebat ac retrahebat, eleuabat ac demittebat; scilicet vt plaga ista foret per omnem locum.* Hæc ille. Si igitur versus quattuor ventos virgam vertebat, necessariò Crucis signum eadem designabat; talique signo sanctissimæ Crucis virtutem & mysterium, quod Christi temporibus posteà publicandum ac perficiendum erat, innuebat. In cuius rei confirmationem ad institutum nostrum magnopere facere videntur ea, quę in peruetusto quodam libro Hebraico idiomate conscripto, qui extat in Bibliotheca Vaticana, cuius titulus est *Ghemariot*, Exod. 4. leguntur super verbis illis Exodi capite quarto, vbi Deus Moysi dixit: *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* In quo quidem libro apertè dicitur, quòd virga illa Messiam significabat; & signa quæ per eamdem virgam fiebant, miracula præsignabant quæ diebus Messiæ fieri debebant. Cuius libri verba ex Hebraico in Latinum sermonem versa sunt huiusmodi: *Virgam* C *hanc capies in manu tua, cum qua facies signa. Accentus desuper ostendunt aliam virgam, quæ non est ista. Hic est Messias, qui vocatur: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Hoc significat virgam hanc, id est, Messiam; & ostendit futuram, dicens: Cum qua facies signa. Hæc dictio Signa, habet accentum supra: indicat autem miracula futura diebus Messiæ. Isaias cap. 35. Tunc aperientur oculi cæcorum,* &c.

Sexta sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura, quæ sacro Exodi textu continetur, lignum illud est à Deo Moysi ostensum, vt in amaras Maræ aquas iniiceret; à quo in dulcedinem eam versæ sunt, vt sitibundi filij Israël ad satietatem bibere potuerint, ardentemque sitim illam, qua in deserto angebantur, Exod. 15. restinxerint; de qua figura in eodem sacro textu hæc præcipuè dicuntur: *Tulit autem Moyses Israël de Mari rubro, & ingressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inuenerunt aquam. Et venerunt in Mara; nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: vnde & congruum nomen loco* D *imposuit, vocans illud Mara, id est, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum; quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.*

Quam quidem figuram Iustinus Martyr innuere voluit, dum in disceptatione sua cum Tryphone Iudæo, ingrati populi illius incredulitatem atque perfidiam carpens, ait: *Vobis alimoniæ caussa, per Angelos, cælestes panes, manna scilicet, pluit; vt ne penuriam commeatuum annonæ quæreretis: & quibus vnda Mara in dulcedinem est conuersa, & lignum eius qui crucifixus erat in serpentibus exhibitum est: Deo vobis ante tempora sua omnia mysteria singulari gratia sua ostendere occupante; erga quem ingrati semper fuisse coarguimini.* Verùm hanc sanctæ Crucis figuram clariùs

Dialogo cum Tryphone Iudæo.

A clariùs atque altiùs his verbis explicauit Origenes: *Sicut lignum*, inquit, *quod missum est in amaram aquam, fecit dulcedinem; sic lignum passionis Christi missum in doctrinam eius, fecit panem illum dulciorem. Ante enim quàm immitteretur lignum in panem eius, quando tantummodò panis erat, & non erat lignum, in vniuersa terra non exierat sonus eius. Posteà verò quàm assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in vniuersum orbem passionis eius disseminatus est sermo. In cuius figura, & aqua in veteri Testamento ad tactum ligni dulcis effecta est.* In Ierem. cap. 12. Homil. 8.

Et alibi idem magnus expositor subiunxit, dicens: *Putásne, habet aliquid rationis, quòd non antè in Elim ducitur populus, vbi erant duodecim fontes aquarum, quibus nihil amaritudinis inerat, imò potiùs vbi erat amœnitas plurima, ex densitate palmarum: sed primò ductus est ad aquas salsas & amaras, quibus per lignum monstratum à Domino dulcibus effectis, posteà venitur ad fontes? Si historiam solam sequamur, non multùm nos ædificat scire ad quem locum primò venerit, & ad quem secundò. Si verò rimemur in his mysterium latens, inuenimus ordinem fidei. Primò enim ducitur populus ad litterã Legis; ab hac littera Legis, donec permanet in amaritudine sua, recedere non potest. Cùm verò per lignum vitæ, dulcis fuerit effecta, & intelligi Lex spiritaliter cœperit, tunc de veteri Testamento transitur ad nouum, & venitur ad duodecim Apostolicos fontes. Ibi etiam reperientur septuaginta palmeta. Non enim soli duodecim Apostoli fidem Christi prædicauerunt, sed & alij septuaginta missi ad prædicandum verbum Dei referuntur, per quos palmas victoriæ Christi mundus agnosceret. Non ergo sufficit populo Dei aquam Merrhæ bibere, quamuis in dulcedinem versa sit; quamuis per lignum vitæ & mysterium Crucis omnis litteræ amaritudo depulsa sit: solum vetus Instrumentum non sufficit ad bibendum; sed veniendum est ad nouum Testamentum, de quo absque scrupulo bibitur, absque vlla difficultate potatur. Judæi etiam nunc apud Merrham sunt, etiam nunc assident ad aquas amaras. Nondum enim eis Deus ostendit lignum, per quod dulces fierent aquæ ipsorum. Etenim prædixit eis Propheta: Quia nisi credideritis,* Isaiæ 7. C *neque intelligetis.* In Exodi cap. 15. Homil. 7. *Lignũ tollens amaritudinem in Mara, luculenta figura Crucis.* B

At longè breuiùs, vt assolet, figuram explicauit Tertullianus his verbis: *Hoc lignum Crucis tunc in sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcauit. Unde populus qui siti peribat in eremo bibendo reuixit: sicuti nos qui de sæculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur siti pereuntes, id est verbo diuino pastinati, ligno passionis Christi, aquam Baptismatis potantes, fide quæ est in eum reuiximus, à qua fide Israël excidit.*

Sanctus verò Ioannes Chrysostomus breuiter quidem, sed longè clariùs eamdem his verbis exposuit: *Quin etiam Moyses*, inquit, *demisso ligno in Merrham, amaras aquas dulces reddidit, in figuram Crucis Christi, qui mundum ex diaboli amarore dulcem fecit.* Sanctus etiam Gregorius Nyssenus iter illud describens, quod, Moyse ducente, filij Israël in desertum fecerunt, de amara aqua Maræ ab eodem Moyse per lignum in dulcedinem versa, sic ait: D *Iter post hæc Iudæi tribus peregerunt diebus, castrametatique in quodam loco fuerunt, vbi aquam repererunt amaritudine nimia nequaquam potabilem: sed lignum à Moyse in aquam immissum, in dulcedinem amaritudinem eius conuertit. Huic historiæ res ipsa, quam spiritualibus accidere Iudæis videmus, optimè congruit. Nam qui voluptatibus in Baptismo renuntiauit, quibus in priori vita seruiebat, amarum atque arduum Christi iugum ei primò videtur; sed lignum quoddam immissum, id est, resurrectionis mysterium, quod per lignum, per Crucem videlicet Christi, qui in Cruce mortuus est, id inquam resurrectionis mysterium toto corde admissum atque creditum, suauiorem reddit vitam, quæ secundùm Christum est, omnibus quæ dulcedine sensum perfundunt, spe futurorum iucundissimè conditam.* Hæc ille. De pretiosæ vitalisq. Crucis veneratione, tom. I. De vita Moysis.

Magnus verò pater sanctus Ambrosius longè clariùs, & meo quidem iudicio

Super Apocalypsim c.6.tom.3. magis appositè quàm prædicti, eamdem figuram declarat: *Post transitum*, inquit, *Maris rubri, venerunt in Marath, vbi aquas amaras inuenerunt, quas bibere non poterant. Et ostendit Dominus Moysi lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Per aquas amaras, lex Moysis designatur; per lignum autem, passionem Christi, eò quòd in ligno Crucis completa fuerit, debemus intelligere. Populus igitur qui ex Ægypto egressus est, aquas amaras inuenit, quia Legem acceperunt, quam implere non potuerunt. Sed Gentibus ad fidem Christi venientibus, amaritudo Legis per passionem & resurrectionem Christi in dulcedinem versa est, quæ ab eis spiritaliter, non carnaliter intellecta est.* A

Nec minùs doctè quàm Ambrosius filius eius spiritualis Augustinus eamdem ad Christi Crucis significationem accommodans, ait: *Ducitur populus per desertum. Baptizati omnes nondum perfruentes promissa patria, sed quod non vident, sperando, & per patientiam expectando, tamquam in deserto sunt. Et illic laboriosæ & periculosæ tentationes, ne reuertantur corde in Ægyptum. Nec ibi tamen Christus deserit: nam & illa columna non recedit; & amaræ aquæ ligno dulcescunt: quia inimici populi, signo Crucis honorificato mansuescunt; & duodecim fontes, septuaginta palmæ arbores irrigantes, Apostolicam gratiam præfigurant, populos in septenario numero decuplato rigantem, vt per septiforme spiritus donum, Legis Decalogus impleatur.* Et alibi idem Augustinus de ipsa hac figura agens, eamdemque clariùs explicans, inquit: *Vt ergo bibi possit aqua amara; ostendit Deus lignum, quod mittatur in eam, vt qui ex ea biberit, non moriatur, nec amaritudinem sentiat. Vnde constat, quòd si quis sine ligno vitæ, id est, sine mysterio Crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spiritali bibere voluerit de Legis littera, per amaritudinem moriatur. Hæc sciens Paulus Apostolus dicebat: Quia littera occidit; hoc est apertè dicere, Quia aqua amara occidit, si non per spiritum in dulcedinem conuertatur. Lignum ergo in aquam mittitur, vt in dulcedinem commutetur. Verum est, fratres, tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando Crucis lignum Baptismi sacramento coniungitur.* Hæc Augustinus. B C

(Cõtra Faustum Manichæum, lib.12. capite 30. tomo 6.) (De temp. Serm.90.)

Sanctus quoque Hieronymus breuiter quidem, sed clarè; hanc figuram ligni, quod amaram aquam Maræ in dulcedinem vertit, ad Crucis significationem, his verbis deducit: *Quæ aqua alio nomine vocatur Marath, hoc est amaritudo: in qua lignum Crucis mittitur, & amara vertuntur in dulcia.* (In Ezech. cap.47.)

Eamdem non minùs sanctè quàm doctè Isidorus Hispalensis hoc pacto exponit: *Egressus*, inquit, *populus de Mari rubro, occurrit Eremus, in qua tribus diebus ingredientes, non habuerunt aquam, & peruenerunt ad fontem Marath, qui ex amaritudine nomen accepit. Murmurat populus, videns aquas, & potare non sustinens. Mittit lignum Moyses in aquas, & factæ sunt dulces. Intellige amaras aquas, occidentis litteræ & Legis habere figuram. Quibus si immittatur confessio Crucis, & passionis Dominicæ sacramentum iungatur, tunc efficitur aqua miræ suauitatis; & amaritudo litteræ vertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis. Vnde & scriptum est: Constituit Dominus populo suo legem & iudicia, & tentauit eum. Alio quoque sensu, quòd aquæ amaræ ligno in se suscepto, dulcescunt; indicio erat, amaritudinem Gentium per lignum Crucis Christi, in rorem dulcedinis quandoque esse vertendam. Sciendum verò iuxta superiorem sensum, quòd primùm ductus est Israël ad aquas salsas & amaras; & ligno monstrato à Domino dulcibus effectis, posteà venitur ad fontes. Primò enim ducitur populus Israël ad litteram Legis: in qua donec permanet, de amaritudine recedere non potest.* D (Commẽt. in Exod. cap.21.)

Theodoretus etiam hoc miraculum amararum aquarum Maræ, quæ per lignum immissum in dulcedinem versæ sunt, ad sanctæ Crucis figuram sic deducit: *Superfluum*, inquit, *atque stultum est, quærere quæ silentio tradita sunt. Nobis autem sufficit cognoscere, aquam, quæ priùs erat amara, per lignum in dulcem mutatam esse qualitatem. Quæ res saluationem nostram præfigurat: Crucis enim salutare lignum,* (Quæst. in Exod.26.)

Mare

A *Mare Gentium amarum, dulce reddidit.* Immerge igitur Domine præcipuo gratiæ tuæ dono, memoriæ & cordis nostri fonti, sanctæ Crucis & passionis tuæ lignum, vt peccatorum nostrorum amaræ aquæ in bonorum operum tibi placentium dulcedinem vertantur. Vt postquam huius seculi amarum mare transiuerimus, ad æternorum gaudiorum dulcedinem tutè perueniamus in cælum, vbi cum omnibus Sanctis & electis tuis, te in æternum laudantes & benedicentes, iugiter dicere valeamus: Ecce in pace dulcis effecta est amaritudo mea amarissima. Amen.

CAPVT X.

De Moysis Virga, qua Horeb petrâ percussâ, copiosæ fluxerunt aquæ. De eodem Moyse, qui extensis brachiis Deum precatus B *est. De nomine Dei tetragrammaton; & de Hebræorum summi Sacerdotis vnctione.*

CVM ex deserto Sin filij Israël discessissent, tabernacula fixerunt, & castrametati sunt in loco, qui Raphidim appellatur, à monte Horeb non valdè distans; vbi cùm non adessent aquæ, quibus potarentur, acriter murmurauerunt contra Moysen, qui, Deo iubente, petram Horeb virga percussit, & copiosæ aquæ ex ea fluxerunt, quæ populi sitim ad satietatem vsque restinxerunt. In quo planè admirando facinore, Moysis virga septimam sanctæ Crucis quæ ex sacro Exodi libro decerpitur exhibuit figuram. De qua in eodem sacro textu hæc comperimus: *Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, & sume tecum* Exod. 17. *de senioribus Israël, & virgam, qua percußisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua,* C *vt bibat populus.* Quam figuram sanctus Augustinus mirabiliter ita exponit: *Dixit ergo ad Moysen Dominus: Tolle virgam, & percute petram, vt educat populo* De temp. *aquam. Ecce est petra, & habet aquam: sed hæc petra nisi percussa fuerit, aquas omnino* Serm. 93. *non habet; percussa verò, fontes producit & flumina, sicut in Euangelio legimus: Qui* Virga per- *credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Percussus enim Christus in Cru-* cutiens pe- *ce, noui Testamenti fontes eduxit. Necesse enim erat, vt ille percuteretur. Nisi enim ille* trā Horeb, *percussus fuisset, & de sacro eius latere sanguis & aqua manasset, vniuersus mundus* typus Cru- *sitim verbi Dei patiens interiisset.* cis Christi. Et alibi idem magnus Pater hæc adiecit: *Deni-* In lib. 50. *que percussa est petra ligno, vt aqua flueret. Virga enim percussa est. Quare ligno, non* Homiliarũ, *ferro? nisi quia Crux ad Christum accessit, vt nobis gratiam propinaret.* Hæc ille. Homil. 27.

Verùm sanctus Ioannes Chrysostomus longè breuiùs quidem, sed clarè admodum hanc ipsam figuram virgæ Moysis, qua petram percussit, ad sanctæ Crucis Christi significationem adduxit, dicens: *Moysis etiam virga, quæ silicem* De adora- D *discidit, Crucem Christi significabat, qui corda voluntatemque hominum diuisit; Spiri-* tione pre- *tusque sancti munus in eis inseruit.* tiosæ Cru- At Isidorus Augustini cogitationes pænè imi- cis Serm. tatus, illasque amplificando, de hac sanctæ Crucis figura sic inquit: *Post manna queritur populus ab ardore sitis, & fons de petra erupit. Eadem autem petra quæ per-* Commẽt. *cussa aquam euomuit, Christi figuram habuit: ad quem velut virga, lignum passionis ac-* in Exod. *cessit, vt emanaret credentibus gratia. Percussa enim petra, fons manauit. Percussus in* cap. 24. *Cruce Christus, sitientibus lauacri gratiam, & donum Spiritus sancti effudit. Petram enim istam, figuram habuisse Christi, probat Apostolus, cùm dixit: Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Quòd autem sitiens populus propter aquam murmurat aduersus Moysen, & propterea iubet Deus, vt ostendat eis petram de qua bibant; quid hoc significat, nisi quia si quis est qui legens Moysen, murmurat*

murat aduersus eum, & displicet ei Lex, quæ secundùm litteram est scripta, ostendit eis Moyses petram, quæ est Christus, & adducit eum ad ipsam, vt inde bibat, & reficiat sitim suam? Idem quoque ceteros veteres Patres secutus Beda, paucis affirmauit: *Dehinc petra percussa*, inquit, *aquam vomuit, quæ Christum significat. Percussus enim Christus in Cruce, sitientibus gratiæ lauacrum effudit.* A

In Exod. exposit. cap. 17.

Octauam sanctæ Crucis Christi figuram, quæ ex sacra Exodi historia colligitur, Moyses ipse expressit & efformauit, dum Deum precatus, vt Iosue ac populo suo contra Amalec victoriam tribueret, brachia aperta & sursum extensa tenebat; vt in eodem sacro textu hisce verbis scripto commendatum est: *Venit autem Amalec, & pugnauit contra Israël in Raphidim. Dixitque Moyses ad Iosue: Elige viros, & egressus pugna contra Amalec cras: ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec: Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum in quo sedit; Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius, in ore gladij.* B

Exod. 17.

De quo admirando facinore ac sanctæ Crucis indubitata figura Iustinus Martyr differens, inquit: *Cùm populus bellum gereret aduersus Amalec, & Naue filius Iesu nomine cognominatus, inter primos pugnaret, Moyses ipse Deum orabat, manibus vtrimque expaßis: Hur autem & Aaron eas die toto sustinebant, ne ipso defatigato demitterentur. Nam si quidquam remittebatur de signo isto Crucem imitante, prout in Moysæ litteris est scriptum, populus vincebatur: sin in statu isto permanebant, Amalec superabatur. Et qui fortis erat, per Crucem fortis rem præclarè gerebat. Non enim propterea quòd Moyses ita orabat, populus in prælio superior erat; sed quòd nomine Iesu in prima acie versante, ipse Crucis signum designabat.* Et paulò inferiùs idem Sanctus hæc adiecit: *Duos aduentus Christi fore, figuratè sub Moyse promulgatum antè dixi, per symbolum eorum qui in ieiunio offerebantur hircorum. Et rursum in eo quod Moyses & Iesus fecerunt, idem hoc Christi mysterium per figuram est prænuntiatum. Horum enim alter manus expandens in colle, ad vesperam vsque mansit manibus sustentatis: quod nullius alterius rei, quàm Crucis notam designauit. Alter verò Iesu nomine cognominatus, aliis in pugna præit; vnde victoria Israeli est parta.* Hæc Iustinus. C

In Dial. cũ Tryphone Iudæo.

Moyses extensis manibus vincens Amalec, typus est Christi crucifixi.

Pulcherrima sanè cogitatione inuestigauit Tertullianus, quidnam causæ esse potuerit, cur dum Iesus Naue & Israeliticus populus contra Amalec præliaretur, Moyses eleuatis manibus apertisque brachiis in monte consideret; cùm rebus in tanto discrimine versantibus, genibus potiùs flexis, manibus pectora tundentibus, vultuque humi prouoluto, præliatores potiùs oratione Deo commendare debuisset. Et denique respondet id non alia ratione factum, nisi vt innueretur, Crucis signum formamque necessariam quandoque futuram his, qui post Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi passionem, contra diabolum prẹliaturi essent. *Iam verò*, inquit, *Moyses, quid vtique tunc tantùm, cùm Iesus aduersus Amalec præliabatur, extensis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis vtique genibus positis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi voluta, orationem commendare debuisset? Nisi quia illic vbi nomen Iesu dimicabat, dimicaturi quandoque aduersus diabolum, Crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Iesus esset victoriam relaturus.* Hæc Tertullianus. D

Aduersus Iudæos, cap. 10.

Ioannes autem Damascenus hanc Crucis figuram hoc pacto breuissimè explicauit: *Manus cruciformiter extensæ Amalec repulerunt.* Quibus verbis Gregorius Nyssenus, his suis, supplementum aliquod afferre videtur: *Quam quidem victo-*

Orth. fidei, lib. 4. c. 11.

De vita Moysis.

A *victoriam*, inquit, *extensio manuum Moysis, per quam mysterium Crucis figuratur, præstitit.* Et sanctus Chrysostomus de eadem figura sermonem habens: *Quodam tempore*, inquit, *exteri quidam & peregrini populi, Israëlitis in ipsa solitudine bellum faciebant, nomine Amalecitæ. Moyses autem Iesum Naue filium, legatum sui exercitus, & successorem in imperio designatum, armatum proficisci iubet: ipse intereà in monte subsistens, manibus in cælum sublatis. Factum est cùm extenderet manus, vincebat Israel, & cùm demitteret ingrauescentes ob magnitudinem corporis, vincebat Amalec. Quid hæc figura sibi vult? Judæus quidem metuens, ne ex hac imagine gloria Crucis elucescat, Nihil, inquit, eorum quæ abs te finguntur, hæc figura continet. Confirmatio illa manuum, orationis figura erat; non imaginis, quam tu animo & mente concipis. Quod si ita est, & victoria illa fructus precationis fuit, cur igitur historia illa victoriam orationi non attribuit? Neque enim historia ita habet: Cùm Moyses precabatur. Liquet ergo illam victoriam non fuisse fructum vel præmium orationis, sed imaginis & configurationis manuum. Quando enim Moyses demisit manus, vincebatur Israel: quando verò explicabat, vincebatur Amalec. Si enim victoria illa orationi adscribenda, dicendum fuisset: Et quando Moyses precabatur, vincebat: sed, vt modò dixi, oratione interposita, non illa quidem inutili, & quæ nihil ad rem faceret, sed tamen quæ Crucis imagini concederet, hac figura & hoc signo victoriam illam describit. Quando enim Moyses manus expandebat, vincebat Israel. Quid autem manus expansa? Finge apud animum tuum manus expansas, vt adorandæ Crucis splendentem imaginem perspicias. Sed defatigatus est, inquit Scriptura, Moyses; neque enim manus, tanta corporis mole delassatæ, seruandæ illi configurationi suppetebant. Quid ergo? Ne illo schemate disturbato, victoria quoque amitteretur, astabant Moysi Aaron & Or, & manus subleuabant; ne euanescente Crucis imagine & cessante, victoria quoque manibus excideret. Quare verò omnino Aaron & Or manus suffulciunt? Aaron frater, Pontificis munere fungebatur: Or verò cognatus erat Regis. Itaque imaginem Crucis, sacerdotium & regnum, instar satellitij stipant, & tuentur.* Hæc Chrysostomus.

De serpẽte, quẽ Moyses erexit in solitudine, itemq; de Trinitate, Orat. 2. tomo 5.

B

C

Diuus quoque Gregorius Nazianzenus, licet obiter quidem, clarè nihilominùs innuit eleuationem illam manuum, illamque Moysis brachiorum extensionem in oratione, sanctæ Crucis figuram extitisse; dicens: *Hæc si feceris, atque ita Ægypto excesseris, mihi crede, nubis columna tibi die ac nocte iter præmonstrabit, asperitas deserti mitescet, mare tibi scindetur, Pharao aquis obruetur, panis pluuiæ instar pluet, & petra scaturiet; Amalec opprimetur, non armis tantùm, sed etiam expansis iustorum manibus, precationem simul atque insuperabile Crucis trophæum signantibus.* Sanctus etiam Cyrillus Alexandrinus, siue Iodocus Clithoueus, declarauit manus Moysis in oratione extensas figuram habuisse sanctę Crucis; qua, & oratione simul, superbum Amalec præliorum peritissimum, & contra Israëliticum populum exercitum ductantem, superauit: *Ipsius Crucis figuram*, inquit, *atque formam, manibus extensis referens Moyses, superbum Amalec pugnam scientem, atque in populum Dei ductantem exercitum, oratione ad Deum facta, vicit.*

Orat. 2. in Pascha.

In Ioan. Euang. libro 8. c. 17.

D

Sanctus autem Cyprianus Africæ primas & Christi Martyr fortissimus, ex perseuerantia illa Moysis permanendi vsque ad vesperam brachiis extensis, manibusque ad cælum leuatis, non solùm ansam arripuit huius figuræ mysterium explicandi, illamque ad sanctæ Crucis significationem deducendi; verùm etiam ad martyrij patientiam & tolerantiam sanctos Martyres hortandi, his verbis: *Quod exemplum perseuerandi & permanendi designatur in Exodo, vbi Moyses ad superandum Amalec, qui figuram portabat diaboli, in signo & sacramento Crucis adleuabat supinas manus. Nec vincere aduersarium potuit, nisi postquam stabilis in signo, adleuatis iugiter manibus perseuerauit.* Et alibi, licet breuiter admodum, clarè tamen asseruit, ab Iosue, per Crucis signum, quod Moyses brachiis figurabat

De exhortat. Martyrum.

rabat

rabat extensis, deuictum Amalec; sic enim inquit: *Hoc signo Crucis & Amalec victus est ab Iesu per Moysen.* Hæc Cyprianus. A

Augustinus verò non vno quidem doctissimorum ac diuinorum operum suorum loco, sed quamplurimis, hanc Crucis figuram altissimis sensibus, perutilibusque documentis constipatam explicare pergit; ibi verò præsertim, vbi de ea sic tradit: *Sunt autem quidam,* inquit, *qui se putant ad contemplandum Deum, & inhærendum Deo, virtute propria posse purgari, quos ipsa superbia maximè maculat. Nullum enim vitium est, cui magis diuina lege resistitur, & in quod magis accipiat dominandi ius ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa interclusor; nisi occultè insidians, alia via deuitetur; aut per populum deficientem, quod interpretatur Amalec, apertè sæuiens, & ad terram repromissionis repugnando transitum negans, per Crucem Domini, quæ Moysis manibus extensis est præfigurata, superetur.* Et alibi eamdem paucioribus explicat: *Obuios hostes, transitumque prohibentes atque præliantes, orante Moyse, manibusque eius in figuram Crucis extensis, nullo Hebræorum cadente prostratos.* Et iterùm Iudæorum perfidiam proscindens atque retundens, adiecit: *Nobiscum,* inquit, *est Moyses ille magnus amicus Dei, qui vt hostem vinceret præliantem, manus ad cælum extendit, iam tunc figuram Crucis Christi ostendens.* Et denuò contra Faustum Manichæum scribens, ad institutum hoc apposité subdit: *Et hostis intercludere molitus viam, extensis Moysis manibus, signo Crucis Dominicæ superatur.* B

De Trinitate, lib. 4. cap. 15. tomo 3.

De Ciuit. Dei, lib. 10. cap. 8.

De quinq. hæresibus contra Iudæos.

Cōtra Faustum Manichæum, lib. 2. c. 30.

Demum verò, idem magnus sanctæ Ecclesiæ Doctor, hæreticorumque durissimus malleus Augustinus, magna populorum qui eum audiebant ædificatione atque profectu, in suis ad plebem sermonibus, hac sanctæ Crucis figura vtiliter vtens, de ea sic disseruit: *Inierunt ergo bellum filij Israel; & Moyses vocat Iesum, & dicit ad eum: Elige tibi viros, & pugna contra Amalec. Vsque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id est Iesus, nusquam facta est. Hic primùm vocabuli huius splendor obfulsit. Moyses vocat Iesum; Lex inuocat Christum. Elige, inquit, tibi viros potentes. Non poterat Moyses eligere viros potentes; Iesus solus est, qui potest viros potentes eligere. Ipse vtique, qui dixit Apostolis suis: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ipse est, qui domum fortis intrauit, & vasa eius diripuit. Moyses autem ascendit in verticem collis. Et factum est, cùm eleuaret manus Moyses, vincebat Israel. Aduertite fratres: Moyses manus quidem leuat, non tamen extendit. Cui ergo seruabatur vt manus extenderet, nisi Domino nostro Iesu Christo, qui extentus in Cruce, vniuersum orbem complexus, brachia pietatis expandit? Moyses ergo leuauit manus, & licet non expandit, tamen ipsa eleuatione mysterium Crucis ostendit. Videte fratres, iam tunc per sacramentum Crucis superatas esse aduersarias gentes. Et nos, fratres dilectissimi, si adiuuante Domino manus erigimus, diabolum superamus. In manibus opera debemus accipere. Si ergo talia sunt opera tua, vt illa possis in altum in conspectu Domini leuare, potes etiam & tu in teipso aduersarios tuos extinguere. Quis benè manus leuat, nisi qui assiduè victum ac vestitum pauperibus subministrat? Quis benè manus leuat? Ille vtique qui implet illud Apostoli: Eleuantes, inquit, puras manus sine ira & disceptatione. Quia ergo quotidie nobis & vobis pugna imminet contra aduersarias potestates, si volumus vincere, manus nostræ, id est, actus nostri, & conuersatio nostra non sit in terris: sed sicut Apostolus dicit: Super terram ambulantes, conuersationem habeamus in cælo. Scriptum est tamen, quia sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita populus Israel ablinget populum Amalec super terram. Per quod indicari videtur quia populus Dei non tam manu & armis, quàm voce pugnabat & lingua, id est, orationem ad Deum fundebat. Ergo & tu, si vis vincere, audi Apostolum dicentem: Orationi insistentes, & vigilantes in ea. Hæc est Christiani pugna gloriosissima, non in suis viribus præsumere, sed semper Dei auxilium implorare.* Hactenus Augustinus. C D

De temp. Serm. 93.

Singula de Moyse, Iosue, & Amalec elegantissimè explicata.

Hiero-

A Hieronymus autem hanc ipsam figuram, breuiter tamen, interpretatus est hoc modo: *Moyses ascendit in montem, Jesus contra Amalec militat, ad Crucis signum superatur inimicus.* Et alibi hortaturus nos, vt à peccati somno ac morte expergiscamur, strenueque contra hostem antiquum sub inuicti Imperatoris Christi Domini nostri ductu pugnemus, adiecit: *Legatus qui ad Gentes missus est, hæc loquitur: Surge qui dormis, & eleuare à mortuis, & illuminabit te Christus. Ac ne forsitan grauis nobis & insolens pugna videatur; Me, inquit, habebitis primum in acie: ego ero ἀρχιστρατηγὸς, præliorum, qui & Iesu filio Naue gladium tenens apparui; & Amalec Crucis meæ vexillo, Moyse pugnante, superaui.* Hæc Hieronymus. Sanctus verò Isidorus, qui in allegoriis declarandis explicandisque nulli secundus habendus est, hanc sanctæ Crucis figuram interpretaturus, sic ait: *Post hæc Moyses ascendit in montem, & Iosue contra Amalec militat: tenet virgam Moyses, brachiaque sua in modum Crucis extendit: sicque hostis, id est, diabolus* B *viam cælestis patriæ intercludere moliens, signo Crucis Dominicæ superatur. Dum leuaret manus Moyses, vincebat Israel; rursus si inclinasset, superabat Amalec. Eleuantibus enim nobis actus nostros in cælum, rectores tenebrarum subiiciuntur: at contrà, remissis orantes manibus, hoc est, terrenam conuersationem sectantes, hostis victor insequitur.* Demum verò, vt hanc figuram absoluamus, in hymnis Cosmæ Ierosolymitani hæc habentur: *Figuram olim Moyses immaculatæ passionis in seipso præmonstrauit. Sacerdotum in medio existens, Crucem autem figurans, extensis trophæum palmis extulit, robur perdens Amalec. Ideò Christo canamus Deo nostro, quoniam glorificatus est.*

S. Hieron. Fabiolæ, de 42. mãsionibus, mãsione 11. Idẽ in Abdiam Prophetam c. 1.

In Exod. cap. 25.

In Theogniam in Exaltat. S. Crucis, Hym. 9.

Nona sanctæ Crucis figura, quam in sacro Exodi textu Doctores sacri speculantur, est sacrosanctum & ineffabile nomen Dei tetragrammaton, id est, quattuor litterarum; quod parua auri lamina Moyses cælari fecit, vt Aaron frater suus summus Sacerdos, ceterique successores fronti alligatam deferrent, sic C Deo expresse iubente, qui dixit illi: *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino.* Quam quidem Beda exponens, asserit nomen illud Domini sacratissimum, quod summus Sacerdos deferebat, sanctæ Crucis signum nostræque professionis fiduciam designasse, quam nos Christi fideles fronti insculptam gerimus, dicentes singuli cum Apostolo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et paulò inferiùs: *Et benè,* inquit, *quattuor litteris idem nomen Domini in fronte Pontificis erat scriptum: propter videlicet significantiam totidem partium Dominicæ Crucis, quam in fronte portaturi eramus; hoc est, supremam, dexteram, læuam, & infimam.* Hæc Beda. Beatus autem Petrus Damiani apertiùs atque etiam magis appositè eamdem figuram explicans, de ea sic tradit: *Signum salutis in fronte depingitur, vbi Sacerdos summus in Lege auri laminam in gloriam & decorem ponere videbatur: in qua lamina, gloriosum & ineffabile nomen Domini tetragrammaton videbatur insculptum. Quod nimirum quid* D *aliud, quàm Crucem videbatur exprimere Saluatoris? Sicut enim Crux quattuor habet cornua, ita & nomen illud quattuor litteris constat.*

Nomen Dei tetragrãmaton in fronte Sacerdotis, item figura est Crucis. Exod. 28.

De Tabernaculo, &c. lib. 3. c. 7. tom. 4.

De sancto Cassiano.

Decima sanctæ Crucis figura, quæ ex sacro Exodi textu colligitur, Vnctio fuit summi Hebræorum Sacerdotis; qui, Deo id expresse mandante, inungi consueuerat. Dixerat enim Deus Moysi: *Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi.* Vngebantur autem summi Sacerdotes oleo sancto, cuius compositionem Deus ipse Moysen docuit; expresse vetans alium hominem eodem hoc ipso oleo inungi, neque in vsus alios confici; ideoque dixit: *Hoc oleum vnctionis, sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud; quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, extermina-*

Exod. 30.

 bitur

bitur de populo suo. Prætereà ostendens ac docens quomodo id oleum compo- A
nendum esset, subdit: *Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum. Æqualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiama compositum opere vnguentarij mistum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Vbi notandum, onychen esse paruum quoddam conchylium, quod in paludibus Indiæ nascitur, vbi nardus etiam gignitur, ex quo suauissimus odor afflatur, quia nardo vescitur. Latinè onyx dicitur, quæ dictio ex Græco desumpta est, vnguem significans, quia conchylium hoc paruum est instar hominis vnguis.

Prædicto igitur oleo, quod Deus ipse dictauerat, summi Hebræorum Sacerdotes ac Reges eorum perungi consueuerant. Verùm licet eodem oleo summi B
Sacerdotes Regesque vngerentur; & licet olei ipsius effusio in vertice capitis summi Sacerdotis ac Regis eadem esset, nullo prorsus habito discrimine; forma nihilominùs atque figura vnctionis summi Sacerdotis à forma vnctionis Regis valdè distabat. Vnctio enim Regis fiebat in forma Hebraicæ litteræ כ Caph, id est, circuli siue coronę, quę totum caput circumdabat. At summi Sacerdotis vnctio, Chi Græci X, id est, Crucis formam referebat, vt veteres Hebræorum Rabbini testantur. Quamobrem Rabbi Isaac Abarbanel sua in Pentateuchum expositione, super Exodi caput 30. folio 206. columna 4. de hac vnctione habet hæc quæ sequuntur verba, ex Hebraico in Latinum translata: *Principale*, inquit, *seu conclusio est, quòd figura vnctionis in Sacerdote magno, non est eadem cum figura vnctionis Regum, cùm tamen fuerit effusio olei eadem super vtrosque. Dicunt enim in Ghemara Doctores nostri: Quonam pacto vngebantur Reges? sicut species Nazaræorum. Sacerdotes verò, sicut forma Caph litteræ כ, vel sicut X Græcum? Respondit ibi Rabbi* C
Menascia Bar Ghera: Sicut character X Græci.

Verùm animaduertendum est, Rabbinum hunc hoc vitio planè increpando meritò notari: verba enim atque auctoritates veterum Doctorum non integra, sed concisa recitare consueuit. Nam in Thalmud, & Tractatu Cheretot capite primo, verba illa à prædicto Rabbino citata sic habentur: *Quonam pacto vngebantur Reges? Respondit: Vngebantur veluti corona circum circa caput: Sacerdotes verò veluti* X; *stillabatque oleum super caput Aaron, & hinc inde in quattuor partes descendebat, veluti quattuor pretiosæ guttæ. Iterùm quærit: Quid sibi vult Chi? Respondit Rabbi Menascia: Sicut figura Chi Græci* X. Sic enim ibi præcisè scriptum est; vbi Rabbi quoque Salomon idem affirmat; dicit enim: *Sicut littera Græca, quæ formatur hoc modo* X. Idem quoque dicitur in libro cui titulus est Menacot, capite octauo. Atque etiam in Raboth, id est, Glossa magna in Pentateuchum, Exodi capite 30. vbi agitur de vnctione summi Sacerdotis: idque litteris pariter com- D
mendatum est in libro Auen Scioehu.

Vnctio summi Sacerdotis fiebat per modum X.

Si vnctio igitur summi Sacerdotis fiebat in forma Chi Græci X, vt Rabbini isti testantur, atque vt re ipsa verum erat: per consequens necessarium est, perfidos recentiores Iudæos fateri eamdem in forma Crucis fieri; cuius quattuor extremitates à quattuor illis olei guttis apertissimè figurabantur, quæ ab vncti Sacerdotis capite in quattuor partes defluebant. Quam Crucis formam littera Tau Hebraica referebat, antequam Esdras post transmigrationem Babylonis, litterarum characteres eis immutaret; vt alibi iam diximus, & vt Rabbi etiam Azarias testatur in suo Alphabeto antiquo. Vnctio autem summi Sacerdotis in Crucis forma, ea potissimùm ratione fieri consueuerat, quòd mystica eius cærimonia

A monia innuere videbatur, venturum quandoque verum vnctum Christum Dominum nostrum, summum æternumque sacerdotem, qui in ara sanctæ Crucis seipsum æterno Patri oblaturus erat sacrificium; pacificans ei per proprium sanguinem omnia, quæ sursum sunt in cælo, & quæ in terra deorsum. Sacrificium Deo planè gratissimum: sacrificium omnium sacrificiorum: sacrificium, cuius non summorum sacerdotum Hebræorum sacrificia tantùm, sed & cuncta, quæ à mundi exordio ad illud tempus Deo oblata fuère sacrificia, vmbram atque figuram extitisse constat.

Ad quod appositè Augustinus: *Tunc vngebatur*, inquit, *Rex & Sacerdos. Duæ istæ illo tempore vnctæ personæ. In duabus personis præfigurabatur futurus vnus Rex & Sacerdos, vtroque munere vnus Christus; & ideò Christus à chrismate. Non solùm autem caput nostrum vnctum est, sed & corpus eius nosipsi. Rex autem est, quia nos regit & ducit: Sacerdos, quia pro nobis interpellat. Et quidem solus ille Sacerdos talis extitit, vt ipse esset etiam sacrificium. Obtulit Deo non aliud quàm seipsum. Non enim inueniret præter se, mundissimam rationalem victimam, tamquam agnus immaculatus, fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, vt in illo & nos Christi essemus. Ideò ad omnes Christianos pertinet vnctio: prioribus autem veteris Testamenti temporibus, ad duas solas personas pertinebat. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes vngimur.* In Titulo Psalm.26.

B

Et alibi ad institutum hoc ipsum subdit: *Reges autem vngebantur, & Sacerdotes: ille verò vnctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnauit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pugnauit pro nobis, quasi victus est, iure autem vicit: crucifixus est enim, & de Cruce sua, in qua erat fixus, diabolum occidit; & inde Rex noster. Vnde autem Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inueniret homo quod daret? Mundam victimam. Quam victimam? Quid mundum potest offerre peccator? ô inique, ô impie, quidquid attuleris, immundum est, & aliquid mundum pro te offerendum est. Quære apud te quid offeras, non inuenies. Quære ex te quod offeras; non delectatur arietibus nec hircis nec tauris; omnia ipsius sunt, etsi non offeras. Offer ergo illi mundum sacrificium. Sed peccator es, impius es, sed conscientiam inquinatam habes. Poteris fortè aliquid mundum offerre purgatus: sed vt purgeris, aliquid pro te offerendum est. Quid ergo pro te oblaturus es, vt munderis? si mundatus es, poteris offerre quod mundum est. Offerat ergo seipsum mundus Sacerdos, & mundet; hoc est, quod fecit Christus. Nihil mundum inuenit in hominibus, quod offerret pro hominibus: seipsum obtulit mundam victimam, hostiam immaculatam. Felix victima, vera victima, munda victima, hostia immaculata. Non ergo hoc obtulit, quod nos illi dedimus: imò hoc obtulit, quod à nobis accepit, & mundum obtulit. Carnem enim à nobis accepit, hanc obtulit. Sed vnde illam accepit? De vtero virginis Mariæ, vt mundam offerret pro immundis. Ipse Rex, ipse Sacerdos.* Ipsi honor & gloria per ęterna sæculorũ sęcula. Amen. In Psal.149

C

D

CAPVT XI.

De decem Præceptis legalibus, quæ lapideis tabulis incisa, Deus Moysi dedit: de Arca testimonij: de Propitiatorio: de mensa: de candelabro: & de altari holocaustorum.

DECEM fuère legis Præcepta, quæ digito suo lapideis tabulis inscripta Deus Moysi tradidit; & ex numero hoc, vndecima sanctæ Crucis figura decerpitur, quæ Exodi historia continetur. Veteres enim cùm denarium numerum significare vellent, eumdem decussatæ Crucis signo demonstrabant. De quorum mandatorum traditione ac receptione hæc in textu sacro: *Fuit ergo ibi* Exod.34.

cum Domino Moyses *quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit; & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Ad cuius figuræ expositionem quod attinet, sic tradit sanctus Isidorus: *Ascendit*, inquit, *itaque Moyses denuò in montem: iterumque dat ei Deus Legem in aliis tabulis adinstar priorum præcisis. Sed quid significauerunt eædem Tabulæ, quas primùm à Domino Moyses accepit, & sine mora confregit? Tabulæ illæ imaginem demonstrabant priscæ Legis, non post longum interuallum pro populi peccato cessantis. Aliæ verò adinstar priorum iteratò incisæ, noui Testamenti habuère figuram. Istæ non franguntur, vt ostenderetur noui Testamenti eloquia permansura. Vnde & meritò decem verbis legenda signantur, vt per eumdem numerum figura Crucis exprimeretur. Huius enim formæ in decus X, littera est: nam recto vno apice à summo vsque ad imum ducitur. Rursum alio non dispari per transuersa brachiorum componitur. Vnde & ipse ait: Non veni legem soluere, sed implere. vtique per passionem Crucis, cuius imago fuit in Tabulis.* A

Commēt. in Exod. cap. 38.

Duodecima Crucis figura quæ ex sacro Exodi textu colligitur, nostris sese obtutibus exhibet in Arca testimonij, quam Deus mandauit Moysi, vt ex ligno setim fieri curaret. Itidemque in Propitiatorio, in candelabro, & in altari, quod ex eodem ligno setim pariter constructum erat. Quod quidem lignum, vt diuus Hieronymus asserit, in deserto nascitur, albæ spinæ speciem referens. Quocirca suis in Isaiam Commentariis asserit, Arcam, omniaque Tabernaculi instrumenta ex ligno hoc fuisse constructa: *Est autem*, inquit, *genus arboris nascentis in eremo, spinæ albæ habens similitudinem, vnde omnia ligna Arcæ & Tabernaculi facta sunt instrumenta, quæ appellantur setim.* Omnia hæc aliaque instrumenta sacraque vtensilia, in interiori Tabernaculo asseruabantur reposita: de quo Hegesippus: *Duo*, inquit, *erant Tabernacula sacra, vnum interius, alterum exterius. In hoc semper introibant sacerdotes: in illud interius, quod Secundum appellabatur, semel introibat tantummodò Princeps sacerdotum, non sine sanguine, quem offerebat pro se & pro populi delicto. Hoc significante Spiritu sancto, venturum Iesum, qui verè solus intraret interiora diuinorum penetralia sacramentorum, & arcana substantiæ cælestis; qui nosset omnia, solus quoque Patri sanguine suo totum mundum reconciliaret, vt cælestium & terrestrium misereretur. Denique posteaquam venit, pacificauit omnia per sanguinem Crucis suæ, quæ vel in cælo vel in terra sunt. Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quòd ita ad Deum Patrem sicut incensum dirigatur maximi sacerdotis oratio: mensa, quòd in ea passio Christi sit, & mysteria Sacramentorum; vnde & Dauid dicit: Parasti in conspectu meo mensam. Cuius velut duodecim panes, duodecim Apostoli sint testes passionis eius, ac resurrectionis eius. Lucerna, quæ supra candelabrum ponitur, antè sub modio erat, id est, sub Legis mensura, nunc est sub gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eò quòd Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminaret.* B C

Christus crucifixus, præfiguratus in tota fabrica veteris Tabernaculi.

In Isaiam, lib. 12. c. 41.

De excidio vrbis Ierosl. lib. 5. c. 9.

Candelabrum autem Crucis symbolum & figuram extitisse, non ex eo tantùm quòd brachia siue ramos habebat, qui hinc inde extendebantur, sed quia lumine suo tabernaculum illuminabat, Clemens Alexandrinus testatur: *Habet*, inquit, *aliud quoque ænigma aureum candelabrum signi Christi, non figurâ solâ, sed eo etiam quòd lucem immittat multifariàm multisque modis in eos qui in ipsum credunt, sperant, & respiciunt.* Sanctus etiam Augustinus innuit, idem candelabrum Crucis symbolum & figuram habuisse, cùm dixit: *Dicebat Apostolus: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Istud lumen illuminatū erat à lumine sempiterno ipso Domino nostro Iesu Christo, & in candelabro positum erat, quia in eius Cruce gloriabatur. vnde ait: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Præceperat Deus Moysi, vt candelabrum ex auro purissimo construeret, quod talenti pondus haberet, dicens: *Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissi-* D

Stromat. lib. 5. c. 3.

Epist. 209. 1. Cor. 10.

Galat. 6.

A *puriſſimi.* Et alibi ſubditur: *Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis.* Super quibus verbis Rupertus Abbas inquit: *Talentum maximum centum librarum eſt & viginti: magnum pondus, grande ſignificat talentum mundi, quod appenſum in libra Crucis, appoſitam lancem prægrauando excußit, & peccata noſtra in mare proiecit. Quod quia mundißimum aurum eſt, id eſt, quia Deus ab omni ſorde mundißimus Christus eſt, tota in pondere eius redemptio noſtra peracta eſt. Et quia, cùm perfectus Deus & homo ſit, paßionum dolores pertulit, & ſic ad reſurrectionis gloriam peruenit, rectè candelabrum ductile fuit.* Quòd verò altare ipſum etiam Crucis ſymbolum & figuram præ ſe tulerit, Auguſtinus pariter (ſiue vt alij autumant, Ioannes Chryſoſtomus) innuit, dicens: *Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus. Et vbi immolatus eſt? Dicito, In altitudine Crucis. Nouum eſt altare ſacrificij huius, quoniam immolatio noua & admirabilis eſt.*

Exod. 25. & 37. In Exod. lib. 4. c. 8.

De Cruce, & latrone, Serm. 49. tom. 20. in Appendice de diuerſis.

Tu igitur Hoſtia ſacratiſſima cunctis ſpiritibus admirabilis & adoranda, quæ
B pro nobis miſeris in ara Crucis offerri voluiſti, gratiæ tuæ dono præcipuo nobis concede, vt nos viciſſim grata memorique mente, gratiam quibus poſſumus dignis honoribus perſoluentes, cor & animam tibi offeramus. Et vt ſacrificium noſtrum tibi gratum & acceptum ſit, da nobis ſpiritum vera peccatorum pœnitentia contribulatum: cor compunctione contritum, & confeſſione humiliatum. Cor enim contritum & humiliatum tu miſericordiarum Deus non deſpicies. Dele iniquitates & peccata noſtra, quibus in conſpectu tuo malum facientes, in grauiſſimam tui offenſionem incurrimus. Innoua in viſceribus noſtris rectum Spiritum ſanctum tuum, qui à terrenarum rerum vilitate, & à peccatorum fœditate nos erigens, ad cæleſte deſiderium erigat, in boniſque operibus adiuuando confoueat, vt ſpiritu principali confirmati, gratia tua donante, ad cæleſtem beatamque Ieruſalem peruenire mereamur, vbi laudes gloriaſque tuas concinamus in ſæcula ſæculorum. Amen.

C

CAPVT XII.

De tribus ſanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti figuris, quæ ſacro Leuitici textu continentur.

ABSOLVTIS ſanctæ Crucis figuris, quas Exodi ſacra pandit hiſtoria, conuertemur ad eas, quas nobis Leuitici ſacer theſaurus promit. Quarum prima quæ ibi innuitur, vitulus ille eſt maſculus & immaculatus, quem filij Iſraël ad Dominum ſibi placandum offerebant. Quod quidem ſacrificium quonam ritu offerendum eſſet, Deus ipſe Moyſi præcepit his verbis: *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus, id eſt, de bobus & ouibus offerens victimas; ſi holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de armento,* Leuit. 1.
D *maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonij, ad placandum ſibi Dominum: ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron ſacerdotis ſanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium tabernaculi. Detractaque pelle hoſtiæ, artus in fruſta concident; & ſubiicient in altari ignem, ſtrue lignorum antè compoſita.* Pro cuius figuræ expoſitione hæc appoſitè Origenes: *Addit, inquit, & ligna altari, quo ignis animetur, & ardeat is à quo non ſolùm de corporalibus virtutibus Chriſti, ſed etiam de diuinitate eius ſermo miſcetur. De ſurſum enim eſt diuinitas Chriſti, quò ignis iſte feſtinat. Conuenienter ergo omnia hæc, quæ in corpore à Saluatore geſta ſunt, cæleſtis ignis abſumpſit, & ad diuinitatis eius naturam cuncta reſtituit. Lignis tamen adhibitis, ignis iſte ſuccenditur. Vſque ad lignum enim carnis paßio fuit*

Vitulus immolatus quomodo præſignarit Chriſtum. Origenes in Leuit. c. 1. & 2. Homil. 1.

fuit Christi. Vbi autem suspensus in ligno est, dispensatio carnis finita est. Resurgens enim à mortuis ascendit in cælum, quò iter eius natura ignis ostendit. vnde & Apostolus dicebat: Quia etsi cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Holocaustum namque carnis eius per lignum Crucis oblatum, terrena cælestibus & diuinis humana sociauit. A

Sanctus verò Isidorus suis in Leuiticum Commentariis apertè ostendit, sacrificium non tantùm immaculati vituli, de quo nunc nobis est sermo; sed & omnia alia sacrificia, de quibus in hoc sacro Leuitici libro agitur, Crucis & passionis Domini nostri Iesu Christi vmbram & figuram habuisse. sic enim: *Hostiarum diuersitates exequitur sequens Leuitici liber, quarum typus imaginem passionis Christi præferebat. Nam postquam ipse oblatus est, omnes illæ hostiæ cessauerunt, quæ in typo vel vmbra eiusdem præcesserant; præfigurantes illud sacrificium, quod vnus & verus sacerdos obtulit Mediator Dei & hominum. Cuius sacrificij promissas figuras, in victimis animalium celebrare antè oportebat, propter emundationem futuram carnis &* B *sanguinis: per quam vnam victimam fieret remissio peccatorum de carne & sanguine contractorum, quæ regnum Dei non possidebunt; quia eadem substantia corporalis in cælestem commutabitur qualitatem. Ipse enim in vitulo, propter virtutem Crucis offerebatur: ipse in agno, propter innocentiam: in ariete, propter principatum: in hirco, propter similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum: in turture & columba, propter Deum & hominem; quia Mediator Dei & hominum, in duarum substantiarum coniunctione ostendebatur. Porrò in similagine conspersionis, credentium per aquam Baptismatis collectam Ecclesiam (quæ corpus est Christi) perspicuè demonstrabat. Nos autem moraliter munus Deo offerimus vitulum, cùm carnis superbiam vincimus; agnum, cùm irrationabiles motus & insipientes corrigimus; hædum, dum lasciuiam superamus; columbam, dum simplicitatem mentis ostendimus; turturem, dum carnis seruamus castitatem; panes azymos, dum non in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis ambulamus.* C

[Comment. in Leuit. cap. 1.]

Et paulò inferiùs eamdem materiam prosecutus, adiecit: *In exordio Leuitici,* inquit, *quattuor genera principalium oblationum describuntur, quæ in odorem suauitatis Domino offerri iubentur: id est, primum, vitulum de armentis sine macula: secundum, agnum de ouibus: tertium, turturem & columbam: quartum, similaginem conspersam in azymo, oleo vnctam, in clibano coctam. Reliqua autem sacrificia pro qualitatibus causarum, in persona populi offerebantur. Primum itaque sacrificium, id est, vitulus ex armentis, Christum demonstrat, ex Patriarcharum progenie descendentem. Hic aratro Crucis suæ terram carnis nostræ perdomuit, atque Spiritus sancti semine, virtutum fruge ditauit. Iste vitulus sine macula est, quia sine peccato ad passionem ducitur. Offertur autem non in tabernaculo, sed ad ostium eius, quia extra portam passus est Christus. Per filios autem Aaron sacerdotis offertur sanguis eius: quod de Anna & Caipha intelligitur, qui consilium facientes, effuderunt sanguinem Christi.*

[Comment. in Leuitic. cap. 6.]

Secunda sanctæ Crucis figura quæ ex sacro Leuitici textu colligitur, lignorum illa strues fuit, super qua extra castrorum portam caro & pellis vituli cremabatur, postquam ad ostium tabernaculi pro peccatis sacerdotis immolatus erat. Nam pellis & caro illa, Christi Domini nostri humanitatem præsignabat, quæ super sanctæ Crucis ligno extra Ierosolymorum ciuitatis portam crucifixa est. De qua figura in eodem sacro textu hæc leguntur: *Si Sacerdos qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino. Pellem verò & omnes carnes cum capite & pedibus, & intestinis, & fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, vbi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Quam figuram Apostolus D

[Leuitici 4. *Strues lignorũ extra castra, figura Crucis Christi extra portam.*]

A stolus declarauit, cùm ait: *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Super quibus verbis hæc infert Rupertus Abbas: *Dubium*, inquit, *esse non licet, quoniam illud, quòd corpus hostiæ iubetur extra castra cremari, hoc significet, quòd Dominus Iesus extra portam passus est; Apostolico affirmante testimonio. At illa semel extra portam cremata sunt, quando pellem nostræ mortalitatis atque corruptionis excoxit ignis passionis super struem lignorum, id est in patibulo Crucis; ac demum ipso resurgente à mortuis, id quod mortale erat, à vita absorptum est.* Hebr. 13. In Leuitic. cap. 16.

Tertia Crucis figura quæ in Leuitici libro continetur, ritus siue cærimonia illa fuit, quæ Deo iubente vsu recepta erat, cùm leprosus quispiam mundabatur à lepra. Nam duos passeres viuos offerre tenebatur, quorum alter immolabatur, & sanguine eius septies aspergebatur is, qui à lepra mundabatur; asperſorio B nempe hyssopi, cuius asperſorij manubrium ex ligno cedrino conficiendum erat, cui alligabatur hyssopus filo rubeo, cocco tincto. Quæ cærimonia magis distinctè in eodem textu his verbis descripta est: *Hic est ritus leprosi, quando mundatus est. Adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris, cùm inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos passeres viuos pro se, quos vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyssopum: & vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili, super aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino & cocco & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum qui mundatus est, septies, vt iure purgetur. Et dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet.* Quem quidem textum Isidorus clariùs declarans, asserit, dictionem illam, *Duos passeres*, iuxta Hebraicum sensum nomen esse genericum auium; & ideò Origenes duas gallinas dixit. Deinde verò expositionem suam idem clariùs prosequens super verbum illud, *Lignum cedrinum*, subdit: *Ex hyssopo fiebat asperſorium,* C *ligabaturque ad baculum cedrinum cum filo rubeo, quod appellat vermiculum, eò quòd lana esset tincta in sanguine cuiusdam vermiculi, quod interpretes interdum vertunt coccum vermiculi.* Leuit. 14.

Quod quidem sacrificium ac cærimoniam Origenes ad sanctæ Crucis figuram deducit his verbis: *Nondum enim*, inquit, *eadem die is qui purgatur à lepra, diuino altari dignus efficitur. Propter quod mandat Legislator, vt eadem die qua purgatur, accipiantur duæ gallinæ ad purificationem eius. Puto autem quòd & hîc illius gallinæ intellectus latenter habeatur, per quam purificatio efficitur peccatoris; de qua scriptum est: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Indiget tamen vt per lignum cedrinum purificetur is qui purificatur. Impossibile namque est, sine ligno Crucis peccati lepram posse purgari; nisi adhibeatur & lignum, in quo Saluator (sicut Apostolus Paulus dixit) exuit Principatus & Potestates, triumphans eos in ligno. Iungitur tamen ad emundationem lepræ huius, etiam coccus tor-* D *tus, sociatur & hyssopus. Coccus tortus figuram sacri sanguinis continet, qui de eius latere per lanceæ vulnus exortus est. Et hyssopus. Hoc genus herbæ naturam habere Medici ferunt, vt diluat & expurget, si qua illæ pectori hominum sordes ex corruptione noxij humoris insederint. Vnde & necessariò in expurgatione peccatorum, huiuscemodi graminis figura suscepta est. Coccus verò, quod sæpè sumptus sit ad salutis subsidia, in diuinis referri Voluminibus inuenimus; sicut in partu Thamar: Cùm vnus, inquit, prior protulit manum. Accipiens autem obstetrix coccum, alligauit manum eius dicens: Hic exibit prior. Sed & Rahab meretrix cùm exploratores suscepisset, & pactum salutis acciperet, & illi, Pone, inquiunt, signum resticulam coccineam, & alligabis eam in fenestra ista, per quam deposuisti nos. Obserua tamen & illud, quòd non ipse sacerdos immolare gallinam dicitur: nondum enim dignus est hic qui fuit leprosus, vt ipse sacerdos pro eo immolet:* In Leuitic. c. 12. & 13. Homil. 8. *Mysteria mundationis leprosi doctè accommodata Cruci.*

molet: propter quod nec sanguis gallinæ offertur ad altare; sed dicit, quia occidetur gallina in vasculo fictili, in quo vase aqua viua sit missa, vt & aqua adsumatur ad purificationem, & compleatur plenitudo mysterij in aqua & sanguine, quod dicitur exisse de latere Saluatoris. A

Asperge igitur Domine Deus noster & Redemptor noster me peccatorem indignum veræ atque humilis pœnitentiæ hyssopo, quæ me à prauis atque letalibus peccatorum humoribus expurget, & mundabor à lepra iniquitatum, quæ extra gratiæ tuæ castra, tamquam leprosum me miserum expellunt. Et quemadmodum pretioso sanguine tuo, & aqua Baptismatis abluisti me; sic modò, cùm plusquam anteà mea grauissima culpa sim pollutus, præcipuo gratiæ tuæ dono mihi concede, vt in lacrymarum mearum fonte ex contritionis amaritudine manante, meipsum lauem, sordesque meas diluam; ita vt vera confessione purgatus, atque integra satisfactione dealbatus, donante id gratia tua, (quæ ex peccatoribus iustos facit) anima mea iam tandem ante conspectum tuum, super niuis albedinem candidata perueniat. Amen. B

CAPVT XIII.

De Benedictione, quam veteres Hebræorum sacerdotes, Deo iubente, populo dabant; & de ea, quam recentiores, illos imitati, dare se putant, Crucis signum in ea, nescientes quid faciant, in maiorem suam confusionem formantes.

PRAECEPERAT Deus per Moysen veteribus Hebræorum sacerdotibus, vt populo benedicerent; ex cuius benedictionis forma, prima sanctæ Crucis figura decerpitur quæ sacro Numerorum textu continetur, circa quam Deus C
Numer. 6. ipse sic Moysen allocutus est: *Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabunt nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* In quo notandum est, quòd vbi in vulgata editione nostra dicitur; *Inuocabunt nomen meum super filios Israël:* Hebraica versio habet; *Et ponent nomen meum super filios Israël.* Quamobrem antiqui Hebræorum putauere sacerdotes, id non tantùm opus esse, quo in populi benedictione Deo exactè obtemperarent, vt Dei nomen super eum verbis imponerent, sed & ipsius etiam manus adaptatione, ea forma atque figura, eamdem manum, dum populo benedicerent, conformatam & coaptatam ostendentes & extendentes, vt aliquo modo nomen Dei, quod ore promebant, indicarent. Quod & hodie quoque perfidorum Iudæorum recentiores obseruant sacerdotes, qui veri tamen sacerdotes non sunt, arbitrati in hoc se veteres Israëlitici populi sacerdotes imitari; Deo tamen id in ipsorum peruicacissimæ perfidiæ maiorem ignominiam & confusionem fieri permittente: quandoquidem hoc pacto nescientes quid faciant, signo Crucis populo benedicunt, vt inferiùs ostendemus. D

Benedictio fiebat inuocato, hoc est, desuper expresso nomine Domini.

Quoniam verò antiqui sacerdotes, dum populo benedicerent, sanctum & ineffabile nomen Dei יהוה Iehoua promere consueuerant; quod præter sacrosancta & admirabilia ea quæ continet mysteria, ipsius etiam Dei vnitatem & Trinitatem significat, ob id, dum populo benedicerent, licet mysterium hoc non rectè intelligerent, tribus digitis tantummodò erectis, manus extendebant. Quo quidem gestu ac cærimonia, Dei vnitatem in essentia, & Trinitatem in perso-

A personis, quæ sacratissimo eo nomine, quod ore promebant, continetur, proculdubiò innuebant. De quo nomine Rabbi Moyses Ægyptius agens, libro suo, cui titulus est More, Partis primæ capite sexagesimo, asserit, omnia Creatoris nomina, quæ libris quibuscumque comprehenduntur, ab effectibus deriuata esse, præter nomen vnum tantùm, Iehoua, quod Creatoris altissimi nomen est proprium. Et propterea vocatur *Sem hammephoras*, id est, nomen expositum, siue declaratum; innuitque, nomen istud, demonstratione ac significatione perfecta & manifesta, in qua neque æquiuocatio, neque commistio vlla sit, significare ac demonstrare semper solitum, nihilque esse in hoc nomine, quod Deo & creaturæ sit commune. Cetera verò ipsius gloriosa nomina æquiuocè & mistè significare; quia à similibus his quæ in nobis sunt operibus manant.

Quòd autem nomen istud sanctissimum, Dei vnitatem in essentia, & Trinitatem in personis, verè ac realiter contineat atque demonstret; ex litteris ipsis
B quibus conscribitur, apertè probatur. Quæ quidem litteræ, licet quattuor sint, vnde non incongruè à Græcis Tetragrammaton appellatur; re ipsa tamen, tres tantummodò sunt, id est, י Iod, ה He, ו Vau. Verùm quia secunda littera He, in prædicto nomine bis ponitur, id est, in secundo & quarto loco; propterea quattuor esse videntur. Istæ igitur tres litteræ in solo & vnico nomine, solum & vnum Deum in personis tribus, admirabiliter demonstrant. Prima namque ipsarum, id est, Iod, *principium* interpretatur; cùm ipsa eadem ceterarum omnium sit principium, & ab eadem vnaquæque earum, quibus nomen hoc sacratissimum conscribitur, sumat originem: ipsa verò à nulla alia trahit initium. Quocircà Patri meritò tribuitur: qui cùm à nullo nascatur, Filius verò ab ipso generetur, & Spiritus sanctus ab vtroque procedat, propterea principium sine principio dicitur. Secunda autem littera ה He, quæ *esse* aut *viuere* significat, Filio
C propriè adscribitur, per quem omnia quæ facta sunt, esse cœperunt. De quo iam sanctus Ioannes testimonium perhibuit, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat.* Denique verò tertia littera Vau, quæ significat *&*, estque dictio copulatiua siue coniunctiua, Spiritum sanctum optimè innuit, à Patre & à Filio æqualiter procedentem. Qui cùm sit amor ipse, quo Pater Filiusque vicissim diliguntur; propterea vtriusque connexio & vinculum rectissimè nuncupatur. Secunda autem littera ה He, bis in eodem nomine sanctissimo posita est, ad duas naturas denotandas, quæ sunt in secunda sanctissimæ Trinitatis persona; natura diuina scilicet, & natura humana.

Iehoua quomodo Deũ vnum & trinum innuat, doctißimè explicatum.

Ioan. 1.

Quamobrem non est quòd miremur, si Moyses ex Dei præcepto sacerdotes Hebræos docens benedictionis formam & verba quæ in ipso actu effundendæ benedictionis in populum proferre deberent, tres benedictiones expressit, quas
D ab vno solo Domino, eodemque in Deitate & essentia vnico, trino autem in personis, accepturi erant: attributa insuper in eisdem benedictionibus innuens, quæ vnicuique ex tribus sanctissimæ Trinitatis personæ adscribi solent, dicens: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Quasi diceret: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*, potentia sua; quæ Patri tribuitur. *Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui*: secundam innuens Trinitatis personam, quæ humanam faciem atque naturam assumptura, magnum diuinæ misericordiæ excessum in Crucis ligno operatura erat; per quod reconciliati nos æterno Patri, ipseque vicissim nobis placatus, quemadmodum aliàs Deus vltionum dicebatur, nunc misericordiarum Deus appellari voluit.

Numer. c. 6. in fine.

Demum

Demum verò Moyſes, iubente Deo, tertiò ſubdit: *Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* quod proprium eſt Spiritus ſancti diuinum atque præclarum facinus; ſine cuius amore & charitate, nulla pax haberi aut conſeruari poteſt. A

Quod verò in prædicto nomine Iehoua, Dei vnitas in eſſentia, & trinitas in perſonis includatur ac manifeſtè demonſtretur, præter rationes antedictas, quibus clariſſimè probatur, apertè id etiam faſſus eſt Rabbinus Haccados, quem Iudæi Rabenu Haccados, id eſt, Magiſtrum noſtrum ſanctum appellant; qui Antonino Romano Conſuli ſcribens, in prima petitione libri ſui, quem*Gale Razayà, id eſt, Secretorum reuelationem appellat, verba hæc, à Petro Galatino ex Hebraico in Latinum conuerſa, profert: *Poſtquam autem hoc tibi aperui, animaduerte nomen quattuor litterarum, prout ſcriptio eius eſt: ſic enim ſcribitur in lingua noſtra Hebraica* יְהֹוָה *ipſum Deum generantem ſignificare. Et quia non poteſt eſſe generans abſque generato, neceſſariò amor à generante in generatum, & è conuerſo procedere debet.* B *Quoniam ſi hoc non eſſet, non generaret; & ſi non procederet amor à generante in generatum, diſtingueretúrque generatus à generante, duæ ſubſtantiæ eſſent. Propterea nos volumus, generantem & generatum vnam eſſe ſubſtantiam. Idcircò neceſſe eſt, ex altero in alterum procedere amorem. Ea propter ex hoc Sem hammephoras deriuatum eſt nomen duodecim litterarum. Eſtque Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: quæ in lingua noſtra Hebraica duodecim litteris ſcribuntur.* אב בן ורוח הקדש. Erat nomen iſtud ſacratiſſimum apud Hebræos tanta veneratione excultum, vt nullo pacto id pronuntiare auderent. Sed quoties id ſcriptum reperirent, pro Iehoua proferebant Adonai, quod *Dominum* Latinè ſonat. Sacerdotes tamen illud pronuntiabant, prout ſcriptum erat, dum in ſanctuario populo benedicebant. At extra illud, nec ipſis etiam id proferre licebat. Hæc cærimonia & ritus iſte benedicendi populo cum nomine Dei quattuor litterarum tribus manuum digitis tantùm erectis, ad Simeonis Iuſti vſque tempora perdurauit, qui Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum vlnis ſuis ſuſcipere meruit, vt Petrus Galatinus, Rabbini Moyſis Maimonis filij auctoritate ſuffultus teſtatur: C *Hæc autem benedictio cum nomine Dei quattuor litterarum, quæ cum tribus digitis ambarum palmarum erectis, & duobus depreſſis fiebat, ad deſignandam diuinarum perſonarum Trinitatem, per ipſum nomen ſignificatam, in Simeone Iuſto, qui Chriſtum infantulum ſuſcepit in vlnis, penitus defecit; vt Rabbi Moyſes Maimonis filius, in primo & ſexageſimo capitulo primæ partis libri More atteſtatur his verbis: Ex quo mortuus eſt Simeon Iuſtus, ceſſauarunt fratres eius, ſacerdotes ſcilicet, cum nomine Dei quattuor litterarum populo benedicere. Erant autem poſt ipſum, cum nomine duodecim litterarum benedicentes.*

* Iſte liber Gale Razayà hodie non reperitur, quia malitioſè à Iudæis ſupprimitur.

Petrus Galatinus, libro 2.c.10.

Mira de nomine Dei tetragrammaton Iehoua.

Petrus Galatinus, libro 2.c.10.

Et verè quidem ac rationi conſonum planè fuit, vt poſt Simeonem Iuſtum ceſſaret ritus & cærimonia benedicendi populo cum nomine Dei quattuor litterarum, quod ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium in ſeipſo implicitè continebat; D quia tunc aduenerat Meſſias, cui ſoli id explicitè declarandi ac mundo manifeſtandi munus reſeruatum erat. Quocircà, quemadmodum vſque ad Simeonis tempora conſueuerant ſacerdotes populo benedicere prædicto quattuor litterarum nomine, & tribus manuum digitis tantùm erectis, duobuſque depreſſis; vt hoc pacto innuerent ſacratiſſimum myſterium prædictum ad ea vſque tempora adhuc integrè reuelatum ac declaratum non fuiſſe: ſic iure optimo, poſt veri Meſſiæ Chriſti Domini noſtri aduentum, Simeonis in ſacerdotio ſucceſſores benedictionem in populum effundere cœperunt cum nomine duodecim litterarum; quod Patris, & Filij, & Spiritus ſancti proprium nomen eſt, & cum omnibus manuum digitis erectis atque extenſis: vt hoc modo ſignificarent,

A rent, ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium mundo iam manifeſtum, & propalàm declaratum eſſe.

Quod autem nomen duodecim litterarum, verè Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomen fuerit; præter eam quam ſuperiùs auctoritatem adduximus, veritatis huius Hebræis fidem faciant ipſi litterarum ſuarum characteres. Nam tria nomina hæc, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, in eorum idiomate, duodecim litteris conſcribuntur, id eſt, אב Ab, quod Patrem ſignificat, בן Ben, quod Filium, ורוח הקדש Veruah Accados, quod Spiritum ſanctum: quæ omnia ſummatim collecta, duodecim ſunt litteræ; vt hîc videre licet, אב בן ורוח הקדש. Verùm aliquo pòſt Domini ac Redemptoris noſtri tempore tranſacto, Rabbini Hebræi, qui ad ſanctam fidem conuerti noluerunt, & quibus potiùs in cæca peruicacia & voluntaria perfidia perſiſtere placuit, cùm prædictum benedicendi modum in nomine duodecim litterarum, qui ſanctiſſimæ Trinitatis my-

Alia item mira de nomine Dei duodecim litterarũ.

B ſterium adeò propalàm innuebat, votis ſuis haudquaquam reſpondere perſpicerent, nomine *Sciaddai* deinceps benedicendum eſſe ſtatuerunt; antiquumque ritum reformantes, nouum modum pro animi proprio motu conſtituerunt, quo in poſterum populo benedicendum eſſet.

Quamobrem in libro cuius titulus eſt *Sciulcham Haruch*, quem Rabbi Ioſeph Carus compoſuit, folio 25. numero 128. in ſacerdotum manuum eleuationum iudiciis, quadraginta quinque proponuntur obſeruanda in actu benedictionis ab eiſdem ſacerdotibus dandæ; inter quæ hæc ibi dicuntur: *Duodecima res hæc eſt: Erigere debent ſacerdotes manus ſuas verſus humeros proprios, manumque dexteram ſupra ſiniſtram altiùs aliquantulùm eleuabunt: & dum*
C *manus extendent, digitos eo pacto diſpertient, vt inter eos quinque ſpatia conſtituant; id eſt, inter duos digitos medios, vnum ſpatium; inter indicem & pollicem, aliud ſpatium; & inter vtrumque pollicem, aliud ſpatium. Manus autem ita extendent, vt interior pars earum, id eſt vola, ad terram; exterior verò ad cælum vergat.* Sicque reipſa hodie recentiores etiam, qui apud Iudæos ſacerdotum funguntur officio, (licet re vera ſacerdotes non ſint) ordinationibus prædictis inhærendo, dum benedictionem effundunt, manus ſuas in hanc formam componunt.



D Verùm vt is qui in tenebris ambulat, cùm à recta ſemita aberrauit, nunc huc nunc illuc inaniter peruagatur; ſic cæci atque infelices Hebræi, qui à vera via & veritate procul abeunt, nullam prorſus in rebus ſuis ſtabilitatem aut firmitatem habere poſſunt. Vnde non defuerunt recentiores Rabbini, qui hanc ipſam formam & manuum poſitionem reformare, & in modum alium immutare conati ſunt. Præcipuè verò inter eos Rabbi Bechaiai apud ipſos ſubtilis, verba prædicta ſacri textus exponens; *Et ponent nomen meum ſuper filios Iſraël*; aſſerit, hanc poſitionem nominis Dei ſuper filios Iſraël, non ſolùm ore, ſed manu, hoc pacto fieri debere; videlicet nomen Dei שדי *Sciaddai*, dextera manu, digitiſq; formantibus, & brachio extenſo; id eſt, pollice & indice, litteram ד Daleth configurantibus & exprimentibus; litteram ש Scin tribus digitis

mediis;

 A

mediis; Iod verò, quæ minima est, auriculari. Qua manus positione, nomen Dei omnipotentis Sciaddai, in benedictione, de qua agimus, optimè expressum ac figuratum iri asseuerauit, hac forma.



Hæc idem Rabbinus dixit; subtiliter quærens, quonam pacto prædicta nominis Dei Sciaddai positio super filios Israël fieri debeat, verbum textus præfati, *Et ponent*, iuxta litteralem sensum diligenter expendens. Quæ quidem expositio valdè subtilis est, textuique ac sensui B antedicto satis conformis. Verùm enimuerò, non perspiciunt neque animaduertunt miselli & infelices isti, quò maiores tenebras veritati offundere nituntur, ipsam clarissimi solis instar splendidiorem elucere. Quandoquidem forma hac, & manuum coaptatione in tres cuspides & extremitates erectarum & extensarum, sanctissimæ Trinitatis mysterium euidentiùs quàm vmquam, non tantùm innuere pergunt, sed quod planè admirabilius censendum est, sanctæ Crucis figuram manifestè atque apertè repræsentant. Permittitque diuina iustitia, in peruicacissimæ perfidiæ eorum confusionem, tanta eos cæcitatis atque amentiæ caligine obrui, vt nec hoc quidem animaduertant; cùm luce clarius sit, quòd siue ad vnum, siue ad alterum ex duobus hisce modis manus aptare ve- C lint, dum in nomine sacratissimo Sciaddai benedicunt, non tantùm, vt iam diximus, sanctissimæ Trinitatis mysterium apertiùs quàm vmquam anteà innuunt, signumque sanctæ Crucis clarissimè formant atque demonstrant, sed in mysterio etiam exprimunt redemptionem ac diuinam benedictionem illam, quam in eodem admirabili sanctæ Crucis instrumento credentibus & fidelibus suis verus Messias Christus Dominus noster operatus est, cui nomen hoc sanctum Sciaddai propriè conuenit. Nam licet omnia nomina quæ Deo dignè tribuuntur, Messiæ quoque ipsi pro eius diuinitate iure aptari possint; inter cetera tamen omnia, nomen Sciaddai magis propriè ei conuenire videtur, vt re ipsa ostendemus. Sanctus Hieronymus hoc nomen sanctum inter cetera Dei optimi maximi nomina referens, illud interpretans, inquit: *Saddai, quod Aquila interpretatur ἄλκιμον, quod nos robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus.* At nominis eiusdem veram etymologiam, veramque significatio- D nem tradit Rabbi Moyses Ben-Maimon, eo in libro quem Hebræi Morè Hannebochim appellant, primæ partis cap. 43. in fine, verbis his ex Hebraico idiomate in Latinum conuersis: *Nomen*, inquit, שַׁדַּי *Sciaddai compositum est ex verbo* דַּי *dai, quod est sufficit, & ex littera quæ Scin dicitur, verbum autem* דַּי *dai sufficientiam significat. Porrò littera* שׁ *quæ huic nomini Sciaddai præponitur, idem est, quod* אֲשֶׁר *asser, id est qui. Quamobrem Sciaddai idem est quod asser dai, id est, qui sufficit, vel qui sufficiens est, vel qui sufficientia est.* Hæc ille.

Rabbini nescientes mysterio Trinitatis & Crucis famulantur.

S.Hieron. Marcellæ, epist. 136. tom. 3.

Verùm id nomen secundæ personæ sanctissimæ Trinitatis Christo Iesu, vero Messiæ, vero Deo veroque homini magis propriè tribuitur, vt huius rei fidem astruunt verba Eliuh, quem diuus Hieronymus Balaam Prophetam siue ario-

A ariolum fuiſſe autumat, qui cum Iob ſermonem conferens, vt oſtenderet ſe ab æterno Verbo, id eſt, ab ipſo Chriſto, per quem facta ſunt omnia, creatum fuiſſe, ait: *Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis viuificauit me.* Quæ verba ſecundùm veram Hebraicam verſionem ita ſonant: *Et anima Sciaddai viuificauit me.* id eſt, anima illius, qui ad omnia perficienda ſufficiens eſt, me creauit & viuificauit. Et quoniam nec Pater neque Spiritus ſanctus animam habere dicuntur, ſed ſolus Dei Vnigenitus, Patris virtus & ſapientia animam illam habet, quam ſibi coniunxit cùm humanam aſſumpſit naturam; palàm eſt, Eliuh ſiue Balaam de nullo alio quàm de Chriſto intelligere voluiſſe, cùm dixit: *Anima Sciaddai viuificauit me.* Quaſi diceret: *Anima illius qui ad cuncta creanda iam ſufficiens fuit*, quique ſolus ad humanum genus redimendum atque ſaluandum ſufficiens fuit, me viuificauit; prout etiam viuificabit omnes, qui in Adami peccato mortui viua fide in ipſum credent.

Iob 33.

De nomine Sciaddai, quod proprium eſt Meſſiæ.

B Quòd autem nomen id ſanctum Sciaddai, verè Meſſiæ Chriſto Domino propriè tribuatur, clariſſimè etiam probatur ex primo verſiculo Pſalmi illius, qui in noſtra Vulgata editione eſt nonageſimus, in Hebraica autem nonageſimus primus; cuius initium eſt: *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* quæ verba Hebræi ſic legunt: *Habitans in velamento Altiſſimus, in vmbra Sciaddai morabitur.* Quaſi apertè ita diceret: Habitans Altiſſimus, id eſt, Verbum æternum, vnigenitus Dei Filius, in velo humanitatis & ſacratiſſimi Corporis ſui; idem Sciaddai, qui ſolus ſufficiens eſt pro vniuerſo humano genere ad ſatisfaciendum, nouem menſium ſpatio habitabit in vmbra, id eſt, in puriſſimæ & immaculatæ Virginis vtero. Quodque hoc in loco de Chriſto Domino Scriptura loquatur, Euſebius Cæſarienſis ſuper verbis eiuſdem Pſalmi affirmat, dicens: *Saluator & Dominus noſter Ieſus, qui Chriſtus Dei eſt, dum quatenus homo factus eſt, conſideratur, habitans dicitur in adiutorio Altiſſimi, vtpote cùm in pro-*
C *tectione Dei & Patris commoretur.*

De Demõſtratione Euangelica li. 9. cap. 7.

At quantum miſeræ atque infelices benedictiones, quas hodie peruicaces & perfidi iſti, qui inter Iudæos falsò ſe ſacerdotes eſſe putant, in ſuos effundunt, Deo ſint abominabiles, iam antiquis ac maioribus ipſorum, altiſſimæ Maieſtatis nomine Malachias Propheta denuntiauerat atque prædixerat; inquit enim: *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô ſacerdotes: Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis; quoniam non poſuiſtis ſuper cor. Ecce ego proijciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* Quibus in verbis illud notandum eſt, quod ſeptuaginta Interpretes iuxta verſionem quam ſanctus Hieronymus prodit, pro eo quod in noſtra Vulgata dicitur, *Ecce ego proiiciam vobis brachium*; ipſi interpretati ſunt, *Ecce ego ſeparabo vobis humerum.* Quo loco idem Propheta aper-
D tè innuit, ingratam ac perfidam generationem iſtam, ſacerdotij dignitate & honore à Deo priuandam. Humerus enim pars illa erat immolatorum animalium quæ ad ſacerdotes ſpectabat.

Benedictiones perfidorum Iudæorum Deo abominabiles.

Malach. 2.

Inaniter ergo & falsò miſeri & infelices iſti ſacerdotis nomen & officium ſibi arrogant. Grauiſſimis enim peccatis atque perfidia ipſorum ſic exigentibus, tanto honore meritò priuati ſunt, Prophetiaque antedicta in totum adimpleta fuiſſe probatur. Iuxta cuius vaticinij præſagium nunc per orbem terrarum diſperſi, cunctarum nationum ſerui, miſeri & mendici oberrare conſpiciuntur; furtis tantummodò & vſuris, aliiſque ſordidiſſimis artibus quæſtum facientes; ſuntque opprobrio & abominationi cunctis populis, maledicente Deo eorum benedictionibus. Ita vt quemadmodum olim parentibus ipſorum minitatus

est, velle se in vultus eorum, ventriculos & stercora proiicere oblatorum sibi animalium in sacrificiis, quæ summopere abominabatur; (non quidem quo ad ipsa, quæ propter figuram, quam præsignabant, non nisi gratissima ei esse poterant, sed propter Simoniacas prauitates, sacrilegia, & oppressiones, quas infami auaritia eos obcæcante, in eisdem patrabant) sic ipsius excelsa Maiestas nunc permittit, iusto suo sic disponente iudicio, vt benedictiones istorum qui in sacerdotio illorum successores esse se iactant, in maledictiones vertatur. Et quemadmodum eorum solemnitates ac superstitiosæ cærimoniæ, propter incredulitatem atque perfidiam in Dei Altissimi conspectu velut stercora putent; ita & ipsi quoque mundo sint graueolentes & putidi, non secùs ac si vultus stercoribus aspersos perferrent. Quorum miserandæ obstinationis diuinæ bonitati tandem misereri placeat, vt veritatis lucem qui Christus est agnoscentes, à tantæ cæcitatis tenebris liberentur. Amen.

CAPVT XIIII.

De Racemo vuæ admirabilis magnitudinis, quem Hebræorum exploratores à Terra promißionis è vecte pendentem aßportarunt: & de Aaronis Virga quæ floruit.

CVM Israëliticus populus in desertum Pharan peruenisset, præcepit Deus Moysi, vt viros aliquos ex Principibus ad Terram promissionis recognoscendam & considerandam mitteret. Qui inde reuersi, vt ostenderent quanta esset Regionis illius fertilitas, vuæ racemum inde asportarunt tantæ magnitudinis, vt è vecte pendentem à duobus viris deferri necesse fuerit. Qui quidem botrus ligno appensus secunda erit Crucis & Christi Domini nostri crucifixionis figura, quæ in sacri Numerorum libri litteris obumbratur. vbi de ea sic: *Pergentesque vsque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri.* Ad quam figuram alludit, licet paulò subobscurè, Clemens Alexandrinus his verbis: *Naturalis itaque & sobrius potus, sitientibus necessarius, est aqua. Eam ex prærupta petra manantem, veteribus Hebræis vnicum ac simplicem temperantiæ potum suppeditauit Dominus. Oportebat autem eos, vtpote errantes, esse maximè sobrios: posteà sancta vitis botrum germinauit propheticum. Hoc signum est iis qui ad quietem ex errore insti tuti sunt; magnus botrus, nempe Verbum pro nobis expressum, cùm sanguis vuæ, Verbum scilicet, aqua temperari voluerit. Sic etiam sanguis eius salute temperatur.*

Botrus vuæ ligno appensus, insignis typus Christi crucifixi.

Numer. cap. 13.

Pædagog. li. 2. cap. 2.

Pro quorum verborum Clementis, quæ re vera aliquantulùm subobscura sunt, clara intelligentia, Gentianus Heruetus Commentator eius hæc subdit: *Quòd sit autem potus necessarius,* inquit, *probat ex eo, quòd Dominus Hebræis in solitudine errantibus & sitientibus non alium suppeditarit potum, quàm aquam ex petra manantem. Cur autem aqua eis esset bibenda, hanc affert rationem, quòd cùm errarent in desertis, & in maximis versarentur periculis, sobrios esse oporteret, & cauenda ab eis esset ebrietas. Post diuturnos autem errores, & plurimos exantlatos labores, cùm ad quietem, id est, ad Christum esset ventum (is enim est qui afflictis & laborantibus animis dat requiem) non fuit ampliùs bibenda pura & simplex aqua, sed vinum aqua temperatum, id est, Christi sanguis, qui ab ipso Christo, & ex ipso tamquam ex botro in Crucis torculari expressus, ab ipso in cœna fuit contemperatus; sumendus à fidelibus, non solùm ad sitim sedandã, sed etiam ad propulsandos animi morbos, & ad expianda peccata. Ideò enim & in Cruce semel fuit expressus & fusus, & in sancta eius mensa & ara quotidie quidem, sed mysticè funditur. Hoc, nempe Christum, cuius sanguis in Cruce expressus,*

mysticè

A *mysticè in cœna funditur, significat ingens ille botrus, qui ab iis qui ad explorandam terram missi fuerant, ad ingressuros promissam Terram Israëlitas fuit delatus. Hunc botrum, nempe Christum, germinauit vitis sancta, id est, Ecclesia, quæ ab Abele ad nos vsque est propagata. Propheticum autem botrum Christum vocauit Clemens, quòd ab omnibus Prophetis is prædictus fuerit & prænuntiatus.* Hæc ille.

Verùm figuram hanc ipsam aliquanto clariùs, paucioribusque verbis sanctus Gregorius Nyssenus sic explicauit: *Racemus enim ex ligno dependens, quisnam alius erit, quàm is, qui in nouissimis sæculis ex ligno pependit? Cuius sanguis, potus factus est credentibus salutaris, Moyse id ænigmaticè nobis prædicente: Sanguinem enim, inquit, vuæ bibebant vinum; qua ex re salutaris Christi passio prænuntiatur.* At diuus Ambrosius maiori piorum lectorum vtilitate & genere dicendi, in quo omnes sententiarum allegantur lepôres, eamdem figuram interpretatus de ea sic tradit: *Sicut botrus,* inquit, *redditurus vinum, priùs in vinea quadam naturæ arte suspenditur; ita & Christus redditurus vinum spirituale martyrij, in Crucem quadam prouidentia diuinitatis aptatur. Ipse planè botrus est, quem duo exploratores illi, hoc est, Iesus Naue, & Caleb filius Iephone, in phalanga ad filios Israël propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum iam tunc præfigurabat aduentum Domini Saluatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in Cruce Christus appensus ostenditur. Duo autem in phalanga portantes vuam, duo populi demonstrantur; Christianus vtique, & Iudæus. Et sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter subsequens: ita prior Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedens quod portat non videt, & retrorsum idem semper habens, quadam dorsi auersione contemnit; qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur: ita ergo Iudæus & Christianus populus. Judæus enim prior est, Christum in Lege portat, & retrorsum eum ponens, quadam dorsi auersione contemnit. Vnde ait Propheta: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Christianus verò sequens populus, Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum vicinitate complectitur. Et quantum eum ille populus prauo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.* Hæc Ambrosius.

De Vita Moysi.

Serm. 72. de Natali sancti Cypriani.

B, C (margin letters)

Augustinus autem quasi magistrum secutus, iisdem sensibus mysticis iisdemque animi conceptionibus pænè vsus, eamdem figuram exposuit his verbis: *Dictus est enim Dominus botrus vuæ, quem ligno suspensum de Terra promissionis, qui præmissi erant à populo Israël, tamquam Crucifixum attulerunt.* Et alibi vtilioribus documentis eamdem figuram fusiùs explicans subdit: *Hæc vua in ligno suspensa, duorum defertur obsequio: quæ nobis vtique, sicut iam dictum est, duûm Testamentorum repræsentatur oraculis, quæ in ligno Crucis pependit, cuius vinum in pretium nostrum passionis expressione profluxit. Hanc vuam duo deferunt, inserto vecte pendentem. Possunt isti duo etiam Christianum vel Iudaicum populum figurare. Isti ergo sunt duo, id est, Synagogæ vel Ecclesiæ populi. Et quia prior fuit Judæorum populus,* D *præcedit Judæus, sequitur Christianus. Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum: hic obsequium præfert, ille contemptum. Ideò de Iudæis Propheta testatur: Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Incedunt duo sub sacro fasce ordine suo; hic semper videt, ille semper relinquit. Judæus autem proximum se æstimat, sed absentat. Christianus ergo præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur: quia Christus, sicut credenti salus, ita onus est non credenti. Judæis enim ille specialiter annuntiatus (de quibus dictum est: In sua venit, & sui eum non receperunt) factus est eis lapis offensionis, & petra scandali; & quem Israël non cognouit, Gentium fides recepit. Et ideò pòst sequitur iste, sed spem suam sub oculis habens, antecedit, & proficit. Ille prior graditur, sed deserit, & recedit. Portat quidem Christum in Lege Iudæus, sed à gratia, quam in mysteriis portat, auersus est: quia*

In Psal. 8.

De tempore, Ser. 100. qui incipit: *Modò cùm diuina lectio legeretur.* To. 10.

Portat Christum Iudaus, portat & Christianus, sed dispari fructu.

quem prædicatione suscepit electus, corde perdit incredulus: & quem vnus aspernatur in Lege, alter miratur in corpore. Vnde amborum Dominus & Redemptor noster, ab hoc adorante gestatur, & ab illo se auersante suspenditur. Ac sic impletum est in Iudæis: Posuerunt ad me dorsa, & non facies suas. Et quia Christum Dominum, quem prior populus Iudæorum & post dorsum reliquit & crucifixit, nos posteà venientes adorare & portare meruimus, secundùm illud quod Apostolus ait: Glorificate & portate Deum in corpore vestro; quantum possumus cum ipsius adiutorio laboremus, ne à ceruicibus nostris tam sanctam sarcinam malis operibus deponamus. Sarcina enim Christi leuare consueuit, non premere. Sic & ipse in Euangelio dixit: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Si enim iugum Christi subdita & humili ceruice suscipimus, magis nos portat, quàm à nobis portetur. Sicut enim iugum sæculi semper premit, ita iugum Christi leuare consueuit. Et quia omnis homo aut Christum portando erigitur, aut iugum sæculi sustinendo ad inferiora deprimitur; attendat vnusquisque conscientiam suam: & si de sanctis cogitationibus, & bonis operibus iugum Christi portare cognouerit, gaudeat, & Deo gratias agat, & cum grandi solicitudine vel timore perseuerare contendat: qui verò luxuriosis cogitationibus, & malis operibus durissimo huius mundi iugo se nimium grauari cognoscit, orationibus, ieiuniis, vel eleëmosynis proïjciat iugum diaboli; vt mereatur excipere iugum Christi: & de omnibus malis actibus suis cum Propheta fideliter dicat: Dirumpamus vincula eorum, & proïjciamus à nobis iugum ipsorum. Tunc enim de illa spirituali vua, de qua nobis vinum lætitiæ prælum Crucis expressit, cum secura conscientia bibere poterimus, si nos nec luxuria sordidauerit, nec iracundia combusserit, nec inflauerit superbia, nec auaritia obscurauerit, nec inuidia vipereo veneno percusserit. Omnia enim ista corde suo debet depellere, qui ad altare desiderat vel optat accedere. Et quia spiritalis vindemia, id est, Paschalis solemnitas imminet, in qua festiuitate botrus ille, de quo superiùs diximus, per iniuriam vel pondera Crucis expressus est; de tanta ac tali vua accepturi calicem salutaris, & vinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis vel pectoris nostri, cum grandi nitore ac diligentia, ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleëmosynis, & præcipuè castitatis nitore mundemus: contra nullum hominem odium in corde seruantes; & non solùm amicos, sed etiam inimicos & aduersarios diligentes, cum secura conscientia in oratione Dominica dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hæc omnia pro figuræ huius expositione Augustinus.

In Num. cap. 11.

Et sanctus Isidorus in hanc ipsam quoque figuram scribens, ait: *Ille autem botrus vuæ, quem in ligno de Terra repromissionis duo aduexere vectores, quid significat? Botrus dependens è ligno, vtique Christus est, ex ligno Crucis promissus Gentibus, de terra Genitricis Mariæ secundùm carnem terrenæ stirpis visceribus effusus. Duo baiuli, qui sub onere botri illius incedebant, populus est vterque. Cuius prior Iudaicus cæcus & auersus, ignarus pendentis gratiæ, & pressus onere suspensi, cui subïjcietur iudicanti. Qui verò posterior veniebat, populi Gentium gerebat figuram, qui credens, & Christum ante oculos habens, semper eum portans videt; & quasi seruus Dominum, & discipulus Magistrum sequitur; sicut ipse Dominus in Euangelio ait: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. Hic est autem botrus, qui effusus in salutem nostram, vinum sanguinis sui, Crucis contritione profudit, atque expressum passionis suæ calicem Ecclesiæ propinauit.*

Virga Aaron florens & frondens, Crucis fructiferæ imago. Num. 17.

Tertia sanctæ Crucis figura quæ in sacro Numerorum libro legentibus innuitur, fuit virga Aaron, quæ inter ceteras omnes duodecim tribuum Israëlitici populi virgas, quamuis arida, miraculosè tamen floruit, cùm ad populi illius murmurationem sedandam ostendere vellet Deus, quemnam in summum Sacerdotem elegisset, vt in eodem sacro textu hisce verbis ad Posterorum memoriam proditum est: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad filios Israël,*

A *Israël, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis Principibus tri-
buum virgas duodecim, & uniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ. nomen au-
tem Aaron erit in tribu Leui, & una virga cunctas seorsum familias continebit:
ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, vbi loquar ad te. Quem ex his
elegero, germinabit virga eius: & cohibebo à me querimonias filiorum Israël, quibus con-
tra vos murmurant. Locutusque est Moyses ad filios Israël: & dederunt ei omnes
Principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.
Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij: sequenti die re-
gressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eru-
perant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.*

Quam quidem figuram Origenes explicans, ad sanctæ Crucis significatio-
nem accommodat his verbis: *Omnis ergo Princeps tribuum habeat necesse est vir-* In Num.
gam suam. Sed vnus solus est (sicut Scriptura refert) Pontifex Aaron, cuius virga ger- cap. 16.
B *minauit. Verùm quoniam (vt sæpè ostendimus) verus Pontifex Christus est, ipse solus* & 17. Homilia 9.
est, cuius virga Crucis non solùm germinauit, sed & floruit, & omnes hos credentium quæ inci-
populorum attulit fructus. Et post nonnulla idem Origenes hæc addidit: *Verum-* pit: *Apud*
tamen, inquit, *de virgis, vt dicere cœperamus, vnum promisit Deus fructum in vir-* *Deum vt intelligi*
ga, & plures dedit. Sed attendite diligentiùs, si fortè possimus liberalitatem Dei largio- *datur*, &c.
*rem etiam ipsis suis promissionibus edocere. Si fortè & ex his illam ineffabilem bo-
nitatem Dei, quæ in Scripturæ littera semper tegitur, rimari atque inuestigare poteri-
mus, cùm largiorem in præstando quàm in promittendo videamus. Igitur sermo Scriptu-
ræ de qua nunc loquimur, ita habet: Et erit, inquit, homo quemcumque elegero, virga
eius germinabit. Hoc est solum quod promisit Deus, vt virga eius quem elegerit, ger-
minet. Vbi verò ad rem venitur, vt quod promissum est, ostendatur impletum, non
vnum illud quod promissum fuerat, effectum dicitur. Sed vide quanta addantur. ait
enim: Et ecce germinauit virga Aaron in domo Leui. Est hoc vnum illud sine dubio,*
C *quod fuerat repromissum; sed adduntur & alia, & dicitur: Et produxit frondes, &
protulit flores, & germinauit nuces. Cùm ergo de solo germine fuisset promissum, vide
quanta largitur Deus, vt non solùm germen produxerit, sed & frondes: & non so-
lùm frondes, sed & flores: & germinauerit non solùm flores, sed & fructus. Quid igi-
tur est, quod ex his colligere & contemplari debeamus? Primò omnium, resurrectionis
ex mortuis sacramentum. Virga enim arida germinat, cùm corpus extinctum cœperit re-
uiuiscere. Quæ sunt autem quatuor ista, quæ resurgenti corpori præstabuntur? vt semina-
tum in corruptione, surgat in incorruptione; & seminatum in infirmitate, surgat in vir-
tute; & seminatum in ignominia, surgat in gloria; & seminatum corpus animale, sur-
gat corpus spiritale. Ista sunt quatuor, quæ virga aridi corporis nostri in resurrectione
germinabit.* Hactenus Origenes.

Diuus autem Augustinus figuram hanc virgæ Aaron ad sanctæ Crucis Serm. 99.
Christi significationem deducit hoc modo: *Sicut enim virga Aaron germinauit* de Tempore.
D *in populo Iudæorum, ita Crux Christi floruit in populo Gentium.* Et alibi de eadem
figura fusiùs agens, subdit: *Quòd ergo hæc virga nuces produxit, imago Dominici* Serm. 3.
corporis fuit. Nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ vnionem, corium, testam, de Tempo-
& nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo interior anima comparatur. In corio nu- re, in fine.
cis, carnem significat Saluatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passio- Eius initium
nis. In nucleo interiorem declarat dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, & luminis est: *Legi-*
subministrat officium. In testa, lignum interferens Crucis; quod non discreuit id quod *mus sanctum Moy-*
foris & intus fuit, sed quæ terrena & cælestia fuerunt Mediatoris, ligni interpositione *sen.*
*sociauit, dicente beato Apostolo: Quia ipse per sanguinem Crucis suæ pacificauit om-
nia quæ in cælis sunt, & quæ in terris.* Hæc ille.

At sanctus Isidorus eamdem figuram virgæ Aaron breuiter admodum ad

In Exod. cap. 14. Christi Domini, eiusque sanctæ Crucis significationem sic pertrahit: *Nec non etiam virgam Aaron, id est, eiusdem summi verique Pontificis nostri Iesu Christi salutare vexillum, immortalis memoriæ semper viriditate frondens. Aliter virga Aaron, quæ antè fuit sicca, & pòst viridis, significat Dominum Iesum, priùs siccum in passione, & pòst virentem in resurrectione.* Demum verò Rupertus Abbas in eamdem figuram scribens, de ea sic tradit: *In illa*, inquit, *virga speciosæ nouitatis, vetus Euæ genus reuiruit. In illo flore quem peperit, carnis nostræ silua refloruit. In illa nuce quassa vel fracta per Crucis lignum, anima nostra nucleum vitæ inuenit: anima inquam nostra esuriens inde refecta est, vitamque recepit.* In qua vita, fac quæso, vt in æternum tecum viuere valeamus, ô Virga tu benedicta & sancta, quæ iam in Aaronis virga florueras. Virga virtutis Dei, quam ab excelsa Sion nobis Dominus emisit, dominare iam tandem, vt æquum est, in medio inimicorum tuorum; ita vt omnes infideles, hæretici, schismatici, vniuersæ nationes & populi ad sanctam tuam fidem Catholicam conuertantur; vt in fidei vnitate, & puritate cordis, in terris à cunctis hominibus, sicut in cælo ab omnibus Angelis ac beatis Spiritibus, adoreris, magnificeris, & glorificeris in sæcula sæculorum. Amen.

In Numeros, Comment. li. 2. cap. 4.

CAPVT XV.

De Moysis Virga, qua bis percussa petra affluentissimas tandem emisit aquas; quibus suam populus restinxit sitim.

ADMIRABILE profectò illud magni Moysis facinus videtur extitisse, cùm virga eius bis petra percussa, affluentissimæ inde manarunt contradictionis aquæ, quæ increduli ac rebellatoris populi Israëlitici anhelam depulerunt sitim. In qua nouitate miraculi Crux sancta Domini nostri Iesu Christi eâdem virga denuò præfigurata fuit. Eritque hæc quarta Crucis ipsius figura, quæ ex sacro Numerorum libro decerpitur. Cuius admirandi facti memoria in eodem textu sic litteris commendatur: *Veneruntque filij Israël, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysen & Aaron: & versi in seditionem, dixerunt: Vtinam periissemus, &c. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus; & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.*

Numer. cap. 20.

Quod planè admirandum facinus attenta mentis consideratione expendens diuus Augustinus, sanctæ Crucis Christi claram atque apertam figuram extitisse affirmat his verbis: *Quòd virga petra percutitur, Crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia manauit. Et quòd bis percutitur, euidentiùs significat Crucem. Duo quippe ligna sunt Crux.* Et alibi, eadem ferè verba repetens, subdit: *Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio, duo ligna Crucis significat.* Et iterùm quodam alio in loco, spiritualem eam sitim, quam in hoc mundo Christianus habere debet, (quæ in Christo Domino tantùm extingui potest) cum illa æquiparans qua Hebræi æstuarunt in deserto, inquit: *Si enim agnoscamus, in eremo sumus. Quid est, In eremo? In deserto. Quare in deserto? Quia in isto mundo, vbi sititur*

Quæstionum super Numeros lib. 4. q. 35. In Euangeliū Ioannis, Tractatu 26. Ibidem, in Tract. 28.

A *tur in via inaquosa. Sed sitiamus, vt saturemur. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et sitis nostra de petra impletur in eremo: petra enim erat Christus, & virgâ percussa est. Vt autem manaret, bis percussa est, quia duo ligna sunt Crucis.* Deinde verò idem Augustinus, siue quicumq; alius Auctor Sermonis illius qui in Appendicem Tomi decimi operum suorum reiectus, septuagesimus quintus De diuersis numeratur, figuram hanc ipsam magis distinctè exponit hoc pacto: *Eiusdem virtute sacramenti, Moyses in deserto bis silicem virga percußit, & sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percußio, duorum lignorum figuratè intelligitur in Cruce facta compactio. Bis ergo petra percutitur, cùm Christus (de quo dicit Apostolus, Petra autem erat Christus) in duobus lignis Crucis extensus lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cùm sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis, quibus in nouum hominem transformamur, de latere Christi manauit.* Et denuò idem ipsemet Augustinus, materiam hanc prosecutus, adiecit: *Moyses*, inquit, *populi Iudæorum sub lege positi personam gerebat, eumque in Prophetica prænuntiatione figurabat. Sicut ergo Moyses petram virga percutiens, de Dei virtute dubitauit: ita ille populus, qui sub Lege per Moysen data tenebatur, Christum ligno Crucis affigens, eum virtutem Dei esse non credidit. Sed sicut percussa petra manauit aqua sitientibus; sic plaga Dominicæ paßionis effecta est vita credentibus. Habemus enim de hac re præclarißimam & fidelißimam vocem Apostoli, cùm inde loqueretur, dicentis: Petra autem erat Christus.* Et quidem quæ diuus Augustinus multò priùs iam dixerat, eadem pænè de verbo ad verbum sanctus Isidorus suis in Numerorum librum Commentariis replicauit.

Virga bis percutiens silicem, duo sunt ligna Crucis.

B

Contra Faustum Manich. lib. 16. cap. 17. Tomo 6.

Rupertus autem Abbas huic itidem sanctæ allegoriæ & mysticæ significationi petræ illius à Moyse percussæ, quæ Christum Dominum nostrum figurabat, insistens, modumque eiusdem petræ percussionis expendens, quo sancta Crux eiusque acerbissima passio præfigurabatur, de ea sic tradit: *Sciebant enim Iudæi, quòd Dominus in Spiritu Dei eijceret dæmonia, & tamen peßima labiorum suorum distinctione dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Cum hoc furore increduli & turbidi percusserunt petram iustitiæ. Bis percusserunt: duobus enim lignis vnius Crucis Christum crucifixerunt; linguis suis, & manibus Gentilium. Hoc facto egressæ sunt aquæ largißimæ. Nil verius; passo namque Christo, fluxerunt aquæ Scripturarum, torrentes gratiarum Spiritus sancti inundauerunt. Et anteà quidem Scripturæ legebantur, sed non intelligebantur.*

In Numeros Comment. li. 2. cap. 7.

C

Sanctus quoque Seuerianus Gabalorum Episcopus, grauissimus & antiquissimus auctor, quem citat Ioannes Damascenus in Oratione tertia de Imaginibus, non tantùm affirmat, petram à Moysis virga percussam sanctæ Crucis Christi figuram habuisse, verùm modum ipsum etiam, quo percussa fuit, eiusdem Crucis imaginem extitisse. Bis enim eam Moyses percutiens, non illam, inquit, semper eodem modo percussit, sed ita, vt Crucis signum ea per-
D cussione formauerit; quò inanimata & insensibilis etiam natura, Crucis imaginem veneraretur & coleret. sic enim verba eius Latinitati donata sonant: *Percußit Moyses petram semel atque iterùm. Cur autem semel atque iterùm? Si Dei virtuti paret, quid est opus secunda percußione? Si percutit sine virtute Dei, nec secunda, nec decima, nec centesima percußio rei sterili fecundam naturam afferre queat. Si igitur planè est opus Dei, nec Crucis mysterium continet, satis est vnicus ictus, satis est nutus, satis est verbum. Verùm vt Crucis imaginem designet, hoc agit. Percussit, inquit, semel & bis, non eodem modo, sed ita vt Crucis formam describeret: vt natura etiam inanimata, Crucis notam veneraretur.*

Percute ergo mi Domine, sanctæ Crucis tuæ virga, atque passionis tuæ recordatione, cordium nostrorum petram durissimam; vt eorum in peccatis du-

ritia ac peruicacia emollita atque perfracta, compuncti & contriti, affluentissimas lacrymarum aquas effundamus, quibus animarum nostrarum in benè operando sterili siccitate irrigata, virtutum ac bonorum operum fructibus sint fecundæ; vt re vera dicere possimus: Percussisti petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nam si vera nos pœnitentia compungente, lacrymarum aquæ ab oculis nostris effluent, gratiarum tuarum torrentes super nos proculdubiò inundabunt. Amen. A

Psal. 77.

CAPVT XVI.

De æneo Serpente, quem Moyses, Deo iubente, in deserto suspendit; in quem respicientes à serpentibus percussi sanabantur. Et de Hasta, qua Phinees sacerdos Zambrim cum Madianite transuerberauit. B

Numer. cap. 21.

STATIM ac proteruus atque ingratus Israëliticus populus, Dei præcipua id donante gratia, Chananæum Regem Arad deuicit & interfecit, regni illius vrbibus subuersis, profectus est de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare rubrum, vt circuiret terram Edom. Qua in via, abiecta plebs itineris laborem atque molestiam pertæsa, contra Deum & Moysen murmurare cœpit. Quamobrem iusta indignatione & graui offensa concitatus Deus, quosdã ignitos serpentes in eorum exercitum immisit, quorum morsibus ingens hominum multitudo impetita peribat. At populo errorem suum demum agnoscente, eiusq; veniam & remedium per Moysen humiliter deprecãte, præcepit Dominus Moysi, vt æneum serpentem conflaret, quem in altum suspenderet: in quem respicientes, qui à serpentibus mordebantur, sanitatem confestim recuperabant. Quod quidem mysteriis & miraculis refertissimum facinus, quinta erit sanctæ Crucis figura, quæ in sacra Numerorum historia clarissimè refulget: in qua ingrati & queruli Hebræorum populi iniustæ lamentationes & querimoniæ his verbis recensentur: *Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis serpentes. Orauitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo. Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* C

Non est nobis aliquo pacto laborandum, vt probemus, hoc prorsus admirandum facinus sacratissimumque mysterium, sanctæ Crucis Domini nostri eiusque passionis figuram extitisse, cùm ipsemet id ore proprio declarauerit & affirmauerit, cùm dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Verumtamen non inutile quidem tantùm, sed valdè etiam fructuosum fore putamus, si sanctorum Patrum sacrorumque Doctorum auctoritates & sententias hîc addiderimus, eorum qui in hoc sacrum ac planè suspiciendum mysterium scribentes, validissimis rationibus comprobant, id sanctæ Crucis euidentissimam vmbram atque figuram extitisse. Eritque id non mediocris delectationis, & spiritalis solatij piis Lectoribus, dum hîc absque labore alio perquirendi ac euoluendi multos libros, ipsis legere licuerit pias considerationes, ac deuotas mentis speculationes, quas ad huius sacratissimæ figuræ declarationem iidem sancti Patres in suis voluminibus ad posterorum memoriam commen- D

Serpens æneus figura Crucifixi, ipso Christo testante.

A mendarunt: dumque eiusdem figuræ mysticos sensus, ac perutilia documenta scrutari poterunt, quæ ad nostrum explicauere profectum.

In primis igitur sanctus Iustinus Martyr, clarissima hac Crucis figura ad Iudaicam perfidiam conuincendam perutiliter vsus, in sua cum Tryphone Iudæo disceptatione siue dialogo, de ea sic: *Hac quoque*, inquit, *nota & signo Crucis Israëli, contra serpentes morsu perimentes, statua apparet esse facta, propter credentium salutem: quod iam inde ab eo tempore, per eum qui Crucis supplicium pertulit, serpenti mors præsagio sit denuntiata; salus autem his, qui ab ipso morsu læsi, ad eum confugiunt, à quo, Filius crucifixus, in mundum est missus. Non enim in serpentem nos credere per Moysen docuit spiritus Propheticus, quando illum à principio etiam maledictionis execratione à Deo mulctatum indicat.* Et paullò pòst idem sanctus ad Iudæos ipsos sermonem dirigens, adiecit: *Dicite*, inquit, *namque mihi, an non Deus is erat, qui per Moysen sanxit, ne qua omnino fieret vel imago vel similitudo, neque eorum quæ in*
B *cælo sunt sursum, neque in terris deorsum? Atqui idem ipse in solitudine per Moysen fieri fecit æneum serpentem, eumque pro signo statuit, per quod seruabantur, qui serpentum morsu letaliter læsi fuerant; & extra culpam omnem est. Sacramentum namque arcanum per hunc, prout anteà dixi, denuntiauit: quo serpentis quidem, qui etiam præuaricationis ab Adamo commissæ auctor fuerat, potestatem euersum iri significabatur, salus autem credentibus in istum, qui per signum id adumbrabatur, & in Cruce moriturus esse præmonstrabatur, à serpentis morsibus, qui sunt actiones prauæ, idolorum cultus, & aliæ iniquitates, promittebatur.* Et ibidem post multa idem Martyr Iustinus disceptationem suam cum eodem Tryphone Iudæo prosecutus, hæc adiecit: *Nam hoc pacto & Moyses contra legem per se latam fecisse iudicetur, qui constitutione proposita sanxerit, ne qua effigies & similitudo fieret, neque eorum quæ in cælo, neque eorum quæ in terra aut mari sunt; ipse tamen posteà serpentem æneum fecerit, atque pro signo quodam statuerit; eos illum inspicere iubens, qui morsu à viuis serpenti-*
C *bus læsi fuerant: atqui illi eum intuentes, salui permanebant. Serpens videlicet existimabitur populum seruasse, quem (sicut anteà dixi) primitus Deus maledictioni subdiderat, & per ingentem, vt Isaias clamat, gladium confecit? Et tam insipienter res istiusmodi, prout Rabbini vestri docent, & non tamquam symbola excipiemus? Neque verò ad imaginem etiam referemus Iesu crucifixi hoc signum, quando & Moyses per manus expassas, cum eo qui Iesu nomine cohonestatus fuit, victoriam populo vestro conciliauit?* Hactenus Iustinus.

Sanctus verò Cyrillus Alexandrinus, siue Iodocus Clithoueus, sanctę Crucis Christi Domini nostri figuras annotans ac recensens, quæ ex veteris Testamenti paginis excerpuntur, de hac ipsa ænei serpentis figura præcipuè sic: *Denique*, inquit, *ipsa Crux lignum illud est, quo in deserto suspensus serpens æneus, omnibus ipsum inspicientibus sanitatem à morsu serpentum reddidit. Nam quisquis oculos animi in Christum crucifixum conuerterit, ab omni vulnere peccati illicò curabitur. Per ipsam de-* In Ioan. l. 8. cap. 17.
D *nique Crucem reddita est salus humano generi; facta est redemptio nostra & reconciliatio. Per ipsam allata est nostro medicina dolori; data est fortitudo & robur homini, vt hac lorica obtectus & galea, intrepidus ineat certamen cum hoste, quem Dominus noster Crucis salutiferæ beneficio foras eiecit; profligauit omnino, & penitus alligauit.*

Verùm sanctus Gregorius Nazianzenus, contra ceterorum Patrum sententiam æneum serpentem illum à Moyse in deserto exaltatum, non solùm Domini nostri Christi typum & figuram, sed antitypum & contrariam figuram extitisse asseruit: atque hanc animi sui sententiam hoc pacto probat: *At verò*, inquit, *serpens æneus aduersus morsus serpentum suspenditur, non tam vt Christi pro nobis passi typus, verùm vt antitypus, atque eos, qui ipsum intuentur, saluos facit, dum non eum viuere, sed mortuum esse, simulque subditas sibi copias enecare persuasum habent,* *Idem serpens quomodo Nazianzeno antitypus Christi?* In Pascha oratione 2.

bent, deletum nimirum & extinctum, sicut merebatur. Et quod tandem illi congruens A *epitaphium canemus? Vbi est mors stimulus tuus? vbi tua, inferne, victoria? Crux te prostrauit, vitæ auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serues, in sublimi loco ignominiosè pendens.* Hæc magnus Theologus.

Super cuius verbis Nicetas Setronius eius Commentator pro eorum declaratione hæc adiecit: *Ænei autem serpentis*, inquit, *historia scripta est in libro Numerorum. Nam cùm multi ex filijs Israëlis ob murmurationem à serpentibus icti perirent, tandem Moysis precibus mitigatus Deus, ad eum dixit: Fac tibi ipsi serpentem, & pone eum in signo, hoc est, in ligno: & quisquis percussus eum aspexerit, viuet. Illud porrò, Fac tibi ipsi, hoc ostendit, quod quoniam ex his quæ fiebant, alia Dei ratione fiebant, alia ratione hominum: hoc loco, Tibi ipsi, ratione Moysis, & totius multitudinis eodem genere oriundæ dictum est. Age iam quasi ex figura, ad nos veniamus. Deum enim ipsi quoque offendimus, atque adeò in spiritualium serpentum morsum incidimus, qui per omne peccati genus nos ferientes, morte afficiebant. Quonam autem modo salutem conse-* B *cuti sumus? Aspeximus etiam ipsi serpentem in ligno, hoc est Christum, ipsumque intuentes, atque in eum credentes, salutem nanciscimur. Verùm qua ratione Deus, qui naturâ bonus est, serpens dicitur? Quoniam iuxta nos libera voluntate malos, per similitudinem carnis peccatum factus est, & cum iniquis reputatus est. Serpens igitur Christus est, velut in similitudine peccati, quia homo factus est. Atque ob eam caussam, ad eum qui purum hominem eum esse arbitrabatur, dicebat: Quid me dicis bonum? Enimuerò serpens ille æneus, verè serpens non erat, sed figuram quidem serpentis habebat, venenum autem non habebat: eodem modo Christus, quatenus peccati venenum non habebat, non erat vnus è nobis, qui serpentis formam subijmus. Omne etenim peccatum serpens verè est; & qui ipsum admittit, serpens quoque ipse efficitur. Quin hac quoque caussa serpens, quem in Crucem Moyses sustulit, figuram Christi gerit. Quoniam quemadmodum corporeus serpens non solùm venenum habet, per quod qui ab eo icti fuerint, extinguuntur, sed etiam vitæ pharmacum, quo accepto, qui percussi fuerunt, ad vitam* C *reuocantur: sic ex interempto Adamo homini medicamentum inuentum est, quod est Domini corpus, cuius vi omne peccati virus à credentibus aboletur.*

At Theologus serpentem æneum, Christi typum haudquaquam esse censet (neque enim fas ac pium est, peruersum spiritum, Christi typum vocare) verùm antitypum, hoc est, contrariam figuram. Etenim serpens à principio homini exitium attulit, Christus autem posteà salutem. Ille in errorem induxit, hic viam commonstrauit. Illic serpens verus non erat, hîc homo verus. Ad hæc ille eadem forma præditos serpentes interemit, at Christus congeneribus hominibus vitam affert. Prætereà Christus saluos eos facit, qui credunt ipsum viuere, ac vitam esse credunt: at diabolus salutis caussa his est, qui ipsum intuentur, si modò crediderint, non quòd ipse viuat, sed quòd per Crucem oppressus atque extinctus sit; dumtaxat quantum ad tyrannidem; atque etiam subditis sibi defectricibus copijs interitum accersiuit: nam Christus, obtruncato duce, illius quoque exercitum profligauit. Illud igitur notandum, quòd serpens hactenus Christi figuram gerebat, quòd D *in ligno penderet; alijs autem omnibus rationibus figuræ contrarius, hoc est, figura non simpliciter, sed cum contrarietate, vt superiùs declaratum est. Quoniam igitur peruersus spiritus extinctus est, age ei congruum epitaphium contexamus, ac cum Osea dicamus: Vbi est mors stimulus tuus? vbi est, inferne, victoria tua? diabolus enim mortis minister est, mors autem orci ministra. Diabolus siquidem per peccatum sauciatos morti tradebat, mors autem interfectum ad orcum transmittebat. At nunc Theologus inferni & mortis nomine, diabolum vocat, vt vtriusque caussam. Aculeus autem illius peccatum est, ac voluptatis œstrum; victoria, fraus: quibus rebus nos sub imperium suum ac potestatem redigere Belial contendebat. Verùm vtrumque per Christum deletum est; peccatum enim non fecit, nec à tentatore delusus ac circumuentus est: quin potiùs tentator ipse Cruce*

A *Christi conuulneratus est atque interfectus, quantum ad tyrannnidem attinet; ac per æneum & inanimatum serpentem ignominia notatur. Ille enim in ligno confixus ac triumphatus, tentatorem præsignabat, qui per salutiferum & vitale Crucis lignum interemptus est. Atque ita serpentis formam retinet, vt tamen nihil eorum quæ serpentis sunt, agere valeat, saltem in Christo. In eo enim omnis draconis vis & facultas in irritum cessit.* Hæc omnia diui Gregorij Nazianzeni textum interpretaturus Nicetas dixit. Quibus tamen verbis quidam modernus Doctor hoc iure quidem addendum censuit, serpentem æneum nimirum, à Moyse in deserto ligno exaltatum, Christi Domini figuram re vera gessisse, quantum ad id attinet, quòd salutem afferebat his qui attentè eum suspiciebant.

Sanctus autem Seuerianus Gabalorum Episcopus, de hac eadem ænei serpentis figura itidem agens, se valdè admirari ostendit, Moysen hanc serpentis statuam conflasse, vt à populo conspiceretur ac suspiceretur, cùm ipse iam, ne
B vlla imago fieret, expressè vetuisset. Et demum concludit, Moysen statuas fieri prohibuisse, vt populum ab idololatria, ad quam nimiùm propensus erat, auerteret: sed serpentem hunc æneum conflasse, quò ea quæ in Christo futura erant, innueret. Verba autem eiusdem Sancti, quæ à diuo Ioanne Damasceno citantur, ex Græco in Latinum conuersa, hæc sunt: *Quomodo* inquit, *imago execratissimi, populo in calamitate versanti & conflictato vitam attulit? Nónne credibilius erat, si dixisset: Si quis vestrûm morsus fuerit, cælum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur? Verùm his ille posthabitis, Crucis tantùm imaginem statuit. Cur autem hæc fecit Moyses, qui populo dixerat: Non facies tibi sculptile, neque conflatile, neque similitudinem vllam earum rerum quæ sunt in cælo sursum, aut in terra deorsum, aut in aquis sub terra? Sed quid ego hæc ad ingratum populum loquor? Dic, quæso, fidelissime Dei minister, quod aliis vetas, id ipse facis? quod præcipis euerti, id ipse constituis? Qui, Non facies, inquis, sculptile, quique conflatum tum vitulum*
C *comminuisti, serpentem ipse ex ære conficis? Eumque non clàm, sed palàm, & omnibus perspicuum statuis? At illa, inquit, mandaui, quò materiam impietatis exscinderem, & ab omni defectione atque idolorum cultu populum abducerem. Hunc autem serpentem vtiliter conflo, vt veritatem ipsam præsignificem. Et quemadmodum tabernaculum, & quæ in ipso sunt omnia, & Cherubim, similitudinem eorum quæ non videntur, à limbui in Sancta, vt figuram atque vmbram futurorum ostenderem; sic & serpentem ad salutem populi conflaui, vt eiusmodi experimento exercitatus, Crucis imaginem, & Seruatorem ac Redemptorem in ipsa pendentem præcognosceret. Hoc autem verissimum intelliges, amice, ex verbis Domini id ita confirmantis: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hactenus Seuerianus Gabalorum Episcopus, quem citat, vt diximus, Ioannes Damascenus. Atque eadem pænè omnia sanctus Ioannes Chrysostomus, rationem redditurus cur serpens æneus Christi
D Domini nostri figuram habuisse dicatur, inquit: *Figura serpentis, fratres, imago est eius diuini consilij, quod in Cruce ad exitum deducendum fuit. Vt autem illa figura imaginem quidem & speciem serpentis repræsentabat; sic & Seruator, Apostolo teste, in similitudine carnis peccati apparuit, cùm tamen extra omne peccatum culpamque esset. Sicut & sanctus Isaias conuenienter beato Paulo loquens, ait: Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Itaque secundùm Isaiam, imaginem vnam habes; sed & alteram accipe. Contuere veritatem per figuras quasdam elucentem. Serpentes quidem filios Israël mordebant: populus in exitium quoddam inciderat: petit itaque Moyses supplex à Deo, vt medicinam aliquam salutarem ostenderet: Deus verò famulo medicinam beneficam commonstrat, & ait: Æneum serpentem conficito, eumque ante tabernaculum testimonij erigito. Quid sibi vult hoc exemplar? Etenim alij erant serpentes*

In Oratione de Imaginibus.

Rectè Moysem prohibuisse omne sculptile, & tamen erexisse serpentem.

De serpente, quem Moyses erexit in solitudine: itemque de Trinitate, Orat. 2. Tom. 5.

tes, qui mordebant; alius etiam ille, qui pro his in crucem tollebatur. Quid innuit A
ænigma? Quid præ se fert vmbra illa mysterij? Quemadmodum enim ille figura aliorum serpentium, ille qui nec momordit, nec etiam percussit, in crucem sublatus est: sic delicta & scelera aliorum hominum innocens Iesus suo Crucis supplicio erat expiaturus. Pro serpentibus qui mordebant, serpens innoxius cruci suffigitur: pro nobis morti obnoxijs, nullo vnquam scelere inquinatus ille integerrimus supplicio affectus est. Quod quidem præclarè, vt alia permulta, Isaias prædixit in hunc modum: Pro peccatis populi venit ad mortem, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Deinde verò idem sanctus Chrysostomus sermonem suum hoc loco concludens, subdit: *Quare verò cruci suffigitur serpens æneus? vt aboleantur & consenescant vibices morsuum. Ergo aliud est quod in crucem tollitur, alia item quæ abolentur. Et quid significationem veritatis animaduertis? An non tamquam sub inuolucro litterarum, vim diuini cuiusdam ordinis rerum futurarum perspicis? Sublatus est in crucem æneus serpens, ait, vt abolerentur morsus draconum. Christus crucifixus est, vt dæ-* B
monum facinora cessarent, & abolerentur. Enimuerò alius est serpens ille qui erigitur, alij qui abolentur dracones. Alius est in Cruce pendens Christus, & alij qui abolentur dæmones. Et veluti illic simulacrum serpentis, qui coràm apparebat, aboleuit morsus serpentium: eodem modo etiam hîc mors Christi, mortem penitus sustulit, dæmonesque profligauit. Itaque non immeritò Seruator comparationem sibi vendicans, dixit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis; vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Alibi verò idem Chrysostomus de hac ipsa ænei serpentis figura hæc adiecit: *Nam si ad ærei serpentis simulacrum aspicientes Iudæi morte liberabantur; quanto maiori, qui in Crucifixum credunt, beneficio fruentur? Neque enim quòd Crucifixus est, idcircò eum imbecillitatis arguas, neque Iudæos superiores dixeris, sed quòd mundum Deus amauit. Ideoque animale eius Templum crucifixum est, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vides Crucis causam, & ex ea salutem?* C
Vides vt figura veritati consentiat? Illic mortem fugerunt Iudæi, sed temporalem; hîc sempiternam fideles. Illic ictus serpentum suspensus serpens sanauit, hîc incorporei serpentis plagas Iesus crucifixus curauit. Illic corporeis oculis suspicientes, corporis salutem; hîc incorporeis, omnium peccatorum remissionem consecuti sunt. Illic æs suspensum erat in serpentis effigiem, hîc Dominicum corpus à Spiritu formatum. Serpens illic mordebat, & serpens sanabat: hîc mors perdidit, & mors saluum fecit. Ad hæc, qui interimebat serpens, veneno sæuiebat; qui liberabat, nullo. Sic & hîc: nam ea, quæ perdebat mors, peccatum habebat, quemadmodum serpens, venenum; Domini autem mors ab omni immunis erat peccato, vt æreus serpens veneno. Peccatum enim, inquit, non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hoc est, quod significauit Paulus: Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Quemadmodum enim fortis athleta hostem altè erectum prosternens, clariorem facit victoriam; ita Christus toto orbe spectante, hostiles conatus euertit: & qui in solitudine D
vulneratos curauit, eos ab omnibus feris in Cruce suspensus tutatus est. Hactenus Chrysostomus.

In Ioan. cap. 3. Hom. 26.

Sanctus autem Gregorius Nyssenus de eodem hoc Moysis admirando facinore ipse quoque agens, apertè docet id sanctæ Crucis figuram extitisse. sic enim tradidit: *Serpentes quippe venenoso morsu homines inuadebant. At verò legislator, serpentis specie, verorum serpentum vim expulit, vt clarè id exponamus. Vnum ergo contra hos pestiferos cupiditatis morbos antidotum est munditiès animi, pietatis mysterio celebrata. Caput autem omnium quæ in hoc Christianæ professionis credimus, est firma rectaque fide in passionem illius respicere, qui pro nobis passus est. Crux verò passio eius fuit. Quare qui Crucem respicit, vt historia hortatur, ei venenum cupiditatum obesse*

A *obesse non potest. Crucem autem respicere, nil aliud est, quàm huic mundo quasi mortuos & crucifixos nos præbeamus, fixos in virtute, immobiles in peccando; Dei, vt ait Psalmista, timore quasi clauo carnem nostram infigentes. Clauus autem qui carnem hanc nostram retinet, continentia est. Quoniam igitur praua cupiditas mortiferos terrenis è rebus nobis serpentes immittit (quidquid enim ex praua cupiditate nascitur, serpens est) idcircò iam diu Lex antidotum nobis in ligno monstrauit. Id verò serpentis est simulacrum, non serpens, sicut & Paulus dicit, in similitudine carnis peccati: verus enim serpens peccatum est; & qui ad peccatum transfugit, serpentinam induit naturam. Ab hoc igitur peccato, & ab hac serpentina natura homo per illum liberatur, qui peccati speciem subijt, qui factus est secundùm nos, qui peccando ad speciem serpentis conuersi sumus. Per eum igitur, ne morsus mortem inferant, factum est; ipsæ verò feræ non sunt destructæ: feras autem dico cupiditates ipsas prauas. Nam si prauè peccantium mors nullam habeat in illos vim qui Crucem respiciunt, carnis tamen aduersus* Quid sit spiritualiter respicere in serpentem suspensum?

B *spiritum innata cupiditas non omnino destructa est: insurgunt enim & fidelibus sæpenumerò cupiditatis morsus, quos ad sublatum ligno respicientes repellunt, timore præcepti, quasi antidoto, vim veneni dissipantes. Quòd autem mysterium Crucis, sublatione serpentis in deserto figurabatur, apertè nos docuit Veritas, cùm dicit: Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic Filium hominis exaltari oportet.* Hæc Nyssenus.

Verumtamen Tertullianus, vt Iudæorum peruicaciam atque perfidiam conuinceret, de hac sanctæ Crucis & passionis Christi admiranda figura sic agit: *Moyses post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum pendentis habitu in spectaculum Israëli salutare proposuit, eo tempore quo à serpentibus post idololatriam exterminabantur? nisi quòd hic Dominicam Crucem intentabat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique ab eiusmodi colubris, id est angelis eius, à delictorum peccantia ad Christi Crucis sacramenta intento, salus efficiebatur. nam qui in illam tunc respiciebat, à morsu serpentum liberabatur.* Hæc Tertul- Aduersus Iudæos cap. 10.

C lianus: qui & eadem verba repetiit aduersus Marcionem scribens. Quin & alibi adhuc contra eumdem hæreticum, ad huius sacratissimæ figuræ explanationem, sic hisce carminibus concinens dixit: Aduersus Marcionẽ lib. 3. c. 18.

Qua die, quóve loco cecidit clarissimus Adam,
Hac eadem redeunte die, voluentibus annis,
In stadio ligni, fortis congressus Athleta;
Extenditque manus, pœnam & pro laude secutus
Deuicit mortem, quia mortem sponte reliquit.
Exuit exuuias carnis, & debita mortis;
Serpentis spolium, deuicto Principe mundi
Adfixit ligno, refugarum immane trophæum:
In cuius signum Moyses suspenderat anguem;
Et quotquot fuerant multis serpentibus icti,
D *Aspicerent ipsum fictum fixumque draconem.*

De concordia veteris & nouæ Legis, aduersus Marcionẽ, lib. 2. c. 4.

Et sanctus Ambrosius, à nomine loci illius in quo Moyses exaltauit serpentem in deserto, probat, admirandum hoc facinus Christi Domini nostri eiusque sanctæ Crucis vmbram & figuram habuisse. Nam cùm locus ille, vbi filij Israël tunc in deserto castra locauerant, Salmona vocaretur, ipse ad hoc institutum hæc scripsit: *Verùm*, inquit, *quia Salmona interpretatur vmbra, factum istud mansioni rectè aptatur: serpens namque ligno suspensus, typus & vmbra Christi fuit, pro salute nostra in Cruce pendentis, sicut ipse exponit in Euangelio.* Et alibi de eadem figura adhuc agens subdit: *In figura æneus serpens tamquam confixus Cruci, quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret; in figura maledictus, in veritate autem, qui totius mundi maledicta deleret.* De 42. filiorũ Israël mansionibus, mansione 35. Tom. 1. In Apol. Dauid 1. c. 5. To. 1.

deleret. Et denuò ad aliud mentis suæ institutum eamdem explicans figuram, A
de ea sic tradit: *Et benè,* inquit, *Dominus æreo serpente suspenso, iussit curari vulnera sauciorum. Imago enim Crucis, æreus serpens est: quoniam etsi in carne sua suspensus est Christus, tamen & ipse crucifixus est mundo, & ipsi crucifixus est mundus. Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Crucifixus est ergo in suis mundus illecebris; & ideò non verus, sed æreus suspensus est serpens: quia in veritate quidem corporis, sed sine veritate peccati suscepit Dominus speciem peccatoris; vt per ludibrium infirmitatis humanæ, simulando serpentem depositis carnis exuuiis; veri destrueret serpentis astutiam.* Hactenus Ambrosius.

De Spiritu sancto, li 3 cap. 9. Tom. 4.

De verbis Apostoli, Serm. 14. cap. 11. in fine & 12. Tom. 10.

Augustinus autem hanc admirabilem figuram pariter exponens, *Sicut Moyses,* inquit, *exaltauit serpentem in eremo, vt omnis à serpente percussus intueretur exaltatum, & sanaretur; sic exaltari oportuit Filium hominis, vt omnis à serpente venenatus intueatur exaltatum, & sanetur. Adam primus accepit morsum serpentis cum veneno. Ergo natus in carne peccati, fit saluus in Christo per similitudinem carnis peccati.* B *Misit enim Deus Filium suum non in carne peccati, sed sicut sequitur, qui scripsit, In similitudinem carnis peccati; quia non de complexu maritali, sed de vtero virginali. Misit in similitudinem carnis peccati. Vt quid hoc? Vt de peccato damnaret peccatum in carne: de peccato peccatum, de serpente serpentem. Quis enim dubitet nomine serpentis appellari peccatum? Ergo de peccato peccatum, de serpente serpentem. Sed de similitudine; quia in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideò exaltatus est serpens, sed æreus. Exaltata est similitudo carnis peccati, vt sanaretur origo peccati: quia misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, non in similitudinem carnis. Nam vera caro est, sed in similitudinem carnis peccati, quia mortalis caro sine vllo omnino peccato, vt de peccato propter similitudinem damnaret peccatum in carne, propter veram iniquitatem. Vera iniquitas in Christo non fuit, sed mortalitas in illo fuit. Peccatum non suscepit, sed pœnam peccati suscepit. Suscipiendo sine culpa pœnam, & pœnam sanauit & culpam.* C

Serpens suspensus carens veneno, typus Christi in similitudine carnis peccati.

Et alibi de eodem hoc serpente æneo in deserto exaltato sermonem habens, subdit: *Serpens iste, fratres dilectissimi, licet hoc satis mirum esse videatur, tamen figurauit incarnationem Domini. Durum fortè alicui videri poterat ista significatio, nisi hoc ipse Dominus in Euangelio suo dixisset. sic enim ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Suspensus est ergo tunc serpens æneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno. Tunc enim quicumque fuisset à serpente percussus, serpentem æneum respiciebat, & sanabatur: nunc verò humanum genus, quod à spiritali serpente diabolo percussum fuerat, Christum credendo respicit, & sanatur. Quicumque percussus serpentem illum æneum non vidisset, moriebatur. Ita est, fratres, nisi quisque in Christo crediderit crucifixo, diaboli veneno premitur. Tunc enim vnusquisque respiciebat serpentem mortuum, vt posset euadere viuum; nunc verò qui vult diaboli vitare venenum, Christum respiciat crucifixum.*

De Tempore, Sermone 101. Qui incipit: *In Lectione, quæ nobis recitata est.*

Et quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat, ideò mortem Christus sustinuit, vt iniusta mors iustam vinceret mortem; & liberaret reos iustè, dum pro eis occidebatur iniustè. Quidquid enim diabolus in Adam exercuerat, quasi iustè videbatur egisse in homine, qui se vnius arboris delectatione vendiderat. In Adam ergo, quasi in proprio seruo, iure sibi domino Dominium vendicauit: in Passione autem Christi, in quo peccati maculam non inuenit, iniustè mala omnia perpetrauit. Sic & ipse Dominus in Euangelio dixit: Ecce venit Princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Quid est, Nihil inuenit? Nullum omnino peccatum. Et in Psalmis: Quæ non rapui, inquit, tunc exoluebam. Quod ergo iustè debebat Adam, Christus iniustè mortē suscipiendo persoluit. Ille expandit manum ad pomorum dulcedinem, iste ad Crucis amaritudinem. Ille arborem necis, iste salutis D

A *lutis ostendit. Ille se contra Deum erexit, & cecidit; Christus se humiliauit, vt omnes erigeret. Adam mortem vniuersis intulit, & Christus vitam omnibus reparauit. Respiciebat ergo vnusquisque serpentem æneum, & à venenatis serpentibus sanabatur. Serpens æneus in ligno positus, venena viuorum serpentium superauit; & Christus in pace suspensus & mortuus, antiqua diaboli venena restinxit, & omnes qui ab eo percussi fuerant liberauit.*

Quare tamen serpens ille non de auro, non de argento, sed de æramento fuerit factus, videamus. Mihi videtur duas significationes habere posse: Vnam propter diuturnitatem, quia vasa ænea durare diutiùs solent. Aliam propter vocis claritatem; nam inter omnia metalla, vasa ærea maiorem tinnitum reddere & longiùs sonare solent. Doctrina non in vna tantùm gente Iudæorum innotescere, sed per vniuersum mundum claro salutiferæ prædicationis sono poterat peruenire. Ideò serpens ille æneus efficitur, vt doctrina Christi in vniuerso mundo clariùs prædicetur; secundùm quod de Apostolis scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et tamen, fratres, B *etiam secundùm medicorum carnalium disciplinam, quibus de morte serpentis contra viuorum serpentium venena, salubria præparantur antidota, non est incongruum, vt mortuum debeat serpentem intendere, qui à viuorum serpentium venenis desiderat liberari. Hæc omnia ideò diximus, vt quoscumque serpentis, id est diaboli & angelorum eius, venena percusserint, ad Christum, qui in similitudine illius ænei in ligno suspensus est, fideliter aspiciant, vt cum beato Paulo Apostolo dicere possint: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Alio quoque in loco idem sanctæ Ecclesiæ clarum lumen de hac ipsa materia differens, adiecit: *Quid autem,* inquit, *pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit? Vnde nec erubuit nec timuit Apostolus dicere, peccatum eum fecisse pro nobis: addens, vt de peccato damnaret* C *peccatum. Non enim & vetus homo noster simul crucifigeretur, sicut Apostolus alibi dicit, nisi in illa morte Domini, peccati nostri figura penderet, vt euacuaretur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. In eius peccati & mortis figura, etiam Moyses in eremo super lignum exaltauit serpentem. Persuasione quippe serpentis, homo in damnationem mortis cecidit. Itaque serpens ad significationem ipsius mortis conuenienter in ligno exaltatus est: in illa enim figura, mors Domini pendebat in ligno. Quis autem abhorreret, si diceretur, Maledictus serpens qui pendet in ligno? & tamen mortem carnis Domini præfigurans, serpens pendebat in ligno.* In expositione Epistolæ ad Galatas, Tom.4.

Et iterùm idem veræ & Catholicæ doctrinæ fons inexhaustus, quadam alia sibi oblata occasione, de hac ipsa figura hæc subdit: *Quid est exaltatus serpens, nisi mors Christi? eo significandi modo, quo per efficientiam, id quod efficitur, significatur? A serpente quippe mors venit, qui per peccatum, quo mori mereretur, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tamquam venenum serpentis,* D *sed tamen transtulit mortem; vt esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, vnde in carne peccati & culpa solueretur & pœna. Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem, & à veneno sanabatur, & à morte liberabatur; sic nunc, qui conformatur similitudini mortis Christi, per fidem Baptismumque eius, & à peccato per iustificationem, & à morte per resurrectionem liberatur. Hoc est enim quod ait: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* De peccatorum meritis & remissione, contra Pelagianos, l.1.cap.32. Tomo 7. par.2.

Demum verò de eadem materia differens, alibi ita subiunxit: *Mordebantur homines, intuebantur, & sanabantur. Quid sunt serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentis letalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, vt nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, vt nihil* In Euangelium Ioannis, Tractatu 12. To.9.

valeat mors. Sed cuius mors? Mors vitæ: si dici potest mors vitæ; immò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere, quod Dominus pro me dignatus est facere? Nónne vita Christus? & tamen mortuus Christus. Sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua occidit mortem. plenitudo vitæ deglutiuit mortem. Absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quando iam triumphantes cantabimus: Vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Interim modò, fratres, vt à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: Quia sicut Moyses, inquit, exaltauit serpentem in eremo; ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentium; sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur à morsibus peccatorum. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam: figura præstabat vitam temporalem; res ipsa, cuius illa figura erat, præstabat vitam æternam. Hactenus Augustinus. A

In Cruce vita mortua absorpsit mortē.

Isidorus autem Hispalensis Episcopus, huius sacratissimæ Crucis figuræ alta mysteria ingenti admiratione suspiciens, hæc de ea litteris commendauit: *Quid illud*, inquit, *significat, quòd morsus mortiferi serpentum, exaltato & respecto æneo serpente sanabantur; nisi quòd tunc in typo Saluatoris, qui ferum antiquumque serpentem in patibulo triumphauit, diaboli venena superantur; ita vt qui verè expresseque imaginem Filij Dei, passionemque eius conspexerit, seruetur? Hoc enim significant & verba ipsius Domini dicentis: Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis; vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quod verò æneus est serpens, ipse Christus intimatur, qui ligno suspensus est: æs quippe metallis alijs durabilius esse solet. Et aptè æneus serpens ligno suspensus est, vt Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus: videlicet vt & indicaretur per humanitatem mortuus, & tamen esset quasi æneus per Diuinitatem. Pulchrè autem prima mansio Salmona interpretatur imaguncula: quia nimirum ibi imago expressa est Saluatoris per serpentem æneum qui in ligno pependit. Pulchrè etiam & secunda Fenon interpretatur os; quia postea quam passionem Filij Dei cognoscimus, quod corde credimus, ore pronuntiamus; legentes illud Apostoli: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* B C

In Num. cap. 20.

Rom. 10.

Theodoretus pariter, quid nam causæ fuerit inquirens, cur Deus voluerit vt serpentum morsus ab æneo serpente sanarentur, sic tradit: *Istud etiam salutarem passionem præfigurat: nam per serpentem natum est peccatum; vnde & maledictionem accepit à Deo omnium. Erat itaque serpens figura peccati atque maledictionis. Posteaquam igitur Dominus Christus in similitudine carnis peccati apparuit, inquit diuinus Apostolus; corpus enim verè sumpsit, peccatum autem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius; præsignatur passio salutaris per serpentem æneum. Quemadmodum enim serpens æneus erat imago serpentum, non tamen illorum venenum gerebat: ita Filius vnigenitus corpus quidem habebat humanum, sed peccatorum macula carebat. Et sicut à serpentibus morsi, serpentem intuentes sanabantur; ita qui vulnerati sunt à peccato, passioni Saluatoris nostri sine vlla dubitatione credentes, mortem superant, & vitam æternam consequuntur.* D

Quæst. in lib. Numer. quæst. 39.

Nec Beda venerabilis huius sacræ figuræ mysterium silentio præterire voluit. sic enim & ipse: *Exaltatio serpentis ænei, quem dum percussi aspicerent, sanabantur, passio nostri Redemptoris est in Cruce, in cuius solùm fide, regnum mortis & peccati superatur. Rectè etenim per serpentes peccata, quæ animam simul & corpus ad interitum trahunt, exprimuntur: non solùm quia igniti, quia virulenti, quia ad perimendum sunt astuti; verùm etiam quia per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Rectè per serpentem æneum Dominus ostenditur, qui venit in similitudine carnis peccati: quia sicut æneus serpens effigiem quidem*

In Homiliis æstiualibus De Sanctis, in festo Inuentionis sanctæ Crucis, Tom. 7.

A *quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocentis; quin potiùs percussos à serpētibus, sua exaltatione sanabat: sic nimirum, sic Redemptor humani generis non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem Crucis patiendo, credentes in se ab omni peccato, & ab ipsa etiam morte liberaret. Sicut ergo Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita, inquit, oportet exaltari Filium hominis. Quia sicut illi qui exaltatum pro signo serpentem æneum aspiciebant, sanabantur ad tempus à corporali morte, & plaga quam serpentium morsus intulerat; ita & qui mysterium Dominicæ paßionis credendo, confitendo, sinceriter imitando aspiciunt, saluantur in perpetuum ab omni morte, quam peccando in animo pariter & carne contraxerant. Vnde rectè subiungitur: Vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Cuius quidem verbi patet sensus, quia qui credit in Christum, non solùm perditionem euadit pœnarum, sed & vitam percipit æternam. Et homo inter figuram distat & veritatem, quia per illam vita protelabatur corporis, per hanc vita donatur*
B *sine fine mansura.* Hactenus Beda venerabilis.

Demum verò quidam alius Ecclesiasticus Pater figuram hanc sanctæ Crucis paucissimis quidem verbis optimè declarat, dicens: *Suspensus serpens, mortis erat symbolum, cuius auctor & procurator serpens fuerat: at signum, in quo eleuatus est, Crucem denotabat: aspectus autem illorum qui percussi sunt, fidelium confessio est.* Theophanes in Hom. in Dominica ante exaltationẽ Crucis.

Sexta & postrema sanctæ Crucis Domini figura ex sacro Numerorum libro collecta, hasta illa siue pugio fuit, quo Phinees sacerdos, Dei zelatus honorem, Zambrim Hebræum adolescentem transuerberauit; eum vnà cum inhonesta Cozbi Madianitide interficiens, dum in publicum populi scandalum ambo simul actualiter peccarent. Nam quemadmodum Sacerdos ille honoris Dei zelo percitus, hasta sua duos inhonestos ac libidinosos illos transfixit, qui peccantes, Dei grauissimam offensam in se ipsos non tantùm concitabant, sed prauo ipsorum exemplo vniuersum populum ad idem peccatum alliciebant; sic Christus
C Dominus verus ac summus Sacerdos, sanctæ Crucis suæ hasta satanam ac nefarios angelos eius, qui vniuersum orbem terrarum ad peccandum, & ad graues iniurias Deo irrogandas impellebant, transfixit & occidit; potestatem atque tyrannidem eis adimens, ita vt neminem iam ampliùs cogere possint. Cuius memorandi facinoris monumentum in eodem sacro textu sic litteris commendatum constat: *Et ecce vnus de filiis Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem, in locis genitalibus.* Numer. cap. 25.
Quo loco animaduertendum est, quòd licet in Vulgata editione nostra scriptum sit, pugionem eum arripuisse, aliæ tamen lectiones habent hastam; super quibus verbis hæc sanctus Isidorus: *Sed Phinees sacerdos,* inquit, *zelatus, vt Domi-* In Numeros cap. 24.
D *ni furorem placaret, Zambrim & scortum Madianitidem pugione transfigit: significans per Crucem Christi, non solùm idololatriam, sed etiam omnem carnis affectum, vel concupiscentiam perimi sæculi; & tunc placari Deum, dum carnis extinguitur desiderium.* Atque hîc insignioribus sanctæ Crucis figuris finem imponemus, quæ ex primis quattuor libris Pentateuchi Moysis excerpuntur: ceterarum autem quæ supersunt tractationem in Capita sequentia reijcimus, suffragante auxilio Domini nostri Iesu Christi; cui laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Pugio sacerdotis Phinees, quomodo typus Crucis.*

A

CAPVT XVII.

De Funiculo purpureo, quem Raab meretrix Ierichuntina appendit in specula, per quam Israëliticos exploratores demiserat: pro signo, quo eiusdem ciuitatis direptionis & excidij die ipsa cum tota ipsius domo seruanda esset.

CVM superioribus Capitibus de sanctæ Crucis figuris, quæ ex Pentateucho, id est, ex quinque libris magni Moysis (Deuteronomio tamen prætermisso) decerpuntur, tractauerimus; reliquum est, vt de his agamus, quæ in Iosue & Iudicum libris continentur. Non tractationem tamen de omnibus spondemus; sed de apertioribus atque insignioribus dumtaxat, quæ sanctorum Patrum & sacrorum Doctorum auctoritate comprobari possunt. quod sanè in superioribus præstitimus. Demumque pro huius tertij libri conclusione, quædam noui Testamenti superaddemus, quæ ijdem Patres sacrique Doctores ad sanctæ Crucis figuras & symbola pertrahunt. B

Funiculus coccineus suspensus à Raab, illustris figura Crucis.

Prima igitur sanctæ Crucis Christi Domini ac Redemptoris nostri, & eius pretiosi in ea profusi sanguinis figura, quæ in sacro Iosue libro litteris obumbratur, funiculus ille purpureus fuit, quem Raab meretrix in ciuitate Ierícho fenestræ illi appendit & alligauit, per quam Israëliticos exploratores seruauerat, eos ex vrbis mœnibus demittens: vt resticula illa sibi esset in signum, se cum tota ipsius domo, in die quo eadem vrbs diripienda ac subuertenda erat, seruatum iri. De qua figura Iustinus Martyr sic ait: *Funiculi etiam coccinei symbolum, quod Jerichunte à Jesu Naue missi exploratores Raabi meretrici dederunt, alligari ad fenestram vnde eos dimiserat, vt hostium conspectum effugerent, iubentes, sanguinis & id Christi signum præ se tulit; per quem vetusti fornicatores, & iniqui homines ex Gentibus omnibus saluantur, remissionem peccatorum accipientes, & vlteriùs non peccantes.* C

In Dialogo cum Tryphone Iudæo.

Ipsa Raab, Ecclesiæ typus.

Origenes verò hanc eamdem figuram exponens, meretricem illam Raab sanctæ Ecclesiæ symbolum fuisse ostendit; funiculumque ab ipsa fenestræ appensum, sanctæ Crucis & pretiosissimi Christi sanguinis, per quem eadem Ecclesia saluata est, figuram habuisse demonstrat. Atque super id plura nobis perutilia afferens documenta, inquit: *Raab interpretatur latitudo. Quæ est ergo latitudo, nisi Ecclesia hæc Christi, quæ ex peccatoribus, velut ex meretricatione collecta est? & dicit: Angustus est mihi locus, fac mihi locum vbi habitem. Hos autem mihi quis enutriuit? & iterùm ad quam dicitur: Dilata pedes tuos, & extende tentoria tua. Ista ergo latitudo est, quæ suscepit exploratores Jesu. Sed hæc susceptos, eos in superioribus collocat, atque in editis & excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui ab Jesu mittitur, inuenitur deorsum & humi iacens. Sed videamus quid egit cum exploratoribus ista sapiens meretrix. consilium eis dat mysticum & cæleste, nihil habens terrenum. Per montana, inquit, abite. Nolite per valles incedere, humilia & deiecta refugite, quæ excelsa sunt & sublimia prædicate. Ipsa autem signũ coccineum ponit in domo sua, per quod saluari de excidio debeat ciuitatis. Nullum aliud fuit signum, quod acciperet, nisi coccineum, quod sanguinis formam gerebat. Sciebat enim quia nulli esset salus, nisi in sanguine Christi. Datur etiam hoc mandatum huic, quæ quondã meretrix fuit: Omnes, inquit, qui inuenti fuerint in domo tua, saluabuntur. Qui autem exierint de domo, impunes sumus nos ab hoc iuramẽto tuo. Si quis ergo saluari vult, veniat in hanc domum huius, quæ quondam meretrix fuit. Etiam si de illo populo vult aliquis saluari, ad hanc domum veniat, vt salutem consequi poßit. Ad hanc veniat domum, in qua Christi sanguis in signo redemptionis est. Nam apud* D

In Iesu Naue, cap. 2. Homilia 3.

A *apud illos qui dixerunt; Sanguis eius super filios nostros; Christi sanguis in condemnatione est. Positus enim fuerat Iesus in ruina & resurrectione multorum: & ideò contradicentibus signo eius, efficitur sanguis eius ad pœnam, credentibus ad salutem. Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat. Extra hanc domum, id est, extra Ecclesiam nemo saluatur. Nam si quis foras exierit, mortis suæ ipse fit reus.*

Sanctus autem Ambrosius de hac ipsa figura agens, ac super eius expositione altos & mysteriis refertissimos sensus declarans, atque vtilia documenta prodens, sic tradit: *Signa fidei atque vexilla Dominicæ passionis attollens, coccum in fenestra ligauit, vt species cruoris mystici, quæ mundum foret redemptura, vernaret. Ita foris Iesu nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. Vnde quia intellexit Raab cæleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Et alibi idem sanctus Ambrosius eidem Raab meretrici sanctæ Ecclesiæ figuram adscribit; funiculo (De Fide ad Gratianũ, li. 5. cap. 5. Tom. 4.)

B autem purpureo, quem pro signo speculæ domus suæ appenderat, sanctæ Crucis & Christi sanguinis in ea profusi præsignificationem tribuit, his verbis: *Meretrix ista Ecclesiæ typus est aliquando in Gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo; lasciuosque ac turpes incompositis motibus saltus, nemorum & lucorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ Gentilium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Iesus Christus puro Baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accepit & nominis. Post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso. Nam & Raab illa meretrix Ierichuntis, quæ speculatores Iesu Naue excepit hospitio, & quòd signo cocci signata est, qui color figuram Christi sanguinis indicabat, & quòd euersionem ciuitatis euasit, Ecclesiæ typum habuit, quæ per sanguinem Christi, ruinam mundi istius secura non metuit.* (De Salomone, li. 5. cap. 5. Tom. 2.)

Verùm diuus Augustinus totam hanc sanctæ Crucis figurã, paucis quidem

C verbis, sed magno sensu turgentibus, explicat hoc pacto: *Meretrix illa in Iericho, meretrix quæ suscepit nuntios, & alia via eiecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est, vt per fenestram mitteret coccum, id est, vt in fronte haberet signum sanguinis Christi, saluata est ibi; & Ecclesiam Gentium significauit.* Sic etiam hanc eamdem figuram paucioribus verbis sanctus Hieronymus exposuit: *& Raab meretrix, in typo Ecclesiæ, resticulam mysterium sanguinis continentem, vt Iericho pereunte, domus eius saluaretur, appendit in fenestra.* (In Psal. 86.) (Ad Nepotianum cap. 3.)

Nec minùs decorè quàm ornatè eamdem sic explicat Isidorus: *Ex impiorum perditione, vnica domus Raab, tamquam vnica Ecclesia liberatur, munda à turpitudine fornicationis per fenestram confessionis, in sanguine remissionis. Ista enim meretrix in Iericho, tamquam in hoc sæculo moratur. Quæ vt saluari possit, per fenestram domus suæ, tamquam per os corporis sui coccum mittit; quod est sanguinis Christi signum, pro remissione peccatorum confiteri ad salutem. Qui inuenti sunt in domo illius, salui facti sunt ab* (In Iosue, cap. 7.)

D *interitu vrbis: & quicumque intra Ecclesiam reperiuntur, ipsi tantùm saluantur. Extra hanc autem domum, id est, extra Ecclesiam, nemo saluatur.* Et alibi idem Sanctus hanc eamdem figuram paucioribus exponens, subiunxit: *Raab figuram habet Ecclesiæ, quæ per coccum, id est, per passionis Dominicæ signum, ab interitu mundum liberauit.* (In Allegoriis sacræ Scripturæ.)

His addatur venerabilis Beda, qui in Psalmum octuagesimum sextum scribens, de hac sanctæ Crucis figura sic tradit: *Intelligitur verò Raab, generalis fornicaria, id est Gentilitas, quæ in Iericho erat, quia solo terrenitatis defectui inhærebat: & superba erat, quia creaturam Creatori præponebat. Quisquis autem de gente illa legatos Israëlitici populi, id est, prædicatores veritatis accipit, & passionem Christi, quæ per coccineum, id est, rubicundum funem designatur, de fenestra rationis suspendit,* (In Psal. 86)

 id est,

id est, si rationabiliter eam credit, iste saluabitur, cùm Jericho in æternæ destructionis ignem tradetur. A

Demum verò Rupertus Abbas, de hac eadem sanctæ Crucis Christi, & de ipsius in ea profusi sanguinis figura pariter disserens, inquit: *Signum istud, funiculus iste coccineus in fenestra ligandus, titulus est passionis Dominicæ inter oculos Ecclesiæ iugiter pingendus; coccineus inquam funiculus, sanguineum est Crucis signaculum, iugiter pingendum in fronte eius.* Et paulò inferiùs subdit: *Nunc interim patrem tuum ac matrem, fratresque, & omnem cognationem tuam congreges in domum tuam; vt sit domus tua per fidem vna. Nam qui ostium domus tuæ egressus fuerit; quicumque semetipsum ab vnitate fidei præciderit, hæresesque ac schismata fecerit; sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Igitur hæc illa gloriosa sunt, quæ dicta sunt de Ciuitate Dei, comprobante Iosue, id est Saluatore, dicta hæc, atque dicente: Memor ero Raab & Babylonis scientium me: subauditur, ita vt dicam ego Josue: Sola Raab meretrix viuat cum vniuersis qui cum ea in domo sunt. Sed quinam sunt cognati illi, qui in domo ista sunt? Ecce, inquit, alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Tyrus angustia interpretatur. Ergo quicumque à cultu Dei alieni, quicumque angustiati à peccatis, quicumque Æthiopes, id est denigrati in vitiis, veniendo in vnam domum cognati fiunt, & fratres sunt; omnes per vnum saluantur funiculum coccineum, per Crucis & passionis Christi signaculum.* Cui sit laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen. B

In li. Iosue cap. 12. Tom. 1.

CAPVT XVIII.

De Ligno, in quo Rex Hai suspensus est.

STRENVVS atque inuictus Iosue populi Dei Imperator, expugnata, direpta, igne succensa, ac solo æquata vrbe Hai, ciuibusque eius obtruncatis, cùm Regem illius prælio captum sibi viuum præsentassent, præalto quodam ligno suspendi iussit. Quod quidem lignum secunda ac postrema sanctæ Crucis nobis erit figura, quæ ex libro Iosue decerpitur. Pro cuius intelligentia animaduertendum est, lignum illud iuxta septuaginta Interpretum versionem, geminum fuisse. Nam dictio illa, quam in Vulgata editione nostra legimus, *lignum* siue *patibulum*, quæque iuxta Chaldaicam phrasim diceretur Crux, illi verterunt, ξύλον δίδυμον, id est, lignum geminum: super quibus verbis Origenes Pauli Apostoli auctoritate suffultus, inquit: *Post omnia autem, etiam Rex Hai in ligno gemino dicitur esse suspensus. Hoc in ligno mysterium tegitur, quamplurimos latens. Sed orantibus vobis, tentabimus hæc, non nostris opinionibus, sed diuinæ Scripturæ testimoniis aperire. In superioribus diximus, Regem Hai diabolo posse conferri: hic quomodo in ligno gemino crucifixus sit, operæ pretium est noscere. Crux Domini nostri Jesu Christi gemina fuit. Mirus tibi sermo fortasse, & nouus videtur, quòd dico, Crux gemina fuit; hoc est, gemina ratione constat & duplici. Quòd visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter verò in ea Cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Audi ergo de his quid ipse pronuntiat. Quod erat, inquit, contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens Cruci suæ, exuens principatus & potestates traduxit, liberè triumphans eas in ligno Crucis. Ergo duplex ratio Dominicæ Crucis: vna illa, qua dicit Apostolus Petrus, quòd Christus crucifixus nobis reliquit exemplum; & hæc secunda, qua Crux illa trophæum diaboli fuit, in quo crucifixus est & triumphatus. Ideò denique & Apostolus Paulus dicebat: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est,* C D

In Iesu Naue cap. 8. Homil. 8.

Rex Hai diabolus in gemino ligno à vero Iosue triumphatus.

Galat. 6.

A *est, & ego mundo. Vide quia & hic Paulus duplicem Crucis prodit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa: se sanctum, & peccatorem mundum: ad illam formam sine dubio, quam superius diximus, Christi & diaboli. Nos enim mundo crucifigimur tunc, cùm veniens princeps huius mundi in nobis non inuenit quidquam: & nobis mundus crucifigitur, cùm peccati concupiscentias non recipimus.*

Sanctus quoque Isidorus historiam hanc crucifixionis & mortis Regis Hai ad sanctæ Crucis Domini nostri Iesu Christi symbolum & figuram deducens, ait: *Hæreticorum auctor & peremptor Rex Hai, hoc est, diabolus, qui per illorum impietatem, fidelium quosdam euicerat, rursum superatus euincitur, atque à populo Dei suspensus, ligni Crucis virtute necatur.* Tu igitur inuicte & gloriose Redemptor noster, qui superbum hunc Regem Hai, id est, omnium peccatorum ac malorum aceruum & cumulum, in Crucem tuam meritò suspendisti; atque in eadem de ipso & omni eius impia tyrannide gloriosum triumphum duxisti: concede, vt in diuina protectione tua, ac sub alis misericordiæ tuæ iugiter permaneamus. Tu enim es altissimum refugium nostrum, vnicaque & firmissima spes nostra. Ideoque præcipuo gratiæ tuæ dono nobis tribue, vt per sancti ac tremendi nominis tui inuocationem, & per signum sanctæ Crucis, nos quoque de omnibus eius fallaciis & versutis insidiis clarum & victoriis insignem triumphum agere valeamus; ita vt ab assiduis & dolosis inuasionibus eius, atque ab innumeris huius sæculi periculis liberati, abs te demum suscipiamur, honoremur, & glorificemur in cælis. Amen. In Iosue cap. 8. B

CAPVT XIX.

De Clauo tabernaculi, quo Iahel Sisaræ Ducis exercitus Iabin Regis Chanaan cerebrum transfixit. De Quercu, sub qua Angelus Dei Gedeoni apparuit. De Virga, qua ille excutiebat triticum; ac de ea, qua idem Angelus carnes & azymos panes tetigit, quos Gedeon ipse ei obtulerat super petram, ex qua ignis erupit, qui carnes ac panes illos consumpsit. C

NOVIT optimè potestque diuina iustitia tremendis planè atque admirabilibus modis humiliare ac plectere superbos, vt quamplurima in diuinis Scripturis obseruare possumus exempla. Inter quæ illud sanè admirandum fuit Sisaræ ductoris exercitus Iabin Regis Chanaan; qui cùm per viginti annorum spatium ingenti superbia ac supercilio filios Israël tyrannide pressisset, à muliere demum prælio victus, ab alia itidem crudeliter interfectus est. Nam dum lassus ac mœstus post cladem, quam malè confecto prælio, à Debora & D Barach acceperat, fugitiuus & latitans dormiret in tabernaculo Iahelis vxoris Haber, quæ amicabili vultu eum susceperat; arripiens illa clauum siue acutum palum tabernaculi, cuspide illius ictu mallei per capitis tempus adacta, cerebrum ei transfixit; eo modo videlicet, qui in sacro textu his verbis ad posterorum memoriam proditur: *Tulit itaque Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondite & cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clauum, percussumque malleo, defixit in cerebrum vsque ad terram.* Quod terribile planè ac mysteriis refertum facinus, prima erit sanctæ Crucis figura, quæ ex Iudicum sacra decerpitur historia; cuius expositionem aggressurus Origenes de ea sic tradit: *Occurrit*, inquit, *fugienti Sisaræ mulier alienigena Iahel, quæ mulier priùs eum eo amicitiarum fœdus habuerat. Ad quam ille* Iudic. 4. In Iudicū c. 4. Ho. 5.

ille cùm declinasset latendi gratia, & aquam poposcit vt biberet, ab illa lacte potatus est. Et cùm eum in latebris collocasset, ac pellibus adoperuisset, post hæc palum malleo adactum per eius malas vel maxillas defixit. Et tunc occurrens insectanti Barach, mortuum iam & prostratum ostendit Sisaram. Quid ergo nobis sacramenti, omnis iste historiæ textus ostendit? Jahel mulier alienigena, de qua Prophetia dixit, quòd in manu mulieris fiet victoria, figuram tenet Ecclesiæ, quæ ex alienigenis gentibus congregata est. Interpretatur autem Jahel ascensio: quia reuerà non est alia ascensio, qua ascendatur ad cælum, nisi per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. Ipsa est ergo, quæ dum à corporalibus ad spiritalia, & à terrenis ascendit ad cælestia, interfecit Sisaram, de quo iam superiùs diximus, quòd carnalium vitiorum, & animalis vel stolidi hominis tenet figuram; quia Sisara visio equi interpretatur. De quo Scriptura dicit: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Palo ergo eum interfecit, id est, ligni Crucis acumine & virtute eum prosternit. Et non sine causa maxillam eius palo transuerberasse describitur: illud enim os quod de carnalibus loquebatur, & illa doctrina quæ carnis gloriam præferebat, quia in delicijs & voluptate viuendum sapientibus sæculi persuadebat, & humanum genus luxuriæ adulatione deceperat; illud, inquam, os, ligno Crucis confoditur & terebratur. Quia illam viam, quam Philosophia latam & spatiosam prædicauerat voluptatis, hanc Christus arctam & angustam nobis viam salutis ostendit. Sic ergo Iahel, id est, Ecclesia, vitiorum principem Sisaram obtectum pellibus, id est, membrorum mortificatione sopitum, æterno tradit somno. Occurrit tamen Iahel, id est Ecclesia, post hoc & priori populo insectanti Sisaram: insectabatur enim Israël legem iustitiæ, sed in legem non peruenit. Occurrit ergo Ecclesia etiam ipsi, & ostendit ei opus suum; ostendit victoriam consummatam, atque in societatem eum prostrati hostis inuitat. Verum est enim illud, quod Apostolus in nouissimo tempore dicit futurum: Quia cùm plenitudo Gentium subintroierit, tunc omnis Israël saluus fiet. Fit ergo quidem primatus in manu mulieris alienigenæ, non tamen excluditur à consortio gloriæ etiam Barach, qui prior quidem cœperat, sed nouissimus peruenit ad finem. Immò dum ille peruenit, Iahel alienigena prætereuntem quodammodò victoriam rapit. Eadem forma præcessit etiam in Esau & Iacob fratribus. Dum enim Esau sectatur agrestia, dum moratur in saltibus; præueniens Jacob, & mulieris consilijs, id est matris, compositos patri offerens cibos, benedictionis primatus accepit. Sic & in Euangelio, pergente Domino ad filiam principis Synagogæ suscitandam, præueniens mulier quæ sanguinis fluxu laborabat, fideli tactu prior consequitur sanitatem. Hucusque Origenes. A B C

In Sisara cæso à Iabel, quomodo lateat vis Crucis.

Verùm diuus Augustinus paucissimis quidem, sed grauibus verbis figuram ipsam exponit hoc modo: *Quæ est ista mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ, Cruce Christi regna diaboli perimens?* Et sanctus Isidorus sacrarum Allegoriarum singularissimus expositor, de hac ipsa sanctæ Crucis figura ipse quoque verba contexens, inquit: *Iahel ista alienigena, in cuius manu victoria facta est, figuram tenet Ecclesiæ ex Gentibus congregatæ. Jahel enim interpretatur ascensio, quia per Ecclesiam ascenditur ad cælum. Ista palo, id est clauo, Sisaram hostem interficit; id est, ligni Crucis acumine & virtute diabolum interimit, quod Barach, id est, prior populus, per Legis præcepta facere non potuit: sola enim ista, per lignum in quo spiritualibus sacramentis credentium salus est, fidei hostem affligit: quem deinde mortuum pellibus obtegit, id est, inclusum in carnalium cordibus derelinquit. Non enim latent mortifera ipsius in corruptibilitate vitæ viuentibus & peccata mortalia perpetrantibus; qui dum praue viuentes segregantur à corpore Christi, efficiuntur membra diaboli.* Et alibi idem Sanctus huius figuræ Allegorias declarans, adiecit: *Sisara*, inquit, *typus diaboli fuit; Iahel autem, quæ de ligno tempora eius transfodit, Ecclesiæ typum expressit, quæ per vexillum Crucis diaboli imperium interfecit.* Atque hæc eadem ferè de verbo ad verbum Beda venerabilis suis operibus inseruit. D

Cõtra Faustum lib. 12. cap. 32. Tom. 6.

In Iudic. cap. 2.

In Allegoriis sacræ Scripturæ.

Quin-

A Quinetiam Rupertus Abbas huius sanctæ Crucis figuræ mysticos sensus docte prorsus sic explicauit: *Iahel mulier fortis accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum: sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos. Talis habitus corporis profectò figuram Crucis exprimit. Clauus tabernaculi, ipsum est stigma passionis Christi. Clauum tulit, quæ iussa mortificare membra sua super terram, Crucem suam baiulauit, crucifigens carnem suam cum vitijs & concupiscentijs: quod tunc validè fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria Dei assumitur afflictio carnis. Non, inquam, in ambitione auræ popularis, sed in timore Domini. Idcircò Psalmista postulat: Confige timore tuo carnes meas. Rectè igitur sinistram manum misit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos. Sinistra inferiùs ad clauum, visibilis operatio pœnitentiæ est in oculis hominum. Malleus in dextra desuper, timor Domini in intentione cordis est. Ita factum est, vt capiti eius defigeret clauum validè in cerebrum vsque ad terram. Quare in capite quæsiuit vulneri locum? Videlicet, quia peccati caput est feriendum, ne postquam ventre irrepserit, difficilior pugna* In lib Iudicum Comment lib. 1. cap. 7.
B *sit. Caput prima peccati suggestio est; venter autem, subsequens delectatio: porrò consensus, cauda est. Vnde ligetur animus, quemadmodum de Beëmoth ad beatum Iob dicitur: Stringit caudam suam quasi cedrus; id est, fortiùs tenet, quemcumq; per consensum ligauerit diabolus. Igitur in capite quæratur vulneri locus, id est, non expectata cauda consensus, immò delectationis ventre, prima suggestio clauo Dominicæ Crucis cum timoris Domini malleo transfigatur.*

Secunda sanctæ Crucis figura, quæ ex sacra Iudicum Israëlis historia colligitur, arbor illa quercus fuit, sub qua sedit Angelus Dei, cùm Gedeoni apparuit. Quæquidem triplex fuit. Non solùm enim quercus prædicta sanctam Redemptoris nostri Crucem præfigurauit; sed & virga, qua idem Gedeon triticum excutiebat: nec non & virga illa, qua Angelus prædictus tetigerat carnem & azymum panem, quem Gedeon supra petram ei obtulerat, ex qua ignis erupe-
C rat, eiusdem sanctæ Crucis figuræ pariformiter extitere. Quamobrem de tribus hisce figuris diuus Pater Augustinus differens, inquit: *Angelus ille, qui venit ad Gedeon, in typum Saluatoris accipitur. Arborem, sub qua stetit, & virgam, quam tenuit, Crucem significasse manifestum est. Petra illa, super quam Gedeon obtulit holocaustum, Christus erat. sic enim ait Apostolus: Petra autem erat Christus. Hœdus ille, qui oblatus est, humanum genus peccatis obnoxium designauit. Quòd Angelus virga sua tetigit petram, & exijt ignis, & consumpsit hœdum illum; Crux tetigit Christum, & de petra, quæ erat Christus, ignis exijt charitatis, qui humani generis peccata consumpsit.* De tépore Serm. 108. *Virga Gedeonis & virga Angeli, vtraq; typus Crucis.*

Verùm sanctus Isidorus, hanc figuratam Gedeonis historiam vnà cum mysticis significationibus suis fusiùs explicans, hæc de ea litteris commendauit: *Traditur*, inquit, *deinde populus Israël in manu Madian, pro cuius liberatione loquitur Angelus Domini ad Gedeon. Cuius gesta quid mysticè significent, demonstrandum est.* In lib. Iudicum, cap 3.
D *Gedeon namque, cùm sub quercu tritici messem virga cæderet, & à paleis frumenta excuteret, Angelum vidit, accipiens ab eo oraculum, vt à potestate hostium populum Dei in libertatem deduceret. Iste Gedeon figuram gestabat Christi, qui sub vmbra sanctæ Crucis, prædestinato incarnationis futuræ mysterio constitutus, rectitudine iudicij, quasi per virgam electionis, Sanctos à vitiorum paleis sequestrat. Hic ergo Gedeon cùm audisset ab Angelo, quòd deficientibus populorum millibus, in vno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, protinus hœdum coxit: cuius carnes secundùm præceptum Angeli, simul cum azyma super petram posuit, & ius carnium desuper effudit. Quæ dum Angelus virgæ cacumine tetigit, statim de petra ignis erupit; atque ita sacrificium quod offerebatur, absumptum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi; Paulo attestante: Petra autem erat Christus. Iam tunc igitur in my-*

sterio

sterio declaratum est, quia Dominus Jesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus A *aboleret. Nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates purgaret animarum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est: Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne? Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiuit, ostendit, quòd caro Domini spiritu repleta diuino, peccata omnia conditionis humanæ exureret. Vnde & Dominus ait: Ignem veni mittere in terram.*

Accende igitur, Domine mi, Spiritus sancti tui cælesti flamma frigidam ac duram cordis nostri petram, quæ diuino amore tuo, & vera in proximum dilectione conflagret; ita vt vitioso hœdo peccati in nobis absumpto, bonorum ac sanctorum operum exercitio & desiderio ardeamus; & holocaustum nostrum tibi placens & gratum fiat: vt spiritus noster demum hac mortali carne solutus, tamquam thus grató tibi odore fragrans, per Angelorum manus offeratur conspectui tuo; ibique cum omnibus Sanctis & electis tuis te laudemus ac B glorificemus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XX.

De trecentis Viris, quos Gedeon contra Madianitas secum ad prælium duxit, in cuius numeri mysterio, de hostibus victoriam reportauit: & de Tubis corneis, quibus clanguerunt, dum Madianitas inuaderent.

EVIDENTER profectò & palàm, quantæ sit omnipotentiæ, tunc Dominus noster ostendit, experimentoque ac re ipsa docuit, magnum se illum Deum exercituum esse, cui semper vincere tam in paucis quàm in multis, prorsus non est difficile; cùm voluit, vt Gedeon iudex & Dux populi sui, trecentis C his viris tantummodò, qui ad aquæ potum probati fuerant, Madianitarum numerosissimum ac potentissimum inuaderet & funderet exercitum; dicens ei: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* (Iudic. 7.) In quo admirabili facinore, id est, in trecentorum virorum illorum numero, quibus Gedeon Madianitas deuicit, tertia sanctæ Crucis consistit figura, quę in sacro Iudicum libro consideratur. Gręci enim, vt superiùs quarto huius Libri capite iam diximus, numerum hunc littera T designare consueuerant, quæ Crucis habet imaginem. Quamobrem diuus Augustinus hanc ipsam figuram declarans, de ea sic tradit: *Gedeon*, inquit, *fratres charissimi, typum gessit Domini Saluatoris. Et quia trecenti, secundùm Græcorum computum, Crucem faciunt; ita tunc Gedeon trecentis viris, Iudæorum populum crudelissimis gentibus eripuit: quomodo posteà Christus per mysterium Crucis totum genus humanum de potestate diaboli* D *liberauit.*

(De tẽpore Serm. 108. *Trecenti socij à Gedeone in mysterio assumpti; vtpote* T *littera* 300. *signat.* Gregorius Moral. l. 3. cap. 17.)

Eodem propè modo, sed aliquanto fusiùs, hanc figuram exposuit sanctus Gregorius his verbis: *Notandum verò est, quia iste trecentenarius numerus in Tau littera continetur, quæ Crucis speciem tenet: cui si super transuersam lineam id quod Cruce eminet adderetur, non iam Crucis species, sed ipsa Crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, & per Tau litteram, sicut diximus, species Crucis ostenditur, non immeritò in his trecentis Gedeonem sequẽtibus illi designati sunt, quibus dictum est: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* (Matth. 16.) *Qui sequentes Dominum, tanto veriùs Crucem tollunt, quanto acriùs & se edomant, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur. Vnde*

& per

A *& per Ezechielem prophetam dicitur: Signa Tau super frontem virorum gementium &* Ezech. 9.
dolentium. Vel certè in his trecentis, qui in Tau littera continentur, hoc exprimitur, quòd ferrum hostium, Crucis ligno superetur. Hoc totum diuus Gregorius: idipsumque totum de verbo ad verbum ab Isidoro Hispalensi Episcopo, suis in Iudicum librum Commentariis, repetitum est. Qui quidem nihilominùs alibi in hanc sententiam subiunxit: *Gedeon*, inquit, *qui cum trecentis viris perrexit ad* In Allegoriis sacræ Scripturæ.
prælium, typum Christi gestáuit; qui in signo Crucis de mundo victoriam reportauit. Trecentorum enim numero, qui iuxta Tau litteram continetur, species Crucis ostenditur. Sic etiam Beda, sic Rupertus Abbas, sicque alij complures sacri Doctores repetunt & inculcant.

Quarta sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura, quæ ex sacro Iudicum libro colligitur, tubis illis corneis innuitur, quibus clangentes trecenti illi viri Gedeonem sequentes, dum hostium exercitum aggrediebantur, ad earum sonitum & clangorem Madianitæ sese verterunt in fugam, vt in eodem sacro
B textu his verbis facti memoria proditur: *Ingressus est Gedeon, & trecenti viri* Iudic. 7.
qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ: & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas. Cúmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas; clamaueruntque: Gladius Domini & Gedeonis: stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostium. Omnia itaque castra turbata sunt; & vociferantes vlulantesque fugerunt. Et nihilominùs insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant fugientes.

Tubæ igitur istæ corneæ, quæ magno clangore obstrepentes, impios Madianitas in fugam præcipites egerunt, sanctæ Crucis Christi tenuere figuram; quæ sese in quattuor cornua siue fines disterminãs, terribili & admirabili famæ
C & virtutis sonitu, impios ac scelestos Madianitas infernales, à quattuor mundi plagis in fugam vertit atque destruxit. Quocircà de eisdem sic tradit Origenes: *Item tuba cornea Gedeonis, mysterium Crucis.*
Qui de cælestibus loquitur, qui de spiritualibus disserit, qui mysteria Regni cælorum reuelat, ille buccina concinit: ille de tuba loquitur, qui de magnis & maximis loquitur, qui scientiam Christi humanis auribus pandit. Sed cur & cornea dicitur buccina? Quia & de Sancto dicitur: Cornu eius exaltabitur in gloria. Vnde & vniuscuiusque buccina dicitur cornea, in eo, quòd multiplicem scientiam Christi & Crucis eius, quæ in cornu designatur, disserit sacramenta. Cum hac ergo buccina militantes, & cum hac pugnantes, vincimus alienigenas, & hostes in fugam vertimus, etiamsi fuerit multitudo eorum sicut locustæ. Locustis enim comparata est dæmonum multitudo, quibus neque in cælo neque in terris est sedes. Præcedat ergo & nos hoc bello operum lux, scientiæ virtus, Diuini verbi prædicatio. Pugnemus & nos in hymnis & psalmis, & canticis spiritualibus concinentes & clamantes ad Deum, vt ab ipso victoriam consequi merea- In lib. Iudic. cap. 7. Homil. 9.
D *mur, in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* Hactenus Origenes. Atque de his corneis tubis, quibus Crux Domini præsignata est, hactenus dixisse sufficiat.

A

CAPVT XXI.

De Samſone, qui in itinere à leone quodam inuaſus, eum propriis manibus diſcerpſit. Et de eodem, qui in templum Dagon à Philiſthæis perductus, eiuſdemq́; duas columnas amplexatus, & quatiens, ac baſibus euellens, totum ædificium illud euertit. Cuius ruinâ ipſe cum hoſtibus oppreſſus, plures Philiſthæos moriens interemit, quàm viuens necauerat.

FORTISSIMVS ille nazaræus Samſon, cuius nomen Sol interpretatur, veri Solis iuſtitiæ Chriſti Domini in multis figuram præ ſe tulit. Tunc verò præſertim, cùm in itinere à ferociſſimo quodam leone inuaſus, intrepidè illi occurrens, faucibuſque eum apprehendens, terribili & immenſo robore brachia extendens, propriis eum manibus diſcerpſit. Ex quo planè admirabili facinore, quinta ſanctæ Crucis oritur figura, quæ in ſacro Iudicum libro continetur. Nam quemadmodum Samſon brachia aperiens & extendens, immanem leonem illum diſcerpſit & occidit; ſic Chriſtus Dominus brachia ſua in Cruce extendens, crudeliſſimum leonem Luciferum, omneſque nequiſſimos ſatellites eius interfecit, expolians eos immani illa tyrannide, quam in mundum ſibi vſurpauerant. Quocircà diuus Ioannes Chryſoſtomus, *Samſon*, inquit, *iter faciens leonem manibus enecauit. Et Dominus ac Saluator noſter, per ſuſcepti corporis ſacramentum, leonem diabolum extenſis in Cruce manibus interemit.* B

Samſon diſcerpens leonem, typus Chriſti diabolum extenſis in Cruce manibus vincentis.

Ex variis in Matth. locis, Homil. 4.

Sexta ſanctæ Crucis figura quæ ex eodem Iudicum libro decerpitur, ipſemet Samſon fuit: qui cùm à Philiſthæis in templũ Dagon ipſorum idoli perductus eſſet, vt ei illuderent, & ex iocis eius voluptatem caperent; extendens ille brachia ſua ad duas columnas quibus templum illud innitebatur, manibuſque eas fortiter quatiens, earum motu labefactatum ædificium deſtruxit; cuius ruina ipſe oppreſſus, maiorem Philiſthæorum numerum moriens extinxit, quàm viuens necauerat. Cuius admirandi facinoris memoria in eodem ſacro textu his verbis proditur: *Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon deo ſuo, & epularentur, dicentes: Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras; lætanteſque per conuiuia, ſumptis iam epulis, præceperunt vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere, ludebat ante eos; feceruntque eum ſtare inter duas columnas. Domus autem erat plena virorum ac mulierum: & erant ibi omnes principes Philiſthinorũ, ac de tecto & ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpectabant ludentem Samſon. At ille apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læua tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & ceteram multitudinem quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* C D

Iudic. 16.

Hanc igitur ſacram figuram exponens Auguſtinus, ſic tradit: *Cæcitas ergo Samſon quam intulerant, cæcitatem Iudæorum ſignificabat. Chriſtus autem à Iudæis & comprehenſus eſt, & occiſus. Adduxerunt ergo eum inimici, vt illuderent ei. Iam hic imaginem Crucis attendite: expanſis enim manibus ad duas columnas, quaſi ad duo ligna Crucis extendit; ſed aduerſarios ſuos interemptos oppreſſit, & illius paſſio, interfectio facta eſt perſequentium. Et ideò Scriptura concludit: Plures mortuus occidit, quàm viuus occiderat. Nam hoc myſterium in Domino noſtro Ieſu Chriſto impletum eſt. Redemptionem noſtram, quam ipſe viuens minimè celebrauerat, mortuus conſummauit.*

De temp. Serm. 107.

Mors Samſonis etiam inſignis typus mortis Chriſti.

Et ſan-

A Et sanctus Ioannes Chrysostomus ad hanc eamdem sanctæ Crucis figuram sic allusit: *Postremò Samson moriens inimicos suos, concussis ædificiis, ruina comprimit: Dominus tunc cùm mori dignatus est, non vna domo, sed omni mundo concusso, diabolum cum suis angelis vniuersis extinxit.* Oremus ergo Dominum, vt tantam nobis quoque fortitudinem impertiri dignetur, vt columnas templi huius cordis & conscientiæ nostræ, in quibus vitia diuersantur, concutientes, quasi noui Samsones, dum peccatis moriamur, inimicos nostros opprimamus. Amen. Ex variis in Matth. locis, Ho. 4.

CAPVT XXII.

De Agno lactente, quem Samuel obtulit holocaustum Domino in Masphath. De Arbore mali punici, sub qua Saul Rex cum sexcentis viris sedebat in Gabaa. De primo Altari quod idem Rex B *Deo erexit; & de Cithara Dauid, qua personante, spiritus malus, quo Saul diuexabatur, recedebat.*

MAGNAM sanè vim in conspectu Dei iustorum oratio semper obtinuit. Cuius rei infinita pænè exempla in diuinis Scripturis considerari possunt: inter quæ illud Samuelis valdè insigne fuit, cuius orationes vim habuerunt placandi iustissimam indignationem & iram, quam diuina Maiestas in Israëliticum populum conceperat propter impiam idololatriam, in quam sæpè prolabebatur: tunc verò præsertim, cùm filiis Israël in Masphath congregatis, venientibusque Philisthæis vt eos inuaderent, Samuel obtulit agnum lactentem holocaustum Domino, precibusque pro ipsis effusis, exaudiuit Deus orationem eius, & populo suo victoriam concessit, vt in sacra Regum his verbis narratur historia: *Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum* 1. Regum cap. 7. C *holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus. Factum est autem cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthijm iniere prælium contra Israël: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthijm, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.*

Ex quo sacrificio prima sanctæ Crucis figura elicitur, quæ in sacra Regum historia continetur. Nonnulli enim ex sanctis Patribus, ac inter eos præcipuè Beda, huius sacrificij mysterium cum inde sequentibus exponens, ad Saluatoris nostri Crucis ac passionis significationem deducit: atque de eo sic tradit: *Tulit innocentem, quem pro salute mundi vnicum induerat hominem, & obtulit illum in altari Crucis holocaustum integrum Patri. Et benè holocaustum, id est, totum incensum, benè integrum obtulisse perhibetur, qui sine iniquitate conceptus, natus, & in carne moratus, totum quidquid per hominem gessit, igne Deo Spiritus sancti dignum reddidit.* D *Et orauit Dominus Patrem pro fidelibus suis, vt non deficeret fides eorum. Orauit & pro persequentibus se, vt ignosceretur eis tantæ noxa perfidiæ, quam nescientes incurrerunt. Et exaudiuit eum Pater, hos in fide, quam pænè amiserant, confortando; illos ad fidem, quam penitus nescierant, vocando. Et factum est cùm Dominus semetipsum offerret hostiam Deo in odorem suauitatis, persecutores eius, & in Cruce positum eum blasphemare vel deridere, & sepulto eidem viam resurrectionis obstruere moliri non desinerent; vt ipso quasi æterna morte damnato, omnem fidelibus eius spem salutis eriperent. Verùm terra mota, fissis cautibus, monumentis apertis, & exurgentibus mortuis, ceterisque cælestibus ad eius Crucem vel sepulturam clarescentibus signis, exterriti sunt hostes, & in diuersa fugati. Denique ad monumentum perterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Et omnis turba eorum, qui simul aderant adspe-*

In Samuelem, Allegoricæ expositionis li. 1. c. 12. Tom. 4.

Agnus lactens Samuelis quomodo præfigurarit Christum crucifixum.

ad spectaculum Crucis, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. A

Arbor mali punici, sub qua Saul Rex, Crucis Christi figura. In Samuelem, Allegoricæ expositionis li. 2. cap 8. Tom. 4.

Secunda sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura ex libris Regum, arbor illa mali punici fuit, sub qua Saul Rex morabatur cum sexcentis viris, in extremis finibus Gabaa, dum Ionathas filius eius Philisthæos aggressurus perrexerat. Quam quidem arborem ad sanctæ Crucis similitudinem & figuram Beda venerabilis deduxit his verbis: *Sub malo granato enim populus, qui potest dicere: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Fructus namque Crucis Dominico cruore rubicundus, instar mali granati, multa credentium grana, quasi vno charitatis & spei cortice circumuertit.* Et paulò inferiùs subdit: *Namque ad indicium quidem virtutis pertinet, quòd in Gabaa, id est, colle morabatur, quòd sub malo granato, quòd sexcentos habebat comites; vt enim suprà iam diximus, collis celsitudinem virtutum, mali granati tegmen protectionem Dominicæ Crucis, sexcentenarius militum numerus perfectos spe & operatione demonstrat. Verùm quòd in extrema parte collis sedebat, quòd arbor cuius vmbraculo tegebatur, in Magron, id est, in gutture sita erat, minùs perfectæ adhuc signa sunt mentis; hoc est, eius, quæ necdum plenè desiderata potuit mœnia subire virtutum. quæ Dominicæ passionis mysterium ore tenet, sed imitari necdum valet.* B

Item altare, quod idem Saul Domino erexit. In Samuelé, Allegoricæ expositionis lib. 2. ca. 9. To. 4

Tertia sanctæ Crucis figura ex sacra Regum Historia, altare illud primum est, quod Saul Rex Domino erexit. Quod altare sanctæ Crucis vmbram & figuram habuisse Beda innuit; de eodem namque sic tradit: *Ædificauit altare, vt celebrato super illud holocausto, pro peccato quoque populi, quod temerè commiserat, interueniret. Ædificat magister quisque perfectus in audientium corde fidem Dominicæ passionis, vbi in altare viuificæ Crucis sanguis ille pretiosus in remissionem fusus est peccatorum, manifesto cunctos informans exemplo; quia si Domini exitus mors, multo magis serui mortificare debent membra sua, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus, & cetera talia, quæ opera carnis & sanguinis esse, nec fructui spiritus posse sociari, manifestissimè claret.* C

Et cithara quam Dauid coram Saule percussit. 1. Regum cap. 16.

Quarta Crucis figura ex libris Regum fuit cithara Dauid, quam coram Saul à nequissimo spiritu diuexato percutiens, eumdem spiritum leniebat, vt ab illo recederet. Cuius citharæ, in eodem sacro textu, hæc scripto memoria proditur: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu sua; & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Hanc ergo citharam sancti Patres sacrique Doctores, Crucis Christi vmbram atque figuram fuisse contendunt. Quocircà sanctus Augustinus, siue quicumque alius Auctor Homiliarum earum in Apocalypsin, quæ habentur in Appendice Tomi noni operum suorum, de ea sic inquit: *Cithara, id est, chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passioni coniunctam.* At sanctus Isidorus sese in hoc apertiùs declarauit; nam figuram hanc aptissimè prorsus exponens, inquit: *Dauid adhuc puer in cithara suauiter, imò fortiter canens, malignum spiritum, qui operabatur in Saule, compescuit. Non quòd citharæ illius tanta virtus erat, sed figura Crucis Christi, quæ de ligno, & de extensione neruorum mysticè, ipsaque passio cantabatur, iam tunc spiritum dæmonis comprimebat.* D

In Apoc. Homil. 4. Tom. 9.

Comment. in 1. Regũ cap. 9.

In Samuelé, Allegoricæ expositionis lib. 3. c. 1. To. 4.

Idem ferè, licet fusiùs aliquantulum, venerabilis Beda litteris commendatum reliquit; nam de hac Dauidis cithara sic tradit: *Neque enim putandum est, citharam illam Dauid, quamuis dulcissimè resonantem, tantæ potuisse virtutis existere, quæ spiritus pelleret immundos: sed figura sanctæ Crucis, & ipsa quæ canebatur passio Dominica, iam tunc diaboli refringebat audaciam: sicut & Ægypti vastator angelus, non propter sanguinis in foribus positi virtutem, sed quia idem sanguis typus fuit; locus quoque*

A *quoque medij liminis, superliminaris, & vtriusque postis, qui inunctus erat; ipsam salutiferæ Crucis figuram exprimebat; domos Hebræorum quas signatas vidit, illæsas transiit, diuino præmonstrante consilio, venturum eum in carne, qui suo nos sanguine per Crucem à morte liberaret.*

Singulari ergo gratiæ tuæ dono, nobis concede Domine Deus ac Redemptor noster, vt sanctæ Crucis tuæ citharam nos quoque læto animo portantes, bonorum operum harmonia sic coram te suauiter personemus & concinamus, vt victus atque confusus inimicus, cum omnibus iniquitatibus suis, à nobis velociter aufugiat; ita vt tibi liberè seruientes, corde, voce, & opere te laudare ac benedicere valeamus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XXIII.

B *De Baculo, quo armatus Dauid ad singalare certamen cum Philisthæo gigante descendit: & de Lancea, qua Saul Rex Dauidem ipsum in pariete configere nisus est.*

SANCTVS ille Rex & magnus Propheta Dauid, veri Regis & Saluatoris nostri Iesu Christi in multis figuram gessit: tunc verò præsertim, cùm pastorali baculo suo armatus, ad singulare certamen cum Allophylo gigante descendit. Ex quo præclaro facinore, quinta sanctæ Crucis elicitur figura, quæ in sacra Regum historia continetur. Quemadmodum enim innocens & humilis pastor ille, baculo & quinque lapidibus armatus, decertauit, vicit, & occidit immanem Gigantem illum, qui Dei populum iniurijs & ignominia lacessitum irridebat; sic innocens Pastor & Dominus noster Iesus Christus, sanctæ C Crucis suæ baculo, & quinque lapidibus plagarum quas in ea suscepit; superbissimum & impium gigantem diabolum, humano generi exprobrantem, & ad æternum interitum pertrahentem vicit & occidit. Cuius planè admirabilis facti memoria in eodem sacro textu verbis hisce describitur: *Et tulit Dauid baculum suum, quem semper habebat in manibus; & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum; & fundam manu tulit, & processit aduersum Philisthæum.* Quæ omnia diligenti consideratione expendens sanctus Ambrosius, inquit: *Ipse etiam Dauid despectus ab Allophylo, quòd aduersus armatum præliatorem cum virga & lapidibus processisset; retulit, non viribus se fretum esse, non armis, sed in nomine Domini confidentem, ad prælium esse progressum, vt lacessitæ plebis auferret opprobrium. Hic ergo iuuenis atque despectus, strauit Allophylum, potitusque victoria, in decem millibus, iuuencularum psallentium testimonio, triumphauit. Gerebat enim typum eius, qui quasi despectus venturus erat in terras: & sine legato, sine adiutore, sine nuntio, totum populum mundi huius, Crucis suæ prælio liberaret.* Hæc Ambrosius.

1.Reg. 17.

In Psal. 118. Octonario 18.

D

Diuus verò Augustinus huius historiæ & sacræ figuræ filum aliquanto magis ex longinquo deducens, altissimisque illam sensibus illustratam explicans, de ea sic tradit: *Veniente*, inquit, *Dauid, vnus è fratribus increpauit eum dicens: Quare dimisisti pauculas oues illas, & venisti ad prælium? Frater iste senior, qui Dauid typum Christi gerentem per malitiam increpauit, significauit populum Iudæorum; qui per inuidiam Christo Domino, qui pro salute humani generis venerat, detraxerunt, & multis frequenter iniurijs affecerunt. Quare, inquit, dimisisti oues illas, & venisti ad prælium? Quasi non tibi videretur per os eius saluti hominum inuidens diabolus loqui; tamquam si diceret Christo: Quare dimisisti nonaginta & nouem oues, quæ non errauerunt,*

De tẽpore Serm. 197.

runt, & venisti vt vnam requireres, quæ perierat, & eam de manu spiritalis Goliæ, id est, de potestate diaboli, per Crucis baculum liberatam, ad ouile proprium reuocares? Quare, inquit, dimisisti paucas oues illas? Malo quidem & superbo animo, sed tamen verum dicebat; quia Iesus, sicut iam dictum est, dimissurus erat nonaginta & nouem oues, vt quæreret vnam, & ad ouile proprium, id est, ad Angelorum consortium reuocaret. Et paullò inferiùs idem magnus Pater hæc adiecit: *Venit ergo David, & inuenit Judæorum populum in valle Terebinthi positum, vt contra Allophylos dimicaret, quia venturus erat verus Dauid Christus, vt de conualle peccatorum siue lacrymarum humanum genus erigeret. Stabant autem in valle contra Allophylos. In valle erant, quia eos peccatorum pondus oppresserat. Stabant enim, & pugnare contra aduersarios non audebant. Quare non audebant? Quia Dauid, qui typum Christi gerebat, nondum venerat. Verum est, fratres charissimi. Quis enim contra diabolũ pugnare poterat, antequam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? Dauid enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius, fratres, qui vniuersum mundũ vicit, armatus non ferro, sed ligno? Stabant ergo filij Israël cõtra aduersarios quadraginta diebus. Quadraginta dies, propter quattuor tempora, & quattuor partes orbis terræ, vitam præsentem significant, in qua contra Goliath vel exercitum eius, id est, contra diabolum & angelos eius, Christianorum populus pugnare non desinit. Nec tamen vincere posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est, cum Crucis mysterio descendisset. Ante aduentum enim Christi, fratres charissimi, solutus erat diabolus; veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est: Nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem. Venit ergo Christus, & alligauit diabolum. Sed dicit aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantum præualet? Verum est, fratres charissimi, quia multum præualet, sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* A B

Baculus Dauid, Crux Christi contra infernalē Goliath.

Iam videte fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Venit ergo David, & inuenit Iudæorum populum contra diabolum prælantem: & cùm nullus esset qui præsumeret ad singulare certamen accedere, ille qui Christi figuram gerebat, processit ad prælium; tulit baculum in manu sua, & exijt contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum est, quod in Domino Jesu Christo completum est. Venit enim verus Dauid Christus, qui contra spiritalem Goliath, id est, contra diabolum pugnaturus, Crucem ipse portauit. Videte, fratres, vbi Dauid Goliath percusserit; in fronte vtique, vbi Crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus Crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis viuus, de quo scriptum est: Lapidem, quem reprobauerunt ædificatores, hic factus est in caput anguli. Hactenus Augustinus. C D

In Samuelem, Allegoricæ expositionis lib. 3. cap. 2 Tom. 4.

Videamus nunc quid Beda venerabilis, pro huius figuræ sacratissimæ expositione, ad posterorum memoriam scripto commendauerit: *Tulit*, inquit, *verus David Christus baculum, quem semper habebat in manibus, cum Crucis suæ mysterio ad saluationem mundi profuturo.* Et paulò inferiùs subdit: *Et dixit Philisthæus ad Dauid: Numquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Siue potentiam Saluatoris, siue Crucis intelligas lignum, ad eumdem sensum respicit. Negat se enim superbissimus hostis similem cani, id est immundum opere, & infirmitate contemptibilem; insuper & omnes, qui in mundi huius vitam transeunt, diris, insanis, furiosis, & latratibus persequentem & lacerantem morsibus; negat patientiã Saluatoris, negat superandum potentiã. At verò manu fortis ipse cum Crucis baculo veniens, videamus quid*

A *quid de occurrente aduersario censeat. Dicit enim Patri: Erue à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Hæc ille.

Demum verò Rupertus Abbas de hac eadem figura hæc verba contexuit: *Porrò Philisthæus, quem interfecit, contra quem solum solus præualuit Dauid, ipsum significat diabolum, quem solus verus Dauid Christus superare potuit, quem per Crucem suam vicit, & suo sanguine triumphatum foras misit.* In libros Regum comment. lib. 2. cap. 2.

Sexta sanctæ Crucis figura in libris Regum, lancea illa fuit, qua Saul Rex Dauidem transuerberare, & in pariete configere nisus est: vt in eodem sacro textu huius facinoris memoria verbis hisce proditur: *Et factus est spiritus Domini malus in Saul. Sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam. Porrò Dauid psallebat manu sua, nisusque est Saul configere Dauid lancea in pariete: & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem.* Quam explicans sanctus Gregorius Nyssenus apposite dixit: *Lancea illum percutit, (lancea autem lignum est ferro armatum) sed excipit illius loco murus lanceam. Per murum verò intelligimus terrenam ædificationem, qua corpus nobis innuitur, circa quod, lignum videmus Crucis, & ferrum. At Dauid ille à Domino vnctus & Rex à passione longè abest: Diuinitas enim Cruce & clauis non affigitur.* 1. Reg. 18. & 19. Lãcea Saul petẽtis Dauidem, quomodo figura Crucis? Comment. in Psalm.

B

Venerabilis autem Beda de hac Saulis lancea, & de cithara Dauid itidem inquit: *Potest specialiter cithara Dauid Crucem Domini, lancea Saul in pariete clauos Crucis, vel ipsam militis lanceam, qua latus eius apertum est, figuraliter ostendere.* Et Rupertus Abbas circa huius sacræ figuræ expositionem pariter insistens, hæc de ea litteris commendauit: *Amplius*, inquit, *dicere potuit verus Dauid: Cantauimus vobis, & plorare nos fecistis: lamentauimus vobis, & lancea nos cum pariete confixistis. Nam iste quidem in figura patiens, non confixus, fugiendo euasit: ille autem, cuius passiones præfigurantur, lancea clauisque confixus quidem est, sed resurgendo euasit.* Quod verò pro lancea, Christi Crux demum intelligi possit, sanctus quoque Ioannes Chrysostomus apertè innuit, cùm dixit: *Crucem tibi tamquam lanceam in manus tradidit; lanceam, quæ numquam flectitur: diabolum alligauit, & humi proiecit.* In Samuelẽ, Allegoricæ exposit. lib. 3. cap. 5. In libros Regum lib. 2. cap. 7. In Psal. 125. Homilia.

C

Tu ergo mi Domine, cuius corpus sacratissimum, velut terrenæ ædificationis murus, lancea in Cruce perfossum est, quæ nihilominùs & lancea fuit, & baculus, quo tu verè manu fortis superbum & crudelem gigantem antiquum percutiens atque transuerberans, tamquam efferatum & rabidum canem prostrauisti, & è mundo quoad tyrannicum dominium eiecisti; tantam vim gratiæ tuæ dono nobis quoque concede, vt sacro eiusdem sanctæ Crucis roborati signo, omnes nefarios peccandi ardores, quos nobis suggerit, è cordibus nostris expellentes, omnes dæmoniacas tentationes eius vincere valeamus, ita vt acuminata hac lancea, & hoc duro ac terribili baculo armati, à latratibus ac morsibus eius tuti, intrepidè pertranseuntes, absque mortali offensione, ad humanæ huius peregrinationis finem peruenientes, feliciter pertingamus ad te; vt in illa immutabili æternitate quiescamus in te, qui es vera requies nostra, & beata pax nostra. Amen.

D

CAPVT XXIV.

De Quercu, cuius ramis Absalon capillis appensus remansit; & de Cathedra in qua Dauid Rex sedere consueuerat.

VERISSIMVM & memorabile diuinæ iustitiæ exemplar, contra ingratos ac sceleſtissimos filios qui proprios parentes malè accipiunt, & quod

deterius est, diabolica quadam perfidia mortem eorum aucupantur; ingens A quercus illa fuit, cuius frondosis ramis Absalon capillis appensus, ibi à Ioabo exercitus Dauidis ductore tribus lanceis transuerberatus est. In cuius arboris significatione septima sanctæ Crucis Saluatoris nostri figura consistit ex libris Regum. Quemadmodum enim Absalon, cùm à patre impiè defecisset, iusto Dei iudicio in peccatorum suorum grauem animaduersionem arbori illi appensus remansit, ibique tribus lanceis transfixus fuit: sic Christus Dominus noster, qui omnes iniquitates nostrorum in se susceperat peccatorum, qui ab æterno Patre nostro iniquissimè defecimus, admirabilis diuini consilij dispensatione, in delictorum nostrorum satisfactionem, Crucis ligno suspensus & confixus, ibi lancea ipse quoque confossus est. Miserabilis autem infelicis Absalonis casus his verbis in sacra Historia proditur: *Accidit autem vt occurreret Absalon seruis David, sedens mulo. Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui. Et illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insederat, pertransiuit. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens: Vidi Absalon pendere de quercu. Tulit autem Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* B

Absalon quercui appensus, quomodo typus Christi crucifixi.

2. Regum cap. 18.

Hæc igitur quercus, cui Absalon appensus remansit, sanctæ Crucis apertissima extitit figura. Quamobrem Saluianus Massiliensis Episcopus, antiquus Pater, de ea apposite sic tradit: *Cùm fugasset Dauidem è Regno filius persecutor, iudex in breui Dominus vindicauit. Nec vindicauit tantùm, sed cumulatiùs vindicauit, quàm ipse voluisset qui vindicabatur. Acto itaque in crucem non manufactam filio patricida, vindictam ei diuinitus attributam, sic nuntiatam refert sermo diuinus: Bonum apporto nuntium.* De hac eadem Crucis figura Iacobus quoque Gretserus, doctè ac piè hæc litteris commendauit: *Hæc quercus*, inquit, *plus probaret quàm aliæ: vera enim crux fuit, Crucisque Dominicæ manifesta figura: sicut & Absalon in illa pendens præfigurauit nostrum illum filium Dauid: in hoc dissimilis, quòd ille pependit in cruce, patri honorem erepturus; hic Patri redditurus, personam nostram sustinens, qui instar Absalonis, contra Regem regum Patrem nostrum rebelles insurrexeramus. Docuit & obseruauit hoc ante nos diuus Gregorius Nyssenus, qui explicans Inscriptionem tertij Psalmi, quæ est huiusmodi, Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalon filij sui; ait, Absalonem, hoc est, malitiam, quando contra nos insurgit, opprimi posse tribus telis, seu lanceis, auxilio ligni illius, quod sibi malam illius & perniciosam comam alligat: subditque diuus Gregorius: Perspicuum verò tibi illud est per historiam ostensum ænigma, quale sit lignum illud, cui affixa est malitiæ coma; quam Apostolus Chirographum peccatorum vocat; prout ait: Et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, hoc est, ligno. Quercus igitur illa, in qua malitia Absalonis pependit, figura fuit nostræ Crucis; in qua pependit ille, qui cùm insons esset, nostri tamen causa, peccatum & maledictum factus est.* C

Lib. 2. De prouidentia Diuina.

De sancta Cruce li. 1. cap. 6.

Octaua sanctæ Crucis figura quæ Regum libris continetur, cathedra illa fuit, D in qua Dauid Rex sedere consueuerat. De qua in textu sacro ita scriptum est: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Quibus verbis Spiritus sanctus sub Dauidis persona, innuere pergit verum Dauid manu fortem, Christum Dominum nostrum, Regem regum, & Principem sapientissimum, æterni Patris summam Sapientiam, qui propter nimiam charitatem suam factus homo, cunctisque sceleribus & peccatis nostris sibi assumptis, super Crucis cathedram voluntariè sedere voluit; & pro suæ profundissimæ atque immensæ humilitatis excessu, seipsum paruum vermiculum, per ipsius Dauid os nominauit, cùm dixit: *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio*

2. Regum cap. 23.

Dauid sapientissimus, & tamen vermiculus, Christus Dominus crucifixus.

Psalm. 21.

A *abiectio plebis.* Qui quidem humillimus tamen vermiculus, impetu vno octingentos occidit, cùm in Crucis lignum actus, sponteque spiritu emisso, dæmonum vniuersitatem interemit; auferens eis potestatem & tyrannidem, quam in humanum genus sibi arrogauerant. Quòd autem sancta Saluatoris nostri Crux cathedra dici possit, magni Patris Augustini auctoritate probatur; sic enim inquit: *Crux illa schola erat: ibi docuit Magister latronem. Lignum pendentis, cathedra factum est docentis.* De Diuersis, Ser. 87.

Domine Iesu Christe, Deus noster & Redemptor noster, sanctæ Ecclesiæ tuæ Catholicæ laus & gloria, qui propter tuæ in nos charitatis excessum, in sancta atque tremenda Crucis cathedra sedere voluisti, ibique quasi vilis vermis, opprobrium hominum, & abiectio plebis, in perfidorum Iudæorum conspectu videri voluisti; humiliter te rogamus, vt acerbitatis truculentissimorum dolorum memor, quos in passione tua pro nobis miseris peccatoribus pertu-
B listi, multiplices super nos misericordiam tuam: & quemadmodum speramus in te, sic diuini auxilij & benignæ protectionis tuæ omnipotens brachium extendens, ab omnibus angustiis & miseriis nostris nos liberare digneris per sanctam Crucem tuam, & per nomen sanctum tuum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XXV.

De Lignis, super quibus disputauit Salomon. De Ligno quo idem Rex Templi parietes operuit: & de duobus Lignis, quæ Sarephtana mulier colligere volebat.

NONA sanctæ Crucis Christi Domini nostri figura in sacris libris Regum
C consyderata, in eo consistit, quod de Salomone scriptum est: qui, vt ibidem in sacro textu dicitur, super omnia ligna disputationem intendit. Quasi intellectus ipsius à Spiritu sancto excitatus, admirabile illud inuestigaret mysterium, quod Deus optimus maximus in ligno Crucis operaturus erat: *Et disputauit Rex Salomon super lignis, à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete.* Quibus verbis, quonam pacto Crux Christi Domini nostri innuatur & figuretur, clarè ac diuinitus sanctus Isidorus explicuit; de eo enim sic tradit: *Disputauit*, inquit, *Salomon à cedro vsque ad hyssopum. Cedri nomine celsitudo gloriæ in electis accipitur; sicut & Propheta testatur, dicens: Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Hyssopus autem herba humilis est, saxo hærens, qua signatur humilitas Christi. Redemptor quippe noster à cedro vsque ad hyssopum disputauit: quia ab alta excellentia cælestis gloriæ, vsque ad carnis humilitatem descendendo peruenit. Siquidem & cedri nomine, prauorum superba ela-*
D *tio designatur; sicut per Dauid dicitur: Vox Domini confringentis cedros. A cedro itaque Christus vsque ad hyssopum disputauit, dum in Cruce pependit. Tunc enim in cedro, sæculi arrogantiam inclinauit, quando eam vsque ad hyssopi humilitatem, id est, vsque ad Crucis stultitiam ac contemptibilem fidem deduxit.*

3. Reg. cap 4. *Salomon de Lignis disputans, Crucis mysterium inuestigat.* S. Isidorus Comment. in 3. Reg. cap. 3.

Decima sanctæ Crucis figura ex Regum libris, lignum illud cedrinum fuit, quo Salomon Rex parietes templi, quod Deo optimo maximo ædificauerat, operuit ac vestiuit; vt in eadem sacra hisce verbis recitatur Historia: *Igitur ædificauit Salomon domum, & consummauit eam. Et ædificauit parietes domus intrinsecus tabulis cedrinis, à pauimento domus vsque ad summitatem parietum, & vsque ad lacquearia: & operuit lignis cedrinis intrinsecus, & texit pauimentum domus tabulis abiegnis.* Quem quidem actum, ligno scilicet parietes vestiendi, sanctæ Crucis præfi-

Lignum cedrinum, quo idem Salomon templi parietes operuit, figura est Crucis. 3. Regum cap. 6.

præfigurationem quamdam extitisse, sanctus Isidorus asseuerat, sic enim ait: A

Comment. in librum 3. Reg.cap.2.

Porrò quòd parietes templi interiùs ligno teguntur, hoc ob mysterium Dominicæ Crucis imaginatum est; sub cuius tutela proteguntur omnes sancti, qui indiruptæ pacis perseuerantia, tamquam lapides viui in structura Ecclesiæ, vnitate fidei solidantur. Eademque verba refert etiam Beda suis in sacram Genesim Quæstionibus.

Item duo ligna viduæ Sarephtanæ.

3. Reg. 17.

Vndecima sanctæ Crucis Redemptoris nostri figura quæ in Regum sacra historia continetur, duo illa ligna fuere, quæ colligere volebat vidua illa Sarephtana ex ciuitate Zarphath Sidoniæ finitima, cui Deus Eliam Prophetam pascendum direxerat, vt in sacra Historia litteris proditum est: *Factus est sermo Domini ad Eliam, dicens: Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ, vt pascat te. Surrexit, & abijt in Sarephta. Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna: & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumque illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius, dicens: Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus & moriamur.* B

Duo ergo ligna illa, quæ prædicta vidua colligere volebat, sanctam Christi Domini nostri signauerunt & præfigurauerunt Crucem. quamobrem de eo ita diuus Augustinus: *Mulier illa*, inquit, *typum gerebat Ecclesiæ: & quia duo ligna Crucem faciunt, quærebat moritura, vnde semper esset victura.* Et alibi subdit: *Mittitur Elias pascendus ad alienigenam viduam, quæ volebat duo ligno colligere, priusquam moreretur. Non hîc solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum, signum Crucis exprimitur.* Inde verò quodam alio in loco, huius historiæ mysterium & significationem diligentiori expendens examine, hæc adiecit: *Quid fuit*, inquit, *quòd nulla Iudæorum vidua beato Eliæ cibum meruit ministrare, sed ad viduam gentilem mittitur, vt ab ipsa pascatur? Vidua enim ista, ad quam Propheta mittitur, typum Ecclesiæ gerebat; sicut & corui illi, qui Eliæ ministrauerant, figuram Gentium habuerunt. Venit ergo Elias ad viduam, quia Christus venturus erat ad Ecclesiam. Sed videamus, fratres dilectissimi, vbi beatus Elias viduam illam inuenit. Exierat enim, vt aqua se lauaret, & ligna colligeret. Quid enim aqua, & quid ligna significent, videamus. Satis enim ista duo Ecclesiæ & amica & necessaria esse cognoscimus, id est lignum & aquam. Denique sic scriptum est: Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Nam in ligno, Crucis mysterium, in aqua ostenditur Baptismatis sacramentum. Exierat ergo vt colligeret duo ligna. Sic enim respondit beato Eliæ cùm ab ea cibum peteret. Dixit enim: Viuit Dominus, quia non habeo nisi pugillum farinæ, & modicum olei in vase; & ecce ego exeo, vt colligam duo ligna, & faciam mihi cibum & filio meo; & manducabimus & moriemur. Sicut ergo suprà dixi, vidua illa typum habebat Ecclesiæ; filius viduæ, figuram populi Christiani. Veniente ergo Elia, exijt vidua colligere duo ligna. Videte, fratres, quia non dixit tria, nec quattuor, nec vnum tantummodò lignum, sed duo ligna colligere voluit: ideò duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna colligere volebat, quia Crucis mysterium desiderabat agnoscere. Crux enim Domini Saluatoris, duobus lignis aptata est. Ideò duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum, qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa: Colligo duo ligna, vt faciam cibum mihi & filio meo, & manducabimus & moriemur. Verum est, fratres dilectissimi, nemo in Christum crucifixum credere merebitur, nisi hîc moriatur. Nam quicumq; corpus Christi dignè manducare voluerit, necesse est, vt moriatur præteritis, & viuat futuris.* Concede ergo nobis Domine Iesu Christe, vt gratia tua adiuti vitijs moriamur, & virtutibus viuamus: ita vt sæculo mortui, in cælo tecum viuere mereamur in sæcula sæculorum. Amen. C D

In libro 50. Homiliarũ, Hom.18. Contra Faustum Manichæũ, lib.12.c.34

CA-

A

CAPVT XXVI.

De Curru igneo quo Elias Propheta in cælum est translatus. Et de Elisei Baculo, quo Giezi Sunamitidis filium à mortuis excitare nisus est.

ELIAS Propheta Christi Domini nostri admirabilem Ascensionem præfigurans, igneo curru in cælum euectus est. Cuius euectus in sacro textu his verbis memoria proditur: *Cumque pergerent Elias & Eliseus simul, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum, Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi; currus Israël, & auriga eius.* Quod quidem hîc retulisse voluimus, quia B in eo duodecima sanctæ Crucis figura consistit, quam in sacra Regum considerare licet historia. Complures enim Patres & sacri Doctores, currum illum Eliæ sanctæ Crucis symbolum & figuram habuisse profitentur. Quod Tertullianus procul dubio innuere voluit, dum de Cruce & de tormentis agens, quibus æuo suo Christi fideles ab Ethnicis afficiebantur, tormenta & Crucem illam, triumphalem currum nuncupauit, his verbis: *Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis; tali curru triũphamus.* Verùm gloriosus martyr Cyprianus, Crucem currum apertiùs appellauit; asserẽs, hanc currum esse, quo ex hoc mundo ad cælum euehi nobis enitendum est: *Vt de hoc mundo*, inquit, *vehiculo Crucis euehamur ad cælum.*

4. Reg. 2.

In Apologetico c. 50

De Cardinalibus operibus Christi.

Et sanctus Ambrosius Christi Domini nostri triumphum describens, quem deuictis hostibus nostris duxit, Crucem ipsam currum triumphalem appellauit; ait enim: *Nos autem, quoniam trophæum iam videmus, & quòd currum suum triumphator ascendit, consideremus, quòd non arborum truncis, non quadriiugis plaustri* C *manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiua de sæculo spolia suspendit. Non hîc gentes brachiis post terga reuinctis, nec excisarum vrbium imagines, oppidorumque captorum simulacra cernimus (qualis humanorum solet esse species triumphorum) nec victoriæ terminos regionis fine distinctos; sed ouantes populos nationum, quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium: reges liberis affectibus adorantes, voluntariis vrbes studiis deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum; quas non fucus expresserit, sed deuotio colorarit: fidei arma, victoriarumque iura toto orbe currentia; captiuum principem mundi, & spiritalia nequitiæ, quæ sunt in cælestibus, obedientia imperio vocis humanæ; subditas dominationes variarumque virtutum species, non sericis, sed moribus emicantes. Fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuuiis deuotio fortitudinis iam resurgit. Vnius Dei triumphus fecit omnes propè iam homines triumphatores. Solet quoque præcedere pompa victores. At verò currum Domini triumphalem præit bona pompa resurgentium defunctorum. Solet demum titulus,* D *subiugatarum gentium numerum designare. Scribitur autem & hîc titulus. Sit in illis triumphis ordine quodam digesta miserabili, deuictarum præeuntium contumeliosa captiuitas nationum; hîc redemptarum gentium vernet gratia.* Hactenus Ambrosius.

In Lucam lib. 10. c. 23. Tom. 3.

Currus triũphalis Crucis Christi in Eliæ igneo curru luculenter adumbratus.

Porrò ad probandum, Crucem currum appellari posse, carmina quoque illa Statij ad rem nonnihil facere videntur, quibus illud innuitur, quòd qui curru vehitur, Cruci insidere dici potest:

Hic quondam piger, axe vectus vno,
Nutabat, Cruce pendula viator;
Rodebatque rotas maligna tellus.

Statius 4. Silu. De via Domit.

Decima tertia sanctæ Crucis figura, quæ in Regum libris inserta est, baculus fuit Elisei Prophetæ, quo Giezi seruus eius, Sunamitidis mortuum filium excitare

excitare nisus est, cùm ad eum effectum, ab ipso Propheta expresse mis- A
4.Reg.4. sus esset; vt in ipsius sacræ historiæ textu hisce verbis narratur: *Dixit Eliseus ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi. Et pones baculum meum super faciem pueri*, &c. *Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox neque sensus. Reuersusque est in occursum eius, & nuntiauit ei, dicens: Non surrexit puer. Ingressus est ergo Eliseus domum; & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius. Ingressusq; clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum. Et ascendit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus deambulauit in domo semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitque oculos. At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram: tulitque filium suum, & egressa est.* B

Quod admirandum Elisei facinus explicans diuus Augustinus, de eo sic tradit: *Baculus sine Eliseo nihil valebat, quia Crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo beatus Eliseus, & ascendit in cœnaculum, quò venturus erat Christus, & ascensurus Crucis patibulum. Inclinauit se Eliseus, vt puerum resuscitaret: humiliauit se Christus, vt mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Eliseus oculos super oculos, manus super manus. Videte, fratres, quantum se vir ille perfectæ ætatis contraxit, vt paruulo mortuo & iacenti congrueret. Quod enim Eliseus in puero præfigurauit, hoc in toto genere humano Christus impleuit. Audi Apostolum dicentem: Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Quia paruuli eramus, paruulum se fecit: quia mortui iacebamus, pius se Medicus inclinauit. Quia & re vera, fratres, nemo potest iacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quòd autem puer oscitauit septies, septiformis gratia sancti Spiritus ostenditur, quæ humano generi, vt resuscitetur, in aduentu Christi tribuitur. De ipso Spiritu dicit Apostolus: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit Discipulis, quando insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Os autem quodammodò super eos posuit, quando insufflando, Spiritum dedit. Gratias ergo agamus piissimo Redemptori, qui nos nullis præcedentibus meritis suscitauit; & non solùm de morte perpetua eripuit, sed etiam adiuuante gratia ipsius, si benè egerimus, æterna præmia repromisit.* C

De tẽpore Serm. 206. *Baculus Elisei quomodo adumbrarit Crucem Christi.*

In bonis igitur operibus exercendis laboremus; non enim profectò in æternis elargiendis præmijs, quæ nobis promisit, vllo pacto deerit benignus & munificentissimus Dominus, qui & fidelis est in omnibus promissis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XXVII.

De Ligno quo Eliseus Propheta supernatare fecit super aquas ferrum securis, quod in flumine mersum erat. D

In rapidissimum & profundum mortis & æternæ damnationis flumen misera & infelix humana natura ceciderat, propter peccatum, quod primi parentes nostri in ligno vetito patrarant: & inde sine virtute ligni Crucis Saluatoris nostri nequibat emergere. In cuius præsignificatione Eliseus Propheta ligno natare fecit super aquas ferrum securis, quod in Iordanis flumen mersum erat. Ex cuius admirandi facinoris significatione, decima quarta & postrema figura sanctæ Crucis elicitur, quæ Regum libris continetur. His autem verbis miracu-

A miraculum hoc diuina pandit Historia: *Dixerunt autem filij Prophetarum ad Elisęum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis; eamus vsque ad Iordanem, & tollant singuli de silua materias singulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum seruis tuis. Respondit: Ego veniam; & abiit cum eis. Cumque venissent ad Iordanem, cædebant ligna. Accidit autem, vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquā exclamauitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc; natauitque ferrum. & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.* Lignum ergo istud, quod ferrum natare fecit super aquas, iuxta sacrorum Doctorum sententiam, sanctæ Crucis Redemptoris nostri præsignauit lignum, quod duritiem & grauedinem humani generis, in profundum vitiorum & peccatorum gurgitem delapsi, erigendi & subleuandi vim obtinuit. Quamobrem de eodem sanctus Iustinus Martyr ita: *Lignum*, inquit, *vbi Elisęus in amnem Iordanem proiecit, ferrum securis extulit, qua filij Prophetarum exiuerant, vt ligna caderent, ad structuram domus, vbi Legem & præcepta Dei commemorare atque meditari constituerant. Quemadmodum & nos grauissimis peccatis, quæ in nos admisimus, baptizatos atque submersos, per supplicium capitale Crucis in ligno, & per purificationem aquæ, Christus noster redemit, & domum orationis & adorationis effecit.* Hæc Iustinus. 4. Regum cap. 6. B In Dial. cū Tryph. Iudæo. *In Ligno quo fecit natare ferrum, magnum mysterium Crucis.*

Nec sanè minùs altè & doctè figuram hanc quoque Tertullianus explicuit, dicens: *Cùm filij Prophetarum super flumen Iordanem lignum securibus cæderent, exilit ferrum, & mersum est in flumine. Atque ita Elisęo Propheta superueniente, petunt ab eo filij Prophetarum, vti ferrum flumini, quod mersum fuerat, erueret. Atque ita Elisęus accepto ligno, & misso in eum locum vbi mersum fuerat ferrum, statim supernatauit, & lignum mersum est, quod receperunt filij Prophetarum. Ex quo intellexerunt, quòd Eliæ spiritus in eo sit repræsentatus. Quid manifestius huius ligni sacramento? quòd duritia huius sæculi mersa in profundo erroris, & à ligno Christi, id est, passionis eius, in Baptismo liberatur; vt quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi?* Aduersus Iudæos cap. 13. C

Lignum autem, quod Elisęus in flumen iniecerat, ferrumque securis supernatare fecit, sanctæ Crucis figuram extitisse, multo apertiùs etiam sanctus Ambrosius ostendit. sic enim de eo tradit: *Inuocauit*, inquit, *Elisęus Domini nomen, & de aqua ferrum securis ascendit, quod demersum fuerat. Ecce aliud genus Baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante Baptismum, quasi ferrum premitur atque demergitur: vbi baptizatus fuerit, non tamquam ferrum, sed tamquam iam leuior fructuosi ligni species leuatur. Ergo & hîc figura altera. Securis erat, qua cædebantur ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est ferrum demersum est. Filius Prophetæ nesciuit quid faceret, sed hoc solum sciuit, vt rogaret Elisęum Prophetam, & remedium postularet. Tunc ille lignum misit, & ferrum leuatum est. Vides ergo, quòd in Cruce Christi omnium hominum leuatur infirmitas?* Hæc Ambrosius. De Sacramentis, li 2 cap. 4. Tom. 4. D

Diuus verò Augustinus de hoc admirabili sancti Elisei facinore sic inquit: *Sed nec Elisęus ligni huius mystici virtutem penitus ignorauit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam, misso in flumine ligno, de profundo euocauit: significans vtique, dura corda, & ferreas hominum ceruices, de profundo emersas errore, ligno Crucis esse in posterum subiugandas. O Crux, cuius tantus ac talis decerpitur fructus!* At alibi idem sanctus Pater de hac mysteriis refertissima historia disserens, omnem eius significatum apertiùs ac fusiùs sic explicauit: *Cùm diuina lectio legeretur, fratres charissimi, audiuimus, quòd eunte beato Elisęo cum filiis Prophetarum ad Iordanem fluuium, dum sibi ligna conciderent, cecidit securis in aquam: & ille, de cuius manu ceciderat,* De temp. Serm. 111. De temp. Serm. 210.

ciderat, clamauit ad beatum Elisеum: Heu domine mi, & ipsam mutuò susceperam! A
Post hæc in loco, vbi securis illa corruerat, beatus Eliseus misit lignum, & natauit ferrum. Eliseum, fratres dilectissimi, typum habuisse Domini Saluatoris, frequenter charitati vestræ suggessimus. Sed & in puero, qui erat de filiis Prophetarum, cui securis de manu lapsa est, non incongruè Christus Dominus intelligitur. Securis illa, quæ cecidit, Adam, siue totum genus humanum significasse dicitur. Tenebat ergo filius Prophetarum securim in manu sua; & Dominus ac Saluator noster humanum genus, quod creauerat, in manu potentiæ suæ. Sed quomodo securis illa de manu Prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini omnipotentis per superbiam se excussit, & cecidit in fluuio luxuriæ, vel omnium peccatorum gurgite se submersit. Securis illa in profundo iacebat, quia genus humanum in omnium criminum abyssum infe-
Psalm. 68. *lici ruina corruerat; sicut scriptum est: Infixus sum in limo profundi. Et iterùm: Deueni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Fluuius enim ille vbi securis cecidit, significat, præterfluentem, & fugitiuam, & in abyssum descendentem voluptatem* B
& luxuriam sæculi huius: fluuius enim à fluendo nomen accepit. Et quia omnes peccatores transitoriis voluptatibus inhærentes, fluere dicuntur, ideò securis illa in fluuio & in limo iacebat oppressa. Veniens ergo Eliseus, misit lignum, & natauit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in lucem producere; nisi patibulum Crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per Crucis mysterium liberare? Postquam verò natauit ferrum, misit manum Propheta, & recepit illud, & rediit ad vtiles vsus domini sui. Ita & de nobis factum est, dilectissimi fratres, qui de manu Domini superbiendo excideramus, per Crucis lignum iterùm ad manum vel ad potestatem Domini redire meruimus. Et ne iterùm superbiendo de manu Domini corruamus, & quia nullis præcedentibus meritis de tenebris producti sumus ad lucem, de morte ad vitam reuocati, de multis erroribus in viam reducti; curramus dum lucem habemus, nec prætereuntia salutis tempora negligamus, nec nos delectet mundi huius malè dulcis & nimiùm periculosa lætitia: ne iterùm de operibus sanctis, & de C
iustitiæ via, quasi de manu Domini corruentes, ad luxuriosum mundi huius fluuium recurramus, & in omnium peccatorum limum infelici iterùm ruina mergamur; sed au-
Coloss. 3. *diamus Apostolum dicentem: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt quærite. Quare dicit: Si re-*
Ephes. 5. *surrexistis? nisi quia cecideramus? Et alibi idem Apostolus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Quasi non tibi videtur ad securim in limo iacentem clamare? Surge, inquit, qui in profundo gurgite dormis, & per Crucis mysterium illuminabit te Christus.* Et hæc de sanctæ Crucis figuris, quæ ex veteris Testamenti paginis decerpuntur, dixisse sufficiat. Ideò gratias referamus ei, qui per eamdem sanctam Crucem nos redimere voluit, quique per mortem & sanctam Resurrectionem suam à morte perpetua ad æternam vitam nos reuocans, saluos fecit. Cui gloria sit & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

D

CAPVT XXVIII.

De quibusdam sanctæ Crucis figuris quæ nouo Testamento continentur.

De insignioribus sanctæ Crucis figuris, quæ in veteris Testamenti voluminibus diuinitus adumbrantur & innuuntur, hactenus egimus; transferentes in incultum ac sterilem huius nostri Tractatus agrum varios amœnos ac blandos flores pulcherrimorum sensuum altissimarumque animi conceptionum, quas sancti Patres ac sacri Doctores in amœnissimis ac fructuosis librorum

A librorum suorum viridariis, pro earumdem figurarum explicatione & declaratione seuerant atque plantarant; ex quibus pij ac studiosi lectores non iniucundos & inutiles fructus forsitan decerpere poterunt. Reliquum nunc est, vt de quibusdam aliis eiusdem sanctæ Crucis figuris agamus, quæ nouo Testamento continentur. Licet enim figuræ necessariæ non essent, postquam æternum Verbum mundo in carne apparuerat, quod illud figuratum est, in quo omnes figuræ terminauerunt; ipsi tamen placuit altissimum & admirabile Crucis mysterium, quo mundum redimere decreuerat, in sui ipsius etiam conspectu, dum cum hominibus versaretur, quibusdam actibus significare: quin etiam illud ipsemet verbis quibusdam id sonantibus innuere & præfigurare voluit.

Quamobrem figuras omnino cessasse dici non potest, donec ipsemet, dum in asperrimo Crucis penderet patibulo, paulò antequam spiritum emitteret, dixit: *Consummatum est.* significans, tunc re vera omnes figuras, omnes Prophetias, omnesque Scripturas quæ de ipso erant, impletas, & ad veritatis exitum perductas fuisse. Quocirca iure optimo sancti Patres non satis sibi in eo fecisse arbitrati sunt, quòd multa veteris Testamenti scripta ad sanctæ Crucis figuras & significationes deduxerint, sed & quædam etiam noui Testamenti ad eumdem sensum perducere voluerunt, quò Crucis gloriam (vt Iacobus Gretserus prudenter asseruit) illustriorem redderent. Vnde, licet idem Pater in suo De sancta Cruce libro, ea quæ sacri Doctores in hanc scripsere sententiam, ante nos collegerit; eadem tamen hîc inserere non omittemus; cùm & huius tractatus nostri ordo id expostulet, & ne pij lectores, pro harum rerum studio, multorum librorum onere & impensa defatigentur.

Figurarum finis nō ante illud in Cruce, CONSVMMATVM EST.

B

Primò igitur Domino nostro Iesu Christo placuisse constat, vt in actibus & miraculis suis Crux sancta tunc præsertim innueretur ac præsignaretur, cùm prope ciuitatem Naim ploranti ac mœrenti viduæ obuiàm factus, quæ adolescentis & vnici filij sui perluctuosum funus prosequebatur, commiseratione motus, feretrumque defuncti tangens, eum à mortuis euocauit. Sancti enim Patres feretrum illud, sanctæ Crucis figuram extitisse asseuerant. Quocirca diuus Ambrosius de eo sic tradit: *Mortuus in loculo, materialibus quattuor ad sepulturam ferebatur elementis; sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etsi nobis antè non proderat, tamen postquam Iesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: vt esset indicio, salutem populo per Crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, steterunt acerbi illi funeris portitores, qui corpus humanum letali fluxu naturæ materialis vrgebant. Quid enim aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est supremi funeris instrumento, iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noster spiritus labe, puræ lucis vacuus mentem alit.*

C

In Lucæ Euang. c. 7

Feretrum adolescentis in Euangelio, diuo Ambrosio Crux Christi.

Secundò, sycomori arbor, in quam Zacchæus ascendit, præ ingenti illo quo Christum videndi tenebatur desiderio, Crucem sanctam designauit. Quapropter D. Pater Augustinus eleganter planè & appositè eamdē arborem ad sanctę Crucis significationē pertrahit his verbis: *Noli te extollere, pusillus esto, Zacchæus esto. Sed dicturus es: Si Zacchæus fuero, præ turba nō potero videre Jesum. Noli esse tristis: ascende lignum, vbi pro te pependit Iesus, & videbis Jesum. Et quale genus ligni ascendit Zacchæus? Sycomorum. In regionibus nostris, aut omnino nusquam, aut rarò fortè alicubi nascitur. In illis autem partibus multum est huius generis ligni, & pomi. Sycomora dicuntur poma quædam ficis similia: sed tamen distant aliquid, quod possunt nosse qui viderunt, vel gustauerunt. Quantum tamen indicant interpretatione nominis, sycomora, fici fatuæ Latinè interpretantur. Jam vide Zacchæum meum, vide illum, obsecro te, volentem in turba videre Jesum, & non valentem. Humilis enim erat, turba superba*

D

De verbis Apostoli, serm. 8. c. 3 Tom. 10.

Sycomorus Zacchæi etiam illustris typus Crucis.

perba erat: & ipsa turba ad videndum benè Dominum, sicut solet turba, seipsam impediebat. Ascendit à turba, & vidit Jesum, non impediente turba. Turba enim dicit humilibus, humilitatis viam gradientibus, iniurias suas Deo dimittentibus, vindictam de inimicis non requirentibus; turba insultat & dicit: Indefense, qui te non potes vindicare. Turba impedit ne videatur Iesus: turba glorians & exultans quando se potuerit vindicare, impedit, ne videatur ille qui pendens ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hunc ergo volens videre Zacchæus, in quo figurabatur persona humilium, non attendit turbam impedientem; sed ascendit sycomorum, quasi fatui pomi lignum. Nos enim, inquit Apostolus, prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum (attende sycomorum) Gentibus autem stultitiam. Denique de Cruce Christi nobis insultant sapientes huius mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Quale cor habemus? Non vtique vestrum. Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Non enim vestrum cor habemus; sed dicitis cor nostrum stultum. Dicite quod vultis: nos ascendamus sycomorum, & videamus Iesum. Ideò enim vos Jesum videre non potestis, quia sycomorum ascendere erubescitis. Apprehendat Zacchæus sycomorum, ascendat humilis Crucem. Parum est, ascendat, ne de Cruce Christi erubescat: in fronte illam figat, vbi sedes pudoris est: ibi omnino, ibi in quo membro erubescitur, ibi figatur vnde non erubescitur. Puto quia tu irrides sycomorum, quia homo es: stultum autem Dei sapientius est quàm hominum. Et vidit Dominus ipsum Zacchæum. Visus est, & vidit; sed nisi visus esset, non videret. Quos enim prædestinauit, illos & vocauit. A B

Tertiò, quidam Patres Græci autumant, Christum Dominum Crucem suam tunc innuisse, cùm vt ostenderet Dei verba atque promissa semper rata & firma esse, dixit: *Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, Jota vnum aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant.* Pro quorum verborum intelligentia meminisse debemus, Iotam nimirum Græcam esse litteram, nostræ I similem. Sciendum quoque est, verbum illud Apex apud veteres Ethnicos, plerumque virgam quamdam rectam significare, quam in pilei sui summo Flamen eorum sacerdos deferre solebat, in cuius extremo modica lana erat. Cuius virgæ siue apicis meminit Valerius Maximus, inquiens: *Sulpitio inter sacrificandum è capite apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.* De eadem meminit etiam Virgilius, dum fingit super caput Ascanij filij Æneæ flammam quamdam conspectam fuisse, dicens: C

(Mat. 5.) (De Religione obseruata li. I. cap. I.)

(Æneidos libro 2.)

Ecce leuis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molles
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Apicem quoque Latini appellare consuerant accentum vnum ex his, qui inter scribendum supra vocales litteras formari solent, ad demonstrandum verbum aliquod aut longum aut breue esse, vt apud Quinctilianum & alios est videre. Qui quidem accentus, vt summatim dicamus, nihil aliud est, quàm linea quædam transuersalis. Hæc igitur littera Iota, & hic apex siue accentus simul iuncti, Crucis figuram exhibebant ac demonstrabant, vt apertè atque appositè sanctus Gregorius Nyssenus ostendit his verbis: *Idem, mea quidem sententia, significat etiam Iota illud, si cum apice coniunctum consideretur, quod & cælo stabilius, & terra firmius, & omnium rerum constitutione certius est. Cælum enim & terra transibunt, & huius mundi figura præterit: Jota autem ex Lege, & apex vnus non præterit. Linea recta è sublimi in imum descendens, Iota dicitur; obliquè autem ad latera pertingens, apex nominatur. Id quod ab ipsis nauigantibus licet discere; qui lignum illud transuersum malo adiacens, cui vela suspenduntur, Græcè eodem nomine, quo apicem nominant, nempe κεραίαν. Quamobrem diuina hæc Euangelij verba mihi videntur in Crucis figura, tamquam ænigmate & speculo quodam, illud ostendere, in quo omnia consti-* D

(Orat. I. in Christi resurrectionē) (*Elegans dissertatio de Iota & Apice Euangelicis non transituris.*)

A *constiterunt, quod omnibus quæ in ipso continentur, stabilius est, atque æternum: cuius potentia cuncta moderatur. Proinde Dominus ait, oportere Filium hominis non simpliciter mori, sed crucifigi, vt Crux Deum gestans, aduersariis omnipotentem illius qui in ipsa penderet vim, quique omnia in omnibus est, figura sua patefaceret.*

Ex quibus sanè verbis satis apertè percipitur, qualis eiusdem sancti Gregorij animi sensus fuerit, & quonam pacto velit, quòd Iota Græca apici coniuncta Crucem repræsentet: nam si litteræ Iota, siue nostræ I, addatur apex, non punctus vnus quidem tantùm, sed linea transuersalis, Crucis imaginem proculdubiò hoc modo effinget, videlicet †. Quòd autem idem Nyssenus per apicem, non punctum, sed transuersalem lineam intellexerit, nullus ambigendi locus remanet, cùm ipse exemplum nauigantium inducat, qui nauis antennam Græco vocabu-



B bulo κεραίαν, quasi cornutam appellant, vtpote quæ duabus acutis extremitatibus terminatur. Quę quidem antenna, cùm malo appenditur, crucis cornua suis hinc inde cuspidibus repræsentat, vt hac nauis imagine demonstratur.

Per Iota autem & apicem, Christum Dominum nostrũ sanctæ Crucis suæ mysterium innuere voluisse, sanctus et-

C iam Chromatius Aquileiensis Episcopus, eiusdem diui Gregorij contemporaneus affirmat, dicens: *In Iota vel apice Legis, Crucis quoque sacramentum potest intelligi: quia Iota & apex quamdam in se imaginem Crucis ostendunt.* In Matth. cap. 5.

Quartò, consueuerunt sancti Patres, sacrique Doctores, ad sanctę Crucis Domini nostri Christi figuram nauiculam illam deducere, quę discipulos eius super mare ferebat; de qua in sacro Euangelio dicitur: *Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus.* Super quibus verbis appositè diuus Augustinus: *Opus est ergo*, inquit, *vt in naui simus, hoc est, vt ligno portemur, vt mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, Crux est Domini, in qua signamur, & ab huius mundi submersionibus vindicamur.* Et paulò inferiùs subdit: *Fecerunt Iudæi Domino quanta voluerunt, quia factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Posteà verò surrexit à mortuis, vt pro discipulis in Ecclesia tamquam in naui constitutis, & fide Crucis suæ*

D *tamquam in ligno portatis, & tentationibus huius sæculi tamquam fluctibus maris periclitantibus, solus oraret.* Pro naui autem Ecclesiam intelligi posse, sancti Ambrosij verba fidem adstruunt; de eo enim sic tradit: *Lignum*, inquit, *igitur illud Crucis, velut quædam nostræ nauis salutis, vectura nostra, non pœna est.*

Nauicula sacra Crucis figura. Matth. 5. De Diuersis ser. 22. De Spiritu sancto li. 1. cap. 8.

Quintò & postremò, in hanc quoque sancti Patres sacrique Doctores eunt sententiam, Christum Dominum nostrum suam in Cruce exaltationem figuratè tunc innuere voluisse, cùm dixit: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Pro candelabro namque Crucem sanctam intelligi posse, iam superiùs ostendimus, dum de eiusdem sanctæ Crucis figuris egimus, quæ in Exodi libro continentur; vbi Clementis Alexandrini auctoritate suffulti, aureum tabernaculi candelabrum, Mat. 5. Marc. 4. Luc. 8. & 11 Sup. c. 11. huius lib. 3

Crucis præcipuam & manifestã figuram extitisse probauimus: non forma eius quidē tantùm, vt inquit Clemens, quæ brachia & ramos habebat, quę hinc inde extendebantur; sed quia Crux ipsa, eiusdē candelabri instar, multifariàm multisq; modis eos illuminat, qui in Crucifixum credunt, sperant, atq; respiciunt. Ex quo argumentari licet, non illud aureum tabernaculi candelabrum solùm, sed genericè omnia candelabra sanctæ Crucis habere figuram. Quamobrem Augustinus de Christo Domino disserens, qui proprijs humeris suam ipsius Crucem tulit, dum ad Caluariæ montem deduceretur, ad prædicta sancti Euangelij verba allusionem faciens, inquit: *Ibat ergo ad locum vbi fuerat crucifigendus, portans Crucem suam Iesus. Grande spectaculum. Sed si spectet impietas, grande ludibrium: si pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, grande ignominiæ documentum: si pietas, grande fidei monumentum. Si spectet impietas, videt Regem pro virga Regni, lignum sui portare supplicij: si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum. In eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo, Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, ipsam suam Crucem suo gestans humero commendabat: & lucernæ arsuræ, quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.* A B

In Euangel. Ioan. Tractatu 117.

Crux Christi, candelabrum Euāgelicum.

Et alibi idem Pater, verba prædicta Christi Domini explicans, & ad passionis eius mysterium deducens, Crucem sanctam candelabro apertè assimilauit. *Multum est ad te, quia infirmos oculos habes, intueri solem: lucernam vide: suis enim Discipulis dixit Dominus: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Domus mundus est: candelabrum Christi Crux est: lucerna in candelabro lucens, Christus in Cruce pendens.* Ad sanctam Crucem pariter verba prædicta Christi Domini nostri retulit sanctus Theophylactus Patriarcha Antiochenus, hoc modo: *Lucerna verbum Dei est, modium autem lex, eò quòd in abdito loco fuerit: candelabrum verò, Crux Christi, quæ totum mundum fulgore sui luminis illustrauit.* C

De diuersis Serm. 92. Eadem ferè in libro de quinque hæresibus.

Lib. Allegoriarum in sacra 4. Euangel.

Candelabrum quoque Cruci concinnò ac venusto dicendi genere æquiparauit sanctus Chromatius Romanus, Aquileiensis Episcopus, hisce paucis quidem sed significantibus verbis: *In ipso Crucis candelabro sol resplenduit.* quasi diceret: Verum candelabrum Crux sancta Christi Domini appellari potest; quandoquidem in ea non artificiale aut transitorium lumen quoddam, sed sol ipse resplenduit; nec sol iste materialis quidem, sed sol ille, qui soli lucem impertitur, verus quippe sol iustitiæ Christus Dominus noster, cui sit laus, honor, gloria, & imperium, per infinita sæcula sæculorum. Amen.



IACO-

IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE

LIBER QVARTVS.

Quo Prophetiæ, vaticinia, & oracula continentur, quibus Crux sancta à Prophetis in sacris Litteris prophetata, & à Sibyllis apud Gentiles prænuntiata fuit.

C

CAPVT PRIMVM.

Iacob Patriarcha, dum in mortis articulo Iudæ filio suo benediceret, CHRISTI *Domini nostri Passionem, Crucem, mortem, & Resurrectionem diuinitus prophetauit.*



ADEO misericordem se, benignum, & humanæ salutis auidum semper Deus optimus maximus ostendit, vt tunc etiam, cùm magis lacessitus, magisque humanorum scelerum turpitudine irritatus, diuinæ iustitiæ satisfaciens, alicuius asperioris supplicij interuentu, in homines nefarios seueriùs animaduertere deliberauit, summa tamen sua misericordia retardatus, non id priùs fuerit executus, quàm Prophetis amicis suis patefecerit, hominibusque per ipsos manifestum apertumque reddiderit; vt hisce prædictionibus moniti, peccata relinquerent, & à prauis actionibus desisterent, pœnitentiaque & bonis operibus iustissimam ipsius indignationem placare studerent: atque ideò misericordia & venia digni, denuntiatum supplicium, præstructamque in se ipsos animaduersionem effugerent & euitarent. Quod Propheta innuere voluit, cùm dixit: *Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Sic enim seruo suo Noë diluuium, quo terrarum orbem obruendum constituerat, prænuntiauit. Sic Abrahamo & Lot

D

Deus futura hominibus supplicia per Prophetas prænuntiauit, ne inferre cogeretur.

Amos 3.

Lot eius nepoti, ignem & ſulphurem innuit, quibus quinque ciuitates obſcœnitatum turpitudine infames obruere decreuerat. Sic Ioſephum in Ægypto, ad ſomnium interpretandum, ſeptem annis annonæ caritatem futuram prædocuit. Sic denique Ionæ Prophetæ Niniuitarum vrbis euerſionem prædixit, vt audientes Niniuitæ ſupplicium quod ſuæ imminebat ciuitati, aut per pœnitentiam illud euaderent, aut in peccatorum peruicacia perſiſtentes, iuſtiùs plecterentur. Quod diligenti conſideratione expendens diuus Hieronymus, inquit: *Nota, quòd clemens & benignus Deus ſemper futura prænuntiat, ne cogatur inferre ſupplicia.* A

In Amos cap. 3.

Sua item beneficia prædixit, vt maiori gratitudine homines amplecterentur.

Similis quoque benignitas & miſericordia adhibita eſt à Deo ſummo rerum omnium effectore, cùm humanas calamitates & ærumnas miſeratus, dilectos ſuos ijs eruere decreuit, quibus per Prophetas & electos ſeruos ſuos prædixit & explanauit ea, quæ ad ipſorum vtilitatem ac libertatem efficere conſtituerat. Sic enim filijs Iſraël per Moyſen & Aaron fratrem eius expoſuit, velle B ſe admiranda quadam ratione ipſos è grauiſſima Pharaonis & Ægyptiorum ſeruitute, in libertatem aſſerere: vt maiore religione, animique grati propenſione, in diuinæ bonitatis & miſericordiæ laudes & gratiarum actiones erumperent, atque ad illud ipſum Dei beneficium excipiendum libentiùs præpararentur. Quòd ſi Deo optimo maximo, ad ſuam gloriam, & ad homines iuuandos, potiora ſua facinora per Prophetas prænuntiari placuit; erat prorſus conſentaneum, vt eadem quoque ratione Crucis myſterium exponi & aperiri iuberet, per quod genus humanum redimendum determinauerat. Quo profectò facinore excelſius nullum, nullum admirabilius, nullum grauius vllo vmquam tempore Deus edidit aut patrauit. Neque enim in eo agebatur tantùm de populo quodam præcipuo, tantummodò à famulatu corporeo ac temporibus præfinito, in libertatem vindicando; verùm de acerbiſſimo æternæ duriſſimæque ſeruitutis iugo myſtici Pharaonis, ac ſpiritualium Ægyptiorum, C id eſt atrociſſimi & immaniſſimi tyranni ſatanæ, ac nequiſſimorum angelorum ipſius ſatellitum, humani generis vniuerſi ceruicibus impoſito, ab omnium hominum animis & corporibus in perpetuum repellendo.

Crucis beneficium beneficiorũ Dei omniũ excellentiſſimum:

Ac proinde frequentiùs prænuntiatum.

Non eſt igitur cur miremur, quòd omnes veteris Teſtamenti paginas vmbris, figuris, ſignificationibus, prophetijs atque oraculis refertiſſimas conſpiciamus, quibus altiſſimum hoc & admirandum myſterium, ſic Deo volente, obumbratum, præfiguratum, prophetatum, atque clarè etiam prædictum fuit.

Quare cùm ſuperiore libro de inſignioribus ſanctæ Crucis figuris, quæ veteri & nouo Teſtamento continentur, tractauerimus; agemus deinceps de præſtantioribus & clarioribus eiuſdem ſanctæ Crucis prædictionibus & prophetijs, quæ in ſacrarum Scripturarum voluminibus, tamquam blandi atque iucundi flores in amœniſſimo viridario vernare conſpiciuntur. Quibus magnam eorum inſeremus partem, quæ ſancti Patres & ſacri Doctores pro illorum expoſitione ac declaratione, ad poſterorum inſtitutionem, doctrinam, atque memoriam, litterarum monumentis conſignata reliquerunt. Demum verò, vbi prophetias & ſacra vaticinia fuerimus proſecuti, pro huius Quarti libri periodo addemus etiam Sibyllarum oracula, quibus eadem ipſa Crux ſancta Ethnicis prædicta ac prænuntiata fuit. Nam cùm Deus optimus maximus pro ſua immenſa ac nimia charitate ſtatuiſſet, vt vnigenitus Filius tam pro Gentilium quàm Hebræorum ſalute in Crucis ligno mortem oppeteret; quemadmodum myſterium hoc planè admirabile Hebræis ipſis per Prophetas præſignari iuſſit, ſic etiam Gentilibus per eaſdem Sibyllas voluit eſſe prænuntiatum. D

Prima igitur ſanctæ Crucis prophetia, quæ quaſi nitidiſſima ſtella quædam in ſa-

A in sacræ Scripturæ cælo, splendore suo ad se contuendam & contemplandam, tamquam antiquiorem, nos allicit atque impellit, illa est, quam magnus Patriarcha Iacob in die mortis suæ diuinitus protulit; dum filiis suis benedicens, futuraque eis prænuntians, penitus quidem Spiritu sancto repletus, sermonemque suum ad Iudam dirigens, ait: *Catulus leonis Iuda. Ad prædam fili mi ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. Quis suscitabit eum?* Quibus sanè verbis sanctus & magnus ille Patriarcha Christi Domini nostri in Cruce exaltationem & mortem, sanctamque eius resurrectionem proculdubiò prophetauit. Quamobrem diuus Ambrosius ipsa eadem verba commemorans, in hunc modum exponit: *Ex germine fili mi ascendisti recumbens, dormiuisti vt leo, ascendisti vtique in Crucem, dormiuisti vtique in morte. Ascendisti, ecce Crux: dormiuisti, ecce mors. Quid est enim Ascendisti, nisi quod scriptum est: Et crucifixerunt eum? Vnde & ipse ait: Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* B *Quid est, Recumbens, nisi quod scriptum est: Et inclinato capite, tradidit spiritum? Cùm ergo dixisset ibi, Ascendisti recumbens, illicò secutus est, Dormiuisti vt leo. Dormiuisti, inquit, vt leo; quia potestate mortuus est, non necessitate. Dixit enim, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Vbi autem dictum est, Dormiuisti vt leo, subiungitur, Quis suscitabit eum? Dixit verò, Quis; non quia nullus, sed quia nemo hominum. Solus nisi Deus, qui eum suscitauit à mortuis, & donauit ei nomen, quod est super omne nomen. Suscitauit se & ipse. vnde ait: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud.*

Genes. 49.

In cap. 31. Prou. c. 2. *Prophetia Iacob de Iuda accommodata Christi Cruci & morti.*

Sermonem verò deinde suum prosecutus magnus Patriarcha Iacob, in Iudæ filij sui benedictione, quasi apertiùs declarare vellet, se de vero Messia Christo IESV Rege ac Domino nostro loqui, qui pro nostra salute in mundum venturus erat, subiunxit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit exspectatio gentium* Quo loco animaduer- C tendum est, quod textus Hebraicus legit: *Donec veniat* SILO. Et phrasis Chaldaica dicit, Messias. Quibus verbis idem Patriarcha nomen veri Messiæ IESV virtualiter & mirabiliter expressit. Si enim numeros omnes, qui in dictionem SILO ingrediuntur, in vnam summam coaceruauerimus, inueniemus profectò, eos exactissimè adæquari numeris quibus IESV nomen benedictum & sanctum componitur, iuxta Alphabeti nostri scilicet numerorum supputationem, vt in hac tabella apertiùs demonstratur.

Vide Petrum Galatinum, lib. 4. c. 4.

I	9	S	18
E	5	I	9
S	18	L	11
V	20	O	14
	52		52

Verùm hoc recentiores ac pertinaces Hebræi forsitan irriserint, asserentes nullam inter Latinæ atque Hebraicæ linguæ numeros esse cognationem. Quod ipsis verum esse concedimus: sicut & verissimum quoque est, nullam inter san- D ctam fidem nostrã & eorum perfidiam intercedere necessitudinem: sed tamen iis respondemus, nomen hoc SILO non Hebraicis, sed Latinis litteris me hoc loco conscripsisse; quarum numeri cum benedicti & sancti nominis IESV numeris, quod Latinis characteribus pariter scriptum est, optimè conueniunt. Quod nullo prorsus modo respondet, si duo hæc nomina Hebraicis apicibus exarentur. Quod ingenti sanè non caret mysterio: id enim significare videtur, quòd sancta & Catholica Latina Ecclesia, nomen hoc sanctissimum amplexata, in illudque firmiter credens, nullo vmquam tempore ab eo separari poterit. At cæca & peruicax Hebræorum Synagoga, in illud minimè credens, ab eodem penitus seiungenda erat.

His

His tamen non obſtantibus, non ſolùm probari poteſt, verum Meſſiæ nomen non aliud quàm IESV eſſe debuiſſe: ſed, vt eſt in prouerbio, manu etiam ipſa palpari, Iacobum Patriarcham, hac eadem prophetia (dum dixit, *Donec* VENIAT SILO, ET IPSI *gentes congregabuntur*) nomen ſacratiſſimum IESV expreſſiſſe. Idque per ipſoſmet legis eorum Doctores & Rabbinos probabimus: & quod maiori admiratione dignum cenſendum eſt, per eos qui ante aduentum Chriſti Domini ſcripſerunt: inter quos ille, quem ipſi Rabbenu Haccados, id eſt Magiſtrum noſtrum ſanctum appellant, in admirabili illo ſuo libro, cui titulus eſt GALERAZAIA', id eſt Reuelator ſecretorum, ad Antoninum Romanum Conſulem ſcribens, & de veri Meſſiæ nomine agens, hæc inter cetera à Spiritu ſancto dictata verba protulit: *Quia Meſſias homines ſaluabit vocabitur* יֵשׁוּעַ IESVAH. *Gentes autem alterius nationis, quæ fidem eius ſectabuntur, vocabunt eum* IESVM. Et propterea inuenies hoc nomen IESVS *deſignatum in textu Geneſis cap. 49. Non recedet ſceptrum de Juda: in primis litteris horum verborum* יָבֹא שִׁילֹה וְלֹא IAVO, SILO, VELO. *Si enim acceperis primas litteras harum dictionum*, IESV *eædem litteræ conficient.* Hæc omnia Rabbinus ille, quem Iudæi Magiſtrum noſtrum ſanctum appellauere. Et verè quidem ſanctus; quandoquidem Spiritus ſancti lumine illuſtratus, tot tantaque de Chriſto Domino prophetauit & ſcripſit, vt ipſius excelſa facinora vix apertiùs & clariùs conſcribere potuiſſet, ſi ea corporeis oculis conſpexiſſet. Quamobrem hinc ſanè factum eſt, vt præfatus eius liber, recentium Rabbinorum Hebræorum malitia, adeò exquiſita diligentia ſubreptus & occultatus fuerit, vt hodie à noſtris nuſquam reperiri valeat; nullaque alia de eo ſupereſt memoria, præter id quod Petrus Galatinus in ſuis iam operibus fideliter retulit; qui tamen iniquè ab eiſdem mendacij inſimulatur.

Ex primis litteris harum quatuor dictionum formatur nomen IESV.

Vide Petrum Galatinum, lib. 3. c. 18.

Veteres Rabbini eodem modo prophetiam illam interpretati.

Neque eo contenti facinore, vt pertinaciſſimam ſuam tueantur perfidiam, contra id quod veteres Talmudiſtæ ſcripſere, enixi ſunt atque nituntur probare, dictione hac SILO, Meſſiæ non ſignificari nomen; & hanc Iacobi Patriarchæ prophetiam iam multis ſæculis ante Chriſti Domini aduentum completam fuiſſe, aſſerentes vocem hanc SILO oppidi cuiuſdam nomen proprium eſſe; prædictamque prophetiam tunc completam fuiſſe, cùm Saul, qui erat ex tribu Beniamin, in Regem electus eſt, & vnctus in SILO, vbi Tabernaculum & Arca Domini aderant; & conſequenter ibidem quoque ipſa reperiebatur vnctio, qua Reges inungi conſueuerant. Atque ita factum eſſe, vt ſceptrum, quod dominium & primatum quoddam ſignificat, quodque ad illa vſque tempora apud tribum Iudæ permanſerat, tunc in tribum Beniamin tranſlatum ſit. Verùm hoc, vt Nicolaus Lyranus diligenter animaduertit, ipſius ſacræ Scripturæ textui apertiſſimè aduerſatur; quo luce clariùs patet, iam ante ipſius Saulis electionem Arcam ex SILO in Cariathiarim tranſlatam fuiſſe, vt libro primo capite ſeptimo Regum eſt videre. Prætereà verò poſt Saul, imò ipſo adhuc viuente atque regnante, à Samuele inunctus eſt Dauid, qui fuit primus Rex de tribu Iudæ, ab ipſoque eiuſdem tribus ſucceſſionem ſuam duxere Reges.

Somnia recentium Rabbinorũ variè confutata.

Alij verò contendunt, prophetiam ipſam, de qua agimus, veritate comprobatam fuiſſe in electione Ieroboam, qui erat ex tribu Ephraim, cùm decem tribus à Iudæ Regno amotæ ſunt, propter ſuperbum ac durum reſponſum, quod Roboam Salomonis filius populo dedit conſtituto ac præfixo die quo reuerſurus erat populus, vt eum Regem ſibi conſtitueret, vel ab eo recederet, iuxta gratum vel aſperum reſponſum eius. & ita verba prophetiæ exponunt: Donec veniat SILO, id eſt donec in SILO Ieroboam coronandus adueniat. Verùm enimuerò, expoſitio hæc facilè conuincitur, ac per ipſum textum falſa depre-

A deprehenditur. Nam ille populi conuentus non in Silo, sed in Sichem aduocatus est, vt tertio Regum libro, capite duodecimo scriptum est. Et quamuis decem tribus Israëlitici populi à Iudæ Regno sese subtraxerint, non propterea tamen sceptrum & Regnum à domo Iudæ tunc ablatum est; imò per 492. annorum seriem, vel circà, in domo illa perseuerando perstitit in multis Regibus, qui hereditario iure vsque ad Babylonicam captiuitatem sibi inuicem successerunt. Qui quidem soli verè & propriè Reges censendi & appellandi erant; quippe qui vnctione sacra, in ipsa Ierosolymorum vrbe Metropolitana, quæ Regni Iudæ caput erat, instituebantur; vbi Templum Domini aderat & Arca, & vbi omnia ad eamdem vnctionem necessaria permanserant.

Sed quia vox ista SILO, alio quoque sensu accepta, missionem quamdam etiam significat; propterea quidam alij recentiores ac pertinaces Rabbini Hebræi animaduertentes, antè dictas duas expositiones vt falsas ipsius sacri textus B auctoritate facillimè prosterni, ictum hunc subterfugere cupientes, vanitate alia sese circumtegere nituntur: asseruntque, prophetiam eamdem tunc prædictionis suæ effectus habuisse, cùm Nabuchodonosor Rex, Ierosolyma expugnata, Sedeciam Regem interfecit, in quo Iudæ Regnum defecit & extinctum est. & ita verba prophetiæ eiusdem exponunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, id est Nabuchodonosor, qui propter Iudaici populi peccata missus est, vt Prouinciam illam euerteret, Regnumque illud extirparet.* At improba hæc atque versuta Glossa eorum nullo etiam negotio subuertitur. Etenim, vt ipse etiam Rabbi Salomon super locum hunc fatetur, licet Sedecias Rex occisus fuerit, non ob id tamen sceptrum à domo Iudæ tunc ablatum est: Nabuchodonosor enim non omnes Sanhedrin interfecit, qui Duces & Iudices ordinarij erant, sedentes in Consistorio Gozith, Iudæorumque causas iudicantes; quin etiam eorum complures in Babyloniam abducti fuêre; vbi per- C mittente Rege, Hebræorum litigia iudicio dirimebant. Quòd autem iidem Sanhedrin reuerà in Babyloniam descenderint, clarè probatur ex Canticorum expositione super illud: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Cant. 6. vbi phrasis Chaldaica, quam Iudæi Targum appellant, quæque adeò authentica apud eos habetur, vt nullus Rabbinorum ipsorum eidem contradicere ausus sit, sic habet: *Dominus sæculi suscepit orationem eorum cum complacentia, descenditque in Babyloniam ad sapientes Sanhedrin, & dedit odorem populo suo.* Cùm ergo Babylonicæ captiuitatis tempore Sanhedrin non defecerint, penes quos sceptrum & iudiciaria potestas remanserat, consequenter fatendum est, sceptrum ipsum tunc non defecisse; præsertim verò cùm etiam post Babylonicam captiuitatem, vsque ad Herodis Ascalonitæ tempora, qui Iudæorum populum rexerunt, à tribu Iudæ descenderint. Zorobabel enim, qui in reditu ab ipsa D captiuitate Hebræorum populi principatum obtinuit, eiusdem tribus fuit, vt penes Zachariam & Aggæum Prophetas legitur: ceterique omnes, qui vsque ad Machabæorum tempora, Iudaici populi gubernacula tenuerunt, ex tribu Iudæ duxerunt originem. Quinetiam Machabæi ipsi, qui vsque ad Herodem Ascalonitam Iudæorum principatum nacti sunt, pro descendentibus ab eadem tribu Iudæ communiter habebantur. Nam Regia tribus & sacerdotalis sese inuicem miscuerant.

Quamobrem ex his apertè probatur, Iudaici populi sceptrum & dominium à tribu Iudæ numquam penitus amotum fuisse, donec Christus Dominus verus Messias aduenit, de quo in prædicta prophetia Patriarcha Iacob in nomine illo SILO proculdubiò intelligere voluit. Quod authenticè admodum pro-

batur

batur per Targum, siue interpretationem Ierosolymitanam, quæ propter eius antiquitatem magnæ est apud Hebræos auctoritatis; vbi verba prædicta Patriarchæ Iacob Latinitati donata, sic sonant: *Non desinent Reges domus Iuda, neque tardabunt Doctores Legis de filiis filiorum eius, vsque ad tempus, quo veniet Christus, cuius est Regnum, & cui seruitura sunt vniuersa Regna terræ.* Id etiam apertiùs probabitur per Targum siue translationem Chaldaicam Rabbini Anzelos, cuius verba super hunc locum ex Hebraico in Latinum conuersa hæc sunt: *Non præteribit auctor vel factor potestatis, siue dominij Regij de domo Iudæ, & scriba de filiis filiorum eius, vsque in sæculum, quousque veniat Messias.* A

Quòd autem præfata dictio SILO Messiam significet, clarè etiam probatur ab antiquâ Beressith Rabba, in qua super hunc locum, *Donec veniat* SILO, verba hæc ex Hebraicis Latinitati donata leguntur: *Donec veniat* SILO, *iste est Messias. Et ad eum congregabunt se gentes, quia ipse iudicabit totum orbem. Et hoc est quod dictum est Michææ capite quarto: Et iudicabit inter gentes, & arguet populos multos. Et iterùm Isaiæ cap.* 11. *Et iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate mansuetos terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & in spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Verùm quia recentiores & peruicaces Hebræi forsitan dicere possent, Si Iacob Patriarcha in hac ipsius prophetia de Messia intelligere voluit, quid est, quòd apertè non dixit, Donec veniat Messias; non autem, Donec veniat SILO, quod est nomen ambiguum & commune, quodque pro multarum rerum significatione capi potest? Ad hoc quippe respondetur, id non sine ingenti mysterio sanctum ac magnum Patriarcham fecisse; vt optimè probat Petrus Galatinus. Per hanc enim dictionem & vocem SILO apertè innuere voluit, Messiam ex matre sine patre nasciturum, atque ex purissimis Virginis Matris sanguinibus absque hominis semine concipiendum. Quod Rabbi Dauid Kimchi apertissimè testatur in libro suo, cui titulus est Serassim; cuius verba ex Hebraico in Latinum sermonem translata hæc sunt: *Vocatur Messias, Princeps, & Dominator. Mos enim dominantis est, vt sit virga in manu eius. Et quia virga disciplinæ plebis in manu ipsius erit; ideò Mehokec etiam dicitur, quod scribam significat. Porrò donec veniat* SILO, *id est filius eius (feminini generis exponitur) & est prophetia de Messia.* Additque nomen hoc SILO, à dictione *Silia* deduci, quæ sacculum quemdam significat, in quo infans in vtero matris permanet; qui quidem in sacra Scriptura aliquando pro embryone in matrice sumitur. Ex quibus omnibus manifestè patet, contra Iudæorum nostri temporis perfidiam, iuxta priscorum Thalmudistarum expositiones, prophetiam hanc magni Patriarchæ Iacob, de nullo alio præterquam de vero Messia Christo Domino rectè intelligi posse; in cuius aduentu sceptrum Regni Iudæ, iuxta sacras prophetias, germanasque ac rectas veterum Doctorum expositiones, penitus defecturum erat. Deinde verò magnus Patriarcha Iacob prophetiam suam prosecutus, vt apertiùs innueret, sanguinem, quem verus Messias Christus Dominus in Crucis ligno pro nobis miseris profundere debebat, ipsumq; Dominum, redacturum & congregaturum per passionis & Crucis suæ virtutem Hebraicum & Gentilem populum in vnam Ecclesiam & Fidei vnitatem, diuinitus subiunxit: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Quasi diceret, Ligabit ad vitem, & ad Crucis lignum, pullum suum, id est populum Gentilem, qui erat tamquam pullus indomitus, & sine veræ Religionis lege; & asinam suam, id est Hebraicam Synagogam iam domitam, & ad onus Moysaicæ legis deferendum assuetam. Lauabit in vino stolam suam, id est, in proprio sanguine humanitatem diluet: & in sanguine vuæ pallium suum, id est, sacro- B C D

Petrus Galatinus, lib. 4. c. 4. circa finé.

A sacrosanctæ carnis suæ pallium totum sanguine aspergetur. Ad quorum verborum institutum apposite Iustinus Martyr: *Verbum istud*, inquit, *Ligans ad vitem pullum suum, & lauans in sanguine vuæ stolam suam; symbolum atque indicium fuit, ea quæ de Christo futura erant, quæque ab eo fieri debebant, designans: nam pullus asinæ in introitu quodam vici ad vitem alligatus stabat; quem sibi tum adducere familiares suos iussit, cùm eo conscenso Ierosolymam ingressus est: vbi maximum Iudæorum templum fuit, à vobis posteà euersum. Et exinde, vt quod reliquum erat prophetiæ compleretur, in Crucem est actus: nam verbum, Lauans in sanguine vuæ stolam suam, passionem eius quam subiturus erat, prænuntiauit; per sanguinem lustrans atque purificans sibi credentes.* Et hæc hactenus circa hanc primam & verè admirabilem sanctæ Crucis prophetiam dicta sint. In Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium.

CAPVT II.

B *De sanctæ Crucis Prophetiis, quæ ex sacris Numerorum & Deuteronomij libris excerpuntur.*

PRAENARRATAE Iacobi Patriarchæ prophetiæ, in omnibus ferè, vt benè inquit Procopius, similis illa fuit Balaam; qui cùm à Balach Moabitarum rege adductus esset, vt Israëlitico populo malediceret, inuitus, sic volente Deo, pro maledictione benedictionem in eum effudit. Atque in ea benedictione, lingua eius à Spiritu sancto mota, multa quæ futura erant, magni sanè momenti ac ponderis prædixit: præsertim verò Christi Domini natiuitatem, Crucem, mortem, & resurrectionem. Natiuitatem enim Christi prænuntiauit, cùm dixit: *Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israël, & percutiet duces Moab.* Quibus sanè verbis proculdubiò prophetauit, ex stirpe & posteritate C Iacob secundùm carnem, Christum Dominum, verum Deum, verumque hominem nasciturum. Pro stella nimirum diuinitatem, & pro dictione illa, homo, humanitatem eius innuens. Prædixitque eumdem Dominum nostrum Cruce & morte sua, diaboli & nequissimorum angelorum satellitum eius, quos per duces Moab significatos esse voluit, potestatem & imperium euersurum; vt optimè annotauit Origenes his verbis: *Ordo prophetiæ hæc eadem consequenter ostendit, cùm de Deitate quidem eius dicit: Orietur stella ex Iacob. De humana verò natura: Et exurget homo ex Israël; vt in vtroque eo secundùm Deitatem, & secundùm humanitatem Christus prophetatus euidenter appareat.* Deinde verò super eiusdem prophetiæ verbis illis, *Et vastabit filios Moab*, idem Origenes adiecit, dicens: *Moab quidem gens est, cuius Principes non alios esse, quàm spiritales nequitias, & principatus illos, aduersum quos nobis luctamen est, intelligimus. Hos ergo iste homo ex Israël vastauit, cùm exuit principatus & potestates, affigens illos Cruci suæ.* In Glossa ordinaria. Num.24. In Numer. cap.24. Homil.18. *Prophetia Balaam de Christi natiuitate explicata.*

D Prophetauit autem Balaam Christi Domini passionem & Crucem, tunc precipuè, cùm respondens Balach (qui de eo conquerebatur, quòd pro maledictione benedictionem in Israëliticum populum effudisset) iuxta septuaginta Interpretum versionem sic ei dixit: *Non quasi homo Deus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.* Quæ verba gloriosus martyr & Pontifex Cyprianus in tractatu suo contra Iudæos, & Lactantius Firmianus in Diuinis institutionibus ad Christi Domini Crucis significationẽ & prædictionem adducunt. Prophetauit idem Balaam Crucem, mortem, & resurrectionem Christi, tunc presertim etiam cùm dixit: *Perforabunt sagittis. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nemo audebit.* Quasi diceret: Manus pedesque eius clauis perfodient. Quamobrem, inclinato capite dormiet vt leo, id est, spontè spiritum *Prophetia eiusdem de Christi Cruce.* S.Cyprian, aduersus Iudæos, libro 2.c.20. Lactantius Firmianus Diuin. institut. lib.4 cap.18.

emittet: & nemo alius præter Deum à morte illum excitabit, non secùs ac leo A
leunculum catulum suum à somno exsuscitare consueuit. Vnde super eisdem
In Numeror. c.24. sacri textus verbis Glossa interlinearis sic habet: *Etiam de passione Christi prophetat Balaam, cùm in Cruce positus principatus & potestates triumphauit. Christus catulus leonis, cùm scilicet surrexit à mortuis.* At non sine ingenti admiratione quispiam fortè quæsierit, quonam pacto fieri potuerit, vt Balaam, cùm non Propheta, sed ariolus esset, tam sancta atque sublimia prædixerit? præsertim cùm ars & professio eius esset malefaciendi & maledicendi, non autem benedicendi; vt de eo testatur Origenes his verbis: *Hic Balaam famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxius præpotens. Non enim habebat potestatem, vel artem verborum ad benedicendum, sed habebat ad maledicendum: & ideò quasi expertus in talibus in opinione erat omnibus qui erant in Oriente.* Cui quidem considerationi, quæ hos in admirationem traducit, præter id quod veritate ipsa suffragante responderi potest, ita prophetasse Balaam, Deo sic expresè volente, non secùs ac præter B naturam etiam asina quoque eius locuta est; hoc etiã superaddi potest; Prophetiam nimirum donum esse gratuitum, quod cum mortali peccato etiam haberi potest: quocircà auditum & obseruatum quandoque est, non peccatores tantùm, sed & impuros atque scelestos homines prophetasse: ac proinde Origenes dum de Caipha loqueretur, qui nesciens quid diceret, prophetauit Christum moriturum, ne Gentes in æternum perirent, inquit: *Ex his quæ de Caipha scripta sunt, qui de Seruatore prophetauit, dicere possumus, animam quoque prauam suscipere prophetandi munus.*

In Numeror. c.22. Hom. 13.

Prophetia, donum gratuitũ, etiã scelestis hominibus à Deo concessum.

In Euang. Ioannis.

Id etiam sanctus Augustinus in eamdem sententiam scribens animaduertit, inquiens: *Hic docemur etiam homines malos prophetiæ spiritu futura prædicere.* Et sanctus Ambrosius super Apostoli verbis illis: *Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum* C *omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Verè,* inquit Ambrosius, *nihil prodest. Ad Dei enim gloriam prophetatur, sicut dicit David Propheta: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam: nam & Balaam prophetauit cùm Propheta non esset, sed ariolus. Et Caiphas prophetauit, non merito, sed dignitate ordinis sacerdotalis. Et Saul prophetauit, cùm iam inobedientiæ causa spiritu malo fuisset repletus.* Diuus quoque Augustinus, vt ostenderet à prophetia hominem non sanctificari, cùm charitati iuncta non est, hominesque prauos ac reprobos aliquando etiam prophetasse, ait: *Prophetia quale munus est? Prophetauit & Saul malus Rex, & tunc prophetauit, cùm David sanctum persequeretur. Misit ad comprehendendum David ministros suos. David verò eo tempore inter Prophetas erat, vbi erat & sanctus Samuel. Impleti sunt spiritu prophetiæ qui missi sunt, & prophetauerunt. Sed fortè illi bono animo venerant, vel ob necessitatem officij sui, vel non facturi quod iussum est. Misit & alios. hoc & in* D *eis factum est. Cùm illi tardarent, venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis sancti, cui etiam ingratus erat. Et ipse impletus est spiritu prophetandi, & prophetauit.* Hæc omnia ad institutum hoc sancti Patres; ex quibus hæc verissima conclusio pro dubij huius solutione capi potest: nempe, mirum non esse si Balaam, quamuis magus & maleficus esset, tam alta nihilominùs de Christo Domino, de Cruce, de morte, ac de eius resurrectione prophetauerit; cùm etiam improbi atque scelesti homines quandoque, vt vidimus, prophetauerint.

In Ioan. Euang. tract. 1.

1. Cor. 13.

In Ep. 1. ad Cor. cap. 13

In Psal. 103

Deut. c. 28 Prophetauit etiam magnus ille Moyses, quòd Christus Dominus noster in Crucis ligno pendere debebat, Iudęique in ipsum credituri non erant; cùm inter

A inter ceteras maledictiones, quæ super eos, propter inobedientiam & ingratitudinem venturæ erant, prædixit, eos de promissionis terra eijciendos fore, exulesque & vagos per orbem terrarum disperdendos, & gentium seruitio mancipandos: quodque visuri quandoque essent suam ipsorum vitam, id est Christum Dominum nostrum, qui vera vita est, in Crucis ligno coram eis pendentem, & in eum credituri non erant. Quamobrem Tertullianus verba ipsius Moysis interpretans, addit: *Huius autem signi sacramentum varijs modis prædicatum est, in quo vita hominis præstruebatur, in quod Iudæi non essent credituri.* (Aduersus Iudæos cap. 10.) *Sicut Moyses antè nuntiabat, dicens: Eijciemini de terra, in quam introibitis, & in nationibus illis non eritis in requiem. Et non erit stabilitas vestigio pedis tui, & dabit tibi Deus cor tædians, & tabescentem animam, & oculos deficientes, vt non videant: & erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* (*Prima prophetia Moysis de Cruce ex Deut. 28.*)

Et reuerà de miserandis Iudæis hæc in Glossa ordinaria iure dicuntur: *Nihil peius inter maledicta, quæ Iudæis merito superbiæ acciderunt, quàm videre vitam, id est,* (Glossa ordinaria in Deut. c. 28.)
B *Filium Dei pendentem, & non credere ei.* Quòd autem verba prædicta Moysis innuere voluerint, perfidos Iudæos proprijs oculis visuros esse vnigenitum Dei Filium in ligno Crucis pendentem, & in eum credituros non esse, in eadem Glossa super eisdem verbis affirmat Procopius hoc modo: *Traduci quoque hoc in Christum potest, qui dicit: Ego sum vita. quem cùm è ligno pendere viderent, fide non receperunt.* Verùm id meliores & auctoritate insigniores etiam auctores testantur, inter quos martyr Irenæus: *Et rursus*, inquit, *significans quoniam qui ab initio condidit, & fecit eos Verbum, & in nouissimis temporibus redimens nos & viuificans, ostenditur pendens in ligno, & non credent ei. Ait enim: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ.* (Aduersus hæreses lib. 4. c. 23.) Et sanctus Athanasius, vt ostenderet Iudæorum in Christum Dominum incredulitatem & perfidiam, à Moyse iam prædictam & prophetatam, ait: *Primus enim Moyses ingenti voce iam id anteà denuntiauit, dicens: Vitam vestram suspensam ante oculos vestros videbi-* (De incarnatione Verbi Dei.)
C *tis, & non credetis.* Id etiam sanctus Ioannes Damascenus, & alij permulti sacri Doctores affirmant. Verùm quæ pro antedictæ magni Moysis prophetiæ approbatione & expositione hactenus diximus, ne prolixitate nimia lectores defatigemus, satis superque sint.

Iterùm quoque sanctam Christi Domini Crucem Moyses prophetauit, cùm iubente Deo montem Nebo conscensurus, vt promissionis terram inde prospiceret, posteà moriturus; priùs quàm ascenderet, filios Israël de tribu in tribum benedixit: dumque in Iosephi tribum benedictionem effunderet, hæc eidem inter cetera verba dixit: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius. In ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ.* (Deut. 33.) Quibus verbis Spiritus sanctus, qui in illo loquebatur, Christum Dominum ab ipso innui voluit, qui tauri primogenitus ille fuit, id est vitulus ille saginatus, quem in ipsius significationem & figuram, paterfamilias in reditu errantis prodigi filij (*Altera prophetia Moysis ex Deut. 33.*)
D mactauit: & postquam occisus fuit, tertia die resurrexit, & gloriosus apparuit. Qui est primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ: cuius rhinocerotis cornua, Crucis cornua significant; in quibus, vt inquit Propheta, abscondita stetit fortitudo eius. (Habacuc 3.) Nam per carnis infirmitatem, quasi aries inter spinas, & spinis coronatus, his cornibus appensus stetit. Sed per incomparabilem suam in passione fortitudinem, quasi rhinoceros, mortis victor fuit, & euersor illius qui mortis habebat imperium. Quòd autem his verbis magnus Moyses Christum Dominum, sanctamque Crucem eius innuere voluerit, complures sacri Doctores affirmant. Quare sic diuus Augustinus: *Cùm Moyses Ioseph benediceret, ait inter cetera: Primogenitus tauri pulchritudo eius: quod non ita legendum est, tamquam* (Quæstionũ super Deuteronom. Quæst. 56.)

 diceret,

diceret, Primogenitus tauri; sed cùm sit primogenitus, pulchritudo tauri est, propter Crucis cornua. De Domino intelligitur figuratum. Et Tertullianus super ijsdem verbis appositè pariter in hunc modum: *Non vtique rhinoceros destinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur. Taurus ob vtramque dispositionem; alijs ferus vt Iudex, alijs mansuetus vt Saluator: cuius cornua essent Crucis extima. Nam & in antenna nauis, quæ Crucis pars est, hoc extremitates huius cornua vocantur: vnicornis autem media stipitis palus. Hac denique virtute Crucis, & hoc more cornutus, vniuersas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum; & tunc ventilabit per iudicium, deijciens de cælo in terram.* Quæ quidem Tertulliani verba iam superiùs, nempe libro secundo ad aliud institutum nostrum citata, hîc pro clara huius prophetiæ expositione necessariò duximus repetenda. A

Aduersus Iudæos c.10 & contra Marcionem lib.3.cap.18

Moysen autem hoc loco, pro rhinocerotis cornibus de Messia intellexisse, ipsi etiam veteres Hebræorum Rabbini animaduerterunt, & fassi sunt. Nam in Psalmorum expositione, quam Midras Tehilim vocant, super Psalmum qui incipit, *Bonum est confiteri Domino*; qui Psalmus in Hebraico textu est nonagesimus secundus, & in nostra Vulgata editione est nonagesimus primus; in eiusdem Psalmi versiculo, in quo dicitur: *Tu autem altissimus in æternum Domine, & exaltabitur, sicut vnicornis cornu meum:* Rabbinus Barachia verba hæc ex Hebraico in Latinum conuersa sic habet: *In æternum manus tua Domine desuper exaltabitur, quasi monocerotis cornu meum. Sicut enim vnicornis cornua altiora sunt, quàm cornua omnium bestiarum, ipse quoque ventilans est ad quattuor ventos cæli; sic Messias filius Dauid, ventilans erit ad omnem ventum. Et ideò dixit Moyses Deuteronomij cap.33. Primogenitus bos eius: decor ei, & cornua monocerotis cornua eius: ipsis populos ventilabit simul.* Quibus verbis antiquus iste Doctor Hebræus non tantùm ostendit Moysen hoc loco Messiam innuere voluisse, verùm pænè etiam apertè dixit, quòd idem Messias quattuor sanctæ Crucis cornibus siue extremitatibus, populos & electos suos à quattuor ventis, id est à quattuor mundi regionibus, ventilare, seligere, & congregare debebat. B C

Quamobrem iure optimo sanctus Hieronymus, alijque sacri Doctores opinionem hanc animo se imbibisse ostendunt, vt quotiescumque Deus in Psalmis cornu salutis appellatur, ibidem sancta Christi Domini Crux præsignetur.
In Psal. 91. Et propterea idem Hieronymus sic ad institutum hoc appositè: *Dominus cornu dicitur his qui credunt in eum; & in cornibus Crucis suæ ventilauit inimicos. Alij,* subdit, *habebant plura cornua: ego verò vnum cornu solùm habeo: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Hæc ille. Verùm de hisce Crucis cornibus alibi, Deo iuuante, fusiùs agemus.

CAPVT III.

De sanctæ Crucis Prophetijs, quæ libris Regum & Esdræ continentur. D

CVM de insignioribus sanctæ Crucis prophetijs, quæ Genesis, Numerorum, & Deuteronomij libris continentur, duobus præcedentibus Capitibus, ipsius sacri textus ordinem secuti, tractauerimus, consequenter agemus nunc de his, quæ ex Regum & Esdræ libris colliguntur. Prima igitur prophetia, cuius pertractatio hîc primo loco nobis in mentem subit, illa erit, quam Prophetarum Propheta, & Sanctus Sanctorum Deus ipse, ore proprio Salomoni protulit, cùm post ædificatum ab eo templum & regale palatium, secundò ei ap-

A ei apparuit, eodem modo, quo eidem primitus apparuerat in Gabaon, dicens ei: *Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificaui domum hanc quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea, & iudicia mea seruaueris; ponam thronum Regni tui super Israël in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo, de solio Israël. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & cærimonias meas quas proposui vobis, sed abieritis, & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos; auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis; & templum quod sanctificaui nomini meo, proijciam à conspectu meo: eritque Israël in prouerbium, & in fabulam cunctis populis; & domus hæc erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, &* B *dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum.* 3.Reg. 9.

Quæ verba Lactantius Firmianus, lectione à Vulgata editione nostra admodum diuersa, ad sanctæ Crucis significationem trahit; eamdemque tamquam eiusdem sanctæ Crucis admirabilem prophetiam, post alia ad hoc institutum, Dauidis prolata vaticinia refert; inquit enim: *Sed & Salomon filius eius, qui Ierosolymam condidit, eam ipsam perituram esse in vltionem sanctæ Crucis prophetauit: Quòd si auertimini à me, dicit Dominus, & non custodieritis veritatem meam, reijciam Israël à terra quam dedi illis; & domum hanc, quam ædificaui illis in nomine meo, proijciam illam ex omnibus. Et erit Israël in perditionem, & in opprobrium populo; & domus hæc erit deserta. Et omnis qui transierit per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem fecit Dominus terræ huic & huic domui hæc mala? Et dicent: Quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt Regem suum dilectissimum Deo, &* C *cruciauerunt illum humilitate magna; propter hoc importauit illis Deus mala hæc.* Institutionum diuinarũ lib. 4. cap. 18.

Hanc autem prophetiam veritate exactissimè fuisse comprobatam, profectò miseri infelices ac peruicacissimi Hebræi vident, sentiunt, atque re ipsa experiuntur. Iam enim anni ferè 1540. transacti sunt, cùm ab eorum olim Deo dilectâ, nunc euersâ ac solo æquatâ patriâ exules, & per orbem terrarum dispersi vagantur, & apud cunctas nationes serui, & vt vilissima mancipia, despectui atque ludibrio habentur: carent enim Regno, sacerdotio, sacrificio, templo, & ciuitate; omni spirituali ac temporali bono prorsus expoliati. Atque vt summatim dicam, tamquam omnium pænè hominum fæx & fœtor, cunctis abominationi & opprobrio sunt. Huius autem horribilis & iustissimæ in eos animaduersionis causa non solùm in ipsa eadem prophetia apertè declaratur, vbi dicitur; Quia impiè persecuti sunt, & humilitate magna cruciauerunt, id est crucifixerunt Regem suum Deo dilectissimum, vnigenitum Dei Filium: ve- D rùm id etiam quidam ex insignioribus Rabbinis ipsorum palàm fassi sunt; atque inter eos præsertim Rabbi Moyses Ægyptius, qui eo in libro, cui titulus est Sophrin, id ipsum apertissimè litteris commendauit: sic enim ille ex Hebraico in Latinum conuersus: *Iesus Nazarenus visus est esse Messias: & interfectus est à domo Iudicij: & fuit causa, vt Israël destrueretur gladio.* *Iudæi crucifixores Christi iustè à Deo deserti & reprobati.*

Neque illud sanè inane argumentum valet, quo quidam ex recentioribus Hebræis ad hoc respondere nituntur, nullo pacto verisimile esse, seuerissimam hanc animaduersionem, horribileque supplicium hoc, propter Christi mortem super eos cecidisse; cùm eadem iam per quadraginta annos patrata fuerit, antequam Titus Vespasiani filius, tanta edita strage, ciuitate eorum expugnata, dirutoque templo, eos in seruitutem redegisset; ex eo colligere atque innuere

cupientes, quòd Deus hanc in eos animaduersionem tamdiu non distulisset; cùm asserant, Hebræos non ob Christi mortem, sed propter suas ciuiles discordias, priuatasque simultates, ac propter defectionem à Romanis punitos fuisse. Quibus tergiuersationibus non id solùm respondere possumus, quod Ethnicus auctor ille moraliter iam dixerat; *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat:* verùm etiam pia atque Christiana consideratione addere, Deum optimum maximum, pro infinita pietate & misericordia sua, iustissimam animaduersionem illam quadraginta annorum spatio distulisse, vt eos ad pœnitentiam expectaret. A

Valerius Maximus de neglecta Religione.

Quod aliqui etiam ex eorum Doctoribus, his nimirum vetustioribus Thalmudistis, qui Christi Domini aduentum præcesserant, piè intellexerunt, & Spiritus sancti lumine illustrati, mirabiliter sanè prædixerunt. Quamobrem Rabbinus Haccados in libro suo, cui titulus est Galerazaia, petitione octaua inquit: *Quadraginta annis post passionem suam Deus destructionem prorogabit, vt videat, an ad eum conuertantur.* Deinde verò vt causam ostenderet, cur mulctam & pœnam hanc Iudæis irrogandam, quadraginta annorum integro atque præciso ad vnguem interuallo Deus distulerit, subiecit: *Accipiet autem Deus numerum quadragenarium, ratione illorum quadraginta dierum, quibus factus homo in peccato originali, in vtero matris ad membrorum compositionem moratur. Et quia Rex Messias venturus est ad relaxandum hoc delictum, ad inferendasque animas in Paradisum, ideò quadraginta annos expectabit, vnum annum pro vnoquoque die.* Aliasque pulcherrimas ibi rationes subiunxit, quas breuitati consulentes prætermittimus; curiosus enim lector easdem apud Petrum Galatinum percommodè videre poterit. B

Vide Petrũ Galatinum, lib. 4. c. 24. in fin.

Quòd autem perfidi ac miseri Iudæi, seuerissima hac animaduersione, & tam longa captiuitate plectendi essent, pro horribili ac probrosa morte, qua sacratissimum Regem, verumque Messiam Christum Dominum affecerunt, atque pro impio ac scelestissimo scelere quod patrarunt, venumdantes eum, spondente Iuda proditore, ipsumque ab eodem vilissimo pretio, tamquam mactandum animal quoddam ementes, Amos etiam Propheta præuiderat, apertissimè eis prænuntians, quòd propter hoc scelus horribile, Deus ab hac tam longa & misera captiuitate eos erepturus non erat, nec illos in patriam reducturus, vt à præteritis calamitatibus reduxerat; ait enim: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israël, & super quattuor non conuertam eum; pro eo quòd vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.* Quasi diceret: Super tribus maioribus sceleribus, quæ Israëliticus populus patrauit, iam placatus eis peperci, & à captiuitatibus, quibus propterea illos subieceram, eripui, atque in eorum patriam reduxi: verumtamen super hac quarta sceleris immanitate non reducam eos, quia Iustũm iustorum paucissimis argenteis vendiderunt: pauperemque, id est, Christum, vili adeò pretio emerunt, vt præ inæstimabilis atque infiniti valoris eius comparatione, dici quodammodò possit, quod vili calceamentorum pari eum coëmerint. C D

Reprobatio Iudæorum longè antè prædicta ab Amos Propheta. Amos 2.

Pro iusto autem, Christum Dominum intelligi debere, quamplurimis auctoritatibus probari posset. Verùm nobis hîc gloriosi protomartyris Stephani testimonium sufficiat, qui mox moriturus scelestissimis Hebræis hoc scelus exprobrauit: cuius verba, hac potissimùm die, quæ felicissimi ac cælestis natalis eius Octaua est, paulò antequam hæc scriberemus, Deo sic volente, in diuino Officio legimus & recitauimus: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus; vos semper Spiritui sancto resistitis, sicuti patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Iusti,*

Actor. 7.

A *Iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Eumdem verò Dominum Iesum pro paupere illo, quem Amos Propheta innuere voluit, pari modo intelligi debere, Psalmista locis quamplurimis confirmat, qui ad huius rei fidem adstruendam, in eius persona pauperem sese & médicum appellauit his verbis: *Ego sum pauper & dolens.* & iterùm: *Ego verò egenus & pauper sum.* & alibi repetit: *Inops & pauper sum ego.* Et demum in alio quodam Psalmo subdit: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Et Zacharias Propheta quasi declarare vellet quisnam iustus & pauper ille fuerit, de quo iam Amos innuerat, eum digito ferè indicans, ait: *Ecce Rex veniet tibi iustus, & saluator, & pauper.* Psal. 39. 68. 69. 85. 87. Zach. 9.

Quattuor fuere scelera omnium atrocissima, quæ Israëliticus populus patrauit; & propter tria, per Amos Prophetam Deus innuit in captiuitates illum dedisse, & ab iisdem eum liberasse, in patriamque reduxisse; declarans quòd pro quarto, eum minimè murus erepturus, neque in patriam ampliùs reducturus erat.

B Quorum primum, inquit Petrus Galatinus, illud fuit, cùm Iosephum fratrem suum viginti argenteis vendiderunt: propter quod scelus decem supra ducentos captiuitatis annos in Ægypto sustinuerunt; quoad Ducibus Moyse & Iosue ad terram eorum Dominus reduxit. Secundum scelus fuit, cùm aureo vitulo sibi conflato, innumerabilium beneficiorum atque gratiarum, quas à Deo acceperant, obliti, illum ingratissimi adorauerunt, dicentes, Hi sunt dij tui ô Israël; scelestissimo huic facinori defectionem quoque addentes, quam fecerunt contra domum Dauid, sub cuius nomine & figura Messias promissus fuerat; quam tamen despicientes, dixerunt: Non est nobis pars in Dauid. quasi dicerent, se cum Christo partem habituros non esse: propter quod Dominus eos ab Assyriorum Rege abduci voluit in seruitutem. Tertium scelus fuit, cùm varia colentes idola, ipsis non solùm bestias, sed proprios quoque filios, prô nefandum scelus! immolabant; atque adeò Prophetas, qui de hoc horribi- Li. 4. c. 24.

C li scelere, ac de aliis vitiis & peccatis arguebant, crudelissimè mactabant. Propter quod à Rege Babylonis in seruitutem redacti, septuaginta annis exularunt. Ex vtraque autem harum seruitute eos eripuit & reduxit Dominus, Esdræ temporibus. Quartum verò omnium atrocissimum illud fuit, cùm Iustum, id est Messiam, argento vendiderunt, vel potiùs mercati sunt, & morti tradiderunt. Propter quod immanissimum ac prorsus horribile scelus à Romanis in seruitutem redacti fuere; & ab hac postrema captiuitate, dum tales fuerint, eos Dominus non reducet.

Sanctam quoq; Christi Crucem magnus Sacerdos & Moysaicæ Legis scriptor Esdras prophetauit, dum in ipsius æterni Verbi ac summæ Dei sapientiæ persona, quæ humanam carnem induere statuerat, loquens, admirabilemque misericordiæ immensitatem illam innuens, quam in sua ipsius carne super sanctæ Crucis ligno præstare decreuerat, animas nostras ab æterna morte, & à pœ- *Crux Christi ab Esdra prænunciata.*

D nis inferni liberans, diuinitus dixit: *Manus meæ tegent te, ne filij tui gehennam videant.* Quasi diceret: Manus meæ, quæ in Cruce extensæ atque confixæ erunt, quasi alæ gallinæ caros pullos protegentis, vel piæ matris sinuosa vestis, filios vestros obtegent, ne videant, id est, ne patiantur pœnas inferni. Prophetauit pariter idem Esdras Crucem, sanctamque Christi Domini passionem, innuens, quòd redemptionem & salutem nostram in ea operaturus erat, cùm dixit: *Laudandus est Dominus, qui manus suas extendit; salutemque Jerosolymis spectantibus nobis dedit.* Quæ verba refert sanctus Ioannes Chrysostomus, & ad Crucis Domini significationem adducit, cùm inquit: *Deum esse Christum, qui in Crucem sublatus est, audi Esdram asserentem: Laudandus Dominus, qui manus suas extendit, salutemque Ierosolymis spectantibus nobis dedit.* 4. Esdræ 2. S. Ioannes Chrysost. in pretiosæ vitalisq; Crucis veneratione media hebdomada ieiuniorũ, Serm. To. I. in fine.

Verùm hæc Esdræ verba nec in Vulgata editione nostra, neque in ea Septuaginta interpretum versione quæ circumfertur, hodie reperiuntur. Quamobrem non iniuria suspicari possumus, eadem ex his esse, quæ à temerariis & iniquis Hebræorum Rabbinis, post Christi Domini passionem ex eiusdem Septuaginta interpretum textu sublata fuerunt: cùm enim per antedictam versionem apertè pateat, Christum Dominum nostrum verum esse Messiam in Lege promissum, propria eos obcæcante perfidia, tam authenticam ac sanctam traductionem non solùm criminari ausi sunt, falsam, & locis quamplurimis erroribus scatentem impiè asserentes; verùm etiam ad id eos impellente diabolo, multa verba, imò & integras clausulas ex eodem textu per dolum abraserunt, penitusque sustulerunt, contra quas perfida eorum incredulitas, & inflexibilis peruicacia subterfugium non habebat, vt apertè sanctus Iustinus Martyr ostendit in sua cum Tryphone Iudæo disceptatione siue dialogo, sic contra illum: *Verùm enim verò Magistris vestris fidem non habeo, qui non assentiuntur, benè interpretationem à Septuaginta, qui apud Ægyptiorum Regem Ptolomæum fuere, senioribus esse institutam; sed ipsi interpretari & exponere Scripturas contendunt. Ac quòd illi multos & integros prorsus locos illarum, ex translatione eorum qui cum Ptolomæo fuere seniorum sustulerint, in quibus clarè hunc ipsum Crucifixum Deum & hominem esse, eumque in Cruce pendere & mori prænuntiatum esse ostenditur.* Deinde verò eodem Tryphone instante, loca quædam referens ex his quæ ex diuinis Scripturis ab eisdem Rabbinis temerariè nimis deleta atque sublata fuere; inter cetera, vnum eiusdem Esdræ prodit, qui ad hoc institutum nostrum valdè pertinet. Quandoquidem in eo diuinitus etiam prædixit, Iudæos Christum verum Messiam in Crucis ligno suspensuros & perempturos, atque ob illorum incredulitatem in derisionem & opprobrium cunctarum gentium venturos esse: *Ex verbis*, inquit, *quæ Esdras de Lege & constitutione Paschæ commemorauit, hunc locum abstulerunt: Et dixit Esdras populo: Hoc Pascha Saluator noster, & perfugium nostrum. Ac si in animum induxeritis, & in cor vestrum ascenderit quòd humiliaturi eum simus in ligno, & posteà speraturi in eum, non desolabitur locus iste in omne tempus, dicit Dominus virtutum; si verò in eum non credideritis, neque audieritis annuntiationem eius, deridiculum eritis Gentibus.*

Iudæi multa de Christo è Bibliis sacris sustulerunt.

In Dialogo cum Tryphone Iudæo.

Hæc eadem verba ipsumque hunc Esdræ locum citat etiam Lactantius Firmianus diuinarum Institutionum libro quarto capite octauo. Quamobrem nulli prorsus dubium esse debet, quin à scelestissimis Hebræorum Rabbinis, vt sanctus Iustinus Martyr testatur, à septuaginta Interpretum textu sublatus fuerit. Vnde indubitanter quoque ac firmiter teneri potest, eos ab eodem textu locum illum ipsius Esdræ pariter deleuisse, quem diuus Ioannes Chrysostomus citat, & nos superiùs retulimus. Verùm quid miramur perfidos & iniquos Hebræorum Rabbinos, qui post Redemptoris nostri aduentum, sacrarum Scripturarum expositionem temerè aggressi sunt, tamquam Crucis Christi hostes publicos, perurgente diabolo eorum perfidiæ fautore, ex immensa ac fulgentissima sacræ Scripturæ luce, scintillas illas euellere atque extinguere enixos esse, quas promptiores aptioresque fore censuerant ad lumen posteris suis afferendum, vt ab infelicis ac miseræ cæcitatis tenebris, quibus obruuntur, egredientes, ad sanctæ fidei lumen peruenire valuissent? si adhuc ante Christi Domini aduẽtum, sapientes & Legis scribæ illi, Esdræ successores, quos Hebræi Sophrim vocant, pro animi sui impetu atque auaritia, contra Moysis mandatum expressum, quamplurima sacræ Scripturæ verba, atque adeò integras etiam clausulas adulterare & immutare non dubitauerint? cuius temeritatis ab ipsomet Domino Saluatore nostro publicè redarguti sunt, cùm sub specie zeli Legis Moysaicæ,

A faicæ, & Seniorum traditionum, ipsius discipulos inique criminari non erubuerant, quòd illotis manibus panem manducarent; quibus ipse respondit: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. &: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Matth. 15.

Quæ verba clarè admodum diuus Hieronymus interpretatur hoc modo: *Honor in Scripturis, non tantum salutationibus & officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur. Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, vt filij honorarent, etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subuertere (vt impietatem sub nomine pietatis inducerent) docuerunt pessimos filios,* In Matth. cap. 15.
B *vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est Pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus; vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei in sacerdotum lucra cederet.*

Non est igitur cur miremur, quòd Hebrçorum Rabbini post Christi Domini veri Messiæ passionem & mortem, temerario ac scelestissimo ausu Scripturas, vbi id tutò facere potuerunt, adulterauerint & immutauerint; cùm iam ante aduentum & mortem eius, idem quoque, propria eos obcæcante auaritia, & impellente malitia, facere consueuerint. Verùm de hac ipsa eorum fraude, & Scripturarum deprauatione, alibi fusiùs, Deo adiuuante, dicturi sumus. Nobis verò hoc loco sufficiat, vnà cum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Christiana pietate enixè Deum opimum maximum precari, qui Iudaicam etiam perfidiam à mi-
C sericordia sua non repellit, vt velamine è cordibus ipsorum ablato, tenebris tandem egressi, ad sanctæ fidei Catholicæ lucem venire mereantur, extra quam nullo pacto salutem assequi poterunt.

CAPVT IV.

De sancta Crucis Prophetiis, quæ in libro Iob continentur.

INSIGNIORIBVS sanctæ Crucis prophetiis, quæ sacris Regum & Esdræ libris includuntur, ea qua fieri potuit breuitate, præcedenti Capite explanatis, condecens nunc consequenter est, quò cœptum atque concinnum ordinem sequamur, vt de his agamus, quæ libris Iob continentur. Verùm priusquam vlteriùs progrediamur, non abs re erit, si breuiter priùs dixerimus, ex *De libro*
D qua regione ortum, & ex qua progenie originem Iob ipse duxerit: quibus vir- *Iob prolixa*
tutibus, & quibus moribus præditus: quantæ æstimationis atque auctoritatis *& elegans dissertatio.*
liber hic eius omni tempore fuerit; & quanta veneratione ac deuotione prisci cùm Hebræi tum Christiani librum eumdem semper prosecuti sint. Et primò, quoad patriam attinet; in ipsiusmet libri initio breuiter innuitur, vbi dicitur: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob.* Super quibus verbis tradit Origenes, quòd Ausitæ, & Minei, & Euchei, & Themanitæ, & ceteræ omnes finitimæ tribus erant ex prosapia & cognatione Esau filij Isaac, qui & Edom cognominatus est. Quocircà cunctæ nationes & tribus illæ ex nomine ipsius Idumæi vocitatæ sunt. Nunc verò omnes vno nomine Arabes appellantur; subiungitque, non Idumæos tantùm, qui ab Esau duxerunt originem, sed etiam Ammonitas, &
Moa-

Moabitas, omnes nunc pariter sub Arabum denominatione perstringi. Erat igitur Iob habitator, & oriundus ex prouincia Ausitide, quæ in Idumææ & Arabiæ finibus sita est. A

Quod autem ad progeniem eius spectat, variȩ sunt opiniones. Putauere quidam Iob illum fuisse Iobab filium Zaræ & Bosræ vxoris eius, qui post Balach filium Beor in prouincia Edom regnauit, cuius Geneseos capite trigesimo sexto mentio habetur, eumdemque Esau pronepotem fuisse. Hanc autem sententiam inter ceteros secutus est diuus Ioannes Chrysostomus, qui asserit Iob quintum post Abraham fuisse; ipsiusque generis stirpem ab ipso Abrahamo deducit, asserens Abrahamum genuisse Isaac, Isaac Esau, Esau Raguelem, Raguelem Zaram, Zaram autem ipsum Iob: cui opinioni Origenes etiam ante ipsum adhæsisse videtur, dum Iob generis originem ab Esau trahere testatur. Verùm Hebræi nō ab Abrahamo, sed à fratre eius Nachor Iob descendisse contendunt. Quorum sententiam sanctus etiam Hieronymus secutus est. Vnde in principio suæ in librum Iob expositionis, quam nonnulli tamen venerabili Bedæ tribuunt, inquit: *Huz & Buz filij fuerunt Nachor fratris Abrahæ, filij Melchæ sororis Saræ, de cuius stirpe Iob descendit; non sicut quidam falsò suspicantur de genere eum fuisse Esau.* Id etiam ipsemet Hieronymus affirmat suis in Genesim Quȩstionibus, siue Hebraicis traditionibus. B

De patientia Iob, Homilia 2.

Qui verò mores, virtutes, & sanctitas ipsius Iob fuerit, ibidem in eiusdem libri sui initio breuiter innuitur, vbi dicitur: *Erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Quibus verbis, licet digito quodammodò breuiter indicetur, quidquid de iusto, sancto, ac bono viro dici possit; Origenes nihilominùs eadem verba exponens & amplificans, ait: *Homo vnus erat Iob ex omnibus hominibus, secundùm corpus, secundùm corruptionem: sed singularis erat præ omnibus hominibus, iuxta spiritus instantiam, & animæ sinceritatem, atque iustitiæ perfectionem. Homo quidam erat verè homo, vtpote homo factus, vt homo permanens; vtpote ad imaginem Dei creatus; & ad similitudinem iumentorum, ac bestiarum, atque reptilium non est immutatus, sicuti dicitur de aliquibus: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Homo quidam erat patientiæ exemplum, constantiæ testimonium, tolerantiæ indicium. Homo quidam erat, quem innumeri beatum dixerunt, quem præsentes timuerunt, quem absentes reueriti sunt, quem Angeli admirati sunt, quem ipse Dominus dilexit. Homo quidam erat, quem nequissimus æmulatus est, cui aduersarius inuidebat, quem inimicus hominum diabolus apud Dominum reprehendebat. Homo quidam erat, qui versuti illius draconis caput conculcauit, qui sceleratum diabolum in fugam conuertit, qui in corpore incorporeum supplantauit. Homo, qui erat homo verè, tamquam constantissimus belligerator, tamquam singularis monomachus, tamquam constanter stans aduersus omnes diaboli exercitus, tamquam qui singulariter de omnibus dæmonum virtutibus victoriam sumpserit solus.* C D

Origen. in Iob lib. 1.

Quòd si dixerit aliquis, inquit Origenes, Quomodo Iob iustus, sanctus ac pius esse potuit, dum inter populos ab Esau descendentes viueret, qui idololatrȩ, impij, iniusti, infideles, obscœni, insatiabiles, rapaces, scelerati & improbi erant? his ego, ait, respondebo, talem Iob inter hos fuisse, qualis mox in principio fuit Abel innocens cum Cain iniusto: qualis Noë iustus inter gigantes illos sceleratos: sicut Melchisedech sacerdos Dei altissimi, in medio maledictorum Chananȩorum: sicut Abraham, qui credidit in medio Chaldæorum idola colentium. Sicut ergo isti omnes, cùm essent pij ac sancti, atque religiosi amici Dei, ex impiorum sunt generationibus procreati; ita admirabilis Iob, cùm ex obscœni, inquit, atque insatiabilis Esau genere & cognatione prodierit, sanctus & iustus

A ſponte effectus eſt. Erat igitur tamquam roſa inter ſpinas, tamquam lilium inter tribulos, candidus ac rubeus; candidus fide ac ſanctitate; rubeus velut roſa planè, quia ſuſtinuit dolores ac paſſiones. Erat tamquam columba inter raptrices aquilas, tamquam agnus in medio luporum diripientium, tamquam ſtella in medio nubium teterrimarum. Iuſtus erat inter iniuſtos, ſanctus inter profanos, mundus inter obſcœnos, pius inter impios, bonus inter malos: tamquam ſmaragdus in luto, tamquam margarita in arena. Cùm eſſet inter infideles, non habuit infidelitatem: cùm eſſet inter iniuſtos, non eſt commiſtus iniuſtitiis; ſed permanſit in medio impiorum, tamquam adamas immobilis, tamquam lucerna inextinguibilis, tamquam lumen quod non immutatur, & tamquam radius qui non occidit.

Erat homo iſte ſine querela, iuſtus in iudiciis, iuſtus in cauſis, iuſtus in legibus, iuſtus in ordinationibus. Nam cùm eſſet Dux ac Princeps prouinciæ B ſuæ, & leges ſanxit, & iudicia iudicauit; omnia iuſtè diſpoſuit & iudicauit, atque miſericorditer definiuit: non reueritus perſonam, non accipiens munera, non ambulans poſt retributionem: non deſpiciens oppreſſum, non ſpernens viduam, non opprimens pupillum, non obliuiſcens orphanum, neque conculcans pauperes, non exaſperans afflictos, non contemnens abiectos, neque tyrannicè populos diuexans. Cùm ergo eſſet verus ſeruus Dei, qui ſumma eſt veritas, verax erat in omnibus, verax in ore, verax in corde, verax in cogitationibus, verax in reſponſionibus: verax in verbis, & verax in factis: verax cum hominibus, & verax cum Angelis; &, quod eſt omnium maximum, verax in conſpectu omnia videntis & inquirentis Dei. Verùm in tantarum virtutum ſuarum corona, veluti ſtellæ clariſſimæ fulgebant fides, religio, pietas, Deique amor & timor; ſine quibus omnis ſanctitas, omnis iuſtitia, & omne opus bonum eius inane atque infructuoſum extitiſſet. Nam vt pro encomij huius periocha idem C ſubdit Origenes: *Omnem ſanctitatem, & omnem iuſtitiam quam fecerit, qui foris à vera Dei cultura atque vera fide eſt, gratis facit, in perditione facit; non prodeſt ei, non adiuuat eum in die iræ, & non liberabit eum in die interitus.* Iure igitur liber Iob, in quo fides, religio, iuſtitia, miſericordia, patientia, fortitudo, & tanti viri conſtantia memoratur, ſummo in pretio & veneratione ſemper eſt habitus; non apud Chriſtianos tantùm, ſed etiam apud priſcos Hebræos.

Iob Dux & Princeps prouinciæ ſuæ iuſtiſſimus & piiſſimus.

In Iob li. 1.

Neſcitur an liber prædictus ab ipſomet Iob, vel ab amicis eius potiùs conſcriptus fuerit; quod veriſimilius & credibilius eſſe videtur. ſic enim ibi ipſemet loquitur: *Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro, ſtylo ferreo?* ſiue vt Origenes legit: *Quis dabit, vt ſcribantur ſermones, & ponantur in libro in perpetuum?* Fuit idem liber primitus à Moyſe ex Syriaco in Hebraicum ſermonem conuerſus, vt teſtatur Origenes; vel ex Arabico, vt Iudæi aſſerunt: demum verò à ſancto Hieronymo cum magno ſanè Eccleſiæ D Dei profectu atque emolumento, ex Hebræo primùm, deinde verò ex Græco, iuxta Septuaginta interpretum verſionem, Latinus effectus eſt.

Narrat Origenes legiſſe ſe in antiquorum libris, quòd cùm Moyſes à Deo in Ægyptum miſſus fuiſſet, videns non poſſe conſolari filios Iſrael de intolerabilibus afflictionibus & laboribus, quibus ab Ægyptiis diuexabantur, vt in tantis ærumnis poſitos aliquo pacto confirmaret, acerbiſſimos dolores Iob, & horribiles calamitates eius pro eorum ſolatio ipſis narrare cœperit, librumque tunc abs ſe in Hebraicum ſermonem tranſlatum dederit: vt per cognationes & tribus hæc legentes, vehementeſque ac terribiles beati illius viri dolores & conſtantiſſimam tolerantiam audientes, ſeſe inuicem conſolarentur, & cum patientia atque gratiarum actione, mala & afflictiones illas, quibus premebantur,

Liber Iob tranſlatus in Hebraũ à Moyſe conſolationi ſuorum.

tur, æquo animo perferrent; & vt amplam retributionem, quam Deus Iob post A
tolerantiam & constantiam eius elargitus est, intelligentes, liberationem ipsi quoque sperarent, laborumque & ærumnarum suarum mercedem à Deo optimo maximo expectarent. Additque idem Origenes, huius rei, quam legerat atque audiuerat, apertum indicium & certissimum testimonium esse, quòd etiam adhuc vsque ad tempus suum liber Iob eiusque tolerantia, his qui in dolore & luctu positi erant, legi consueuerat, quo ab angustijs ac doloribus leuarentur, atque ad tribulationes æquo & ingenti animo perferendas hortarentur; addens eumdem quoque librum Iob à Christianis in eorum Ecclesijs certis diebus sanctis legi solitum.

Hæc omnia, ac longè plura de beato & sancto Iob Origenes; quæ breuiter ac summatim hoc loco retulisse placuit, vt non sit cur quis admiretur, quòd talis ac tantus vir, Spiritus sancti lumine illustratus, de Domini ac Redemptoris nostri Iesu Christi Cruce ac passione ea præuidere atque prædicere potuerit, B
quæ inferiùs dicturi sumus. Pro quorum apertiore intelligentia sciendum est, nomen Iob, dolentem & magnum significare; ipsumque in multis Christi Domini nostri figuram obtinuisse, vt Origenes, sanctique Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, ac ceteri pænè omnes Patres testantur. Quamobrem Hieronymus, siue Beda, vt Doctores communiter autumant, inquit: *Iob, qui dolens vel magnus interpretatur, figuram Christi portauit*. Primo igitur loco, Crucem sanctam beatus ipse Iob prophetauit, cùm in Christi Domini persona locutus, ait: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret*. Quibus verbis sacri Doctores eum sanctam Crucem Domini innuisse volunt: quæ illa statera fuit, qua Pater æternus, totius humani generis peccatis appensis, hisque cum Christi Domini truculentissimis doloribus & horribili morte perpensis ac ponderatis, reperit hanc, respectu accerbitatis atque ipsius personæ meritorum, infinitè grauiorem fuisse omnibus peccatis atque sceleribus, quæ omnes homines simul à mundi origine ad illum vsque diem patrauerant, & ad ipsius mundi finem committere possint. Quamobrem pro tantæ rei demonstratione, Spiritus sanctus totius arenæ maris per os Iob comparationem assumpsit; quæ vt numeri est infiniti, ita & infiniti ponderis censeri potest. C

Principio proœmij in Iob.

Iob 6.

Prima prophetia Iob de mysterio Crucis, sub typo stateræ.

Et propterea Rupertus Abbas inter ceteros omnes Ecclesiasticos Patres appositè admodum ac doctè prophetiam hanc sic exposuit: *Quomodo calamitas humani generis peccatis eius grauior appareret, nisi vt plures fierent damnati, quàm rei? plures puniti, quàm auctores, siue heredes peccati? Hoc ergo mira & laudabili arte Spiritus sapientiæ agebat, in eo quòd Christus ad mortem tradebatur, qui peccatum non fecerat. Ibi erat Crux, statera Patris, habens dispositia hinc in lance iudicij, peccata mundi; inde in lance misericordiæ, calamitatem generis humani. Vicit pondere calamitas in lance misericordiæ; lancemque sustollens iudicij, peccata decussit in profundum maris. Cur hoc?* D
Videlicet quia plures erant damnati, quàm rei; plures inquam puniti, quàm merebantur puniri. Vnus abundabat in numero damnatorũ, vnus superabat Christus, damnatus, non reus; punitus, & causam non habens cur puniretur. Huius dolentis passio, totius generis humani doloribus iustis, iniustè superaddita præponderauit quasi massa arenaria; grauiorq; fuit calamitas mundi, quàm eiusdem peccata: ac proinde misericorditer quidem nostra, id est, damnatorum suscepta est causa, sed iustè mutata, qua fueramus damnati, sententia.

De operibus Spiritus sancti lib. 2. cap. 8. de Sapientia Tomo 1.

Secundò, sanctam Christi Crucem spiritu etiam prophetico beatus Iob innuit, cùm dixit: *Pertransierunt quasi naues poma portantes*. Quasi diceret, Electos & Christi fideles, Cruce sancta, velut ligno siue naui quadam, procellis ac tempestatibus agitatum huius sæculi mare pertransseuntes, nihil aliud secum

Iob 9.

A cum ad æternitatis mundum, quàm poma & fructus bonorum operum suorum deferre. Quocircà sanctus Gregorius: *Tendentes*, inquit, *ad terminum, aura vitæ præsentis impellimur, mutabilitatis nostræ fluctu fatigamur. Sed quia per Crucis mysterium ad ingentia naturæ bona restringimur, quasi per lignum poma portamus.* Et in Glossa ordinaria super eisdem verbis Iob hæc habentur: *Fructus terræ per fluctus. Terra hominis paradisus est, in qua innocens permansisset; sed per culpam ad vndas mutabilitatis venit. Poma terræ, sermo mandati; possibilitas operis, intelligentia Dei: quæ quia in terra quietis noluit homo edere, per mare portat, & in tot tentationibus seruare conatur, non sine ligno, id est, sine Cruce, qua reformamur.* Eisdem etiam verbis beatus Iob admirabilem velocitatem, qua huius mortalis vitæ nostræ breuissimi ac fugacissimi dies pertranseunt, quin & potiùs euolant, innuere voluit: eosque propterea nauibus æquiparauit quæ pomis onustæ vndas sulcant; quarum nautæ remigatione approperant, non eo tantùm desiderio impulsi, B vt ad optatum maturiùs enauigent portum, sed quia timent ne longiore mora in mari detentis poma sua putrescant. Est autem hic etiam Nicolai Lyrani animi sensus; ait enim: *Quasi naues poma portantes, quarum nautæ festinant, non solùm propter desiderium portus, sed etiam ne poma propter moram in mari putrescant.*

Moralium lib. 9. c. 16.
Secunda prophetia sub specie nauis portatis poma.
Glossa ordinaria in Iob cap. 9.

Tertiò, ad sanctam quoque Christi Domini Crucem, Spiritus sanctus per os eiusdem Iob alludere voluit, cùm dixit: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum; parata ad tempus statutum.* Christus enim Dominus noster lampas illa fuit, à Principibus, Pontificibus, Scribis & Pharisæis, atque ab ipso Herode contempta ac spreta, quæ cælestis & sanctæ doctrinæ suæ splendore vniuersum terrarum orbem illustrauit, sanctæ fidei lumen, & veram Dei agnitionem hominibus afferens: ac demum in sanctæ Crucis ligno, nimiæ suæ charitatis igne conflagrans, mentium nostrarum tenebras illustrauit; quæque ad extremum atque statutum retributionis & iudicij tempus, parata erit reddere vnicuique C iuxta opera sua. Vnde Gregorius: *Libet inter hæc ad Redemptoris vias, mentis oculos attollere, sensimque à membris ad caput peruenire. Ipse enim nobis lampas veraciter extitit, qui pro redemptione nostra in Cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignum fudit. Hac nos lampade Ioannes illuminari conspexit, cùm dicebat: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Quam tamen apud cogitationes diuitum contemptam vidit, cùm paulò pòst subdit: In propria venit, & sui eum non receperunt. Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cùm eius miracula videre concupiuit; sicut scriptum est: Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eò quòd audisset multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Sed lampas hæc ante eius oculos nullo radio lucis emicuit; quia ei qui se non piè sed curiosè quæsierat, nil de se mirabile ostendit: inquisitus quippe Redemptor tacuit, expectatus miracula exhibere contempsit; seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit; magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm à non creden-* D *tibus vacua voce laudari. Vnde & protinus lampas ista contempta est, sicut illic subditur: Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba. Sed contempta lampas, quæ in terris irrisiones tolerat, de cælo lucidiùs per iudicium coruscat. Vnde hîc aptè subiungitur: Parata ad tempus statutum. De quo videlicet tempore per Psalmistam dicitur: Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Iob 12.
Tertiò per lampadem Christus crucifixus ab eodē Iob adumbratus.
Moralium lib. 10. c 17.
Ioan. 1.
Lucæ 23.
Psalm. 74.

Quartò, prophetauit Iob Christi Domini Crucem & passionem, cùm in eiusdem Domini persona ait: *Hæc passus sum absque iniquitate, cùm haberem mundas ad Deum preces.* Quibus sanè verbis nobis ostendere videtur Christum Dominum, manibus ligno Crucis affixis, æternum Patrem pro crucifixoribus orantem. Ipse enim solus est, qui verè dicere potuit, se sine vlla vnquam patrati facinoris & peccati culpa passum esse. Quamobrem idem ipse solus meritò

Iob 16.
Quarta prophetia Iob de mysterio Crucis

gloriari poterat, se mundas ad Deum preces effundere. Vnde super his hæc A idem sanctus Gregorius: *Absque iniquitate enim*, inquit, *manus suæ pertulit, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: & tamen dolorem Crucis pro nostra redemptione tolerauit. Qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit, quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus orauit, dicens: Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.*

Quinta prophetia. Iob 16. Quintò, passionem & Crucem Domini ac Redemptoris nostri idem sanctus Iob prophetauit, cùm Spiritus sanctus, qui in illo loquebatur, quasi in eiusdem Domini nostri persona, hæc sibi vt loqueretur, inspirauit: *Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum, circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos.* Quasi eodem Spiritu sancto prædocente, Christum Dominum prospexerit, fune ad collum alligata ad mortem trahi, ligno Crucis affigi, eleuari, latusque eius lancea perfodi. Super quibus Iob verbis Beda venerabilis quasi in Christi Domini persona sic inquit: *Ego quidem habeo potestatem* B *ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam. Et ego dormiui, & soporatus sum. Diuinæ tamen dispensationis meæ permissu, tempore passionis, aduersarius meus tenuit me, & vsque ad mortis dormitionem inclinauit me, & humiliauit me, quem iam verberibus & afflictione clauorum confregerat. Sicque hoc opere suo posuit me sibi in signum, quo se deuictum esse cognosceret. Et cùm sit passio Crucis meæ signum salutare credentibus, ad semetipsos damnandos ipsi aduersarij mei, vt inimici salutis suæ, illud contra se in titulum erexere victoriæ. Circumdedit me lanceis suis. In passione eius blasphemiarum lanceis circumdatus est, dum dicunt inimici Crucis Christi: Reus est mortis; itemque: Crucifige, crucifige. Et de quibus in Psalmo dictum est: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, lingua eorum gladius acutus.*

In Iob lib. 1. cap. 16.

Psalm. 56.

Sexta prophetia. Iob 16. Sextò, Crucem quoque, passionem, & vulnera quæ Christus Dominus in eiusdem sanctæ Crucis ligno accepturus erat, Iob prophetice prædixit, dum quasi idem ipsemet Dominus loqueretur, inquit: *Conscidit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gigas.* C Quibus sanè verbis Christum Dominum ostendere videtur, pelle & carnibus suis totis, truculentissimis verberibus, quibus ad columnam cæsus est, dilaceratum: deinde verò in Cruce suspensum, manibusque ac pedibus clauis perfossis, furibundo impetu à milite impetitum, ac lancea transuerberatum. Quare in hanc sententiam idem venerabilis Beda subdit: *Nam ita factum manifestè in Euangelio legimus, vbi super vulnera Crucis, transfixione lanceæ, hostis eius lateris vulnus operatus est. Sic namque vt gigas, fortis videlicet & potens nimiùm, ad extinguendum illum, Crucis morte irruit super eum.* Sanctus quoque Isidorus de Domini nostri Iesu Christi passione differens, admirabilem hanc beati Iob prophetiam, qua clauorum & lanceæ vulnera, quibus idem Dominus in Cruce perfodiendus erat, diuinitus præuiderat, in hunc modum refert: *Sic prænuntiatum est ab ipso per Iob: Conscidit me vulnere super vulnus; id est vulnere lanceæ super vulnus clauorum. Vnde etiam David: Super dolorem vulnerum* D *meorum addiderunt.*

In Iob lib. 1. cap. 16.

De passione Domini cap. 47.

Septima prophetia. Septimò, Crucem & passionem Christi idem Iob his verbis etiam prophetauit: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valdè.* Quasi Christus Dominus, æternum Patrem suum allocutus, diceret: Tu Pater, pro humani generis redemptione me acerbissimis verberibus cæsum, ac letalibus vulneribus confossum, in Crucem agi, atque in altum eleuari voluisti, nec non & corpus meum elidi, ac morte affici; vt moriens ego, morte mea mortem ipsam eliderem. Quocircà super verbis eisdem Beda: *Et in Psalmo similiter ait ad Patrem: Quia eleuans allisisti me, vt moriendo eliderem mortem.*

In Iob lib. 2. cap. 14. Psalm. 101.

Octauò, Crucem quoque sanctam Iob innuere voluit, vt idem Beda venerabilis

A rabilis autumat, cùm dixit: *Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te?* Quæ verba mysteriis refertissima idem Beda exponens ait: *Lorum hoc loco dictum, ipsam charitatem Christi, quæ est inter omnes virtutes præcipua, intelligere debemus: de qua, ad diligentes atque amantes Deum, ait Apostolus, Copulati in charitate. Cuius vinculis colligandos eos, Propheta olim prædixerat, dicens ad Deum: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ & Sabaim: viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis pergent. Et Dauid, quemadmodum charitatis Dei vinculis per ministros verbi eius vinciendi essent credentes, ita loquitur, dicens: Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Quorum vinculorum nominibus, charitatis Christi fortitudinem voluit demonstrare, qua etiam fortes & potentes in malo, ad amorem Domini constringantur. Hic ergo rhinoceros, id est populus quondam incircumcisus præputio, scilicet carnalium voluptatum, & infidelitate immundus, hoc loro charitatis Dei fortissimo alligatur; ita vt nulla eum creatura separare possit à Christo.* B *Conficit in corpore suo glebas conuallium, duritiam peccatorum; & colit terram Dominicam secundùm Apostolum, qui ait: Non estis vestri. Et ideò specialiter Domini est terra, in qua primitus fit omnium peccatorum quasi veprium spinarumque purgatio. Deinde aratro Crucis, quod est ligno & ferro Dominicæ passionis duritia cordis atteritur, & confringuntur vallium glebæ. Vallium nomine, humiliatos peccatis homines, atque in ima depressos significari existimo; sicut habemus in Psalmo: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.*

Iob c. 39. *Octaua prophetia Iob de mysterio Crucis.* Beda in Iob lib. 3. c. 8. Psal. 83.

Nono demum loco, in eiusdem beati ac sancti Iob libro, Crux Christi Domini innuitur ac prædicitur per ipsiusmet Dei os, cùm eumdem sanctum Iob alloquens ait: *In oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius. An extrahere poteris leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillas eius?* Pro quorum verborum intelligentia sciendum est, leuiathan appellari animal quoddam, siue C draconem marinum immanis vastitatis, ipsumque hoc loco pro diabolo accipi, vt sanctus Gregorius aliique multi Patres asseuerant. Quamobrem vt innueret Deus, Vnigenitum suum incarnatum Verbum, Christum Dominum humanitatis suæ morte in ligno Crucis, incautum illum quandoq; capturum & alligaturum esse, allegoricè ac metaphoricè hamo capiendum & alligandum, sudibusque nares illius perforandas esse dixit. Quibus verbis Crux sancta proculdubiò designatur. Hamus enim quo piscatores piscibus insidiantur, manubrium siue ligneam sudem habet, necnon & filum, & vncum ferreum esca opertum. Per lignum ergo Crucem sanctam Deus innuere voluit; per vncum esca obtectum, vim diuinitatis Christi humana carne velatam; & per filum, sanctam eius prædicationem. Quibus instrumentis, virulentus ac truculentissimus serpens ille leuiathan, nil tale cogitans, improuidè captus & alligatus est. D sic namque locum hunc intellexit atque exposuit magnus ille sanctus Antonius, vt in eius Vita refert Athanasius, his verbis: *Hamo Crucis, vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum; & quasi mancipium fugitiuum, vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur.*

Nona prophetia. Iob c. 40. In vita S. Antonij.

Quòd autem verbis prædictis Crux sancta innuatur atque signetur, etiam Beda testatur, cùm inquit: *Verba hæc Patris de Filio sunt: Pater inquit de Filio, quòd diabolus esset ab eo capiendus. In oculis ait, id est in ipso intelligentiæ lumine, vbi est visus sapientiæ naturæ rationalis: ibi inquam diuinâ Sapientiâ captus est, dum per calliditatem suam atq; versutiam non videt cuius carnem morte apprehenderit deuorandam: & sudibus nares eius perforantur, id est furentem sæuitiam, atque in Sanctorum*

In Iob li. 3. cap. 9.

interitu mirè æstibus anhelantem, Christus Dominus conterit & perturbat. Sanctos vero propter lignum Crucis non absurdè hîc sudes intelligendos puto. sic vtique humiliat & confringit Dominus inimicum, dum eum per eosdem Sanctos ligno Crucis suæ retundit. Hæc Beda. Sicque vtinam, per sanctæ Crucis virtutem immanis superbiæ eius feritas, & calliditatis acumen semper obtundatur, vt ex Christi fidelibus nemini vmquam nocere possit. Amen. A

CAPVT V.

De sanctæ Crucis Prophetiis, quæ libro Psalmorum continentur.

2.Tim.3. S. August. In Prologo libri Psal-morum.

OMNIS Scriptura diuinitus inspirata (inquit Apostolus, idque sanctus Augustinus repetit) vtilis est ad docendum. Atque hac ipsa de causa sacra Scriptura Spiritus sancti afflatu conscripta est, vt ab ipsa, velut ex communi quodam sanitatis fonte, vnusquisque nostrûm suis propriis infirmitatibus atque passionibus congruentia haurire possit remedia. Alia namque sunt quæ Prophetæ tradunt, alia quæ docet historia. Legis quoque alia, & Prouerbiorum etiam alia est commonitio. Nec non & alia documenta sunt, quæ ex ceteris sacris Libris nobis præbentur. At Psalmorum liber, subdit idem diuus Augustinus, quæcumque vtilia sunt ex omnibus continet: futura enim prædicit, veterum gesta commemorat, legem viuentibus tribuit, rerum gerendarum modum statuit: docetque, quonam pacto homines in mundi huius rerum vicissitudine & commutatione sese gerere debeant; & qua tandem ratione iter suum dirigant, vt ad quietem, ad pacem, ad veram vitam, quæ Deus est, ad summam nempe felicitatem & bonum valeant peruenire. Et vt breuiter dicamus, communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est, aptè singulis necessaria subministrans. Hinc enim omnis fidei confirmatio, omnis spei viuificatio, omnis charitatis perfectio, omnis norma iustitiæ, omnis prudentiæ acquisitio, omnis temperantiæ ornamentum, omnis fortitudinis firmamentum, omnis patientiæ regula, omnis libidinis extinctio, omnis pudicitiæ decor, omne incitamentum ad bonum, omnis cohibitio à malo, omnis virtutis amor, & omne vitij odium exhauritur. Hîc vera Dei adest scientia; Christique aduentus, passionis, Crucis, mortis, & resurrectionis prænuntiatio. Hinc communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum reuelatio, & vt summatim dicam, quidquid boni dici potest, ex Psalmorum lectione ac studio comparatur. Consentaneum igitur est, vt cùm de sanctæ Crucis Prophetiis, quæ superioribus libris iuxta sacrorum Bibliorum ordinem continentur, hactenus tractauerimus, agamus nunc de his, quæ sacro Psalmorum libro siue Psalterio diuinitus includuntur. Etenim ille tamquam locupletissimum monile quoddam, gemmis hisce pretiosissimis præ omnibus ceteris sacræ Scripturæ libris est refertissimus. Vnde Theodoretus: *Psalterium passim Domini Christi cruciatum, reditumque in vitam vaticinatur.*

Hæc eadem ferè diuus Basilius in primi Psalm. Homilia.

Liber Psalmorum thesaurus sapientiæ consummatissimus.

B C D

Argum. in Psalm.

Prima prophetia seu adumbratio Crucis ex Psalmo primo.

Primo igitur Psalmo, prima omnium sanctæ Crucis prophetiarum continetur quæ in Psalterio habentur; versiculi nimirum illius verbis: *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quasi Psalmista hoc loco diceret, sanctam Crucem lignum illud esse, quod iam præfiguratum est in arbore vitæ in paradiso terrestri plantata secus amœnum ac iucundum murmur aquarum, immensum gratiarum & misericordiarum mare præsignantium, quas Deus optimus maximus in genus humanum conferre decreuerat per hoc

sanctum

A lignum, quod vitam æternam his omnibus elargitur, qui viua fide illud amplectentes, illius fructus deguſtare voluerint. Ad quod alludens, ita ſanctus Hilarius: *Illic enim plantatum hoc lignum eſt, quo latronem illum, ſe Dominum confitentem, Dominus (qui Sapientia eſt) introduxit, dicens: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Huius quoque beati ligni non dedignatus eſt in ſe docere virtutem, cùm pergens ad Crucem ait: Quia ſi in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* In Pſal. 1. enarrat.

Secundò, Crux ſancta prophetata atq; apertè demonſtrata eſt in quarti Pſalmi verſiculo illo: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* His enim verbis Pſalmiſta alludere voluit ad ſanctæ Crucis ſignum, quod prophetici ſpiritus lumine illuſtratus, in Confirmationis ſacramento cuiuſlibet Chriſti fidelis fronti imprimendum præuidit: quod ſacroſanctum & venerabile ſignum tantam lætitiam & fortitudinem cordibus noſtris confert, vt ſanctam Chriſti B fidem etiam in maioribus mortis periculis audacter confiteamur. Atque hoc idem ſignum fidelium cordibus in vniuerſalis iudicij die lætitiam atq; fiduciam ingeret, & illos ab æternæ damnationis timore tutos reddet. In cuius rei figuram & præſignificationem, iam Deus apud Ezechielem præceperat ſigno Tau frontes eorum obſignari, qui flentes ac gementes erant ſuper iniquitatibus, quæ tunc temporis patrabantur, vt ſuperiùs iam non ſemel diximus. Vnde Hieronymus: *In cuius facie lumen Domini ſignatum eſt, iſte reuelata facie gloriam Domini contemplatur: tale ſignum in gementium frontibus in libro Ezechielis Prophetæ notari Dominus præcipit.* Alibique idem diuus Hieronymus: *Ozias Rex*, inquit, *fuit vir iuſtus, & fecit rectum in conſpectu Domini, ædificans templum, aquæductum fabricans, offerens vaſa, & pro hoc meritò aduerſarios ſuperans; quodque maximum pietatis indicium eſt, habens multos in ſuo imperio Prophetas. Hic, quamdiu vixit Zacharias ſacerdos cognomento Intelligens, placuit Deo, & cum omni veneratione delubrum ingreſ-* C *ſus eſt. Poſtquam verò Zacharias obijt, volens per ſe offerre donaria, ſacerdotalem ordinem non tam piè quàm audacter inuaſit: & reclamantibus Leuitis & Sacerdotibus ceteris; Nónne tu es Ozias Rex, & non ſacerdos? audire noluit; ſtatimque lepra perfuſus in fronte eſt, iuxta Prophetæ vocem dicentis: Imple Domine facies eorum ignominia. quam corporis partem ſacerdos auri lamina protegebat; quam in Ezechiele Dominus iubet Tau litteræ impreſſione ſignari: de qua Dauid exultauit, dicens: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.*

Secunda prophetia de Cruce, ex Pſal. 4.

In Pſal. 4.

Ad Damaſum Epiſt. 143. Tom. 3.

Idem etiam ſanctus Cyprianus martyr & Pontifex innuere voluit, cùm inquit: *Sic Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, contra Legem Dei ſacrificium ſibi violenter aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtemperare nollet & credere, diuina indignatione confuſus, & lepræ varietate in fronte maculatus eſt; ea parte corporis notatus offenſo Domino, vbi ſignantur qui Dominum promerentur.* Quòd autem eiſdem Pſalmi verbis innuatur ſanctæ Crucis ſignum, quo Chriſti fideles in D fronte ſignantur, apertè etiam ſanctus Ambroſius affirmat: *Quod eſt ergo lumen ſignatum, niſi illius ſignaculi ſpiritalis, in quo credentes ſignati ſunt?* Sed longè apertiùs id etiam Caſſiodorus aſſeuerat his verbis: *Crux nobis impreſſa eſt, in ſignum Regis noſtri, quæ eſt lumen vultus: quia in talibus radiat Deus.*

De vnitate Eccleſiæ Catholicæ.

De Spiritu ſancto, lib. 4. c. 17.

In Gloſſa ordinaria.

Tertiò, Crux ſancta verbis illis ſeptimi Pſalmi prophetata ac præſignata eſt, vbi dicitur: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* Quaſi ſanctus Rex & Propheta Dauid Spiritus ſancti lumine illuſtratus, horribile facinus, & impiiſſimum ſcelus Iudæorum præuidens, quo verum Regem ſuum atque Meſſiam in Crucis ligno exaltaturi ac perempturi erant, eos inimicos ſuos appellauit; iuſtiſſimam Dei iram innuens, quæ in eos ruitura erat, cùm à Tito Veſpaſiani filio, in tanti ſceleris tamque immanis crudelitatis vltio-

Tertia prophetia ex Pſal. 7.

 nem,

In Psalm.7. Homil. 2. nem, deiecti atque euersi sunt. Vnde apposite Basilius: *Mysterium resurrectionis iam agi optat Propheta, in ignominiam ipsorum, aut in Cruce exaltationem, quæ futura erat, postquam ad vltimum terminum malitia inimicorum exaltata esset.* A

Quarta Prophetia ex Psal. 16. Quartò, sanctus Rex Dauid brachiorum Christi Domini in Cruce extensionem prophetico spiritu innuit, cùm in sanctæ Ecclesiæ & cuiuslibet fidelis persona, sub gallinæ metaphora, quæ alas suas extendens, dilectosque pullos sub eis, ne à rapacibus volucribus rapiantur, protegit, Christi brachia in Cruce extensa alas appellauit; sic enim in Psalmo decimo sexto: *Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Ad quod apposite Ambrosius: In Psal. 118. enarrat. octonar. 3. Tomo 2. *Dauid*, inquit, *in vmbra alarum Domini Jesu sperare se dicit. Zacchæus in arborem sycomori ascendit, vt Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas Jesus, vt totum mundum adumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui Crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in vmbra, quos crucifixus à malignitate sæculi & corporis ardore defendit?* B

Quinta prophetia ex Psal. 19. Quintò, Crux sancta Christi verbis illis Psalmi decimi noni prophetata fuit: *Memor sit Dominus sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.* Quæ verba Regius Propheta æterno Patri dixerit, statim cùm prophetici spiritus lumine illustratus passionem & mortem præuidit, quam vnigenitus Filius eius in Crucis ligno pro peccatis nostris subiturus erat, suppliciter obsecrans eum, vt sacrosancti atque admirabilis sacrificij illius memor, ipsius gratia nobis misereri dignaretur; & vt holocaustum illud, in reatus nostri conciliationem, gratè susciperet. In Psal. 19. Vnde ad hoc Hieronymus: *Memor sit Dominus*, inquit, *sacrificij tui; hoc est, vt redimat per passionem suam. Quia Christus ipse est Rex, & Sacerdos, & Hostia; qui semetipsum obtulit in passione, qua pro nobis sanguinem suum fudit. Holocaustum tuum pingue fiat; id est, acceptabile sit Deo. Holocaustum est totum combustum, quia Christus cum corpore & anima ascendit in Crucem.* Et Ruffinus Aquileiensis In Psal. 19. in Psalmum hunc scribens, super verbis eisdem inquit: *Memores nos faciat omnium iniuriarum & contumeliarum, quas pro nobis pertulisti: & Crucem, in qua totus oblatus es Deo, in lætitiam resurrectionis conuertat. Holocaustum quidem eius pingue apparuit, quando in Cruce pendens, & se ipsum pro nobis Deo offerens, pinguedine charitatis plenus, pro suis persecutoribus exorauit, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. O dulcis Domine, quàm pingue cor tuum fuit, quàm suauiter arsit, quàm mirabiliter pro nobis intus redolet?* C

Sexta prophetia ex Psal. 21. Sextò, Christi Domini nostri passio & mors in Crucis patibulo prophetata fuit in vigesimi primi Psalmi versiculo qui incipit: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* Quo loco animaduertendum est, verba illa, *Respice in me*, quæ Vulgata nostra habet editio, in Hebraico textu non adesse; neque in diui Hieronymi versione; sed à Septuaginta interpretibus superaddita fuisse: sicque iuxta Hebraici textus veritatem ibi tantummodò dici: *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* sunt illa ipsa verba, quæ Christus Dominus, dum penderet in Cruce, æterno Patri orationem dirigens, dixit: *Eli, Eli, lamma sabacthani.* Ex quo clarè patet, non primo huius Psalmi versiculo tantùm Saluatoris nostri mortem in Crucem innui ac præsignari, sed totum eumdem Psalmum vigesimum primum, eiusdem passionis & Crucis prophetiarum ac mysteriorum esse refertissimum. In Psal. 21. Quamobrem apposite sanctus Hieronymus: *Hoc versiculo*, inquit, *Dominus in Cruce pendens vsus est. Ex quo animaduertimus, totum Psalmum à Domino in Cruce posito decantari.* Et Tertullianus testatur Psalmum hunc omnia Christi passionis continere mysteria. Aduersus Marcioné lib. 3. c. 19. vnde contra Marcionem scribens, ait: *Ceterùm, si adhuc quæris Dominicæ Crucis prædicationem, satis iam tibi potest facere vigesimus primus Psalmus, totam Christi continens passionem.* Diuus autem Augustinus de primo D

A mo huius Psalmi versiculo pariter differens, inquit: *Istum versum primum in Cruce audiuimus, vbi Dominus dixit: Eli, Eli; quod est, Deus, Deus meus: lamma sabacthani; quod est, quare me dereliquisti?* Et paulò pòst subdit: *Ipsum Verbum quod Deus erat, caro factum est, & habitauit in nobis. Et cùm Verbum Deus factum esset caro, pendebat in Cruce, & dicebat: Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* In Psal. 21. exposit. 2.

Theodoretus verò ex eiusdem Psalmi titulo, qui ita se habet, videlicet, *In finem pro susceptione matutina*; argumentatur & probat, Psalmum hunc Christi aduentum, Crucem, & resurrectionem, nec non & vocationem Gentium, ac vniuersi orbis salutem prædicere: eiusdemque Psalmi inscriptionem, siue titulum, hæc omnia apertè ostendere testatur. Nam de eo sic tradit: *Hic Psalmus Domini Christi Crucem, & resurrectionem, & Gentium vocationem, & totius orbis salutem prædicit. Inscriptio hoc demonstrat. Susceptio matutina, nostri Saluatoris est aduentus,* In Psal. 21.
B *qui instar auroræ, in tenebris sedentibus illuxit. Lux enim vera est Dominus: nascens autem lux diluculum efficit: qua exorta, soluuntur tenebræ. In ipsum igitur dictatus est hic Psalmus: nam potiùs sacris Apostolis credendum est, & ipsi Saluatori, qui principio huius Psalmi clarè vsus est, quàm his qui aliter interpretari conantur: patibulo enim suffixus, in hanc vocē prorupit, ipsa Hebraica voce vsus: Eli, Eli, lamma sabacthani.*

In primo autem prædicti Psalmi versiculo Domini nostri Crucem innui ac præsignari, non tantùm diuus Basilius affirmat, verùm etiam causam declarat cur Dominus ipse verba illa dixerit; inquit enim: *Ligno Crucis suffixus Dominus hac voce vsus est dialecto Hebræa. Hæc autem dicit pro tota natura humana, cuius est primitiæ.* Quod & sequentibus verbis etiam fecisse cōnstat, nimirum: *Longè à salute mea, verba delictorum meorum.* Quasi diceret: Ne respicias quæso fragilis humanæ naturæ delicta, sed salutem ei tribue, idque passionis meæ meritorum intuitu. Hæc Basilij verba habentur in Glossa ordinaria.

C Septimò, licet, vt iam prædiximus, totus hic Psalmus vigesimus primus de Domini nostri Iesu Christi Cruce, ac de passionis eius mysteriis loquatur, crucifixio tamen, ac venerandarum manuum ipsius in Cruce suffixio decimo octauo eiusdem Psalmi versiculo apertiùs præsignatur; vbi dicitur: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.* Quod, vt Tertullianus asserit, propria est Crucis atrocitas. Verùm quia peruicaces ac perfidi Iudæi contendunt, Psalmum hunc, non de Christo, sed de Dauid vel de alio quopiam loqui; ad hoc Lactantius Firmianus optimè respondit his verbis: *Quæ vtique Propheta non de se locutus est. Fuit enim Rex, & numquam perpessus illa: sed Spiritus Dei per eum loquebatur qui fuerat illa passurus, post annos mille & quinquaginta. Tot enim colliguntur anni, à regno Dauid vsque ad Crucem Christi.* *Septima prophetia, eaque apertissima, ex eodē Psal. 21* Diuin. Instit. De vera sapientia & Religione lib. 4. c. 18.

Quòd autem verbis prædictis de clauis, quibus Christi Domini manus & pedes Cruci suffixi fuerunt, apertissimè habeatur sermo, sanctus Iustinus martyr
D affirmat inquiens: *Illud verò, Foderunt manus, & pedes meos, narratio est de clauis, manibus pedibusque eius in Cruce infixis.* Et alibi de hoc ipso loquens, non tantùm probat, hoc loco de clauis, quibus Dominus ac Redemptor noster Cruci affixus est, sermonem institui; verùm etiam falsam opinionem, vel, vt veriùs dicam, peruicacissimam Hebræorum perfidiam reprobat, qui contendentes nullo pacto admittere volunt, de Christo Domino in hoc Psalmo mentionem haberi: in sua enim cum Tryphone Iudæo disceptatione, sic tradit: *Quando crucifixerunt, clauis infixis, manus pedesque eius foderunt. Et qui iam crucifixerant eum, diuiserunt vestes eius inter se, aleam ludentes; vt iuxta sortis iactum, quisque quod eligere volebat, sumeret. Psalmum istum non in Christum conceptum esse aitis, cæcutientes prorsus, neque intelligentes, neminem in gente vestra, qui vmquam Rex Christus, siue* In Apol. 2. pro Christianis, ad Antoninū Pium. In Dialogo cū Tryphone Iudæo.

Vnctus, sit dictus, manus & pedes, cùm viueret, perfossum, neque per mysterium hoc mortuum, hoc est in Cruce suspensum esse, extra hunc Jesum. A

Diuus quoque Augustinus, operum suorum non vno quidem, sed locis quamplurimis probat, Regium Prophetam hîc propriè intellexisse de clauis, quibus Dominus ac Redemptor noster Cruci suffixus est: præsertim verò vbi

De ciuitate Dei, lib. 17. cap. 17. ipsa Dauid verba referens ait: *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea: ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt in me. Quibus vtique verbis, in Cruce corpus significauit extensum, manibus pedibusque confixis, & clauorum transuerberatione confossis; eoque modo se spectaculum considerantibus præbuisse.*

In Psal. 21. exposit. 2. Et alibi ad hoc institutum ipsum subdit: *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea. Quando pendens extensus erat in ligno. Non potuit meliùs describi extensio corporis in ligno, quàm vt diceret: Dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt, & non conspexerunt me. Considerauerunt, & non intellexerunt; conspexerunt, & non viderunt; vsque ad carnem oculos, non vsque ad Verbum cor habuerunt.* B

In Psal. 21 Sanctus verò Hieronymus verba eadem, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*, pariter exponens, apertè ostendit atque declarat, clauis ea fuisse perfossa; sic enim tradit: *Foderunt manus meas, & pedes meos. Præteritum pro Futuro ponitur. Foderunt, clauis fixerunt: & fructum magnum inuenerunt; id est salutem Gentium. Et dinumerauerunt omnia ossa mea. In Cruce distenta conspexerunt membra sua.* Et Tertullianus eiusdem Psalmi verborumque prædictorum textum iuxta aliam litteram, sed ad eumdem sensum sic legit: *Exterminauerunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me; & in siti mea potauerunt me aceto.* Addens non hoc Dauid perpessum fuisse, ita vt de se ipso hæc dixisse quis suspicari possit; manusque ac pedes nulli perfodi consuetum esse, præterquam his qui ligno suspenduntur.

Aduersus Iudæos c. 13

De incarnatione Verbi Dei. quod & magnus Athanasius testatur, cùm inquit: *Nullo genere mortis perfodiuntur manus & pedes, præterquam in Cruce.* C

Et sanctus Isidorus verba ipsa Dauid, de quibus nobis nunc est sermo, referens, diuique Augustini dicta secutus, hæc ad posterorum memoriam commendauit: *Quibus verbis in Cruce corpus extentum, manibus pedibusque confixis, & clauorum transuerberatione confossis. Quod Dauid passus non est, qui sine vlla corporis passione, legitur in pace quieuisse. Sed hoc de Christi prædictum est passione, qui à populo Judæorum clauis in ligno confixus est. Manus enim & pedes non confodiuntur, nisi eius qui ligno suspenditur.* Ruffinus autem Aquileiensis eumdem quoque

De passione Dom. c. 36.

In Psal. 21. comment. Psalmum exponit hoc modo: *Foderunt, id est, clauis fixerunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea: extendendo me in Cruce, quasi dinumerabilia ea esse ostenderunt.* Verùm Theodoretus, prophetiam hanc de Christi manibus & pedibus clauis perfossis, Crucisque ligno affixis, adeò euidenter & clarè loqui, asseueranter affirmat, vt hoc ipsis etiam peruicacissimis & nimiùm pertina- D

In Psal. 21. cibus manifestum esse possit; sic enim tradit: *Et hoc manifestum est, & clarum etiam valdè pertinacibus. Audiuimus enim in sacris Euangeliis ipsum Dominum suis sanctis Discipulis dicentem: Videte manus meas, & pedes meos, quoniam ego ipse sum. Atque etiam Thomæ clauorum signa ostendit, & plagam telo illatam. Hoc autem: Dinumerauerunt omnia ossa mea, hoc significat, quoniam sic me distenderunt crucifigentes, vt facile foret cuilibet ossa enumerare.* Venerabilis quoque Beda in Psalmum hunc

In Psal. 21. scribens, quasi in Christi persona verba contexens ait: *Vniuersus cœtus malignantium Iudæorum obsedit me in iudicio damnationis, ne euaderem. Et obsidentes, foderunt manus meas, & pedes meos, clauis in Cruce affixis. Et dinumerauerunt omnia ossa mea, id est, ita me in Cruce extenderunt, vt dinumerare possent omnia ossa mea.*

At

A At peruicaciſſimi Iudæi animaduertentes, perfidiam contra hunc Scripturæ
locum non habere perfugium, aſſerunt in Hebraico textu non legi *foderunt*,
ſed, *ſicut leo*. Verùm ſciendum eſt, hanc eſſe vnam ex correctionibus, ſeu ve-
riùs, corruptionibus illis, quas temerario auſu fecerunt Scribæ eorum, quos *So-
phrim* appellant. Quæ deprauationes ab eorum Rabbinis vocantur *Ticcun So-* *Quomodo*
phrim, id eſt emendationes ſeu correctiones Scribarum: quas, Iudæorum qui- *Iudæi in a-*
dam adeò impudentes ſunt, vt ab Eſdra factas fuiſſe affirmare audeant. Sed hoc *pertiſſima*
euidens atque impudens mendacium hinc facilè conuincitur. Nam ſi ab Eſdra *luce volen-*
factæ fuiſſent, vt ipſi falsò confingunt, non *Ticcun Sophrim*, ſed *Ticcum Ezra* ab *tes cæcu-*
eiſdem Rabbinis proculdubiò vocarentur. Quòd autem verum ſit, prædictos *tiant.*
Scribas verbum hoc *foderunt* deprauaſſe, apertè fatetur Rabbi Moyſes Harda-
ſan ſuis in Geneſim Commentariis; vbi inter cetera, hunc ipſum XXI. Pſalmi
verſum citat, quem ita legit: *Circumdederunt me canes, ſynagoga, vel concilium ma-*
B *lignantium obſederunt me*. Deinde verò Rabbinus ipſe ſubdit, dicens: *Remouerunt
inde* כָּרוּ *caru, quod Foderunt ſignificat, &* כַּאֲרִי *caari ſcripſerunt; quod idem eſt, quod
Sicut leo*. Et paulò pòſt idem Rabbinus addit; hinc Scribas eoſdem magnę ſyna-
gogæ Sophrim viros, id eſt, Numeratores appellatos eſſe; quia omnes litteras
quæ ſunt in Lege numerauerunt, illaſque conſiderauerunt ac declarauerunt.

De quorum Scribarum auſu temerario, in ſacrarum Scripturarum textu
pro animi eorum impetu adulterando, Petrus Galatinus fuſiùs agit; eorumque Lib.1.cap.8
malitiam prodens, loca complura in medium adducit, quæ ab ipſis deprauata
fuiſſe demonſtrat. Quod ſanè impij atque ſceleſti Scribæ illi contra Dei man-
datum facere non verebantur, qui per os Moyſis expreſsè vetuerat, ne à Lege &
ſacris Scripturis vel punctum quidem adimere vel addere auderent, dicens:
Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. At Ieremias Prophe- Deut.4.
ta prædictorum *Sophrim* Legis Scribarum iniquitatem & malitiam proſpiciens,
C qua ſacras Scripturas deprauare conſueuerant, acerbè id eis exprobrans, ſeueriſ-
ſimè minitatur, captiuitatemque ac miſeriam, in quam ruituri erant, intermina-
tur hoc modo: *Quomodo dicitis, Sapientes nos ſumus, & Lex Domini nobiſcum eſt?* Ierem. 8.
*verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax Scribarum. Confuſi ſunt ſapientes, perter-
riti & capti ſunt. Verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis*. Præ-
tereà, licet nihil aliud adeſſet, quod ad prædictorum Scribarum falſitatem, ac
loci huius deprauationem detegendam ac reprobandam faceret, litteræ tamen
ſolus ſenſus nobis ſufficeret, qui mutilus & diſſonans manifeſtè apparet: ſenſus
enim litteræ, ſiue textus eiuſdem, iuxta eorum corruptionem, ita diceret: *Conci-
lium malignantium obſedit me, quaſi leo, manus meas & pedes meos*. Vbi quilibet vir
iudicio pollens ac prudens expendere poterit, quid in hoc congruentię eſſe poſ-
ſit, vt leo manus & pedes cuiuſpiam obſederit.

Octauò, ſancta etiam Chriſti Domini Crux præſignata & prophetata fuit in *Octaua*
D eiuſdem Pſalmi vigeſimò ſecundo verſiculo, vbi dicitur: *Salua me ex ore leonis, prophetia*
& à cornibus vnicornium humilitatem meam. Quibus verbis Iuſtinus Martyr ſan- *de Cruce ex Pſal. 21.*
ctam Crucem innui putat; ſic enim inquit: *Denuntiantis eſt, quanam paſſione &* In Dialogo
pœna, Crucis ſcilicet moriturus eſſet. Nam quòd omnium cornuum vnicornium cornu cum Try-
ſolum Crucis forma ſit, anteà vobis explicaui. de quo nos etiam ſatis fusè ſuperiùs. phone Iu-
Verùm Tertullianus hanc ipſam prophetiam apertiùs aliquantulùm ſic expo- dæo.
ſuit: *Et rurſus*, inquit, *cùm auxilium Patris implorat: Saluum, inquit, fac me ex ore* Cont. Mar
leonis, vtique mortis: & de cornibus vnicornium humilitatem, de apicibus ſcilicet Cru- cionē lib. 3
cis, vt ſuprà oſtendimus. Quam Crucem nec ipſe Dauid paſſus eſt, nec vllus Rex Iudæo- cap. 19.
*rum; ne putes alterius alicuius prophetari paſſionem, quàm eius qui ſolus à populo tam
inſigniter crucifixus eſt*.

Nonò,

Nonò, Crux sancta Domini verbis quoque illis Psalmi vigesimi secundi præsignata, & prophetico spiritu prædicta est: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quasi Regius Psaltes ibi dicere voluerit: Virga sanctæ Crucis, ô vnigenite Fili Dei, incarnatum Verbum, in qua redemptionem nostram operaturus es, ipsa me consolata est; non secùs ac senes & imbecilles baculo fulciuntur. Virga enim siue baculo eiusdem sanctæ Crucis tuæ, infirmitas atque imbecillitas nostra, quasi senum & claudorum vacillatio roborata, ad rectum iter à quo longè aberraueramus, reducta est. Vnde ad ea verba Basilius: *Virga etenim infirmitatem meam corroborat, at hoc in viam rectam me dirigit: verùm haud procul à scopo aberrauerit quis, si salutiferam Crucem hisce nominibus insignierit. Huius quippe signaculo & commemoratione ab hostibus liberati, in rectum tramitem reuocamur.* Atque super eisdem, eadem ferè verba Theodoretus etiam replicauit. A

Psalm. 22.

Nona prophetia ex Psal. 22.

In Scholiis ad Psal. 22.

Decima verò sanctæ Crucis prophetia sacro Psalmorum libro inclusa, vt magno illi Patri & Christi martyri Cypriano placet, in vigesimi tertij Psalmi verbis illis consistit: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.* Vult enim idem Sanctus, siue quicumque alius Auctor vetustissimi illius Tractatus De montibus Sina & Sion, pro monte hoc loco Crucem sanctam intelligi debere. Quasi Psalmista Saluatoris nostri passionem & mortem prophetico spiritu præuidens, diceret: *Quis ascendet in montem Domini*, id est, in Crucem sanctam? responderetque: *Innocens manibus, & mundo corde*; vnigenitus nimirum Dei Filius factus homo, qui manus suas Crucis ligno clauis confixas extendens, solus inter omnes homines innocens manibus, & mundo corde dici potest; quippe qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde ipse solus ab æterno Patre benedictionem & misericordiam pro nobis omnibus accipere meruit. Quamobrem idem Cyprianus verba prædicta declarans, ait: *Sic verò Propheta declarat lignum passionis Dominicæ esse montem Sion sanctum, in spiritu ita dicens: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, dextera læuaque extensis, clauis fixis, innocentiam demonstrans. Ideò dicit: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, & non iurauit subdolè proximo suo: hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Omnis passio hominum in terram cadet; hæc sola passio Crucis stantem demonstrat. Vnde verum dicimus, montem sanctum lignum esse passionis. Inde innocens manibus, & mundo corde; hoc dicto Prophetico Iudæos redarguebat, qui Moysen præponunt Christo Domino illius: eò quòd Moyses cùm in montem Sina ascendisset, vt Legem Iudæis acciperet, innocens manibus, & mundo corde non fuit; nec enim mundus corde, eò quòd Ægyptium calce percusserit in Ægypto, & mortificauerit eum, & manibus suis eum in arena obruerit. Christus autem in montem sanctum ascendit lignum Regni sui, vt moreretur à Iudæis. Quamquam ipse aliquem hominum non mortificauerit, nisi solum diabolum, inimicum generis humani. Exinde in montem ascendit innocens, & mundus corde. Et ideò Propheta dicit: Quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Et declarauit montem sanctum Sion esse sanctam Crucem, dicente æquè Propheta: De Sion exibit lex, & verbum Domini ab Ierusalem. Lex Christianorum Crux sancta Christo Filio Dei viui, dicente æquè Propheta: Lex tua in medio ventris tui. Percussus est in lateris ventre de lancea, sanguis & aqua mistus profusus fluebat, vnde Ecclesiam sanctam sibi fabrificauit, in qua Legem passionis suæ consecrabat.* B C D

Decima prophetia ex Psal. 23.

S. Cyprian. siue quicumque alius Auctor tractatus De montibus Sina & Sion

Isaiæ 2.

Vndecima Saluatoris nostri Iesu Christi crucifixionis prophetia, in vigesimi septimi Psalmi verbis illis consistit: *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Quasi sanctus ac Regius Propheta ibi in Christi Domini persona loqueretur, dum pendens erat in Cruce,

Vndecima prophetia ex Psal. 27.

A Cruce, æternumque Patrem oraret, dicens: Exaudi Domine orationem, quam ad te dirigo, dum extollo manus meas ligno Crucis confixas, pro his qui in me credent, qui templum sanctum tuum fient; vnde in Glossa interlineari sic legitur: *Quia manus in Cruce extollo, non pro culpa, sed vt Ecclesiam constituam.* Quibus verbis innui videtur, Spiritum sanctum ibi in Christi persona locutum dixisse: Exaudi, ô Pater æterne, orationem meam, quia ad te extollo manus meas Cruci suffixas, non culpa mea, sed vt Ecclesiam constituam, quæ erit templum sanctum tuum. Cùm forsitan Glossa ibi alluderet ad id, quod iam diuus Augustinus dixerat: *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum; dum crucifigor ad eorum salutem, qui credentes fiunt templum sanctum tuum.* Idem quoque Hieronymus sentire videtur, verbis nimirum prædictis Saluatoris nostri crucifixionem innui ac præsignari. Nam locum hunc exponens, ait: *Exaudi vocem deprecationis meæ, dum oro ad te. Orauit Christus in Cruce pro toto mundo, & pro Iudæis,* B *& pro Apostolis. Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Extollo manus meas, id est, extendi eas in Cruce, ad templum sanctum tuum, id est, ad hoc extendi, vt templum tibi præparem, hoc est, corpus Ecclesiæ.*

In Psal. 27.

In Psal. 27.

Duodecima Domini ac Redemptoris nostri Iesu Christi passionis & Crucis prophetia in trigesimi septimi Psalmi verbis illis consistit: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* nam ibi Dauid in Christi persona in passione constituti, locutus est: quasi diceret: Ego paratus ad flagella, ad crucifixionem, ad lanceæ ictum, & ad mortem ipsam sustinendam, vt humanum genus saluetur, pro cuius etiam salute carnem assumpsi. Vnde verba hæc exponens idem Hieronymus, inquit: *Ego autem in flagella paratus sum. Præparo me ad sustinendam Crucem, lanceam, fel, acetum; vt per hanc mortem, meo sanguine redimam populum pereuntem: quia Christus ad hoc venit, vt passionem sustineret.*

Duodecima prophetia ex Psalmo 37.

In Psal. 37.

Decimatertia S. Crucis Saluatoris nostri prophetia versu illo XLIII. Psalmi C proditur: *In te inimicos nostros ventilabimus, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Vbi Psalmista innuere voluit Crucis signum; quo nosmetipsos consignantes, omnem diaboli tentationum importunum impetũ è cordibus nostris repellimus. Quod & Theodoretus optimè intellexit: nam Psalmi huius verba hæc exponens, ait: *Animalia cornuta, arma cornuta à natura acceperunt; nos verò cornua salutis, victriciaq; arma, ac tuũ nomen habemus. Et hoc vtentes, hostes superabimus.*

Decimatertia prophetia ex Psalmo 43.

In Psal. 43.

Decima quarta Christi passionis atque probrosæ mortis eius in Cruce prophetia, eiusdem quadragesimi tertij Psalmi verbis illis proditur: *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Quo loco Propheta proculdubiò alludere voluit ad ingentem pudorem & verecundiam, qua Redemptor noster perfusus est, cùm semetipsum nudum in Crucis probroso ligno pendentem conspexit. Nam cùm verissima esset & summa virginalis modestia, illud sanè vnum fuit ex grauioribus tormentis & cruciatibus, quos D in acerbissima passione sua pertulit, quòd nudus conspiciendus palàm expositus esset. Quamobrem iure optimo dixit sanctus Ambrosius: *Quæ autem confusio Christi, nisi Crux, quòd nudus pependit in ea? Et benè tota die, quia ex quo affixus est Cruci, vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt; & post horam nonam, lux refulsit vsque ad vesperam. Hic est dies primus.* Et paulò pòst subdit: *Siue ergo velis confusionem Christi intelligere Crucem, quæ Iudæis videbatur esse confusio, qui insultabant ei, quasi erubesceret Christus in eo opere, in quo publicam operabatur salutem.*

Decimaquarta prophetia ex eodem Psalmo 43.

In Psal. 43.

Decima quinta Domini ac Redemptoris nostri Crucis & mortis prophetia, quadragesimi quarti Psalmi verbis hisce altè reposita est, nimirum: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Quam prophetiam per se subobscuram sanctus Basilius

Decimaquinta prophetia ex Psal. 44.

lius

Basilius in Psal.44. Conc. II. lius magnus declarat his verbis: *Descendens consequenter propheticus sermo, & omnia iuxta incarnationis dispensationẽ praexponens, per intuitum Spiritus reuelantis ipsi occulta peruenit ad passionem. Myrrha enim, inquit, & stacte, & casia à vestimentis tuis. Myrrha itaque quòd sepulturæ sit signum, etiam Euangelista Ioannes nos docuit, vbi dicit, ipsum à Ioseph ab Arimathia sepultum esse cum myrrha, & aloë. Stacte verò etiam ipsa myrrhæ species est tenuissima: expresso enim aromate, quantum eius fluidum est, in stacten separatur; quod verò crassum remanet, myrrha appellatur. Itaque Christi fragrantia myrrham quidem spirat, propter passionem; stacten verò, propterea quòd non immobilis, neque inefficax, & otiosus permansit tribus noctibus, sed descendit ad infernum, gratia dispensationis circa resurrectionem, vt vniuersa se ipso impleret; casiam verò spirat, quia casia cortex est tenuissimus, & odoratus, qui circum lignosum sarmentum obtenditur. Numquid igitur Crucis passionem in beneficium omnis creaturæ assumptam altè & sapienter per casiæ nomen Psalmus nobis insinuauit? Habes igitur myrrham propter sepulturam, stacten propter descensum ad inferos; (omnis enim stilla & gutta deorsum fertur) casiam propter carnis circa lignum mysterium ac dispensationem. Ex hac autem causa exhilarauerunt te, inquit, filiæ Regum in honore tuo. Filiæ verò Regum quænam fuerint aliæ, quàm generosæ ac magnæ & reginæ animæ? quæ propter descensum ad homines, agnito Christo, exhilarauerunt ipsum in honore, in vera fide, & perfecta dilectione, glorificantes ipsius Deitatem.* A B

Sed prophetiam hanc ipsam Theodoretus aliquantulùm apertiùs declarauit In Psal.44. in hunc modum: *Myrrham verò nominat Crucem; ipsa enim mortuis potissimùm affertur. Guttam autem & casiam, suauem odorem qui è Cruce exhalat. Domos eburneas, vel secundùm Symmachum & Aquilam, templa eburnea, pulcherrimas & splendidas Ecclesias quas Principes & Reges vbique per orbem erexerunt. Prædicit igitur corpus cruciatibus affectum fuisse, & odoris suauitate totum orbem impletum; adeò vt populi, qui olim errabant, templa ipsi erigant, quæ pulcherrimè elaborata erunt, & Regio ornamento micabunt.* C

Prophetia decimasexta ex Psalm. 50. Decimasexta sanctæ Crucis prophetia ex sacro Psalmorum libro decerpitur verbis illis quinquagesimi Psalmi: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.* Quasi sanctus & Regius Psaltes Dauid diceret: Quemadmodum prædecessores nostri filij Israël, hyssopo & sanguine agni domorum suarum ostia aspergentes atque tingentes, ab Angeli percutientis manibus, & ab Ægyptiorum captiuitate liberati sunt; ita & Christi fideles, qui sanguine & hyssopo aspergentur, id est eo sanguine, quem Christus ipse in Crucis ligno profundet, aqua Baptismatis diluti, super niuem dealbabuntur, atque ab Angeli percutientis satanæ manibus liberati, à dæmonum seruitute eripientur.

[a] In Psa. 50. argum. [b] In Psa. 50. Homilia. [c] In Psa. 50. interpret. Sic enim prophetiam hanc Græcorũ Patres eminentissimi, [a] Basilius, [b] Chrysomus, ac [c] Theodoretus exponunt. Basilius enim ipse magnus, à quo ceterorum Patrum dicta parum differunt, Latinitati donatus sic inquit: *Per Baptismi munus, idque solum, purgatio hæc perfici potest. Quocircà, inquit, gratia opus habeo, quæ omnibus hominibus exhibetur. Hæc namque, & hæc quidem sola exactè me abluet, niuisque albedinem conferet. Hyssopi enim ad peccata expianda vim nullam esse, ex Moysaicis cærimoniis manifestum est: quapropter hyssopus nil aliud quàm spiritualis rei typus & vmbra fuerit. Cùm enim hyssopo sanguinem agni postibus & superliminaribus ianuarum aspergerent, exterminatoris Angeli manus effugerunt. Quæ quidem cærimonia, salutiferæ Crucis & passionis Christi imaginem præ se ferebat. Nam & hìc sanguis, & lignum salutare, & salus, quæ fide accedentibus gratuitò confertur.* D

Prophetia decima septima ex Psalm. 54. Decima septima passionis & mortis, quam Christus Dominus in Cruce pertulit, prophetia altè oblitescit ac tegitur sub quinquagesimi quarti Psalmi verbis illis: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tre-*

A *& tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Quasi sanctus Rex ille & Propheta, prophetico spiritu illustratus, verum Regem Messiam & Saluatorem nostrum Iesum Christum prospiceret, in tremenda illa amarissimæ passionis eius nocte (in quantum homo erat) planè conturbatum atque perterritum, truculentissimorum cruciatuum ac diræ mortis contemplatione, quam tunc se passurum præsciebat; ad quam dum esset in horto, mentis aciem attentè dirigens, extremo animi angore confectus, viui sanguinis guttis vsque in terram decurrentibus, desudauit: & quasi præuideret eum, postquam ligno Crúcis suffixus est, tenebris contectum; dum sol Factoris sui passionem miseratus, obscuram sibi ipsi caliginem offundit, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Vnde prophetiam hanc Theodoretus explicans, inquit: *Mirum non est si Dauid fugitans, à multisque hostibus persecutionem patiens, mortem timuerit, cùm homo esset, & sub Lege viueret, & Euangelicam perfectionem à longè præuideret;* In Psal. 54.
B *etenim ipse Dominis Christus, licet sæpiùs sacris Apostolis prædixisset, Crucemque significasset, cùm vehementiùs obiurgasset diuinum Petrum, qui ne hoc accideret, precabatur, Crucis tempore exclamat: Nunc anima mea turbata est; & tantum mœrorem diuina natura permisit vt humanitas acciperet, vt sanguinis quidem stillicidio sudaret, & ab Angelo confirmaretur, & timorem vinceret: oportebat enim in hoc, vt natura demonstraretur, quæ cruciatus susciperet.* Hæc autem, ac pænè per eademmet verba, sanctus quoque Basilius dixit. S. Basilius in Glossa ordinaria, super eumdem Psal.

Decima octaua sanctę Crucis prophetia quę ex Psalterio colligitur, quinquagesimi sexti Psalmi versiculo illo diuinitus includitur: *Exaltare super cælos Deus, & in omni terra gloria tua.* Quæ quidem verba exponens Ruffinus Aquileiensis, ait: *Vidit Propheta in spiritu Dominum humiliatum, flagellatum, spinis coronatum, ligno suspensum: Iudæos sæuientes, illum verò tolerantem: illos exultantes, illum quasi victum. Et post tantam humiliationem, cognouit eum resurrecturum; & omnia illa, quæ* *Decima octaua prophetia ex Psal. 56.* In Psal. 56.
C *fecerunt Iudæi sæuientes, facta esse inania: elatus gaudio, tamquam videret fieri, exclamat, & dicit: Exaltare super cælos Deus. Homo in cruce, Deus super cælos. Remaneant in terra sæuientes; tu in cælo esto iudicans. Et in omni terra gloria tua. Domino enim residente in cælo ad dexteram Patris, vbiq; terrarũ prædicata est gloria resurrectionis eius & Diuinitatis. Exaltatum in cælo Dominum non videmus, sed credimus. In omni autem terra gloriam eius non tantùm credimus, sed etiam videmus.* Eadem verò, atq; adeò fusiùs etiam sanctus Augustinus dixit, eiusdem Ruffini contemporaneus. In Psal. 56.

Decima nona sanctæ Crucis prophetia, in Psalterio retegitur quinquagesimi noni Psalmi verbis illis: *Dedisti metuentibus te significationẽ, vt fugiant à facie arcus.* Quasi Propheta cum Christo Domino locutus, ei dixerit: Tu dedisti Domine fidelibus tuis, nomen sanctum tuum timentibus, signum, id est sanctæ Crucis tuæ vexillum; vt hilari animo te sequentes, in tribulationibus huius sæculi gratiarum actiones tibi referant: atque ita fugiant à facie arcus, id est à iusta ira in- *Decima nona prophetia ex Psal. 59.*
D dignationis tuæ, quæ in die Iudicij, velut ab arcu emissa sagitta, impios peccatores configet: iuxta quod sanctus Augustinus hæc inquit: *Ergo de temporalibus tribulationibus gratias Deo agamus, quia dedit plebi suæ significationem vt fugiant à facie arcus: vt exercitati fideles eius in tribulationibus temporalibus, digni sint euadere damnationem ignis æterni.* Quòd autem Psalmista de sanctæ Crucis signo atq; vexillo, hoc loco intelligere voluerit, testimonium dat Glossa ordinaria, dicens: *Per hoc significatur vexillum Crucis, quod pro signo nobis datur, vt sequamur passiones Christi; quia etsi socij passionis, simul & resurrectionis erimus.* At id ipsum sancti etiam Basilij magni auctoritate magis comprobatur; sic enim in locum hunc scribens, inquit: *Moyses quidem postes Israëlitarum sanguine ouillo signauit: tu verò dedisti nobis significationem, ipsum immaculati Agni sanguinem, qui mactatus est pro* In Psal. 59. In Psal. 59. Conc. 14.

peccato mundi. Et Ezechiel in frontes facierum signum datum esse dicit: Ite, inquit, à tergo ipsius, & percutite; ne parcite, neque misereamini, seniorem & iuuenem, infantem, & virginem, & feminas occidite ad internecionem. Ad omnes verò, in quibus signum est, ne accedatis. A

Vigesima prophetia ex Psal.62. Vigesima sanctæ Crucis Domini prophetia in sexagesimi secundi Psalmi verbis illis refulget: *Et in nomine tuo leuabo manus meas.* Quo loco Psalmista in Christi Domini Saluatoris nostri persona locutus, manuum eius eleuationem, quas in Crucem extulit, vt nos ab æterna damnatione subleuaret, In Psal.62. proculdubiò innuere voluit. Vnde sic ad eam Augustinus: *Leuauit Dominus Deus noster pro nobis manus in Cruce, & extensæ sunt manus eius pro nobis. Ideò extensæ sunt manus eius in Cruce, vt manus nostræ extendantur in bona opera: quia Crux ipsius misericordiam nobis præbuit. Ecce leuauit ille manus, & obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum; & per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Leuemus & nos manus nostras ad Deum in prece; & non confundentur manus nostræ leuatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus.* Ad quod sanè sanctus etiam Hieronymus B In Psal.62. alludere voluit, dum in Psalmum hunc ipsum scribens, inquit: *Perfecti operis bono à te sublimabor. Christus tota die expandit manus suas in Cruce ad populum non credentem, & contradicentem sibi.* Quasi diceret, quòd iuxta bonorum operum nostrorum promeritum mercedem consequemur, & à Deo exaltati erimus; non secùs ac Christus Dominus propter obedientiæ, humilitatis, passionis & Crucis suæ meritum à Deo ipso exaltatus est; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen; cui sanè nomini omne Angelorum & hominum, atque ipsorum etiam dæmonum genu curuatur & flectitur.

Vigesima prima prophetia ex Psal.66. Vigesima prima sanctæ Crucis Prophetia quæ sacro Psalterio continetur, ex sexagesimi sexti Psalmi versiculo illo decerpitur: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.* Vbi illud animaduertendum est, quòd vbi in Vulgata editione nostra dicitur, *Terra dedit fructum suum;* C textus Hebraicus iuxta Hieronymi versionem habet: *Terra dedit germen suum.* & Tertullianus legit: *Et lignum attulit fructũ suum.* Et propterea hanc ipsam pro- Aduersus Iudæos cap.13. phetiam Iudæis incredulis exponẽs, inquit: *Alibi Propheta ligni Crucis fructum prædicat, dicens: Terra dedit benedictiones suas. vtique illa terra virgo, nondum pluuiis rigata, nec imbribus fecundata, ex qua homo tunc primùm plasmatus est. Et lignum, inquit, attulit fructum suum. Non illud lignum in Paradiso, quod mortem dedit Protoplastis; sed lignum passionis Christi, vnde vita pendens, à vobis credita non est.*

Vigesima secunda prophetia ex Psal.67 Vigesima secunda sanctę Crucis prophetia in sacro Psalterio, sub litterali cortice mirabiliter refulget in sexagesimi septimi Psalmi versiculo: *Dixit Dominus: Ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris, vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.* Quæ verba diuinè sanctus Hierony- In Psal.67. mus explicat cùm inquit: *Basan, confusio interpretatur. De confusione igitur nos conuertit Deus: hoc autem ideò, quia Crucem sustinuit, & pes eius proprio cruore perfusus est, clamantibus contra eum Iudæis atque dicentibus: Crucifige, crucifige eum. Qui Iudæi stimulati fuerunt ab inimicis Christi, hoc est, à dæmonibus. Vt autem hoc totum fieret, ipsius Saluatoris voluntas fuit, qui hæc passus est fieri. Vel de confusione huius sæculi conuertam humanum genus; hoc est, per passionem meam & Crucem, quam isti putant stultitiam & confusionem, conuertam Basan populum meum. Conuertam in profundum maris, id est, de profundis vitiis & peccatis sæculi istius, de commotione & fluctibus conuertam populum meum. Vt intingatur pes tuus in sanguine. Quoniam pes ipsius intinctus est in sanguine suo. Lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso. Canes dicit ipsos Iudæos, qui clamauerunt: Crucifige, crucifige eum; non habemus Regem nisi Cæsarem. Ex inimicis autem submissi à dæmonibus negare Saluatorem, & blasphemare eum.* D

Vige-

A Vigesima tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalmorum libro considerata, vmbrosè velata, sub litterali cortice verborum illorum Psalmi sexagesimi octaui oblitescit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans.* Quæ verba in Christi Domini persona Propheta ipse locutus est, passionis dolores, nuditatem, crucifixionem, & mortem ipsius innuens. Pro quorum intelligentia meminisse debemus, hominem è limo formatum fuisse: quamobrem Redemptor noster humanitatem suam limum appellat; & non limum tantùm, sed limum profundi; ad vitiorum & peccatorum totius mundi profunditatem alludens, quæ in se ipsum susceperat, vt eorum culpam in ligno Crucis deleret. Dicit ergo: *Infixus sum in limo profundi,* id est, in humanitate mea Cruci infixus fui. *Et non est substantia.* quasi summatim dicat: In Crucem nudus actus sum; veni in altitudinem Crucis, quæ iure optimo mare dici potest, propter cruciatus, & pœ-
B næ amaritudinem & immensitatem. *Et tempestas demersit me*, id est, mors glutiit ac deuorauit. *Laboraui clamans*, videlicet quando emisi spiritum. Vnde Nicolaus Lyranus: *Laboraui clamans, scilicet in Cruce, quando voce magna clamans emisit spiritum.* Verùm altæ huius & reuerà subobscuræ prophetiæ verba diuinè profectò declarauit sanctus Augustinus cùm inquit: *Quid dicit limũ? An non ipsos, qui persecuti sunt? De limo enim factus est homo; sed isti cadendo à iustitia, limus profundi facti sunt. Quid est ergo, infixus sum? Numquid non sic hæsit Christus? An non verò hæsit? An non sic dictum est in libro Iob: Terra tradita est in manus impij? An non secundùm corpus infixus est, quia teneri potuit, & ipsam crucifixionem habebat? Nisi enim clauis fixus esset, crucifixus non esset. Infixus sum in limo profundi, & non est sustantia: id est, ad paupertatem perueni. Nam hìc dicit: Pauper & dolens ego sum. Dicit & Apostolus: Quoniam propter vos pauper factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos ditaremini. Ergo paupertatem suam volens Dominus nobis commendare, fortasse*
C *dixerit: Non est substantia. Ad summam enim paupertatem peruenit, quando formam serui induit. Diuitiæ eius quæ sunt? Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo. Hæ magnæ incomparabilesque diuitiæ. Vnde ergo ista paupertas? Quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit se, factus obediens vsque ad mortem, vt diceret: Introierunt aquæ vsque ad animam meam. Adde, super mortem. Quid ampliùs additurus es? Ignominiam Crucis. Ideò sequitur: Mortem autem Crucis. Magna paupertas: sed hinc erunt magnæ diuitiæ, quia sicut impleta est paupertas eius, ita & implebuntur diuitiæ nostræ de paupertate ipsius.*

Vigesima tertia prophetia ex Psal. 68.

In Psal. 98.

2. Cor. 8.

Vigesima quarta sanctæ Crucis prophetia proditur in eiusdem Psalmi sexagesimi octaui versiculo illo: *Improperium expectauit cor meum, & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Quæ verba sanctus Hie-
D ronymus explicans, ait: *Improperium passionis, & miseriam, id est, contumeliam Crucis.* Et paulò pòst subdit: *Hoc iam completum esse in Euangelio legimus, cùm sitiente Domino in Cruce acetum felle mistum bibere porrexerunt.* Diuus quoque Augustinus in Psalmum hunc scribens, inquit: *Opprobrium expectauit cor meum, & miseriam. sed miseriam cuius? expectauit enim miseriam, sed magis crucifigentium, magis persequentium: vt in illis esset miseria, in illo misericordia. Miseriam quippe illorum miserans, etiam pendens in Cruce, Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Vigesima quarta prophetia ex Psal. 68

In Psal. 68.

Vigesima quinta sanctæ Crucis prophetia satis clarè refulget in octuagesimi quinti Psalmi versiculo illo: *Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur.* Quasi diuinus Psaltes in cuiuslibet Christi fidelis persona

Vigesima quinta prophetia ex Psal. 85.

loquens, Saluatorem nostrum deprecetur, vt dono gratiæ suæ nobis concedat, A
vt sanctę Crucis signo nos ipsos consignare valeamus; quod inimici nostri inuisibiles intuentes confundantur, & confusione suffusi à nobis confestim euolent.
In Psal. 85. Quocircà sanctus Hieronymus prophetiam hanc exponens, dixit: *Muniar Crucis tuæ signo, quod videntes potestates aduersæ fugiant confusæ, & discedant à me. Hæc enim pro nostro populo Propheta rogat. Sed & nos precamur Domine, vt Crucis tuæ signo tutati, atque eius præsidio custoditi, mereamur ab omnibus diaboli insidijs liberari.*

Vigesima sexta prophetia ex Psal. 87. Vigesima sexta sanctæ Crucis prophetia quæ sacro Psalmorum libro continetur, in octuagesimi septimi Psalmi verbis illis consistit: *Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas.* Quo loco patet, Prophetam ante oculos nostros Redemptorem nostrum quodammodò exhibere manibus extensis ac ligno Crucis confixis Patrem pro crucifixoribus suis deprecantem, ac paulò pòst magna voce clamantem, & emittentē spiritum. Vnde diuus Hieronymus
In Psal. 87. locum hunc explicans, inquit: *Clamaui ad te Domine, Eli, Eli, lamma sabacthani: tota* B
die expandi ad te manus meas extensus in Cruce. Verùm diuus Augustinus, licet pro constanti teneat verbis illis, *Clamaui ad te Domine*, Christi clamorem in Cruce omnino innuere voluisse Prophetam; subtiliter nihilominùs inquirit, quonam pacto fieri possit, vt cùm de Christi Domini crucifixione Psalmista hîc loquatur, hæc etiam quæ sequuntur verba verificentur, nimirum, *Tota die expandi ad te manus meas*; quando quidem non per totam, sed per partem diei dumtaxat manibus extensis in Cruce permansit? sic enim ait: *Clamaui, inquit, ad te Domine. Hoc enim apertissimè fecit, cùm penderet in ligno: sed quod sequitur, Tota die expandi ad te manus meas, quomodo oporteat accipi, meritò quæritur. Si enim in eo quod ait, Expandi manus meas, Crucis patibulum intellexerimus; quomodo intellecturi sumus, Tota die? Numquid tota die pependit in ligno, cùm & nox ad totum diem pertineat? Si autem hoc loco diem voluit intelligi, qui præter noctem dies appellari solet, etiam talis diei, quando crucifixus est, iam pars prima & non parua transierat. Si* C
autem diem pro tempore positum velimus accipere, maximè quia hoc nomen genere feminino posuit, quod in Latino eloquio non nisi tempus significare solet; quamuis in Græco non ita sit, semper quippe in ea lingua, dies feminino genere dicitur, & ideò nostros sic interpretari puto; arctiùs quæstio colligabitur. Quomodo enim toto tempore, si nec saltem vno toto die manus extendit in Cruce? Porrò si totum pro parte accipiendum esse dicamus, quia isto genere locutionis vti etiam sancta Scriptura consueuit; non mihi occurrit exemplum, totum pro parte etiam tunc posse accipi, quando ipsum verbum additur, & dicitur Totum. Nam & in eo, quod dixit Dominus in Euangelio: Sic erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: ideò totum pro parte non insolenter accipitur, quia non ait, totis tribus diebus, & totis tribus noctibus. Vnus quippe medius fuit totus dies, duorum autem partes, primi vltima, vltimi prima. Si autem non Crucem suam in hac prophetia Psalmi significauit his verbis, sed orationem, quam eum ex forma serui fudisse Deo Patri, Euangelio teste didicimus, vbi eum & longè ante passionem, & sub die passionis, & in ipsa Cruce orasse meminimus: nusquam hoc eum tota die D
fecisse legimus. Proinde conuenienter per extensas manus tota die, continuationem bonorum operum intelligere possumus, à quorum numquam intentione cessauit.

Crucis etiam prophetiam in eodem Psalmo idem Propheta replicauit, cùm paulò pòst subdit: *Exaltatus autem humiliatus sum.* vbi in Christi Domini persona proculdubiò locutus est. Quasi diceret: Postquam Cruci suffixus, & in ea exaltatus fui, & postquam spiritum emisi, ab ipsa Cruce depositus sepultus
In Psal. 87. sum. Quocircà verba hæc exponens diuus Hieronymus inquit: *Exaltatus autem in Cruce, humiliatus sum in sepulchro.*

Vigesimam septimam prophetiam sanctæ Crucis Christi inclytæque eius victoriæ

A victoriæ, quam morte sua intercedente de superbissimo mundi tyranno satana reportauit, octuagesimi octaui Psalmi verba illa declarant: *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum.* Perinde ac si Propheta verba sua ad Redemptorem nostrum dirigens, diceret: Superbissimus Lucifer, qui in vniuersum humanum genus dominium ac tyrannidem sibi arrogauerat, Crucis tuæ clauis, & lateris tui lancea vulneratus ac debilitatus est: & in brachio virtutis omnipotentiæ tuæ, postquam brachia tua in Cruce extensa fuerunt, dæmones inimicos tuos dispersisti. Quapropter diuus Hieronymus prophetiam hanc exponens, inquit: *Diabolus, qui clauis Crucis tuæ sauciatus, humiliatus est in spoliis.* Ad id forte alludens quod de hac Christi victoria atque triumpho loquens Apostolus iam dixerat: *Expolians principatus & potestates, palàm triumphans illos in semetipso.*

Vigesima septima prophetia. ex Psal. 88. — In Psal. 88. — Coloss. 2.

Vigesima octaua sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio, ex octuagesimi noni Psalmi verbis illis colligitur: *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* In-
B telligens hoc loco Psalmista, pro splendore, diuinum ac cæleste sanctæ Crucis signum. Quod alibi lumen vultus Domini appellauerat, cùm dixit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quamobrem prophetiam hanc sic explicat Hieronymus: *Dicit Apostolus ad Hebræos: Quoniam Dominus atque Saluator splendor sit gloriæ Patris: & sit splendor Domini Dei nostri super nos. Hoc est quod dicitur & in alio loco: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Signum Crucis vexillum nostrum est.*

Vigesima octaua prophetia ex Psal. 89. — In Psal. 89.

Vigesima nona sanctæ Crucis, Saluatorisque nostri brachiorum, quæ pro humani generis salute in eadem extensa fuere, prophetia in XC. Psalmi verbis illis euidenter retegitur: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Quibus sanè videtur Psalmista prophetico spiritu illustratus, Saluatorem nostrum brachijs in Cruce extensis è longè prospiciens, beneuolentissimæ cuidam gallinæ illum æquiparare voluisse, quæ alas extendens, dilectos suos sub
C eis excipiat, vt ipsos à rapacium volucrum vnguibus protegat. Quod diuus Augustinus apposite explicauit, dum in Psalmum hunc scribens, ait: *Quia dicit, Sub alis eius sperabis, manifestum est, quia protectio alarum pansarum facit te esse inter scapulas Dei, vt hinc atque hinc alæ Dei te ponant in medio. Et non timebis, ne quis tibi noceat; tantùm tu noli inde recedere, quò nullus inimicus audet accedere. Si gallina protegit pullos suos sub alis suis; quanto magis tu sub alis Dei tutus eris, & aduersus diabolum & angelos eius, quæ aëreæ potestates tamquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant? Neque enim sine causa comparata est gallina ipsi Sapientiæ Dei. Nam Christus ipse Dominus noster & Saluator tamquam gallinam se dixit: Ierusalem, Ierusalem, quoties volui colligere filios tuos tamquam gallina pullos suos sub alis, & noluisti? Noluit illa Ierusalem, velimus nos. Illa rapta est ab aëreis potestatibus, fugiens alas gallinæ, præsumens de viribus suis, cùm esset infirma: nos confitentes infirmitatem nostram, sub alas Dei fugiamus.* Quòd autem Psalmi nonagesimi versi-
D culo prædicto Crux sancta Saluatorisque nostri brachia in eadem extensa præsignata fuerint, aperte ostendit in hunc locum Hieronymus; ait enim: *Et sub pennis eius sperabis. Aspiciens, inquit, manus eius crucifixas, etsi serpens te momorderit, sanaberis. Licet ambules in deserto istius sæculi; si te percusserit scorpio, si te regulus, si aspis, si cetera venenata animalia, securus esto de sanitate. Serpens in eremo suspensus est.*

Vigesima nona prophetia ex Psal. 90. — In Psal. 90. — In Psal. 90.

Trigesima sanctæ Crucis prophetia, in sacro Psalterio nonagesimi primi Psalmi verbis illis proditur: *Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.* Quibus verbis Propheta innuere voluit, verum Messiam Christum Dominum in Crucis cornibus exaltandum. Quocircà diuus Hieronymus hunc locum ita exponit: *Tria immolabantur Domino in templo: immolabatur taurus, immolabatur*

Trigesima prophetia ex Psal. 91. — In Psal. 91.

aries, immolabatur hircus. Tria immolabantur, & vniuersa cornuta sunt. Nisi enim aliquis habuerit cornu, in quo inimicos ventilet, non est dignus immolari Deo: propterea & Dominus cornu dicitur, his qui credunt in eum. Et in cornibus Crucis suæ ventilauit inimicos. Ibi confudit diabolum, & omnem eius exercitum. Christus quidem crucifixus erat in corpore: sed verè crucifigebat ibi dæmones. Non fuit Crux, sed triumphus fuit, sed vexillum fuit. Propterea conscendit Crucem, vt nos de terra in altum tolleret: alij habeant plura cornua, ego vnum solum cornu habeo. Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc Hieronymus. At Crucem sanctam apud Prophetas sæpè pro cornibus intelligi consuetum esse, iam non vno tantùm, sed quamplurimis locis, in superioribus diximus; & Deo fauente fusiùs & apertiùs in sequentibus ostendemus atque probabimus. A

Trigesima prima prophetia ex Psal. 93. Trigesimam verò primam sanctæ Crucis prophetiam nonagesimi tertij Psalmi verbis illis Psalmista protulit: *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.* Quasi sancto zelo, iustaque indignatione in superbos ac perfidos Iudæos accensus Propheta ob impia ludibria & horribiles immanitates, quibus verum Messiam, & vnigenitum Dei Filium scelestissimè affecerunt, ad eumdem Dominum ac Redemptorem nostrum conuersus dicat: Tu Domine exaltare in Cruce, & tam impiè in terra iudicare; vt terram, id est homines, tu ipse posteà iustè iudices; superbissimis nimirum Scribis & Pharisæis pro eorum impietate & iniustitia iustam animaduersionem retribuens. Vnde in hunc B

In Psal. 93. locum Beda: *Exaltare qui iudicas terram. Dixit qui liberè egit. Hanc autem libertatem eius impij homines, id est Iudæi, non tulerunt, quia contrarius erat operibus eorum: sed eum tenuerunt, flagellauerunt, spinea corona circumdederunt, in Crucem leuauerunt, & tandem occiderunt. Et ideò propheticus spiritus hoc præuidens, dixit: Exaltare, qui iudicas terram. quasi dicat: Morere Domine, vt exalteris; & exaltare, vt iudicatus à terra, iudices terram.* C

Porrò hunc animi sensum, atque adeò eadem pænè verba Beda ipse ab Augustino desumpsit, qui sermonis sui exordium à primo versiculo huius Psalmi

In Psal. 93. trahens, cuius initium est: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.* inquit: *Quia humilis venerat, & carne mortali indutus erat, & mori venerat, non facere quod peccatores, sed pati quod peccatores: quia propterea venerat, vt cùm fidenter egisset, & illi ferre non possent fiduciam eius in verbo, quid fecerunt? Tenuerunt, flagellauerunt, illuserunt, colaphizauerunt, sputũ illinierunt, spinis coronauerunt, in Cruce leuauerunt, postremò occiderunt. Sed quid sequitur quod fidenter egerit? Exaltare qui iudicas terram. Putas quia tenuerunt humilem, tenebunt excelsum? Putas quia iudicauerunt mortalem, nónne ab immortali iudicabuntur? quid ergo ait? Exaltare tu qui fidenter egisti, & fiduciam verbi tui non sunt passi iniqui, & putauerunt aliquid egisse, quia te comprehendentes crucifixerunt; qui te deberent fide comprehendere, comprehenderunt persecutione. Tu ergo qui fidenter egisti inter impios, & neminem timuisti, & quia passus es, exaltare, id est, exurge; vade in cælum. Patiatur & Ecclesia patienter, quod passum est caput Ecclesiæ patienter.* D

Trigesima secunda prophetia ex Psal. 95. Trigesima secunda sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio nonagesimi quinti Psalmi verbis illis sese manifestè prodit: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Verùm quia in nostræ Vulgatæ editionis textu tantummodò habetur: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit*; ceteraque alia verba desunt;

In Glossa ordinaria super Psal. 95. nempe, *à ligno*; id Nicolao Lirano non paruam admirationem incussit; & hæc quæ sequuntur verba in Glossa ordinaria conscribendi ansam dedit: *Augustinus & Cassiodorus hîc addunt, dicentes: Quia Dominus regnauit à ligno. Sed hæc additio, à ligno*

A *ligno, non est in Hebræo, nec in Græco, nec in translatione Hieronymi; loquendo de translationibus eius quas vidi. Et ideò credo quòd assumpsit de translatione Theodotionis, vel Symmachi, vel cuiusuis alterius; quia plures fecerunt diuersas translationes. Et quia Christus exaltationem regni meruit, per suam passionem in Cruce, secundùm quod dicitur Philipp. cap. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum. Ideò aliquis translatorum hoc addidit [à ligno] scilicet Crucis. Et secundum hoc dicitur in Hymno Ecclesiastico: Impleta sunt quæ concinit Dauid fideli carmine, dicens: In nationibus regnauit à ligno Deus. Et patet quòd iste Hymnus procedit secundùm opinionem Augustini dicentis, quòd Dauid fecerit hunc Psalmum, & omnes alios.*

Quibus sanè verbis idem Nicolaus Lyranus apertè ostendit, se neque Tertullianum, neque Iustinum Martyrem, auctores Augustino & Cassiodoro longè vetustiores, legisse: nam si eos peruoluisset, conceptam admirationem vtique B statim exuisset; quod verbum illud *à ligno*, vt ipse asserit, neque in Hebraico textu, neque in Græco, neque in Hieronymi versione inuenerit, suspicandique finem fecisset, vt ibi innuere videtur, id traductoris cuiuspiam, vel ipsius Augustini ex animi motu conceptam additionem fuisse: intellexisset namque, verbum illud ex his esse, quæ ab improbis Hebræorum Rabbinis, ab his inquam, qui Crucis Christi inimici extiterunt, malitiosè ac fraudulenter nimis ab ipso sacro textu abrasa atque sublata fuere. In ea enim disceptatione, quam idem sanctus Iustinus Martyr aduersus Tryphonem Iudæum intendit, inter cetera diuinæ Scripturæ loca, quæ ibi ostendit ac probat ab iisdem Rabbinis mutilata fuisse, hunc vnum ex insignioribus esse constat. Hanc autem lectionem peruetustam ac germanam esse, neque traductoris cuiuspiam, siue ipsius Augustini additionem extitisse, locupletissimum testimonium ipsius Tertulliani verba faciunt. Sic enim aduersus Iudæos inquit: *Age nunc si legisti penes Prophetam in* C *Psalmis, Dominus regnauit à ligno; expecto quid intelligas, ne fortè lignarium aliquem Regem significari putetis, & non Christum, qui exinde à passione ligni superata morte regnauit.* Et alibi, postquam verba prædicta replicauit, hæc insuper adiecit: *Etsi enim mors ab Adam regnauit vsque ad Christum, cur Christus non regnasse dicatur à ligno, ex quo Crucis ligno mortuus, regnum mortis exclusit?* Sanctus Cyprianus, qui & Augustino ipse quoque antiquior auctor est, prædicti Psalmi versiculum apertiùs etiam legit hoc modo: *Annuntiate Regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.*

In Dialogo cum Tryphone Iudæo.

Aduersus Iudæos, cap. 10.

Cont. Marcionem, libro 3. c. 19.

S. Cyprian. siue quicúque alius antiquiss. auctor, De mōtib. Sina & Sion.

Sed audiamus sanctum Ambrosium, qui dum attendere intendit, quanam de causa in sacris Scripturis Præteritum pro Futuro tam frequenter capi soleat, inquit: *Quia apud Deum, qui omnium præscius est, nihil futurum est: ideò sic dicit quod futurum est nobis, quasi factum sit: nam in Apocalypsi Ioannis Apostoli dicitur: Agnus, qui occisus est à constitutione mundi. Quia enim aliter non fiet quàm scit Deus, factum* D *dicitur; nobis enim fit, non Deo, quia apud Deum nihil est quod futurum dicatur. Et in Psalmo ait: Dominus regnauit à ligno.* Non iure ergo Nicolaus Lyranus asseruit, Ecclesiasticum Hymnum prædictum Augustini opinioni tantummodò inniti. Nam sanctus Ambrosius qui fuit auctor eius, vel Sedulius, siue vt alij autumant, Theodolus, super certissimæ veritatis soliditate fundamenta eius locauit, sciensque & prudens eum composuit; & vt talis à sancta Ecclesia Catholica receptus est, & magna pietate concinitur. Neque enim diuus Augustinus eiusdem sanctæ Ecclesiæ lumen clarissimum, qui veritatis semper fuit solertissimus indagator, à diuinæ Scripturæ germana lectione vnquam recessisset.

An omnes 150. Psalmi scripti sint ab ipso Dauide.

Nec scio equidem vnde idem Lyranus expiscatus sit, beatum Augustinum certò affirmasse, omnes Psalmos à Dauide confectos fuisse. Nam licet in suo de

 Ciui-

Ciuitate Dei libro XVII. capite XIV. afferat, videri sibi credibiliùs existimare eos, A
qui omnes illos centum quinquaginta Psalmos ipsius Dauid operi tribuunt: quod diuus etiam Ioannes Chrysostomus, inter ceteros, in Psalmorum proœmio fecisse videtur: ipse tamen Augustinus posteà totius Psalterij expositionem seriò aggressurus, contrariam planè sententiam tenuisse profitetur: nam sua in titulum primi Psalmi explicatione, testatur Dauidem ipsum nouem Psalmos tantummodò ore proprio cecinisse; ceteros verò editos à quattuor Principibus illis, quos ipse elegerat, vt hymnos & laudes Deo canerent; videlicet, Asaph, Eman, Ethan, & Idithun. Cui sententiæ sanctum quoque Hieronymum adhæsisse constat: scribens enim ad Cyprianum, decernit errare eos, qui omnes Psalmos Dauidis esse arbitrantur; & non eorum, quorum nominibus sunt inscripti. Sed quid ante ipsos testatus est etiam sanctus Athanasius? qui licet in sua Synopsi non omnes Psalmos qui in Psalterio continentur, à Dauide factos fuisse constanter affirmet; nihilominùs dum in fine eiusdem Synopsis agit de his scripturis, quæ in sacrorum Bibliorum paginis commemorantur quidem, sed nusquam inueniuntur, tradit, Dauidem ipsum ad tria millia Psalmorum numerum scripsisse; è quibus tamen centum quinquaginta tantùm ab amicis Ezechiæ Regis selectos atque collectos; ceteros absconditos fuisse, ne ad manus omnium peruenirent. At huius tam nimiæ Psalmorum constructionis, penes tanti Scriptoris auctoritatem sit fides. B

S. Augustinus in tit. primi Psal. exposit. Tom. 8.

Verùm vt ad rectam itineris nostri, vnde digressi fuimus, semitam reuertamur, assero, Psalmistam nonagesimi quinti Psalmi antedicto versiculo Crucis Christi lignum proculdubiò innuere voluisse. Quod etsi grauissimorum auctorum, quos in superioribus citauimus, auctoritate satis probetur, euidentiùs tamen per ipsiusmet sancti Augustini verba etiam comprobatur; qui, postquam Psalmistæ sacri textus litteram, iuxta antiquam ac germanam traductionem retulit, nimirum: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*; vt ostendat Psalmistam ipsum sanctæ Crucis Christi lignum hoc loco innuere voluisse, subdit: *Quis est qui ligno pugnat? Christus de Cruce sua vicit Reges, & subiugatis eis, ipsam Crucem in fronte fixit: & gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum.* Et inferiùs post nonnulla, Regum semper proposito insistens, hæc adiecit: *An fortè hîc obtinebunt Reges, & dicent se regnare à ligno, quia fustibus circumcellionum regnant? De Cruce Christi regna, si à ligno regnaturus es: nam lignum hoc tuum, ligneum te facit, lignum Christi per mare te traiicit.* C

In Psal. 95.

Trigesima tertia prophetia ex Psal. 95.

Trigesima tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio sub eiusdem nonagesimi quinti Psalmi verbis illis obumbratur: *Tunc exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit.* Quasi figura illa hoc loco vsus Psalmista, quam Prosopopœiam Grammatici appellant, cùm inusitato loquendi modo inanimata in colloquium inducuntur, diceret: Tunc exultabunt omnia ligna siluarum, cùm Dominum aduenisse viderint; & dicent: Lætemur & exultemus, quoniam ex nobis sumetur, & construetur sanctæ Crucis lignum, in quo cælorum Rex carnem indutus, & factus homo, pro vniuersi orbis redemptione configetur. Vnde rationem expendens Euthymius, cur hoc loco Propheta dixerit, *Tunc exultabunt omnia ligna siluarum*; respondet: *Eò quòd ex eis sumendum salutare Crucis lignum.* D

In Glossa ordin.

Theodoretus autem verba prædicta fusiùs explicans iuxta Aquilæ versionem (quæ sic habet: *Tunc laudabunt omnia ligna nemoris*) inquit: *Tunc laudabunt omnia ligna nemoris: illa potissimùm Deo afferent hymnum, quandoquidem ex ipsis salutare lignum fuit, in quo Saluatoris corpus suffixum fuit, per quod hominibus germinarunt bona. Sciendum est igitur, vt verisimile est, vaticinationis sermonem Prosopopœia*

In Psal. 95. interpret.

A *popœia vſum eſſe. Quandoquidem & cælum, & terra, & mare, & ager, & lignum, ratione & anima carent. Sed ij qui hiſce locis ſunt, Deo afferunt laudes. Inſulares enim mare incolunt; terram verò ij, qui in continenti ſunt; cælum autem Angeli: qui verò vident nemora ab idolorum cultu libera, Deo gratias agunt. Eodem modo Vates filiorum Iſraël ex Ægypto iter edocens, rurſus eadem figura vſus eſt: Mare vidit, & fugit; Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Et interrogationem affert, & reſponſionem recipit, futurarum rerum lætitiam per hæc oſtendens.*

Trigeſima quarta Redemptoris noſtri ſanctæ Crucis prophetia in ſacro Pſalterio ſub nauis allegoria ſiue metaphora prolata eſt, centeſimi ſexti Pſalmi verbis illis: *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis; ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* Quaſi diceret: Qui ſęculi huius importuoſum mare enauigantes, in cordium ſuorum nauibus, Crucis B Chriſti lignum pro malo ſpiritualiter erectum ac fixum deferunt, facientes operationem in aquis multis, id eſt, in multis mundi huius tribulationibus, bonorum operum exercitatione deſudant; ipſi ſoli viderunt, ac rectè intellexerunt mirabilia, quæ fecit Dominus in profunda miſericordiæ ſuæ abyſſo, dum pro redemptione noſtra, in ſanctæ Crucis ligno mortem oppetere voluit: atque in futuro ſæculo videbunt, atque incomprehenſibilibus bonis illis perfruentur, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quæ quidem reuerà mirabilia in profundo immenſæ bonitatis & ſapientiæ eius repoſita dici poſſunt, cùm ab omni humani intellectus captu ſint remotiſſima. Ad quod appoſitè inquit Apoſtolus: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.*

Trigeſima quarta prophetia ex Pſal. 106.

1. Cor. 2.

Quamobrem ad inſtitutum hoc Ambroſius: *Benè autem nauigant, qui in nauibus Chriſti Crucem ſicut arborem præferunt; atque inde explorant flabra ventorum,* C *vt corpora ſua dirigant ad ſancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque ſecuri. Nec permittunt naues ſuas vago fluctu errare per maria, ſed ad portum ſalutis, & ad conſummationem gratiæ, curſus ſui directione contendunt, vt fida ſtatione potiantur; quæ diſſolutæ, curſus ſuos poſſint in reſurrectione reparare, vbi naufragium timere non poſſunt.*

In Pſal. 47.

Trigeſima quinta ſanctæ Crucis prophetia in libro Pſalmorum colligitur à centeſimi ſeptimi Pſalmi verſiculo illo: *Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Exultabo, & diuidam Sichimam.* Quæ verba Hieronymus, Græcam verſionem & Origenem præcipuè ſecutus, ita legit: *Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Exaltabor & diuidam Sichimam.* Quaſi Pſalmiſta in Chriſti Domini perſona hoc loco dicat: Ego in ligno Crucis exaltabor, & diuidam opera; nouos operarios, id eſt, Gentiles in Eccleſiæ vineam meam introducens, qui tempore ſuo debitos mihi fructus reddant. Quocircà locum hunc idem ſanctus Hieronymus ſic exponit: *Deus lo-* D *cutus eſt in ſancto ſuo, ſiue in templo, ſiue in vnoquoque Sanctorum, ſiue in Propheta. Auditur in Moyſe, auditur in Apoſtolo: & veriùs dico, locutus eſt in Filio ſuo. Quid ergo locutus eſt? Hæc quæ ſequuntur: Exaltabor, & diuidam Sicimam. Propterea, inquit, crucifigor, vt diuidam Sicimam. Sicima interpretatur in noſtra lingua humeri. Humeri autem interpretantur opera. Senſus ergo iſte eſt: Propterea crucifigor, vt opera mea diuidam Sanctis meis. Propterea crucifigor, vt iugum meum ſuaue, & onus meum leue imponam ſuper ceruices hominum. Feciſti Domine quod pollicitus es; exaltatus es, & diuiſiſti Sicimam.*

Trigeſima quinta prophetia ex Pſal. 107.

In Pſal. 107

Trigeſima ſexta ſanctæ Crucis prophetia, vt Theodoreto placet, in ſacro Pſalterio ex centeſimi octaui Pſalmi primo verſiculo decerpitur, qui incipit: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.*

Trigeſima ſexta prophetia, ex Pſal. 108.

Vult enim Theodoretus, vt per laudem hoc loco Crux intelligatur: eiusque est sententiæ, vt Psalmista hîc in Christi Domini persona, in quantum homo erat, æternum Patrem deprecetur; deprecatusque mortem innuat, quam in Crucis ligno passurus erat, nec non & proditionem, quam Iudas scelestissimus ei struxit, iniuriasque, & derisiones, atque ludibria, quibus à Iudæis affectus est. A

In Psal. 108. Quapropter idem Theodoretus hunc Psalmum exponens ait: *Salutarem Crucem Iudæorumque furorem & Iudæ proditionem hic Psalmus præcinit.* Deinde verò versiculi prædicti verba præcipuè exponens, subdit: *Humano more hæc Dominus Christus asserit. Vt enim homo, precatur, mensuram humanæ naturæ implens: vt autem Deus, precationem eorum qui sincerè preces fundunt, admittit: laudem verò Crucem vocat. Etenim sacris in Euangelijs Crucem suam gloriam nominat. Venit enim, ait, hora vt glorificetur Filius hominis. Os quippe peccatoris, & os dolosi Iudam appellauit; quandoquidem iste proditionis fœdera cum Iudæis occultè iniuit.*

Trigesima septima prophetia ex Psal. 109 Trigesimam septimam sanctæ Crucis prophetiam sacer Psalmorum liber prodit, in centesimi noni Psalmi versiculo: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Quasi Regius Psaltes his verbis innuere vellet, videre se in spiritu mundi Redemptorem Christum Dominum, æterni Patris decreto suaque voluntate, extra ciuitatem Sion, quæ est Ierusalem, emitti, ad Caluariæ montem crucifigendum deduci, suamque propriis humeris deferentem Crucem, quam virgam virtutis suæ Dauid appellat: quia hac ipsa Christus Dominus vniuersum satanæ exercitum debellauit, expolians eum splendidioribus spolijs, & pretiosioribus prædis, quas iniustè rapuerat, tyrannidemque, quam in mundum sibi arrogauerat, ei auferens. Quod Theo- B

In Psal. 109. doretus innuere voluit, dum sua in hunc Psalmum interpretatione ait: *Hæc autem salutaris Crucis virga, imperium declarat. Per illam enim, totam inimicorum aciem subegit. In Sione autem hæc fixa fuit.*

Trigesima octaua prophetia ex Psal. 115. Trigesima octaua sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio, centesimi decimi quinti Psalmi verbis illis proditur: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Qua locutione Crux sancta proculdubiò prophetata ac præsignata fuit. Saluator namque noster hanc ipsam, calicem appellauit, cùm discipulis suis dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Eamdemque iterùm calicem vocauit, cùm passionis suæ hora appropinquante, ad Patrem preces fundens ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Et iterùm cùm Pontificis serui auriculam persanauit, ac Petro iniunxit vt gladium in vaginam reponeret, sic eum affatus inquit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Quamobrem Theodoretus, dum Psalmi huius interpretationem prosequitur, ait: C

In Psal. 115 *Calicem Crucem solet nuncupare: Pater, inquit, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Sanctus quoque Basilius affirmat, Psalmistæ verbis prædictis sanctam Christi Crucem apertè prophetatam ac præsignatam esse; asseritque Christum Dominum, ad hæc ipsa verba alludentem, passionem & Crucem suam calicem appellasse. sua enim in hunc Psalmum concione sic tradit: *Quapropter dicit: Calicem salutaris accipiam: hoc est, sitiens ad perfectionem per martyrium venio; supplicia quæ in certaminibus pro pietate obueniunt, requiem & refectionem animæ ac corporis, non dolores ducens. Me ipsum igitur, inquit, sacrificium offeram ac oblationem Domino, quoniam omnia minora duco, quàm pro dignitate ipsius Benefactoris. Atque has meas promissiones paratus sum teste omni populo facere ac persoluere. Vota enim reddam coram omni populo ipsius. Deinde exhortatio sequitur ad auditores, vt ne formident mortem. Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Ne cunctemini, inquit, ad certamen pulchrum vos homines; ne formidetis mortem: non enim corruptio est, sed vitæ causa: non est interitus penitus, sed transitus ad honorem. Equidem* D

In Psal. 115. cóncione 17.

apud

A *apud homines opulentos, lapilli quidam floridis fulgentes coloribus, pretiosi appellari solent: reuerà autem pretiosa res est mors Sanctorum eius. Cùm anima purgata per vitam, ab inquinamentis carnis libera, non habens maculam aut rugam, ex certaminibus pro pietate glorificata, & iustitiæ corona redimita, ex omnibus his virtutis pulchritudine effulgens, adstiterit Domino & Judici vniuersorum, speciositatem ex gratia, omni lapide pretioso magis coruscantem, adepta: quomodo non pretiosa eiusmodi hominis coram Domino mors? Ne igitur lugeamus ob exitus sanctorum virorum ex hac vita, sed magis ob natiuitates, & ad hanc vitam accessus. Nam ingressus in hunc mundum, per ignominiam est sordis & graueolentiæ, & eorum quorum ne conspectum quidem facilè ferat aliquis, qui nos in vita præcessit. Per talia enim carnalis natiuitatis accessus per naturæ necessitatem constitutus est. Verùm exitus, & hinc decessus, speciosus est & illustris: non omnium hominum, sed eorum qui sanctè & iustè vitam hanc transegerunt. Pretiosa igitur est mors, non pretiosa hominum natiuitas. Seminatur enim, in-*
B *quit, in ignominia, surgit in gloria: seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate. Compara itaque mortem natiuitati, & desine lugere ob eum qui ex ignominia liberatus est.* Hucusque Basilius.

Trigesima nona sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalmorum libro, ex centesimi decimi septimi versiculo illo decerpitur: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Pro quorum verborum intelligentia sciendum est, iustitiam & misericordiam, manus Dei optimi maximi mysticè appellari. Cùm enim is æquè iustus atque misericors sit, binis hisce virtutibus, quasi duabus excelsæ magnitudinis & omnipotentiæ suæ manibus, omnia admiranda ac præclara facinora patrare consueuit. Verùm quia crebriùs sæpiusque misericordia, quàm iustitia vti solet; non secùs ac homo frequentiùs dexteram quàm sinistram manum exercet; hinc est quòd misericordia, dextera Dei appellatur. Ergo Spiritus sanctus per os Psalmistæ in Christi Domini persona, hoc loco nil
C aliud innuere voluit, quàm admirandum illum misericordiæ excessum, quem æternus Pater fecit, cùm ruinam nostram miseratus, vnigenitum Filium suum Cruci pro nobis suffigendum dedit. Tunc enim reuerà *dextera Domini*, id est misericordia eius, *fecit virtutem*, id est egregium facinus, hac virtute misericordiæ adeò exundans, vt seipsam non tantùm adęquauerit, sed tota in semetipsam sese transfuderit. Quamobrem iure optimo Psalmista hanc ipsam per Antonomasiam, virtutem appellauit; quandoquidem inter cetera omnia eius admiranda atque præclara facinora longè admodum excelluit. Ad quod forsitan alludens idem Psalmographus, alibi dixit: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Verùm vt declararet apertiùs quænam reuerà fuerit illa à Dei misericordia patrata virtus, de qua hoc loco subintelligi voluit, subdit: *Dextera Domini exaltauit me.* Quasi diceret: Domini misericordia causa fuit, vt ego in Crucis arbore exaltarer. Quin etiam non verbis prædictis tantùm Crux sancta prophetata & præ-
D signata est; sed tacitè atque ingenti planè mysterio ibi etiam innuuntur verba, quæ Pilatus in eiusdem Crucis titulo inscripsit. Nam vbi Latina versio dicit: *Dextera*, Hebraicus textus habet *Jemin*, יְמִין. Quæ dictio, in idiomate illo quattuor litteris conscribitur, videlicet, Iod, Mem, Iod, Nun. Et ex eisdem litterarum characteribus originem sumunt verba illa, quæ in titulo prædicto conscripta fuerunt. Ex littera namque י Iod, principium sortitur יֵשׁוּעַ IESVAH, id est IESVS; ex מ Mem initium habet מֶלֶךְ MELECH, id est REX; ex Iod originem ducit יְהוּדִים IEHVDIM, id est IVDAEORVM; ex נ Nun, נוֹצְרִי NOZRI, id est NAZARENVS.

Quadragesima sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio, vt diuo Ambrosio placet, ex centesimi decimi octaui Psalmi verbis illis colligitur, quæ sub octonario litterę ה HE continentur: *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum.*

Trigesima nona prophetia ex Psal. 117.

Misericordia & Iustitia quasi Dei dextera & sinistra.

Psal. 114.

Quadragesima prophetia ex Psal. 118.

Quæ

Quæ verba Hieronymus ex Hebraico textu ita conuertit: *Auerte opprobrium meum, quod reueritus sum.* Quo loco per verbum illud, *opprobrium*, vult Ambrosius Psalmistam Christi Crucem sanctam intellexisse ac præsignasse. Quocirca verba prædicta in hunc modum exponit: *Quamquam istud opprobrium Christi sit, quod non est verum opprobrium, sed gloria Dei. Crux enim Christi Iudæis scandalum, Græcis stultitia. Illis ergo opprobrium, mihi virtus est, per quam aduersarium repello, sæculum vinco. Mihi sapientia, per quam insipientiæ laqueos euado. Hoc opprobrium thesauris Ægypti Moyses prætulit, maius æstimans Ægypti thesauris opprobrium Christi. Si opprobrium tuum gloria est, Domine Iesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur gloriæ participatione quid erimus, cuius sumus opprobrio gloriosi? Dorsum meum posui in flagella, maxillas meas in palmas. Os autem meum non auerti à confusione sputorum. Ecce opprobrium tuum Domine, in quo salus vniuersorum, in quo mundi redemptio: per quod opprobrium cœpimus non erubescere, qui erubescebamus; non confundi, qui confundebamur. Denique scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Hoc opprobrium auferri à nobis nolumus, opprobrium Crucis Domini Iesu, quo nostra auferuntur opprobria. Sicut enim maledictum factus est, vt nostra maledicta deleret; homo factus est, vt hominis infirmitates leuaret; ita opprobrium factus est, vt omnium auferret opprobria.*

(Margin: In Psal. 118. octonar. 5.) (A) (B)

Quadragesima prima prophetia ex Psal. 118

Quadragesimam primam sanctæ Crucis prophetiam sacro Psalmorum textu, centesimi decimi octaui Psalmi verba illa octonario tertiæ litteræ ס Samech contenta demonstrant: *Confige timore tuo carnes meas.* Quæ quidem verba, iuxta Septuaginta interpretum versionem, ita sonant: *Confige clauis à timore tuo carnes meas.* Quam versionem Theodotio etiam, & cum eo Ambrosius, Augustinus, & alij secuti sunt. Aquila autem sic ea verba interpretatus est: *Clauis fixa est à pauore tuo caro mea.* Et sanctus Cyprianus eadem ita legit: *Confige clauis de metu tuo carnes meas.* Quæ tamen interpretationes ad vnum & eumdem sensum tendunt. Quasi diceret Propheta (quippe qui in Christum venturum firmiter credebat, & qui prophetico spiritu illustratus, sanctam eius passionem & crucem prospiciebat:) Confige, ô vere Rex Messias, ac mundi Saluator, timoris tui clauis carnes meas; meque tecum sanctæ Cruci firmiter in fige, ita vt passionis ac mortis tuæ meritorum, nec non & redemptionis tuæ, ego quoque (licet multorum sæculorum longinquitate seiungar) particeps efficiar. (C)

Quòd autem verbis prædictis Crux sancta prophetata fuerit, cuncti penè sacri Doctores testantur; atque inter ipsos præsertim sancti Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, & alij complures. Quamobrem in eadem scribens Ambrosius, inquit: *Qui diligit Domini testimonia, configit clauis carnes suas; sciens quia vetus homo suus cum Christo confixus Cruci, luxuriam destruat carnis, ne cupiditates eius indomito feruore lasciuiant, ne radix auaritiæ serpentibus se fundat radicibus. Confige ergo clauis, & destrue fomenta peccati, moriatur in carne tua omnis illecebra delictorum; libertatem vagandi cupiditas voluptatum Cruci affixa non habeat. Est quidam clauus spiritalis, qui patibulo Crucis Dominicæ affigat has carnes. Et fortasse sunt carnes quædam animæ, sicut corpus est animæ. Carnes animæ sunt carnales cogitationes. Configat has carnes timor Domini & iudiciorum eius, & seruituti redigat. Quòd si carnes istæ reijciunt clauos diuini timoris, haud dubiè dicitur: Non permanebit Spiritus meus in his hominibus, quoniam carnes sunt. Nisi igitur affigantur Cruci hæ carnes, & configantur clauis à timore Domini, non permanebit in his Spiritus Dei.*

(Margin: In Psal. 118. octonar. 15. Tom. 2.) (D)

Sicut enim, subdit idem Ambrosius, *sunt aculei timoris, quibus compungimur, ita sunt claui timoris quibus configimur. Qui compungitur, exercitatur: qui configitur, mortificatur, vt peccato deficiat, Deo viuat. Vt sciamus autem clauos spiritales esse, etiam stimuli spiritales sunt, de quibus scriptum est: Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare.*

Hoc

A *Hoc stimulo Paulus stimulatus surrexit è terra, & se leuauit vt cõuersaretur in cælo. Confixus est clauis Apostolus Thomas, vt diceret: Nisi videro in manibus eius fixuras clauorũ, & mittam digitum meum in locum clauorum. Claui erant bonæ cupiditates; claui erant, etsi non perfectæ fidei, tamen fidei incremẽta quærentis. His configitur clauis, qui Christo commoritur, vt cum Christo resurgat. His configitur clauis, qui mortificationem Domini Jesu in corpore suo portat. His clauis configitur, qui meretur audire dicentem Jesum: Pone me vt signaculum in cor tuum, vt sigillum in brachium tuum, quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Infige ergo pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat. Fortasse hanc imaginem claui non solùm timoris, sed etiam charitatis affigunt; quia valida est vt mors charitas, durus sicut inferi zelus. Non te ergo offendat duritia clauorum, quia est duritia charitatis; nec validus clauorum rigor, quia valida est etiam charitas sicut mors. Charitas enim culpam &* Sunt claui & timoris & charitatis quibus configimur.
B *omnia peccata mortificat. Charitas sicut mortis ictus interimit.*

Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus. Charitas est Deus, charitas Dei Verbum, quòd est validum, & acutius omni gladio acutissimo, vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, artusque & intima penetrans medullarum. Est durus ergo zelus charitatis, qui non cedat inferis, cùm pro Dei zelo vnusquisque nec suis parcat. His clauis charitatis configatur anima nostra, vt & ipsa dicat: Quia vulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauum suum charitas, habet gladium suum, quo anima vulneratur. Felix qui hoc gladio meruerit vulnerari. Hæc sunt vulnera, quæ osculis præferuntur. Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. His nos vulneribus offeramus, quibus quicumque mortuus fuerit, mortem videre non potest. Talis eorum erat mors, qui Dominum sequebantur, de quibus dictum est: Sunt aliqui de istis adstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo. Meritò Petrus non timebat hanc mortem. Non timebat enim qui dicebat,
C *Quia etsi oportuerit eum pro Christo mori, non eum relinqueret, aut negaret. Tollamus ergo Crucem Domini, quæ configat carnes nostras, peccatum destruat. Est timor qui configit carnes. Nisi, inquit, quis tulerit crucem suam & secutus me fuerit, non est me dignus. Ille enim dignus est, qui habet Christi timorem, vt crucifigat omne carnale peccatum. Hunc timorem sequitur charitas, quæ consepulta est cum Christo: non diuellatur à Christo, moriatur in Christo, attumuletur Christo, resurgat cum Christo.* Hæc omnia apposite ad hoc institutum Ambrosius.

At diuus Augustinus non tantùm docet vnde Septuaginta interpretum traductionis à nostra Vulgata editione in verbis prædictis varietas oriatur, verùm etiam apertè asserit, iisdem Crucem sanctam innui ac præsignari; inquit enim: *Confige clauis à timore tuo carnes meas: sic enim expressiùs interpretati sunt quidam nostri: quod Græcè vno verbo dici potuit, καθήλωσον, hoc alij confige dicere voluerunt, nec addiderunt, clauis; atque ita dum volunt vno verbo Græco vnum Lati-* In Psal. 118 cõcione 25.
D *num interpretando reddere, sententiam minùs explicauerunt. Quoniam quod est confige, non sonant claui: καθήλωσον autem sine clauis intelligi non potest; nec nisi duobus verbis Latinè dici potest, sicut dictum est confige clauis. Vbi quid vult intelligi, nisi quod ait Apostolus: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. & iterum: Christo, inquit, confixus sum Cruci.*

Sanctus autem Hilarius asserit, Psalmistam verbis prædictis Deum rogasse, vt singularis gratiæ dono sibi concederet cum Christo Domino sanctæ eius Cruci configi: *Nouæ*, inquit, *& inusitatæ preces Prophetæ sunt, vt à timore Dei carnes suæ configantur: sed meminit compatiendum & commoriendum esse cum Christo his qui conregnare cum eo velint. Et minore istud dicti virtute Latinitatis translatio elo-* In Psal. 118 sub litera Samech, in fine.

tio elocuta est. Quod enim nobiscum est, confige, illic καθήλωσον id significat, vt clauis se A
configat. Moriendum ergo nobis est, & omnia carnis nostræ vitia configenda Cruci Domini sunt. Morimur enim secundùm Apostolum cum Christo, & consepelimur in Baptismo. Et hoc Propheta quamquam in sua voluntate habeat, tamen, vt per Dei misericordiam consequatur, postulat. Configi enim ex timore Dei carnes suas orat, quia iudicia sua metuat. Timet enim æterni iudicij sententiam, timet non cum Christo configi, & commori, & consepeliri; nouum se hominem, nisi vetere cum vitiis & concupiscentiis exuto, intelligens non futurum.

Quadragesima secunda prophetia ex Psal. 118 Quadragesima secunda sanctæ Crucis Christi Domini prophetia in sacro Psalterio, centesimi decimi octaui eiusdem Psalmi verbis illis proditur, quę sub octonario litteræ ש Sin continentur: *Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum.* Quasi diuinus Psaltes hoc loco sermonem suum ad Dominum Redemptorem nostrum dirigens, ei diceret: Crux tua, ô vere Messia, Dei Fili vnigenite, & vniuersi Redemptor, multæ pacis & requietis causa erit his qui in B
te credentes nomen tuum sanctum diligent, quibus non erit Crux ipsa tua vt iam perfidis Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia. Quocircà diuus Ambrosius locum hunc exponens ait: *Crux Christi Judæis scandalum, Græcis stultitia est. Scandalum est perfido; quia dicit Judæus: Ergo hic Deus est, qui homo visus est, qui ieiunauit? Hic Deus est, qui vapulauit? Hic Deus est, qui crucifixus est; qui de Cruce descendere, & se liberare non potuit? Denique hoc dicebant tempore Dominicæ passionis: Descendat de Cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult. Non te ista teneant, non te ista perturbent, non in animum tuum huiusmodi se inserant cogitationes. Vbi pax, & multa pax, ibi Crux Christi non opprobrio sed saluti est. Non fuit opprobrio Petro Crux Christi, qui tantum eius gloriæ dedit, vt inuersis Christum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est. Quia pro nobis passus est Dominus, quia nos illo redemit* C
sanguine, illa ad Paradisum resurrectione reuocauit. Qui hæc credit, quomodo potest turbari, cui spes Regni cælestis assurgit?

In Psal. 118 Octon. 21.

Quadragesima tertia prophetia ex Psal. 138. Quadragesima tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalmorum libro centesimi trigesimi octaui Psalmi verbis illis considerata est: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.* Quo loco, dum Propheta de Dei potentia locutus est, ostendens illam ab excelsiore cæli sublimitate profundum inferni penetrare, & ab ortu diei, id est, ab Oriente ad extremas partes maris, id est Occasus, pertingere; sanctam Crucem proculdubiò innuit atque descripsit; cuius quatuor extremitatibus diuina potentia & misericordia, omnia quæ sunt in cælo, quæ sunt in terra, & quæ erant in inferno, reconciliauit atque instaurauit. Crucis enim altitudo in cælum vsq; ad Angelorum choros resarciendos, sese extulit; profunditas autem ad infernum ex- D
poliandum penetrauit abyssos: longitudo verò & latitudo eius, pro hominum redemptione ac salute ab Ortu vsque ad Occasum extensæ sunt. Quòd autem verbis prædictis, Crux sancta præsignata sit, altitudine nimirum ac profunditate eius, quasi recta trabe è cælo in infernum defixa; longitudine verò ac latitudine, quasi transuersali ligno ab Oriente in Occidentem porrecto atque deducto; ingeniosè admodum atque apertè sanctus Gregorius Nyssenus docuit, cùm inquit: *Figuram hanc Crucis magnus etiam Dauid de se loquens expressit: Quò ibo, inquit, à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum (hæc est sublimitas) tu illic es. Si descendero in infernum (hoc est profundum) ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, id est, ad ortum solis (hæc est latitudo) & habitauero in extremis maris:*

In Christi Resurr. Orat. 1.

A *maris: sic Occasum appellat (hæc est longitudo.) Cernis quomodo Crucis figuram describat? Tu es, inquit, qui per omnia commeas, qui cuncta deuincis, qui in te ipso comprehendis vniuersa. Tu supra es, tu infra: in hac extrema parte manus est dextera tua, in illa sinistra.* Idem quoque Theodoretus paucis his verbis innuit: *Diluculum Orientis partes vocauit, extremas verò partis maris Occidentem; alto & profundo longitudinem & latitudinem apposuit.*

Quadragesimam autem & quartam sanctæ Crucis prophetiam, apertè admodum Psalmographus pronuntiauit centesimi quadragesimi Psalmi verbis illis: *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quasi Regius Propheta in Christi crucifixi persona hoc loco diceret: Manus meæ Cruci eleuatæ atque confixæ sacrificium vespertinum sunt, quod pro hominum peccatis æterno Patri offero. Quamobrem sanctus Cyprianus aduersus Iudæos scribens, verba hæc tamquam veri Messiæ Crucis & passionis apertissimam prædictionem, ab eo- B rum cæcitate non perspectam, eis exprobrat; asserens sacrificium hoc vespertinum illud idem esse, de quo Sophonias etiam intellexit, cùm dixit: *Metuite à facie Domini Dei, quoniam propè est dies eius: quia parauit Dominus sacrificium suum, sanctificauit electos suos.* *Quadragesima quarta prophetia ex Psal. 140.* Test. aduersus Iudæos, li. 2. cap. 20. Sophon. 1.

Diuus verò Augustinus testatur, Regium Psaltem hoc loco de Christo Domino proculdubiò locutum esse; qui reuerà ille fuit, qui in sancta Cruce sua, hora qua iam ad vesperam inclinabat dies, spiritum emisit, sacrificium æterno Patri se ipsum offerens: *Hoc*, inquit, *de ipso capite solere dici, omnis Christianus agnoscit. declinante enim die in vesperam, Dominus in Cruce animam deponit recepturus, non amisit inuitus. Sed tamen & ibi nos figurati sumus. Quid enim illius pependit in ligno, nisi quod de nobis accepit? & vnde fieri potest, vt aliquando Deus Pater dimittat & deserat vnicum Filium suum, qui vtique cum illo vnus Deus est? Et tamen nostram infirmitatem figens in Cruce, vbi vetus homo noster, sicut dicit Aposto-* C *lus, confixus est Cruci cum illo, ex voce ipsius hominis clamauit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Illud est ergo sacrificium vespertinum, passio Christi, Crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo.* In Psa. 140.

Id etiam paucioribus verbis sanctus Isidorus scripto commendauit, dicens: *Sed & in Psalmis iterùm, quia extendit manus suas in Cruce, sic dicit: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum; siue quòd veniente quasi mundi vespera, siue quòd declinante iam sole ad vesperam, Dominus in Cruce animam posuit, eleuans manus suas in idem Crucis lignum, atque offerens se ipsum Deo pro nobis sacrificium, vt per illud sacrificium delerentur peccata nostra.* De passione Domini c. 15.

Quadragesima quinta sanctæ Crucis prophetia in sacro Psalterio quasi gemma refulgens sub litteræ velo, centesimi quadragesimi tertij Psalmi verbis illis translucet: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Quem Psalmum ac verba secundùm litteram Dauid pro D se ipso cecinit, tunc cùm Philisthæum gigantem superauit: at secundùm spiritum & mysticum sensum, in Christi Domini persona ea cecinit, præuidens illum ex semine suo venturum esse, ad debellandum & prosternendum figuratum gigantem, & superbissimum tyrannum illum, qui mundi dominium sibi arrogauerat. Tunc enim dici potest, Deum Redemptoris ac Domini nostri Iesu Christi manus ad bellum docuisse, cùm manibus ac pedibus Crucis ligno clauis affixis, morte sua mortem ipsam deuicit, letalemque hostem satanam proculcauit, expolians eum dominatu atque tyrannide, quam in mundum vsurpauerat. Verbis autem prædictis præsignatum ac prophetatum fuisse certamen & prælium, quod Christus Dominus gessit, atque de mundo, de carne, ac de diabolo victoriam reportauit, dum manus suas Crucis ligno extensas atq; *Quadragesima quinta prophetia ex Psal. 143.*

suffixas haberet, sancti Hilarij verba locupletissimum dant testimonium: sic A
In Psa.143. enim tradit: *Si ob id*, inquit, *gratulationi interfecti Goliæ deputatur hic Psalmus, quia dictum est, Qui docet manus meas in bellum; accipiant exemplum hoc personæ potiùs Domini conuenire. Nam in septimo decimo Psalmo, qui totus ex persona Domini consistit, idipsum dictum ita meminimus: Qui docet manus meas in prælium, & posuit vt arcum æreum brachia mea.* Et paulò infrà: *Manus igitur eius edoctæ ad bellum sunt, cùm vicit sæculum. Ego enim, ait, vici mundum: cùm extensus in Crucem inuictissimis armis ipsius passionis instruitur. Et posuit, inquit, vt arcum æreum brachia mea: cùm de omnibus virtutibus ac potestatibus in ipso se trophæo gloriosæ Crucis triumphat, & principatus & potestates duxit cum fiducia, triumphans in semetipso; cùm dissidentia inter se cælestia & terrena pacificat. Et in ipso, inquit, reconciliari omnia in eum, pacificans per sanguinem Crucis suæ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis. Ad hoc igitur bellum manus eius edoctæ sunt, in quo arcus ærei certamine vincitur: dehonestatione potentes triumphantur, pace reconciliantur inimici. Sed post manuum bellum, succedit & digitorum prælium: omnis enim in eo habitus, & pugna passionis ostenditur. Manus enim extenduntur, & digiti configuntur in palmis: vetus scilicet chirographum secundùm Apostolum delens, & affigens illud Cruci. Etiam illas partes manuum commemorat in prælio, cum quibus omnia veterum criminum peccata confixa sunt.* B

Vtrumque bellum, & manuum & digitorum, mysticè in Cruce.

Verùm Theodoretus hunc locum ingeniosè exponens, asserit Psalmographum verba antedicta in persona cuiuslibet etiam Christi fidelis cecinisse. Quandoquidem nos etiam vnà cum ipso Deo optimo maximo gratias agere possumus, dicentes: Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum; dum posteaquam à diaboli tyrannide liberati sumus, manus nostræ ad bellum edoctæ sunt; cùm eas in operibus iustitiæ, pietatis, & misericordiæ exercemus: digitique nostri prælio instruuntur, dum ipsis Crucis signum frontibus nostris imprimimus; quo insidiosus ac nefarius hostis victus atque confusus, statim in fugam præceps conijcitur; inquit C
In Psa.143. enim: *Etiam nobis verba concinunt. Nam à diaboli tyrannide liberati, à Deo pugnare docti sumus; manibus quidem iustitiam operantes, & per digitos Crucis signum in frontibus imprimentes.* Et nos cum eodem Crucis signo, in Domini nostri benedicto nomine, Capiti huic finem tandē imponemus; cùm hactenus in nimiam sese prolixitatem extenderit: sed hoc pius ac benignus Lector æqui bonique consulat. nam materia quæ in eo continetur, diuidi nequiuit; quemadmodum etiam & Psalmorum liber ipse, à quo manat, diuisionem non recipit.

CAPVT VI.

De sanctæ Crucis Prophetiis, quæ Canticorum libro continentur.

CVM de insignioribus sanctæ Crucis prophetiis, quæ sacro Psalmorum libro continentur, præcedenti Capite satis fusè tractauerimus (quorum Psalmorum pars quædam à sacro Rege ac Propheta Dauid edita fuit) rationi nunc & naturæ consona quadam id exigente consequentia, nobis agendum est de his, quas per os Salomonis filij eius Spiritui sancto proferre placuit. Quemadmodum enim is Regni amplitudinis heres fuit, ita vt felicitate, diuitiis, potentia, pace, maiestate, splendore, humanaq; ac temporali gloria patrem ipsum longè admodum antecelleret, ita prophetici etiam spiritus heres extitit; & tanto maiore fortasse Spiritus sancti gratia donatus, quanto maior fuit sapientia, D
De Salomone c.1. qua speciali dono super omnes homines præcipuè à Deo ornatus est. Quamobrem diuus Ambrosius de eo loquens, meritò omnium hominum sapientissimum

A mum ac Prophetam illum appellauit. Et ſanctus Auguſtinus teſtatur, Salomonem ipſum in libris ſuis etiam prophetaſſe; ſic enim de eo inquit: *Prophetaſſe Salomon etiam ipſe reperitur in ſuis libris; qui tres recepti ſunt in auctoritatem canonicam, Prouerbia, Eccleſiaſtes, & Canticum canticorum.* Pſellus verò apud Theodoretum de Salomone ſic pariter locutus eſt: *Sapientiſſimus ille Propheta Salomon, Dauidis filius ex ea quæ fuit Vriæ, tria quædam in vita volumina conſcripſit.* De Ciuit. Dei lib. 17. cap. 20. In Cantica Canticorū Præfat.

Tria nomina Salomon ſortitus eſt, vt inferiùs dicemus; & iuxta trium nominum ſuorum numerum, tres libros conſcripſit: quorum primus ille eſt, quem Hebræi Miſle, Græci Parabolas, & Latini Prouerbia appellant. Quandoquidem in eo, ſub quadam comparatiua ſimilitudine, verborum figuras, & veritatis imaginem oſtendit; veri tamen intelligentiam Lectorum iudicio relinquens. Secundus verò liber ab Hebræis Coheleth, à Græcis Eccleſiaſtes, & à Latinis Concionator vocatur. In eo enim documenta atque conſilia, veluti B quædam ſpirituales conciones, non vni quidem homini, vt in Prouerbiis fit, ſed ad omnes in vniuerſum diriguntur: cùm doceat omnia quæ hîc inferiùs in hoc mundo conſpicimus, vana, breuia, ac tranſitoria eſſe; & propterea indigna quæ ab aliquo magno animi ſtudio expetantur. Tertius demum liber ab Hebræis Sir Haſſirim dicitur, quod Latina lingua, Cantica canticorum interpretatur. In quo quaſi per epithalamium, id eſt, nuptiale quoddam carmen, Sponſi & Sponſæ, id eſt, Chriſti & Eccleſiæ coniunctionem myſticè canit. Per Antonomaſiam autem Canticum canticorum dicitur; tamquam omnium canticorum digniſſimum ac nobiliſſimum; cuius cantici intuitu cetera omnia edita ſunt cantica: & quia cetera cantica, ad feliciſſimum canticum hoc, Chriſtianam animam demum perducunt. *Salomon iuxta tria ſua nomina, tres etiam libros conſcripſit.*

Diſciplinarum autem genera tria in his tribus libris ſuis Salomon complexus eſt, quibus ad rerum ſcientiam pertingitur; id eſt, Ethicam, ſic à Græcis nuncupatam, quam nos Moralem dicere poſſumus; Phyſicam, quam Naturalem C vocabimus; & Theoricam, id eſt, Contemplatiuam. In Prouerbiis enim moralia docens, per communem quamdam loquendi conſuetudinem, Lectorum mentes ad altiorum documentorum intelligentiam perducit. In Eccleſiaſte verò, rerum naturas diſcutiens ac diligenter expendens, omnia quæ in mundo ſunt, vana & caduca eſſe oſtendit: ad hoc, vt Lectores eorum fragilitate ac vanitate deprehenſa, ea deſpiciant, & mundo confeſtim nuntium remittere determinent. In Canticis canticorum demum, viſibilia omnia ſupergreſſus, cæleſtia ac diuina contemplatus, ſub ſponſi ac ſponſæ metaphora, Chriſti & Eccleſiæ vnitatem oſtendit: animamque fidelem & piam ad Creatoris ac Redemptoris dilectionem excitans, docet quàm magna atque immenſa ſint, quæ ab eo accepit beneficia; quàm alta atque profunda ſit ineffabilis benignitas, infinita bonitas, incredibilis miſericordia, ſumma clementia, & inenarrabilis cha- D ritas Dei; qui cùm ſit rerum omnium Auctor, Factor, Creator, Rector, Imperator, Rex, Princeps, & Dominus, ſemper ſtabilis atque æternus, ſibi ſufficientiſſimus, nulliuſque indigens, hominem tamen cœnoſum ac luteum animal, mortale, corruptibile, ingratum atque inutile, tam mirificè dilexerit, intimiſq; præcordiis amauerit: & vt eum ab æterna morte, atque à diaboli horribili ſeruitute eriperet, ipſemet homo factus ſit, & pro eo mori voluerit; & vt eum liberum faceret, ipſe ſe ſeruum conſtituerit: neque ſibi ſatisfeciſſe arbitratus, quòd indignum atque ingratum ſeruum in libertatem vindicauerit, eumdem ſibi in filium adoptauerit: neque ibi ſuæ in eum beneficentiæ gradum ſiſtens, eiuſdem animam ſibi ſponſam effecerit, ipſeque ſponſus eius eſſe dignatus ſit; innumerabilia monilia, & ſponſalia dona ei tribuens, thalamum ſuum orna- *Suauiſſima myſteria recondita in Cantico canticorū.*

uerit, miseramque nuditatem eius vestierit, ac demum ipsemet eiusdem feli- A
cis atque beatæ sponsæ vestis, cibus, panis, potus, via, porta, vita, lux, & re-
surrectio effici voluerit. Iure igitur optimo liber iste Canticum canticorum ap-
pellatus est. Maiorum enim diuinæ bonitatis beneficiorum agnitionem nos
docens, secretioraq; ac magis recondita benignitatis & misericordiæ Dei opti-
mi maximi erga nos retegens mysteria, ad eum laudandum ac benedicen-
dum, desiderium nostrum excitat mouetque, vt læte canentes, debitas atque
ingentes ei gratias referamus.

Tria nomina sapientissimus Rex iste, vt superiùs diximus, sortitus est; nimi-
rum Salomon, Idida, & Coheleth, siue Ecclesiastes; & in omnibus hisce tribus
nominibus Christi Domini typum atq; figuram gessit. Salomon enim pacifi-
cus interpretatur: Christus namq; Rex ille pacificus verè fuit, de quo hodie san-
cta Dei canit Ecclesia: *Rex pacificus magnificatus est, cuius vultum desiderat vniuersa*
terra. Et non solùm pacificus fuit, sed ad hoc venit in mundum, vt pacem fer- B
ret ac prædicaret; quemadmodum olim de eo Propheta prędixerat, cùm inquit:
Psal. 84. *Quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Idida verò dilectus Domini declaratur:
Matth. 17. dilectus autem Domini, meritò Christus fuit, de quo Pater æternus: *Hic est*
Filius meus dilectus; & de quo Spiritus sanctus per eiusdem Salomonis os inquit:
Prou. 31. *Quid dilecte mi? quid dilecte vteri mei? quid dilecte votorum meorum?* Ecclesiastes
pariter idem Dominus Iesus Christus fuit, qui è cælo in terram descendens,
formamque serui indutus, sancta prædicatione sua congregauit Ecclesiam.
Quamobrem in hac sententia de eo loquens Origenes, ait: *Verus Ecclesiastes*
In Canticū canticor. Prolog. *Christus est, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,*
vt congregaret Ecclesiam. Diuus autem Hieronymus paucis quidem, sed omni le-
pôre affluentibus verbis trium Salomonis nominum significationem promens,
S. Hieron. Paulino epist. 103. ostendensque quid scripta eius contineant, inquit: *Salomon pacificus & amabilis*
Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam iungit & Christum, sanctarumque C
nuptiarum dulce canit epithalamium. Non est igitur cur miremur, quòd idem Sa-
lomon Christi Domini figuram tot modis portauerit, cùm Spiritui sancto fue-
rit placitum, tot sanctæ Crucis, passionis & mortis eius prophetias admirabi-
lesque prædictiones per os eius proferre; præsertim verò in prædicto suo Can-
ticorum libro, qui altissimorum mysteriorum totus est refertissimus. De cuius
prophetiis ad institutum hoc nostrum spectantibus, hîc tantummodò tra-
ctabimus, ceteras breuitatis causa prætermittentes, quæ in Prouerbiis & Ec-
clesiaste forsitan contineri possent.

Cant. 1. Prima igitur sanctæ Crucis prophetia, quæ in sacro Canticorum libro rete-
Primum Mysterium Crucis, Iudæis pugnantibus contra sponsum. gitur sub velo litteralis corticis, splendidè refulget in verbis illis: *Filij matris*
meæ pugnauerunt contra me: posuerunt me custodem in vineis. Quasi hoc loco dice-
ret Salomon, in veri Messiæ Christi, Regis & Saluatoris nostri persona: Filij
matris meæ secundùm carnem, id est, Hebraicæ synagogæ filij, Iudæorum po- D
pulus, pugnauerunt contra me, & persecuti sunt; eminentique Crucis ligno ex-
tollentes, in duorum latronum medio, Hebræorum atque Gentilium populum
significantium, tamquam custodem in vineis statuerunt: vt tamquam custos
& vigil super eos excubarem, atque in eo omnem curam intenderem, vt ex duo-
bus vnam tantummodò vineam, id est, vnicam Ecclesiam Deo dilectam at-
S. Cyprian. siue quicūque alius antiquiss. Auctor, De montibus Sina & Siō. que amabilem constituerem. Quamobrem sanctus Cyprianus ait: *Posuerunt*
me velut custodiam pomarij; eò quòd in horto ligno confixus, inter duos latrones pepen-
dit. Et de altitudine ligni ambos speculatur, in figura duorum populorum malefactorum:
Gentes in sæculi malefacta iacentes, & Iudæos interfectores Prophetarum. Hi sunt duo
populi malefactores, quorum figuram in se portabant duo latrones, inter quos pependit
inno-

A *innocens. Vnus blasphemabat, alius verò confessus est, quia innocens iniuriam patiebatur. Jesus autem ambos speculabatur de ligno speculatorio, blasphemum, & confessorem: confessorem saluauit, & blasphemum perdidit, sicut de duobus populis fecit. Persecutores derelicti, qui in æternæ mortis sententia sibi non crediderunt; si sic de sæculo exierint, peribunt. Gentes verò ad se conuersæ, fidem sibi habentes, qui Filius Dei est, saluatæ, videbunt in æterna sæcula sæculorum Jmperatorem & Regem suum.*

Et in fine eiusdem tractatus idem Cyprianus, siue quicumque alius auctor illius extiterit, eadem sacri textus verba repetens, *Posuerunt me custodem in vineis*; subdit: *Vinea Dominica & spiritalis, plebs est Christianorum, quæ custoditur iussu Dei Patris, à puero Christo in ligni speculo exaltato. Quòd si viator diabolus perambulans viam sæcularem, ausus fuerit de vinea spiritali, hominem de plebe Dominica separare & vexare, statim à puero cælesti voce correptus, & spiritalibus flagris emendatus, exulans ad centesimum effugit, in locis aridis & desertis. Hic est custos puer* B *Filius Dominicus, qui vineam suam sibi à Patre commendatam, saluandam & seruandam accepit; de quo Isaias Propheta canit, dicens: Ecce puer meus dilectissimus, ponam super eum Spiritum meum, & iudicium Gentibus nuntiabit. Non clamabit, neque contendet: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, quoadusque expellat in contentione iudicium: & in nomine eius Gentes credent & sperabunt.* Isaiæ 42.

Secunda sanctæ Crucis prophetia Canticorum libro contenta, à Spiritu sancto in mysterio verbis illis prolata est: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Videtur enim verbis hisce sancta Ecclesia, vera atque dilecta Christi sponsa, Domini dulcissimique sponsi ac Redemptoris sui amarissimæ passionis, Crucis, ac diræ mortis memor, commiserationis & grati animi affectu perfusa, dicere: En dilecti sponsi ac Redemptoris mei Crucis & mortis memoria, quasi C myrrhæ fasciculus mihi amara est, & inter vbera mea commorabitur; id est, in medio pectoris & cordis mei, gratissima recordatione & memori mente semper fixa permanebit. Verùm quemadmodum dilectus meus mortis suæ recordatione, vt myrrhæ fasciculus mihi amarus est; ita & resurrectionis ipsius memoria, vt botrus vuæ Cypri gustui meo dulcis ac periucundus est. Quod sanè sanctus Isidorus, verba prædicta exponens, doctè expressit, dum ait: *Mors dilecti mei, quam pro mea salute subiit, semper in mea memoria commorabitur. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi: qui fuit fasciculus myrrhæ in amaritudine passionis, ipse est botrus Cypri in dulcedine resurrectionis: myrrha tristificat, vinum lætificat.*

Cant. 1. *Secundum mysterium in Fasciculo myrrhæ, & Botro Cypri.*

In Cantica cantic. c. 1.

Sanctus autem Ambrosius eadem hæc verba pariter exponens, licet sensu vario, ac differenti littera, illa tamen ad Crucis Christi significationem adaptat: *Colligatio, inquit, guttæ consobrinus meus mihi: inter vbera mea requiescet. Corpus enim* D *suscipiens Dominus Iesus, charitatis se vinculis illigauit, & non solùm se membris nostris, & passionibus naturalibus, sed etiam Cruci vinxit: ideoque sicut colligatio in Ecclesiæ fide, & morali requiescit gratia. Botrus Cypri consobrinus meus in vineis Engaddi. Engaddi, si locum quærimus, regionis cuiusdam quæ in Judæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur: si interpretationem, tentatio Latinè significatur. In illis enim vineis lignum est, quod si quis compungat, vnguentum emittit. Hic fructus est ligni, si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: cùm autem compunctum fuerit artificis manu, tunc lacrymam distillat, sicut & Christus in illo tentationis ligno crucifixus illacrymabat populum, vt peccata nostra dilueret; & de visceribus misericordiæ suæ fundebat vnguentum, dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc ergo in ligno compunctus est lancea, & exiuit de eo sanguis & aqua, omni vnguento suauior;*

In Psal. 118. octonar. 3. Tomo 2.

Quid sit Engaddi, docet sanctus Hieronymus in tractat. De locis Hebraicis in verbo Engaddi.

uior; accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effundens: & quasi balsamum ex arbore, sic virtus exibat è corpore. vnde ait: Sentio virtutem exisse de me. Inde opobalsamum expressiùs dicitur, eò quòd compunctione ligni balsamum per cauernam punctionis erumpit. Compunctus igitur Iesus, odorem remissionis peccatorum & redemptionis effudit: nam & constrictus erat Verbum cùm esset homo factus; & pauper factus, cùm diues esset, vt nos illius inopia ditaremur. Potens erat, & despiciendum se præbuit, ita vt Herodes sperneret eum, & illuderet ei. Terram mouebat, & hærebat in ligno: cælum obducebat tenebris, mundum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat caput, & exibat Verbum: exinanitus erat, & replebat omnia: descendit Deus, ascendit homo: Verbum caro factum est, vt caro sibi Verbi solium in Dei dextera vendicaret. Vulnus inflictum erat, & fluebat vnguentum. Scarabæus audiebatur, & Deus agnoscebatur. Hæc Ambrosius. A

Per myrrhæ autem fasciculum, Christum crucifixum intelligi debere, etiam in Glossa ordinaria affirmatur his verbis: *Fasciculo myrrhæ comparatur Christus, dum propter nos Crucis iniurias tolerauit.* Subditque ibi Glossa, myrrham arborem in Arabia præcipuè gigni, quinque cubitorum altitudine, spicæ illi persimilem quam Acanthum appellant, cuius gutta viridis & amara est, vnde myrrhæ nomen accepit. Guttam autem eius per seipsam sponte manantem pretiosiorem asserit; illam verò quæ per corticis incisionem defluit, viliorem esse testatur; sed vulneribus atque infirmitatibus medendis vtiliorem. Venerabilis autem Beda testatur prophetiam hanc, non quo ad mysticum sensum tantùm, verùm etiam quoad litteram adimpletam esse, cùm expleta Domini passione, & corpore eius è Crucis ligno deposito, venit Nicodemus misturam myrrhæ & aloës deferens quasi libras centum, illudque aromatibus illitum linteis inuoluit: *Dilectus igitur Ecclesiæ*, inquit, *fasciculus myrrhæ factus est, quando Dominus myrrha & aloë perlitus, linteis inuolutus est. Qui videlicet fasciculus inter vbera sponsæ commorabitur, cùm Ecclesia mortem sui Redemptoris sine intermissione intimo in cordo meditatur. Inter vbera enim cordis esse locum, quis nesciat? & fasciculus myrrhæ inter vbera sponsæ commorabitur, cùm anima quæque Deo consecrata, mortem eius à quo se redemptam nouit, intenta mente, quantum valet, imitari satagit: memor illius Apostolici sermonis: Quia quicumque sunt Iesu Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* B C

In Cantica canticor. lib. 2. cap. 1. Galat. 5.

Tertium mysterium Crucis. Cantic. 2.

Tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Canticorum libro ingenti planè mysterio verbis illis innuitur: *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.* Hisce enim verbis sancta Dei Ecclesia ante oculos nobis quodammodò proposita videtur, quæ dilectissimum Sponsum ac Redemptorem suum mentis acie contemplata, rubicundo atque odorifero pomo eum comparet, quod propter cæleste ac diuinum humanæ redemptionis odorem, sibi & cuicumque Christi fideli ad odorandum & gustandum est suauissimum. Vnde in eum locum Ambrosius: *Huiusmodi pomum gratum odorem habet, vt ceterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum, sicut malus pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati grauem detersit fœtorem, & vnguentum potus vitalis effudit.* D

In Psalmum 118. octonar. 5. Tomo 2.

Cantic. 2. *Quartum mysterium in Foraminibus petræ, & Cauerna maceriæ.*

Quarta sanctæ Crucis prophetia ex Canticorum cantico ea est: *Surge amica mea, soror mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Ibi enim id nobis innui videtur, perinde ac si sponsus sponsam, id est Christus dilectam Ecclesiam suam allocutus, eam sub amicæ nomine, ac sub columbæ comparatione, ad ingrediendum inuitet in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Quæ quidem prophetia reuerà difficilis intellectu forsitan videri potuisset, nisi quid ista petra sit, Apostolus declarasset, cùm inquit: *Petra autem erat*

A *erat Christus.* Verùm cùm patuerit quid petra ista sit de qua hîc agitur, cognitu quoque facile erit, quæ sint eiusdem petræ foramina, & quænam sit illa cauerna maceriæ, quam Spiritus sanctus hoc loco innuere voluit. Nam per petræ foramina nil aliud intelligi videtur, quàm clauorum vulnera, quæ Redemptor noster in Cruce suscepit: & per cauernam maceriæ, lanceæ ictum, quo latus eius perfossum est. Quemadmodum enim simplex ac timida columba, rapacium volucrum aggressione impetita, perfugium ac salutem sibi in muri foraminibus atque fissuris comparat; ita Christus Dominus inuitat sanctam Ecclesiam amicam ac sponsam suam dilectissimam, quæ à visibilibus & inuisibilibus hostibus, quasi rapacissimis volucribus, diris persecutionibus iugiter impetitur, ad refugium ac salutem sibi in clauorum suorum foraminibus, & lateris sui vulnere comparandam: id est, ad efficaces preces, obsecrationesque assiduas Deo fundendas; vt per dilecti sponsi ac Domini sui passionis & Crucis merita,
B eam saluare ac liberare dignetur.

Sic enim verba prædicta sanctum Gregorium Magnum intellexisse constat, cùm dixit: *Per foramina petræ, vulnera manuum & pedum Christi in Cruce pendentis libenter intellexerim: cauernam verò maceriæ, vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et benè columba in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ esse dicitur: quia dum in Crucis recordatione, patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera, propter exemplum, ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo conualescat, inuenit.* Eadem pænè sanctus Bernardus asseruit in Canticorum librum scribens, vt in superioribus diximus, dum de Christi Domini lancea tractauimus. Venerabilem etiam Bedam hæc ipsa verba, eodem ferè sensu accepisse constat. nam locum hunc exponens, sic tradit: *Si iuxta expositionem Apostoli petra erat Christus; quæ sunt foramina petræ, nisi vulnera quæ pro nostra salute suscepit Christus? in quibus*
C *profectò foraminibus columba residet, ac nidificat: velut cùm animæ quæque mitis, vel Ecclesia omnis, in passione Dominica spem suæ salutis vnicam ponit, cùm in sacramento mortis eius, & sese ab insidijs hostis antiqui, quasi à raptu accipitris tutari confidit, & in eodem ei sobolem spiritalem, siue filiorum siue virtutum, procreare satagit.*

In Cantic. cant. cap. 2. Tom. 2.

In Cantic. cant. lib. 3. cap. 1.

Item Rupertus Abbas petræ foraminum & cauernæ maceriæ Metaphoram, pro Christi clauorum plagis & lanceæ vulnere capiens, sua in Canticorum librum expositione, gloriosam Virginem ac Dominam ita loquentem ibi atque dicentem inducit: *Iterùm vox dilecti mei, iterùm loquitur mihi, & ad surgendum inuitat, eisdem nominibus me compellat: Surge, inquiens, amica mea, sponsa mea, & veni: columba mea. Et protinus, ac si quærerem, Quò ego surgam, vbi, vel in quo ero columba gemituosa? In foraminibus, inquit, petræ, in cauerna maceriæ. Scit enim situm vel habitum mentis meæ, quia claui eius, quos, antequam fierent, mente prophetica præuidebam, & in Propheta legebam, dicente: Foderunt manus meas, & pedes meos; & lan-*
D *cea lateris eius, quam similiter præuidebam, & in Propheta legebam: Videbunt enim, ait Zacharias, in quem transfixerunt: claui inquam eius & lancea iam essent animæ meæ vulnera, & in ipsis gemerem sicut columba. Dicebat ergo: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: id est, anima gemituosa, propter fixuram clauorum, qui sum petra, propter vulnus lateris mei, qui sum maceria. Nam ego vnus, idemque aliàs petra, & aliàs maceria: videlicet vbi adhuc mortalis & passibilis eram, ibi ego maceria; vbi autem iam resurrexi ex mortuis, ibi vel ex tunc petra solidissima: sed non dissipauerunt in petra iam impassibili cauernam, siue foramina quæ facta fuerant in maceria adhuc passibili; immò apparebunt eadem in die Iudicij.*

In Cantic. cant. lib. 2. cap. 2. To. 2

Quinta sanctæ Crucis prophetia in sacro Canticorum textu, quasi coruscans fulgur quoddam illicò pertransiens, fidelium oculis hilariter affulget in verbo illo,

Cantic. 3. illo, *Ascensum purpureum.* Lignum enim sanctæ Crucis verè ascensus purpureus A
Quintum Crucis mysterium. dici potest, quem Christus Redemptor noster ascendens, pretioso sanguine suo purpureum effecit. Quocircà in Glossa ordinaria hæc habentur: *Ipse Christus est ascensus, per quem in Ecclesiam & in cælum intratur: purpureus, quia lauit nos in sanguine suo. Et nullus ingreditur Ecclesiam, nisi sacramento Dominicæ Crucis.* Sanctus verò Isidorus asserit, per ascensum purpureum hoc loco nil aliud quàm Martyrum sanguinem & Redemptoris passionem intelligi; quoniam ad æternæ vitæ conuiuium, tantùm per Crucis ascensum atque mysterium ascenditur.
In Cantic. cantic. c. 3. *Quis est*, inquit, *ascensus purpureus, nisi Martyrum sanguis, & passio Redemptoris nostri? quia non ascenditur ad epulas vitæ, nisi per mysterium Crucis Christi.*

Sextum mysterium Crucis sub velamine vittæ coccineæ. Sexta sanctæ Crucis prophetia per sapientissimi Regis ac magni Prophetæ Salomonis os prolata est verbis illis: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce: sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Præuidens enim sponsus Christus Dominus, immò certò sciens (nam ipsi, vt Deo, omne futurum præsens est) B ardentem affectum & inflammatum zelum, quo sancta Ecclesia sponsa dilecta, Crucis & passionis suæ mysterium prædicatura & celebratura erat; labia eius rubicunda, purpureæ vittæ instar, futura dixit. In ea namque prædicatione, de nulla re alia præterquam de inflammata charitate, & de effusi sanguinis mysterio agi constat; sciens ipse etiam econtrà, sanctos Martyres eiusdem sanctæ Ecclesiæ membra sacratissima, proprium sanguinem pro se ipso, & in ipsius sanctæ fidei testimonium profusuros esse, ipsius dilectæ sponsæ suæ genas, mali punici fragmento æquiparauit, in quo tot grana purpurea, quasi flammeos pyropos gratè rubescere conspicimus.

Quòd autem verbis prædictis sanctæ Crucis mysterium, & sanguis Christi in ea profusus præsignatus fuerit, omnes pænè sacri Doctores testantur. Quamobrem diuus Ambrosius, postquam eiusdem sacri textus verba retulisset, in-
In Psal. 118. quit: *In cocco enim species ignis, & Crucis Dominicæ sanguis irrutilat.* Et venerabilis C
In Cantic. cantic. lib. 3 cap. 4. To. 4 Beda id ipsum apertiùs exprimens ait: *Labia sponsæ cocco assimilantur, quia Dominici sanguinis, quo redempta est, pretium prædicare non cessat Ecclesia; sed decantat: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quinimmò, quia dictio illa, *Vitta*, capillare amentum quoddam significat, quo veteres, & præsertim mulieres, capillos astringere consueuerant, de quo Poëta ille inquit:

Ouidius Metam. 2. *Vitta coërcuerat neglectos alba capillos;*

propterea hinc occasionem sumens idem Beda, verba prædicta Cantici canticorum, quoad purpuream vittam attinet, apposita magis expositione ad
Ibidē paulò inferiùs. signi Crucis significationem deducit his verbis: *Quòd si in capillis cogitationes, in oculis sensus fidelium spiritales figurari dixerimus, idem finis est expositionis; quia vagationem cogitationum superfluarum inextinguibilem, non alio faciliùs ordine, quàm memoria sæpè dicti ac semper recensendi Dominici sanguinis cohibemus. Sed & noxios sæpè cogitatus, dum incauta mente voluimus, ac subitò respecti à Deo, signum sanctæ* D *Crucis pectori imprimimus, & quod nefarium tractamus, abijcimus; quasi vitta coccinea capillos nobis ligamus, quia fluxa cogitationum trophæo sacri cruoris comprimimus. Quibus si salutaris hæc ligatura desit, totum capitis decus fluctuando fœdant, quia tranquillitatem mentis turbant, oculorum aciem obtegunt; quia sensum spiritualium improba rerum carnalium meditatione obnubilant.*

Nec sanè minùs docta atque apposita expositione idem Beda, antiquiores alios Patres in hoc secutus, ad sanctæ Crucis & Christi sanguinis pretiosissimi
Ibidem. significationem verba illa deduxit, *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* nam de eo sic tradit: *Per genas verecundiam designari & suprà docuimus; quia nimirum has, erubescentibus nobis, solet subitus rubor perfundere. Malum autem punicum, quia rosei coloris*

A *sei coloris est, passionis Dominicæ mysterium, sicut & coccineum non inconuenienter insinuat. Decebat enim modum redemptionis nostræ, crebra figurarum repetitione in sacro carmine, sicut & in ceteris prophetiæ scripturis intimari. Quia ergo sancta Ecclesia non erubescit Crucem Christi, sed & ipsa gaudet in contumelijs ac passionibus pro Christo, vexillumque Crucis ipsius gestare solet in facie; meritò genas instar mali punici habere memoratur. Nec vacat quòd non integro malo, sed eius comparatur fragmini. Infracto enim malo punico, & pars ruboris, qui patebat, videtur; & pars, quæ intus latuerat, candoris aperitur. Habet ergo ruborem mali punici sponsa in genis, cùm sacramentum Dominicæ Crucis fatetur Ecclesia verbis: ostendit & candorem fracti eiusdem mali, cùm pulsata pressuris, ipsa castitatem puri cordis probat & factis; cùm ipsa Crux sui Redemptoris, quid intus gratiæ salutaris habeat, pandit.* Eadem ferè, paucioribus tamen verbis, sanctus etiam Isidorus sic litteris commendauit: *In genis*, inquit, In Cantic. *verecundia, in malo punico passio Christi exprimitur. Habet ergo ruborem in genis spon-* cant. cap. 4.
B *sa mali punici, cùm sacramentum Dominicæ Crucis verbis fatetur, & factis probat.*

Septima sanctæ Crucis, & Domini ac Redemptoris nostri crucifixionis prophetia, in sacro Cantici canticorum textu verbis illis consideratur: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha.* Hisce enim verbis, sub myrrhæ Metaphora, quæ nihil aliud est quàm amarus liquor qui ab arbore stillat; cùm Spiritus sanctus per os Salomonis hoc loco dicat manus eius myrrham stillasse, digitosque suos myrrha plenos esse; nil aliud planè innuere voluit, quàm sanguinem qui è sacratissimis Christi Domini nostri manibus ac digitis Crucis arbori clauis confixis defluxit. Vnde sic in hunc locum Isidorus: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha: quod specialiter dixit, propter fixuram clauorum, & per malitiam, qua crucifigendus erat.* *Septimum mysterium ex Cant. c. 5.* De passione Domini cap. 36.

Octaua sanctæ Crucis prophetia in Canticorum libro, præalto sensu mystico, & sub grata Metaphora, quæ affluit lepôre, verbis illis exprimitur: *Manus* *Octauũ mysterium ex eodẽ cap. 5. Cant.*
C *eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Hoc enim loco veri Messiæ Christi Domini manus præsignatæ fuere, quas prophetico spiritu præuidens Salomon Cruci configendas esse, sub his pulcherrimis Metaphoris descripsit. Et primò quidem, vt inæstimabile earum pretium ostenderet, aureas esse dixit. Deinde verò, vt earum omnipotentiam atque virtutem innueret, qua eis in promptu est patrare miracula, & quidquid velint efficere, tornatiles asseruit: tornaturæ enim ars non tantùm facilis est, sed omnia ad rotunditatem & perfectionem promptè redigit; & propterea Glossa ordinaria hæc verba declarans ait: *Manus illius tornatiles, id est, opera Christi. Quæ enim verbo docuit, opere compleuit, vt de doctrina sua mirantes, operibus confirmaret. Tornatiles, quia in promptu habet facere quod vult, sicut tornatura ceteris est promptior artibus.* Secundò, vt innueret Spiritus sanctus Saluatoris nostri manus, propter clauorum vulnera, totas sacratissimo ac purpureo sanguine eius perfusas ac tinctas quandoque fore; metaphoricè eas hya-
D cinthis plenas esse dixit: qui, vt inferiùs ostendemus, purpurei atque funebres flores sunt. Hac autem hyacinthis plenarum manuum Metaphora, Domini ac Redemptoris nostri manus proprio cruore pro nobis miseris & indignis perfusas præsignatas fuisse, complures sacri Doctores testantur; præcipuè autem inter eos Beda, qui locum hunc exponens, inquit: *Est enim hyacinthus pigmentum* In Cantic. *coloris purpurei, atque odoris iucundi. Et manus Domini purpureis erant floribus plenæ,* cant. lib. 5. *quia moriturus pro nostra vita, has in clauorum fixione cruoris proprij rubore perfudit.* Hyacinthus flos genus est violæ vernæ, cuius radix & herba cæpæ agrestis formam obtinet; hanc à Latinis vaccinium appellari auctor est Dioscorides. Color eius purpureus, venis quibusdam nigris distinctus, lineis ita discurrentibus, vt duarum litterarum Græcarum formam, id est Alpha & Iota referre videantur; *Manus Christi crucifixi quare dicãtur plenæ hyacinthis.*

tur; quæ Italicam interiectionem dolentis A I exprimunt. Quod Græcis Poëtis A duplicis texendæ fabulæ ansam præbuit: quarum illa prima ficta est, Apollinem cum Hyacintho puero ab eo dilecto, disco ludentem, (quo ludo grauis quædam pila, siue rotula lapidea, vel ferrea, aut plumbea in altum, siue eminus iaciebatur) ictu quodam fortuito imprudenter eum occidisse; illiusque repentinum ac luctuosum casum miseratum in hunc florem mutasse, eumdemque ab eius nomine hyacinthum appellasse: atque in testimonium doloris, quem ex morte eius conceperat, hanc flebilem vocem A I, eidem flori inscriptam esse voluisse. Altera verò fabula id confictum est, Achille nimirum fato functo, ingentem disceptationem inter Aiacem & Vlyssem exortam, cuiusnam ex duobus arma illius esse deberent: causaque ad principum Argolici exercitus iudicium delata, meritisque & præclaris amborum facinoribus propositis atque discussis, arma illa Vlyssi adiudicata fuisse; cuius repulsæ atque iniuriæ prælati sibi Vlyssis impatientem Aiacem se ipsum proprio ense interemisse. Quem B dij commiserati in florem hunc transmutasse feruntur; qui non colore eius purpureo tantùm nigricantibus venis asperso, effusum cruorem miserandumque ac funestum eius casum repræsentet, sed duabus litteris illis Alpha & Iota, A I, nomen etiam Aiacis innuat. Vtriusque autem fabulæ Plinius his verbis

Natur. hist. lib. 21. c. 11

meminit: *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum præferens eius, quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi, ita discurrentibus venis vt Græcarum litterarum figura* A I *legatur inscripta.* De ambabus autem Ouidius:

Metamor. lib. 13.

Expulit ipse cruor, rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui priùs Oebalio fuerat de vulnere natus:
Littera communis medijs pueroque viroque
Inscripta est folijs; hæc nominis, illa querelæ.

Verùm hæ stultæ atque aniles fabulæ sunt: solidæ autem atque sinceræ veritatis substantia hæc est: Cùm primi parentes nostri diuinum transgressi mandatum, vetitum pomum contra Dei præceptum comedissent, ob cuius temerariæ inobedientiæ delictum, in mortis sententiam & damnationem vnà cum omni eorum posteritate inciderant, cumque Deus optimus maximus pro sua immensa & ineffabili misericordia decreuisset, vt æternum Verbum carnem sumeret, atque in Crucis ligno pro huius culpæ ablutione proprium sanguinem profunderet; omnes sensibiles atque insensibiles creaturæ, lacrymabilis casus atque admirabilis excessus huius varia commiserationis signa & indicia C

De flore hyacintho pia considerationes.

dedêre mœstitiæ. Quamobrem & terra ipsa, pro sacratissimi & innocentissimi Christi sanguinis reuerentia, qui super eam quandoque profundendus erat, purpureum hunc florem querula ac lamentabili voce illa A I insculpta produxit; perinde ac si mutâ loquelâ dolorem suum hoc pacto mundo prodere voluisset. D

Verùm enim verò, quod in re hac maximè notatu dignum censeo, illud est, quòd eum quotannis producere consueuit eo præcipuo tempore, quo Christus Dominus crucifixus est; tunc præsertim, inquam, cùm sancta Ecclesia intimo cordis dolore compuncta, totaque circumfusa mœstitia, amarissimæ passionis ac truculentissimæ mortis eius memoriam recolit: sic disponente eo, qui cunctis rebus essentiam elargitus est, vt per insensibiles etiam creaturas, flebiles lamentabilesque voces illæ A I, A I, tacitè pronuntiarentur, quæ eo anni tempore in cunctis pijs atque fidelibus Christiani orbis populis audiri solent, dum Redemptoris nostri dulcissimi passionem & mortem pia commiseratione deplorant. Non secùs, ac per Prophetæ os iampridem præsignatas esse voluit, cùm dixit:

A dixit: *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum; & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus planctus erit in Ierusalem.* Quasi diceret, in die illa, id est, eo cuiuslibet anni tempore, in mystica Ierusalem, in sancta videlicet Ecclesia, magnum fletum futurum. Quòd autem flos iste eo præcipuè anni tempore, vt diximus, nascatur; præter quod omnes ferè rerum naturalium indagatores & Simplicistæ huius rei amplam fidem astruunt, Ouidius etiam ipse testatur, qui circa Hyacinthi Amyclidis filij in florem conuersi fabulam poëticè ludens, carminibus omni lepôre affluentissimis inquit: Zach.12.

Te quoque Amyclide posuisset in æthere Phœbus, Metamor.
Tristia si spatium ponendi fata dedissent. lib.10.
Quà licet æternus tamen es, quotiesque repellit
Ver hiemem, Piscique Aries succedit aquoso,
Tu toties oreris, viridique in cespite flores.

B Quibus sanè carminibus dum tradit Ouidius, hyacinthum tunc è terra enasci solitum, cùm ver hiemem repellit, & cùm sol in Zodiaci circulo, toto Piscium emenso signo, Arietem ingreditur; perspicuum est, eum innuere voluisse, florem hunc quotannis germinare solitum circa vigesimam primam aut vigesimam secundam Martij diem, quo tempore, iuxta anni reformationem à Gregorio Decimotertio summo Pontifice editam, sol Arietis signum ingredi consueuit; ver nobis, & tempus præcipuum afferens, quo sancti dies approperant, in quibus sancta Ecclesia Christi Domini sacratissimæ passionis memoriam concelebrat.

Nona sanctæ Crucis prophetia in sacro Canticorum textu, metaphoricè, & grato mentis intuitu verbis illis refulget: *Comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.* Pro quorum verborum intelligentia sciendum, pro sponsæ comis, cuiusque animæ fidelis cogitationes & meditationes hoc loco intelligi debere; & pro Regis purpura, Christi Domini humanitatem & carnem, quæ allegoricè purpura vocatur, ob proprij sanguinis ruborem, quo in ipsius passione tota conspersa est. Spiritus ergo sanctus per os Salomonis hoc loco dixit, comas capitis sponsæ, sicut purpuram Regis vinctam canalibus esse, vt innueret sanctæ Ecclesiæ & cuiuslibet animæ fidelis cogitationes & spem, firma ac indubitata fide Christi passioni iugiter innixas fore; quæ in Regis purpura, id est, in veri Regis Messiæ Christi Domini carne Crucis ligno confixa figuratur. Quare sic ad eum locum Beda: *Comæ capitis sponsæ, vt diximus, cogitationes sunt animæ fidelis: purpura autem Regis, Dominicæ passionis imitationem significat; cui iure coma capitis sponsæ confertur: quia omnis electorum cogitatio fide sanctæ Crucis munitur; vniuersa cordis eorum intentio ad patiendum pro Domino, vt cum illo resuscitari mereatur, prompta existit.*

C [margin: Cantic.7. *Nonum mysterium Crucis sub typo purpuræ Regiæ.* — In Cant. canticor. lib.6.cap.1.]

Rupertus autẽ Abbas verba prædicta pariter exponens ait: *Rectè passio Christi dicitur purpura Regis, non solùm propter purpureum colorem sanguinis, quem in passione effudit; verùm etiam propter purpuram derisoriam, qua circumdederunt eum, protinus tribus pœnis passionum consummandum; scilicet flagellandum, crucifigendum, & lancea percutiendum. Nam illi quidem irridentes, purpuram circumdederunt ei, tamquam Regi; sed ille seriò & purpuram admisit, & calamum pro sceptro suscepit in dextera. Quia certissimè per hoc fiebat, vt & in cælo & in terra purpuram Regni, & sceptrum acciperet Imperij.* In Cant. canticor. lib.6.c.6.

D

At illud animaduertendum est, quòd vbi Vulgata editio nostra dicit: *Comæ capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus:* Septuaginta Interpretum versio habet: *Et plexus capitis tui sicut purpura: Rex ligatus in transcurrentibus.* Quæ quidem versio ad instituti nostri scopum faciliùs etiam adaptatur: quandoquidem

Rex in decurrentibus ligatus, verè Christus Dominus noster fuit; cùm in Crucis decurrentibus, id est tigillis, confixus est; cuius capitis plexus reuerà vt purpura fuit, nam cuspidatarum spinarum coronæ plexus, sacratissimum caput eius tam immaniter pupugit atque transfixit, vt eum toto purpureo sanguine resperserit. Sed & Hebraicus textus ad institutum nostrum longè etiam commodiùs dirigitur; sic enim habet : מֶלֶךְ אָסוּר בָּרְהָטִים *Melech asur barehatim*, id est, *Rex ligatus in decurrentibus, siue tigillis.* Qui textus adeò clarus atque apertus est, vt & ipsi Hebræorum Rabbini fassi sint, & scripto etiam prodiderint, Regem istum tigillis alligatum, Regem Messiam esse. Quocircà Rabbi Senghadia inter ceteros, Canticorum locum hunc exponens, asserit Regem eumdem Regem esse Messiam, qui ligno vitæ alligatus est, & quotidie Deum precatur, vt ab ipso soluatur, seq; ad Israëliticum populum à captiuitate liberandum mittat. Et in libro, quem *Midras scir ascirim*, id est Glossam maiorem in Canticum appellant, dum versiculus hic, de quo nunc agimus, exponitur, hæc produntur verba, מֶלֶךְ אָסוּר בָּרְהָטִים זֶה הוּא מֶלֶךְ מַלְכֵי הַמְּלָכִים הקב״ה דִּכְתִיב בֵּיה יְהוָה מֶלֶךְ גֵּאוּת לָבֵשׁ: id est, *Rex ligatus in decurrentibus; Hic est Rex Regum, Deus sanctus & benedictus, de quo scriptum est : Deus regnauit, magnificentia indutus est.*

In Psal. 92.

Decimum mysterium Crucis ex Cant. cap. 6

Decima sanctæ Crucis prophetia in sacro Canticorum libro, sub venustæ Metaphoræ vmbroso cortice altè reconditur in verbis illis à sponso prolatis: *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Per arborem enim nucum complures Doctores Hebræorum Synagogam intelligi volunt, propter qualitates nonnullas, quas arbor hæc habet eiusdem Synagogæ moribus atque duritiæ satis consimiles. Nux arbor est, quæ non nisi in longum tempus crescit: neque enim ei, quod ceteris plerisque arboribus contingit, quæ biennio vel triennio ad altitudinis culmen, & ad magnitudinis suæ formam excrescunt, sed multorum annorum decursu opus est, priusquam ad absolutum incrementum pertingat. In quo Hebraicæ Synagogæ similis admodum esse videtur, in qua virtus & religio ea facilitate atque celeritate non creuit, qua sancta adoleuit Ecclesia, sed longinquitate temporis procedente, ac vi multorum laborum Moysis & Aaron, ceterorumque Sanctorum ac Prophetarum qui illius exercuêre culturam. Nucis arbor præterea fertilem ac pinguem terram expetit: Hebræorum verò Synagoga, quo fructum produceret, necesse fuit, vt Deus eam in terra tam fertili ac fecunda plantaret, vt de ea dictum sit, quòd flueret lac & mel. Populi enim illius omne desiderium in auiditate possidendi multa terrena bona positum esse videbatur. Arbores nucum insuper ceteris plantis, quæ eas circumstant, malam vicinitatem præstare solent: magno enim damno eas afficiunt, & ad siccitatem perducunt, non vmbra tantùm noxia, sed radicibus etiam, quæ omnem circumiacentis terræ humorem fecundum auarissimè exsugunt. Conditio planè & qualitas Scribarum ac Pharisæorum valdè præcipua, quæ auaritia, fœnore, ac rapina omnes secum contrahentes ad summam paupertatem redigebant.

Huius etiam arboris fructus, eiusdem Synagogæ amaritudini & asperitati in multis similis esse perhibetur, ingratitudinemq; ac dedecus, quo illa verũ Messiam ac mundi Saluatorem Christum Dominum insecuta est, ad viuum penitus repræsentat: atq; adeò in se apertam ac manifestam figuram continet Crucis & mortis qua eum affecit. Nux enim amaro cortice quodam circumdatur, quæ manus fœdat & maculat eorum qui eam aperire contendunt; & tali quidem inficit macula, quæ nec crebra etiam lotione abstergi queat. Primo autem & exteriori cortice detracto, statim culeola altera adeò solida retegitur, quæ manus

A nus deglubit & vulnerat eorum qui illam findere ac frangere nituntur. Demum verò cùm fructus sui saporem atque substantiam promere cogitur, quattuor exhibet nucleos, quos Crux lignea interserta diuidit. Quod benè animaduertit & annotauit diuus Augustinus: *Nux in testa, lignum interserens Crucis, quod non discreuit id quod foris & intus fuit; sed quæ terrena & cælestia fuerunt, Mediatoris ligni interpositione sociauit.* De tępore Serm. 3. in fine.

Vndecima sanctæ Crucis prophetia, quæ in sacro Canticorum libro per sapientissimi Regis Salomonis organum à Spiritu sancto mysticè prolata est, verbis illis consistit: *Statura tua assimilata est palmæ, vbera tua botris. Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Cantic. 7. Pro palma enim hoc loco sacri Doctores victoriosum atque viuificum sanctæ Crucis lignum intelligi volunt. *Vndecimũ mysterium Crucis sub figuris palmæ & botri.* Vnde sponsus Christus Dominus sanctam Ecclesiam dilectam sponsam suam, & quamcumque fidelem & iustam animam allocutus, dicit staturam eius assimilatam esse palmæ, id est, Cruci; B dum illa Sponsum ac Magistrum suum lætè sequens, & Crucem eius proprijs humeris suscipiens, hilari voce vnà cum Apostolo concinit: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Præterea verò Spiritus sanctus in eiusdem sponsi Christi Domini persona hoc dixit, quod ipse posteà opere compleuit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* In palmam namque reuerà ascendit, cùm in victoriosæ ac triumphantis Crucis arbore exaltatus est, à quo æternæ vitæ fructum decerpsit, nobisque elargitus est. Vnde Gregorius: *Potest per palmam Crux Christi intelligi. Palma enim in sublime valdè crescens, dulcissimos fructus gignit: & Crux Christi cælestem cibum nobis præparauit; cui statura sponsæ assimilatur: quia pro Christo mori non dubitat, quisquis Christum valdè diligens dignè imitatur. De palma sequitur Sponsus dicens: Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Dixit verè, & ascendit: quia sicut ante sæcula* C *pro morte nostra mori disposuit; sic in fine mundi propitius & verax adimpleuit. In palmam ergo ascendit, & fructus eius apprehendit: quia in Cruce suspensus, fructum vitæ inuenit, ac apprehendit, & nobis tribuit. Vnde adimpletum est quod sequitur: Et erunt vbera tua sicut botri vineæ. Verè per Crucem vbera sponsæ, sicut botri vineæ, existunt, quia in morte Christi, duo præcepta charitatis sensus animæ susceperunt, quibus pasta anima debrietur; debriata, posteriora obliuiscatur, & in anteriora extendatur.* In Cant. cantic. cap. 7. Et sanctus Isidorus hæc ipsa eadem verba exponens ait: *Aptè enim victoriosissima Crux palmæ comparatur, in quam Christus ascendens, apprehendit fructus eius, id est, dona quæ largitus est sanctæ Ecclesiæ; quæ ex illo tempore botros vineæ germinauit, id est, sanctos Doctores, qui maiori scientia & gratia propter Crucem & resurrectionem Saluatoris abundant.* In Cant. cantic. cap. 7.

Venerabilis autem Beda in hæc eadem verba itidem scribens, inquit: *Aptè autem palmæ nomine, etiam victoriosissima valet Crucis arbor designari, cui iure statu-* In Cant. cantic. lib. 6. c. 4. D *ra sponsæ assimilatur; quia sancta Ecclesia per passionem sui Redemptoris, vt recta & stabilis & immobilis consistere possit, erigitur. Iure huic comparatur: quia & qui Dominicæ incarnationis tempora præcesserunt Sancti, mysteria passionis eius vel prophetando, vel etiam patiendo signabant; & nostri temporis Sancti, eumdem sacrosanctæ passionis triumphum omnes quidem credendo ac confitendo, plurimi etiam moriendo clarificant. Quòd autem ait Sponsus: Dixi, Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: illi æuo congruit, quando Salomon hæc canebat, cùm se Dominus crebris Prophetarum vocibus promitteret ad redemptionem generis humani in carne venturum: cùm se ascensurum in arborem prædicaret; sponsæ suæ moriens, destructo mortis imperio, ad vitam victor rediret. Fructus autem palmæ, quos se apprehensurum dixit esse, posteriores sunt gloriæ, quæ Crucis sequebantur ascensum. Hoc est, claritas resurre-*

ctionis , & ascensionis eius ad cælos , aduentus sancti Spiritus , & salus mundi A
credentis.

Rupertus verò Abbas, exponens quid verba illa sibi velint, *Ascendam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ*; affirmat hoc esse perinde ac si diceret: Ascendam in victoriosam Crucem, & mortem oppetens fructuosam, salutem omnium credentium velociter operabor. *Hoc erat*, inquit, *dicere : Exaltabor in Crucem victoriosam, & moriendo morte fructuosa, operabor velociter salutem omnium credentium. Et deinde doctrina tua, doctrina legalis atque Euangelica, tempore opportuno palàm prædicabitur, sicut in autumno dulces botri comeduntur : & bonus vbique diffundetur odor bonorum operum tuorum, & dulcissimum atque delectabile mihi erit eloquium tuum, sicut vinum optimum.*

In Canticũ canticor. lib.6. cap.6

Mysterium duodecimũ ex Cant. 8.

Duodecima sanctæ Crucis prophetia ex sacro Canticorum libro, quamque postremam hîc adscribere voluimus, in verbis illis consistit: *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Putant aliqui pro arbore malo, arborem prauam intelligi debere, existimantes hoc loco agi de arbore illa, quæ in terrestri paradiso Protoplastis vetita est. Quibus tamen Nicolaus Lyranus respondet, dictionem hanc *malo* hoc loco adiectiuum non esse, vt quidam autumant, qui hoc exponunt de arbore illa, quæ Adamo & Euæ interdicta fuit: quoniam in Hebraico textu, loco duarum dictionum illarum *arbore malo*, habetur *punica*, quæ malum granatum significat. vnde istorum expositio ex linguæ Hebraicæ ignoratione procedit. Deinde verò vt ostenderet quid malum punicum hoc loco significet, subdit: *Dicitur hîc sancta Crux malum granatum, quæ est arbor fructifera, ad designandum fructum Crucis, qui est innumerabilis.* B

In Glossa ordinaria.

Iure igitur sponsus gratiosissimus Iesus Christus, Ecclesiæ sanctæ dilectæ sponsæ suæ dicit: *Sub arbore suscitaui te*; quia per fructiferam & salutiferam sanctæ Crucis arborem, sub qua solida ac immobili fide requiescit, à morte ad vitam suscitauit eam. Sub qua arbore econtrà mater eius, id est peruicax Hebræorum Synagoga, corrupta & violata est: quoniam in verum Messiam non credens, legitimumq; sponsum suum respuens, meritò tamquam adultera repudiata ac derelicta est. Quare Gregorius in hunc locũ: *Quid per arborem malum, nisi sancta Crux designatur? quæ malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitauit, quia in Cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocauit, vt à somno mortis exsurgeret, & cum illo se crucifigens, ad nouam resurrectionem properaret. Vnde & Apostolus cuiuis animæ mortuæ dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et quibusdam qui iam resurrexerant, alibi dicit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Sed quia infidelitas Synagogæ Christum crucifixit, ideò sequitur: Ibi corrupta est mater tua. Sub arbore malo mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur; quia quando Saluatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cuius sceleris magnitudinem inculcat, cùm ibidem replicat, dicens: Ibi violata est genitrix tua.* C D

In Cant. cant. c.8.

Ephes. 5.

Coloss. 3.

Venerabilis autem Beda eadem ferè repetens, & mysticum eorumdem verborum sensum in diuersam significationem pertrahens, sic tradit: *Arbor malus*, inquit, *aptissimè lignum sanctæ Crucis exprimit, in quo ipse pendere pro omnium salute dignatus est. In cuius laudibus suprà dixit Ecclesia: Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub arbore ergo malo suscitauit Dominus Synagogam, quam per fidem suæ passionis à perpetua morte reuocauit. Sub qua etiam arbore corrupta violataque est mater ac genitrix ipsius; maior videlicet ac senior eiusdem portio plebis; illa nimirum, quæ Principum suorum persuasione seducta, Barabbam pro Domino elegit;*

In Cant. cant. lib.6. cap.8.

A *elegit, stulta temeritate conclamans: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et hæc enim sub arbore Crucis erat; non huius se quidem fidei humiliter mancipando, sed huius super se vindictam pertinaciter imprecando.*

Rupertus autem Abbas asserit, hoc loco Spiritum sanctum rationem reddere voluisse parti illi Hebræorum populi, quæ ad Christi fidem conuersa admirari videbatur, quod alibi superiùs in hoc ipso eodem Canticorum libro Spiritus sanctus dixisset: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Perinde ac si iidem Hebræi ad Christi fidem conuersi nescirent, Spiritum sanctum loqui de Ecclesia ex Gentibus electa atque dilecta; quæ ab idololatriæ deserto recedens, vbi omnis diuinæ gratię ac veræ Dei agnitionis sterilis erat, Christique fidem amplexata, ascendebat deliciis affluens, id est, gratiis præclarissimis, quibus eam Deus cumulauit, innixa super dilectum sponsum suum Christum Dominum. Et quasi Spiritus sanctus eidem Hebręorum populo, qui Christi fidem amplexatus erat, diceret: Si causam nescis cur B ista deliciis adeò affluens ascendere deberet, hanc ego tibi exponam: *Quia,* inquit, *mater tua, genitrix tua me dereliquit, me abnegauit virum suum, Regem suum, & idcircò aliam duxi, dato illi libello repudij; & hæc est quæ taliter ascendit. Vbi nam hoc accidit? Sub arbore malo, vbi te suscitaui; sub ligno Crucis, vbi te redemi. Propterea dixi, Sub arbore malo, id est, sub arbore afferente fructus suos; quia videlicet lignum Crucis non sterile lignum fuit, sed fructus attulit vitæ & salutis. Ibi te suscitaui. Sed mater tua Synagoga, genitrix tua, gens Iudaica, ibi corrupta est, dicendo: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. ibi violata est, clamando: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* In Cantica cant. lib. 7. cap. 6.

Et hæc quidem de insignioribus sanctæ Crucis prophetiis, quæ in sacro Canticorum libro cõtinentur, satis dixisse sufficiat. Quibus pro capitis huius vltima periodo, vnam tantummodò per insignem ac valdè claram addemus, ex libro Sapientiæ, præsertim cùm & liber iste Salomoni ipsi tribuatur; licet nonnulli C opinentur nullo pacto eidem adscribendum, cùm apud Hebræos nusquam reperiri dicatur; tum etiam quia stilus eius Græcam magis quàm Hebraicam eloquentiam redolet; vnde (licet nullo solido fundamento innixi) Philonis Iudæi Hebræorum omnium eloquentissimi potiùs esse putauerunt. Qua in re super omnia præualere debet sanctæ Ecclesiæ Catholicę auctoritas, & communis Patrum consensus, qui librum eumdem Salomonis esse declararunt. Sapientiæ titulo liber iste insignitus est, quia in eo Christi Domini, qui æterni Patris summa est Sapientia, aduentus & passio euidenter prophetatur. Quamobrem diuus Augustinus de duobus libris qui Salomoni adscribuntur, id est de Sapientia & Ecclesiastico, inquit: *Quorum in vno, qui appellatur Sapientia Salomonis, passio Christi apertissimè prophetatur.* De Ciuit. Dei, lib. 17. cap. 20.

Euidens ergo & clara sanctæ Crucis prophetia quę ex Sapientiæ libro decerpitur, in verbis consistit, quæ in eiusdem libri decimo quarto capite leguntur: D *Benedictum est lignum per quod fit iustitia. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud.* Quibus sanè verbis, duo grauissima & valdè seria pertractantur, id est, de Cruce sancta Domini nostri Iesu Christi, & de errore Gentilium, qui idola adorabant. In primo igitur dicit, *Benedictum est lignum per quod fit iustitia.* quasi diceret: Benedictum sit sanctæ Crucis lignum, per quod tremenda & admirabilis illa peracta est iustitia, qua in Protoplastorum transgressionem & inobedientiam omnino animaduertendum erat, vt diuinæ iustitiæ satisfieret, atque vt in innocenti & sacra Christi humanitate, culpa illa ac omnia posteritatis eorum peccata plecterentur: qua profectò iustitia nos veniam & gratiam consecuti sumus. In secundo verò, idolis illorumque fabricatoribus maledicit; quia idololatriæ causa erant, quæ spiritualis est forni- Sapien. 14. *Benedictũ lignum in quo fit iustitia, intelligitur Crux Christi.*

 catio:

catio & rationem reddens, cur artifici simul & operi maledicat, subdit: *Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius.* A

In Psal. 118. octonar. 8. Tom. 2. Quamobrem sic diuus Ambrosius in hæc verba: *Iustitiæ adscribit Scriptura diuina veniam peccatorum, secundùm illud quod hodie lectum est: Benedictum lignum, per quod fit iustitia, maledictum autem quod fit per manus hominum. Superius ad Crucem Domini retulit, posterius ad errorem Gentilium, qui ligna venerantur. Iustitia autem quæ est Crucis? nisi quòd ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit.* Nomen ergo illius sanctum & benedictum laudetur, magnificetur, & exaltetur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VII.

De sanctæ Crucis Prophetiis, quæ ex sacro Isaiæ Prophetæ libro decerpuntur. B

SALOMONIS libros Prophetarum libri sequuntur: quamobrem, cùm de sanctæ Crucis prophetiis, quæ ex eiusdem Salomonis libris, & præsertim è Cantico canticorum excerpuntur, hactenus tractauerimus, consequenter nunc nobis agendum est de his quæ Prophetarum libris continentur. Quorum Prophetarum quidam Maiores, quidam verò Minores dicuntur. Maiores Prophetæ quattuor sunt, videlicet: Isaias, Ieremias, Ezechiel, & Daniel. Minores verò duodecim numero comprehenduntur. Maiores autem quattuor illi primi appellati sunt, quia prolixiùs fusiusque scripserunt; ceteri Minores dicuntur, quia minores ac breuiores libros ediderunt. Verùm quia inter maiores Prophetas primus in ordine Isaias ponitur, ideò de sanctæ Crucis prophetiis quas ipse protulit, hoc vno præsenti capite primo loco tractabimus. Deinde illas quæ Ieremiæ C & Ezechielis sunt, sequenti capite complectemur. Eas verò quas Daniel forsitan protulisse potuit, vltrò prætermittemus: quandoquidem ipse velut temporum conscius, in eo potiùs totus est, vt tempus illud designet & prodat, in quo Sanctus Sanctorum Christus Dominus pro communi salute occidendus erat: Regnique eius magnitudinem & æternitatem innuit, sub ingenti lapidis illius Metaphora, qui absque manus alicuius opera è monte abscissus, vastissimam illam statuam, qua omnia significabantur Regna, comminuit. Prophetiis verò trium horum Maiorum Prophetarum expositis, tertio subsequenti capite, Spiritus sancti nos aura benè iuuante, agemus de his quæ in duodecim Minoribus Prophetis continentur.

Prophetæ cur alij Maiores, alij Minores dicantur.

Scripturi ergo de sanctæ Crucis prophetiis, quæ sacro Isaiæ Prophetæ includuntur libro, non erit abs re, si breuiter priùs dixerimus, quisnam is fuerit, qualisque, & quantæ sanctitatis extiterit, vt pius Lector sciat, quanam veneratione D dignæ prophetiæ eius habendæ sint. Isaias Propheta igitur, cuius nomen salutem Domini significat, Amos viri nobilissimi filius fuit, Ierosolymis ex nobili progenie, & ex tribu Iudæ ortus, Regis Manasse, vt Iudæi asserunt, socer. Eo tempore vixit, vt Augustino placet, quo Numa Pompilius Romæ regnabat; prophetias suas scripsit sub quatuor Regibus Iudæ, qui sibi vicissim successerunt, videlicet Ozia, Ioathan, Achaz, & Ezechia. Tantæ autem sanctitatis & austeritatis vitæ fuisse perhibetur, vt vnicam tantùm tunicam, eamque cilicinam habere voluerit: qua nihilominùs tandem deposita, vt pro populi delicto pœnitentiam ageret, sacco membra cooperuit; sed hoc quoque ad extremum abiecto, sic Deo iubente, nudus corpore, & excalceatus incessit, atque caloris feruo-

Isaiæ eximia sanctitas.

A feruorem æstiuo tempore, frigoris rigorem, gelidi ætheris crudelitatem, ventorum impetum, & imbrium iniurias in hieme sustinuit, vt Dei præceptis obtemperaret, iramque eius leniret, & populi deploraret delicta. Huius intercessione quindecim annorum spatio Ezechiæ Regi Iudæ Deus vitam prorogauit. Hic vmbram retrocedere iussit decem lineis in horologio Achaz per gradus quos iam descenderat. 4. Reg. 20.

Adeò claras prædictiones magnificaque testimonia de Saluatoris nostri aduentu, incarnatione, prædicatione, miraculis, vita, passione, Cruce, morte, resurrectione, gloria eius, & vocatione Gentium, in suis prophetiis Isaias protulit, vt non de futuris rebus eum scripsisse, sed de præteritis actionibus historiam contexuisse diceres. Quamobrem meritò à sanctis Patribus, præsertim verò ab Augustino atque Hieronymo, Euangelista potiùs quàm Propheta appellatus est: iureque S. Ambrosius Augustino suasit, dum se ad Baptismi sa- *Isaias Euangelista potius quam Propheta cur à Patr. vocatus.*
B cramentum præparabat, vt inter ceteros sacros codices Isaiæ librum attentiùs perlegeret: sciens profectò hinc, propter apertissimas Christi rerum prædictiones, ad salutare lauacrum eum quamprimùm impellendum, & in Catholica fide apprimè confirmandum. Sic enim diuus ipse Augustinus testatur: *At ille iussit vt legerem Isaiam Prophetam; credo quòd præ ceteris Euangelij vocationisque Gentium sit prænuntiator apertior.* Confessionum lib. 9. cap. 5. Sanctus autem Hieronymus de mysteriorum profunditate, & de Sacramentorum altitudine, quæ in Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis & Danielis voluminibus continentur, asserit videri sibi Isaiam Euangelium potiùs, quàm prophetiam texuisse: *Isaiam*, inquit, *Ieremiam, Ezechielem & Danielem quis possit vel intelligere, vel exponere? quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Euangelium.* Epist. 103. cap. 5. Quocircà non immeritò hinc censeri potest, Saluatorem nostrum hunc Isaiæ librum inter cetera omnia Prophetarum scripta præcipuè elegisse, quem primitus in patriæ suę synagoga publicè legeret Lucæ 4.
C atque exponeret.

Mortuus est Isaias Propheta sanctissimus sub impio Rege Manasse, qui eum atrocissimo supplicio excruciari, & à vertice per medium secari iussit. Duas truculentissimę tanti viri necis causas extitisse, Rabbini Hebręi prodidere: quarum illam primam fuisse asserunt, quòd aulæ Regię insigniores principes, Sodomorum principes, Hebræosque Gomorrhæ populum appellauerit: secundam autem fuisse tradunt, quia scribere ausus esset, vidisse se Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum; quamuis Moyses litteris ad posterorum memoriam prodidisset, dixisse sibi Deum: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*: Exodi 33. non animaduertentes mente obcæcati Iudæi, sanctum & optimum Prophetam, postquam dixerat se Deum vidisse, statim declarasse, faciem ac pedes ipsius Dei Seraphim alis contectos esse; ita vt media tantùm eius se vidisse innuerit. Qua admirabili planè sancti Prophetæ visione,
D ingens mysterium cæcutientibus Iudęis tunc minimè reuelandum innuebatur; mediam nempe sanctissimæ Trinitatis personā carne indutam ab hominibus in terris quandoque conspiciendam, Mediatorem nimirum Dei & hominum Christum Deum hominem factum pro hominū salute inter homines ad tempus conuersaturum; ceteras verò eiusdem sanctissimæ Trinitatis personas, Patris videlicet & Spiritus sancti (quæ capite & pedibus ipsius Dei Seraphim alis velatis per figuram ostendebantur) mortalibus omnino inuisibiles esse. Interfectus est Propheta sanctissimus, vt quorumdam fert opinio, circa annum à mundi constitutione ducentesimum quadragesimum supra ter millesimum; septingentesimo verò & vigesimo octauo ante Christi Domini aduentum. Sed ad sanctę Crucis prophetias à tam sancto & admirabili viro prolatas accedamus.

Isaiæ 9. Prima igitur sanctæ Crucis prophetia, quæ ex sacro Isaiæ libro excerpitur, in A verbis illis consistit quæ nono capite leguntur: *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius*. Volunt enim sacri Doctores, pro principatu sanctam Crucem hoc loco intelligi, quam Dominus, cùm pro nobis crucifigendus ad Caluariæ montem deduceretur, proprijs humeris portauit. Quamobrem Glossa interlinearis super verbo illo, *Principatus*, dicit: *Crux per quam exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*. Glossa verò ordinaria declarans, quid nam Propheta innuere voluerit cùm dixit, *Et factus est principatus super humerum eius*, subdit: *Dum duceretur ad patibulum, portauit Crucem, in qua meruit principatum.*

Prima prophetia, per principatū super humerū Crucē adumbrās.

At sancti Patres fusiùs & apertiùs hanc prophetiam explicantes, ad sanctæ Crucis Christi Domini significationem aptè atque appositè deducunt. Quocircà Iustinus martyr ad Antoninum Pium Imperatorem pro Christianis qui iniquè patiebantur, scribens, postquam hanc ipsam prophetiam in testimonium adduxisset, subdit, oraculo hoc Crucis virtutem ostensam fuisse, quam Christus ad proprios humeros applicauit, cùm in eam sublatus est. Tertullianus verò aduersus Iudæos scribens, cùm prædicta Prophetæ verba itidem citasset, subdit: *Quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? Sed solus nouus Rex sæculorum Christus Iesus, nouæ gloriæ & potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, Crucem scilicet, vt secundùm superiorem prophetiam, exinde Dominus regnaret à ligno?* Atq; hæc ipsa eadem idem Tertullianus repetit aduersus Marcionem scribens. Theophylactus autem ad institutum hoc ipse quoque hęc prodidit: *Principatus*, inquit, *Domini, & Regnum, Crux est. dicit enim Paulus: Humiliauit se ipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis: ideò & Deus exaltauit illum. At igitur quia Crux fuit sublimitas & gloria Iesu, meritò principatus eius dicitur; quia principalis eius dignitas & symbolum principatus est. Et si benè animaduerteris, inuenies non aliter* C *regnare in nobis Jesum, nisi per afflictionem & Crucem: atque ita qui in delicijs viuunt, inimici sunt Christi.* Sanctus Hieronymus opinioni huic pariter adhæsit; pro principatu nimirum hoc loco Christi Crucem intelligi. Etenim verba hæc eadem Isaiæ exponens, inquit: *Licet ex eo quod suprà dixerat, Emmanuel, id est, Nobiscum Deus, Deum esse monstrauerit; tamen nunc dicit factum principatum super humerum eius: vel quòd Crucem suam ipse portauit, vel per humerum ostendens brachij fortitudinem; eodem Jsaia dicente: Reuelauit Dominus brachium sanctum suum omnibus gentibus.* Sanctus verò Isidorus de passione Domini disserens, pro huius prophetiæ declaratione, proprijs ipsius Tertulliani verbis, quæ superiùs citauimus, vtens, subsequenti posteà capite eamdem repetens prophetiam, hæc adiecit: *Et erit*, inquit, *principatus super humeros eius, id est vexillum suæ Crucis, quod suis portauit humeris, iuxta vaticinium Dauid Prophetæ, qui dicit: Dominus regnauit à ligno.*

Apologia 2. ad Antoninum Pium. — B

Aduersus Iudæos c. 10

Cōtra Marcionem l. 8. cap. 19.

In Lucę Euang. c. 23.

In Isaiam lib. 3. cap. 9.

Isaiæ 52.

De passione Domini c. 34. & 35.

Isaiæ 11. Secunda sanctæ Crucis prophetia ab Isaia verbis illis prolata est: *In illa die* D *radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur; & erit sepulchrum eius gloriosum.* Radicem namque Iesse Christum Dominum appellat, qui secundùm carnem ex ipsius Iesse stipite & à stirpe Dauid descendit. Ipse enim in signum populorum stetit, quando in Crucis ligno exaltatus est: & nunc præcipuè in signum populorum stat, dum fideles in eum credentes sanctæ Crucis signum reuerentur & adorant; illudque fronti & pectori piè insculpunt. Vnde sanctus Isidorus prophetiam hanc exponens inquit: *Jn signum populorum stat radix Iesse, quando Christus signaculum Crucis exprimit in frontibus eorum.* Rupertus autem Abbas eamdem prophetiam pariter exponēs, ait: *Quid enim fuit, in signum populorum stare radicem Iesse, nisi Filium hominis exaltari à terra, & omnia trahere ad se?*

Secunda prophetia de radice Jesse, & sepulchro eius glorioso.

De Natiuitate Domini.

In Isaiam lib. 2. cap. 9.

A *se? Ipsum, inquit, Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Ecce hodie Gentes ipsum deprecantur, & in sepulchro, id est in morte eius gloriantur. In quo enim alio se gloriari profitentur? Mihi, inquit Apostolus, absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Id ipsum cum Apostolo Gentes quoque actu quodam loquuntur, pingentes iugiter signum Crucis in suis frontibus. Hoc facere gloriosum est & Regibus.* Nicolaus Lyranus etiam in Glossa ordinaria hanc ipsam prophetiam ad sanctæ Crucis mysterium deducit his verbis: *Qui stat in signum populorum, id est in signum salutis Gentium. Et hoc fuit in sua passione impletum, quando fuit eleuatus in Cruce.*

Diuus Hieronymus verò ad illius propheticæ sententiæ institutum, nimirum, *Et erit sepulchrum eius gloriosum*; sub Paulæ & Eustochij nomine, ad Marcellam nobilitate insignem matronam scribens, eidemque suadens, vt Romana vrbe relicta, Syriam petat, Ierosolymamque commigret; vt loca sacra veneratura conspiceret, vbi redemptionis nostræ celebrata fuere mysteria, inquit:
B *Venerabantur quondam Iudæi Sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Testamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Nónne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? Quod quotiescumque ingredimur, toties iacere in sindone cernimus Saluatorem. Et paululùm ibidem commorantes, rursum videmus Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium conuolutum; cuius sepulchri gloria multò antequam excideretur à Ioseph, scimus Isaiæ vaticinio prophetatum, dicentis: Et erit requies eius honor, quòd scilicet sepultura Domini locus esset ab omnibus honorandus.* Epist. 17. cap. 3. To. 1.

Tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Isaiæ libro clarè admodum in verbis illis refulget: *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quattuor plagis terræ.* Pro signo enim Crucem sanctam Propheta intelligere voluit: quæ sacrosanctum signum illud est, sub quo tamquam sub glorioso ac triumphali vexillo sancta Dei Ecclesia, ex diuersis natio-
C nibus à quattuor orbis terrarum partibus in vnitate fidei congregata, hodie militat. Quocircà Glossa ordinaria declarans, quidnam per dictionem hanc *signum* Propheta ipse innuere voluerit, inquit: *Signum Crucis, in qua est victoria, vt sciant omnes, in quo diabolus sit victus.* Et Procopius in eadem Glossa subdit: *Quemadmodum ex quo Babylonica seruitute Iudas & Ephraim liberati sunt, non seorsim ampliùs, aut diuisa imperij sede habitasse, sed Ierosolymis omnes sub vno Zorobabele, qui de stirpe Dauidica prodierat, sub ipso item Iosedechi filio vixisse leguntur; sic ex quo venerandæ Crucis erectum signum est, omnes, restituta priùs, quæ mente concepta non cernitur oculis, libertate, in fidei communionem coiuisse, & in vnam Christi Ecclesiam, nemo non videt.* Et Nicolaus Lyranus in eadem Glossa super eodem hoc verbo etiam inquit: *Et leuauit signum, id est virtutem Crucis faciet prædicari per Apostolos, aliosque Discipulos; quam prædicationem etiam signis confirmabit.* Et sanctus Hieronymus hanc eamdem prophetiam fusiùs apertiusque declarans, ait: *Leuauit igitur*
D *signum Crucis in vniuersas nationes, & de synagogis Iudæorum primùm Israël populum congregabit, vt Apostoli Saluatoris præceptum implerent, qui dixerat: Ite ad oues perditas domus Israël. Denique Paulus ad incredulos loquitur ex Iudæis: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes, sicut præcepit nobis Dominus.* Deinde verò idem Hieronymus verba illa declarans, quæ Propheta paulò inferiùs adiecit, *Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt*; ostendit has Gentes, eo tẽpore quo Isaias prophetabat, aduersarias fuisse populo Iudæorum: & idcircò eumdem nunc Prophetam dicere, quòd postquam radix Iesse surrexerit, vt regnet in Gentibus, & vexillum Crucis in totius orbis salutem eleuatum fuerit, tunc etiam Idumæa, & Moab, & filij Ammon, omnis scilicet

Tertia prophetia sub typo signi leuandi in nationes ex Isaia 11.

In Isaiam lib. 4. cap. 11

Arabiæ latitudo dabunt Apoſtolis manus,& in locis idololatriæ Chriſti Eccleſiæ erigentur. A

Quarta prophetia Crucis ex Iſaia 13.

Quarta Crucis prophetia ab Iſaia metaphoricè verbis illis prolata eſt: *Super montem caliginoſum leuate ſignum, & exaltate vocem.* nam ſub Metaphora montis caliginoſi, ſiue, vt in Septuaginta interpretum verſione habetur, montis campeſtris, hoc loco Propheta ſanctam Eccleſiam innuere voluit,quæ eo tempore, quo ipſe prophetabat, mons caliginoſus verè dici poterat. Tunc enim omni fidei lumine orbata, omnique vera Dei agnitione deſtituta, errorum atra caligine & idololatriæ cæcitate obruebatur. Mons etiam campeſtris reuerà appellari poterat, cùm inter Gentes & in remotioribus mundi partibus diſperſa,in fidei vnitate adhuc adunata & congregata non erat. Super montem ergo hunc caliginoſum,ſiue campeſtrem,Spiritus ſanctus Apoſtolis & prædicatoribus Catholicis per os Prophetæ iubet, vt contra hæreſum confuſionem, & contra idololatriæ & peccatorum errores pugnaturi, Crucis ſignum eleuent, vocemque B excitent, & altiore ſigno promant, ita vt prædicando, carpendo, admonendo, inſtando, & adhortando, eò populos impellant, vt idololatriam, hæreſes, vitia atque peccata dimittant; atque vt ſanctæ Crucis vexillum eleuantes & amplectentes,ducem ac Saluatorem noſtrum ſequantur.

Per montem autem ſæpè in Sacris litteris ſanctam Eccleſiam intelligi conſueuiſſe, ſanctus Gregorius præcipuè teſtatur; licet hoc loco opinionem hanc ſe imbibiſſe oſtendat, vt pro monte caliginoſo diabolus & eius ſuperbia intelligi debeat. Sic enim tradit: *Rurſum per montem angelus apoſtata deſignatur, ſicut per Babylonis Regis ſpeciem, de antiquo hoſte prædicatoribus dicitur: Super montem caliginoſum leuate ſignum. Prædicatores quippe ſancti ſuper caliginoſum montem ſignum eleuant,quando contra ſatanæ ſuperbiam, qui ſæpè ſub nebula ſimulationis abſconditur, virtutem Crucis exaltant.* Aptè etiam prophetiam hanc ad ſanctæ Crucis ſignificationem Procopius in Gloſſa ordinaria ſic deducit: *Qui magna vocis contentione Crucem prædicat, is in montem ſignum eleuare, id eſt, potenti oratione Chriſti mortem amplificare poſſe dicitur, & promiſſiones planas apertaſque reddere.* C

S.Gregor. Moralium lib. 33.c.1.

Quinta prophetia ex Iſa. 19.

Quintò, Crucem Chriſti apertè admodum prædixit Iſaias illis verbis: *In illo die erit altare Domini in medio Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius, & erit in ſignum & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti.* Ibi enim Iſaias ſacroſancta ac penè infinita altaria apertè innuit, quæ in Ægypto,id eſt,in vniuerſo terrarum orbe in Chriſti honorem erigenda erant,vnà cum Crucis ſigno, cum titulo & Crucifixi imagine ſuperpoſita. Hoc enim verè ſignum eſt Domini Dei exercituum, id eſt omnium gentium atque fidelium exercitus triumphale vexillum. Et vt apertiùs oſtenderet Propheta, ſe altaria illa innuere quæ in Saluatoris honorem erigenda erant, ad quæ fideles populi in neceſſitatibus ac tribulationibus confugere debebant, ſubdit: *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos.* Quamobrem Nicolaus Lyranus hanc prophetiam in Gloſſa ordinaria explicans, iure dixit: *Hoc poteſt referri ad Chriſtum, ita quòd iſte titulus ſit:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM, *qui in termino vitæ paſſibilis Chriſti fuit poſitus ſuper Crucem. Signum autem Crucis ponitur in altaribus & locis Chriſti nomine dicatis.* D

Flauius Ioſephus, cuius in Hiſtoria clara fama eſt, putauit prophetiam hanc tunc adimpletam, cùm Onias Hebræus ſacerdos Simonis filius, ab Ieroſolymorum vrbe aufugiens, propter bellum, quod Antiochus Syriæ Rex Iudæis intulerat, in Ægyptum ſe contulit; vbi à Ptolemæo eiuſdem prouinciæ Rege benignè acceptus eſt, templi exſtruendi ſibi poteſtate facta, in quo, Hebraico ritu Deo ſacrificare liceret. Quapropter delubrum ibi à templo illo, quod Ieroſolymis

A solymis tunc perstabat, satis dissimile, cum turri tamen ingentium lapidum structura, sexagintaque cubitorum altitudine exædificatum est, à Memphi ciuitate stadiorum circiter octuaginta longinquitate distans, & in agro Heliopolitano situm. Quam quidem templi structuram idem Iosephus ab Isaia, verbis quæ superiùs retulimus, prophetatam censuit; sic enim de ea: *Fuerat autem olim*, inquit, *prædictio quædam, annis nongentis septuaginta: Isaiasque prædixerat huius templi futuram in Ægypto constructionem à quodam viro Iudæo*. Verùm in hoc valdè hallucinari Iosephum constat: nam de tam exigui momenti structura Propheta non est locutus, sed de lōgè grauiore ac magis seria mole, quam communis boni necessitas exigebat, & quæ non secundùm occidentem litteram, sed secundùm viuificantem spiritum intelligenda erat. Quamobrem diuus Hieronymus hanc prophetiam exponens, meritò dixit: *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti. quod Onias, secundùm Josephum, malè intelligens, implere conatus est. Et titulus Domini continens passionem, in quo scriptum est Hebraicis litteris, Græcis, & Latinis,* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *in signum Crucis, & in testimonium vniuersarum Gentium, quæ nunc Ægyptus appellantur. Cumque persecutio creuerit à facie tribulantium nominis Christiani, tunc clamabunt cordibus suis: Abba Pater. Et mittet Dominus exercituum Saluatorem, id est Iesum, & Judicem, vel Propugnatorem, qui liberet eos: vt liberati cognoscant Dominum, & ipsi cognoscantur à Domino; & vbi abundauit peccatum, superabundet gratia.*

De bello Iudaico l.7. cap.30.

In Isaiæ cap. 19.

B

Sextò prædixit Isaias Crucem Domini sub clauis Metaphora, illis verbis: *Et dabo clauem domus David super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Pro claue enim hoc loco sacri Doctores sanctam Crucem intelligi volunt, quam Redemptor noster non tantùm proprijs humeris detulit, cùm pro nobis indignis ac miseris crucifigendus deducebatur, sed etiam eâ nobis cælum, quod cunctis hominibus anteà clausum erat, referauit; eademque antiquas legales cærimonias obstruxit, quas nemo vmquam aperire poterit. Quòd autem pro claue Crux sancta hoc loco sit intelligenda, in Glossa ordinaria his verbis declaratur: *Per clauem*, inquit, *quam super humerum portat, sceptrum Regni, & signum victoriæ, Crucem possumus intelligere, quam Christus ipse in suo proprio portauit humero: vnde factus est principatus super humerum eius*. Sic etiam per clauem sanctam Crucem intelligi vult Augustinus, qui in quodam Sermone suo sic tradit: *Clausum erat, quia nondum clauis Crucis antecesserat: iam tempus erat vt in mysterio Crucis omnia quæ in veteri Testamento velabantur, reuelarentur*. Sic etiam Hieronymus locum hunc exponens, per clauem hanc, Crucem sanctam intelligendam esse testatur, inquiens: *Et hæc ipsa clauis erit super humerum eius, hoc est in passione, iuxta illud, quod in alio loco scribitur: Cuius principatus super humerum eius. Quod enim ille in sua passione referauit, claudi non poterit; & quod clauserit in cærimonijs Judæorum, à nullo alio aperietur.*

Sexta prophetia Crucis sub Metaphora clauis ex Isaiæ 22.

C

Serm. 210. De tēpore.

In Isaiæ cap. 22.

D Septima sanctæ Crucis propheтia in sacro Isaiæ libro, quasi gemma auro inclusa in verbis illis diuinè refulget: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad Gentes manum meum, & ad populos exaltabo signum meum*. Verbis enim hisce populorum Gentilium ad æterni Regni hereditatem vocatio apertissimè innuitur. Dum enim ipsi in vnigenitum Dei filium Christum Saluatorem nostrum, & in sanctæ Crucis mysterium firma ac viua fide credunt, dici potest, quòd Deus manus ad ipsos eleuans atque extendens eos vocauerit, quodque signum Dei, id est sanctæ Crucis vexillum in eis exaltatum fuerit. His autem Isaiæ verbis sanctæ Crucis mysterium præsignatum esse, Glossa interlinearis fidem astruxit; quæ super verbum illud *Exaltabo*, dicit, *Filium in vexillo Crucis*; & super dictionem *Signum*, inquit, *Crucem*. Et Nicolaus Lyranus in Glossa ordinaria, verba illa

Septima prophetia Crucis ex Isaiæ 49.

illa declarans, *Et exaltabo signum meum*; subdit: *Id est signum Crucis*. Verùm sanctus Hieronymus prophetiam hanc apertiùs ac pleniùs declarans, sic tradit: *Ista manus ad Gentes leuata, ipsa est, de qua hîc idem Propheta loquitur: Erit radix Iesse, qui exurget vt princeps sit Gentium: in ipsum Gentes sperabunt. Nec solùm manum suam leuabit ad Gentes; sed & signum suum exaltabit in populis. Haud dubium quin vexillum Crucis, vt impleatur illud quod scriptum est: Laudibus eius plena est terra. Et iterùm: In omni terra admirabile est nomen eius.* A

In Isaiam cap. 49.

Isaiæ 51. *Octaua prophetia Crucis sub typis petræ & cauernæ laci.*

Octaua sanctæ Crucis prophetia in sacro Isaiæ libro sub mysterijs refertissimis Metaphoris in verbis illis reconditur: *Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Siue vt septuaginta Interpretum habet versio: *Inspicite in solidam petram, quam excidistis, & in foueam laci, quam fodistis.* Nam sub Metaphora petræ excisæ vel fissæ, Propheta Christum crucifixum innuit, cuius manus & pedes in cruce clauis fixi sunt: & per cauernam laci, lateris eius vulnus præsignauit; inuitans atque adhortans Iudæos primùm, qui petram sacratissimam hanc crucifigentes fiderant, deinde verò omnes homines qui saluari cupiunt, vt in petram eamdem & in vulnera eius sacratissima piè respiciant, è quibus salus humano generi promanauit. Quamobrem Procopius in Glossa ordinaria meritò ait: *Erat petra, docente Paulo, Christus ipse, cui mortem obeunti manus & pedes clauis esse transfossos Scriptura testatur. Significatur item per foueam, latus ipsum hastæ mucrone vulneratum.* Glossaque ipsa ordinaria, prædicta verba declarans, quæ iuxta Vulgatæ editionis nostræ textum dicunt, *Et ad cauernam laci, de qua præcisi estis*, inquit: *Propter fossionem lateris Christi, de qua præcisi estis, quando exiuit sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis.* Verùm Hieronymus admirabilem hanc prophetiam apertiùs copiosiusque explicans, *Persecutoribus*, inquit, *iustitiæ dicitur, vt aspiciant in robustissimam petram quam exciderunt, & in foueam laci quam foderunt, id est Dominum Saluatorem; de quo Apostolus loquitur: Petra autem erat Christus. Et alibi scriptum est: Statuit supra petram gressus meos. Et iterùm: In petra exaltauit me. Huius enim latus lancea perfoderunt, de quo exiuit sanguis & aqua. Et huius foderunt manus & pedes; dicente ipso Domino Saluatore: Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea.* B C

In Isaiam cap. 51.

Nona prophetia Crucis, omnium apertissima, ex Isaia 53.

Nona sanctæ Crucis prophetia ab eodem Isaia diuini libri sui capite quinquagesimo tertio apertè prolata est; vbi perinde ac si præsens adfuisset, vniuersum Christi Domini passionis progressum, iniurias, opprobria, ludibria, flagella, Crucem, mortem, & sepulturam narrat. Quocircà idem, vt dictum est, meritò Euangelista potiùs quàm Propheta appellatus est. Proindeque sanctus Isidorus ea multa, quæ de Christi Domini passione, Cruce, ac morte hoc ipso Isaiæ capite singillatim continentur, attenta mentis consideratione expendens, postquam totum idem capitulum de verbo ad verbum retulisset; hæc postmodum adiecit: *In qua lectione, non solùm quia abiectus apparuit Christus, sed etiam ibi eius generatio cælestis exprimitur, infirmitates quoque susceptæ carnis eius manifestantur. Contumelia quoque passionis eius, Crux, mors, sepultura, ibi monstratur; & quòd innocens damnatur, & tacens, ibi panditur.* At verberum ac flagellationis liuor, & mors Crucis, quam Saluator noster pro nobis miseris pertulit, apertiùs ac magis præcipuè eiusdem capitis verbis illis prophetata est: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Super quibus verbis Glossa interlinearis ait: *Foderunt manus eius, & pedes eius; vt suo vulnere nostra vulnera curarentur.* Et Nicolaus Lyranus asserit, ex Prophetæ verbis prædictis per necessariam consequentiam ostendi, Christi passionem nobis fructuosam extitisse; cùm ipse propter sua ipsius peccata minimè passus sit, sed vt iniquitates ac scelera nostra dilueret atque purgaret. D

De Natiuit. Domini cap. 16.

Diuus

A Diuus autem Ambrosius admirabile Christi Domini passionis & mortis mysterium attenta mentis consideratione perpendens, ex quo ipse idem qui summa Dei sapientia est, vitam atque salutem nostram admirabiliter hausit, pulcherrimum animi sui sensum explicauit his verbis: *Dominus Iesus etsi vulneratus est propter peccata nostra, tamen non in illa infirmitate permansit, sed se ipse versauit in melius ad vniuersorum salutem. itaque passione infirmitas est soluta, mors resurrectione. Sicut ergo se ipse versauit ad populorum redemptionem, nec sensit aculeum mortis, aut vulneris infirmitatem; sic eum qui in se credit, etsi grauiter ægrotantem, vt à morte liberet, versat ad vitam. Omne ergo stratum, hoc est, vniuersorum hominum infirmitatem, in sua infirmitate versauit. Suscepit enim infirmitates omnium in sua carne; erexit se in Crucem, & versauit omnium infirmitates in sui corporis infirmitate. Vnde dicit Isaias: Liuore eius sanati sumus. Habent hoc luctatores, vt se subijciant his quibus congrediuntur atque luctantur, vt opprimi posse videantur; & subitò* B *cùm æstimantur elisi, quadam arte se versant, vt effundant superiorem: cadit qui portabatur; & is qui portabat, superior inuenitur vt sternat vrgentem. Spiritali itaque palæstra Dominus Iesus onera nostra suscipiens, in illa se passionis suæ congressione subiecit, & infirmitatis specie, vt eum aduersarius hominem parem ceteris iudicaret, quem facilè posset opprimere, diuinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit: securus victoriæ propiùs tentator accessit, in costa eum telo militis voluit vulnerare, reputans & hunc sicut Adam per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Iesus, vitam produxit è vulnere; euacuauit omne peccatum, deiecit aduersarium. Et in illa sui corporis sepultura, cùm æstimaretur elisus, sua se virtute versauit: cecidit aduersarius, Dominus resurrexit.* In Psal. 40. Tom. 2.

Deinde verò idem sanctus Ambrosius mentis aciem in verba illa reflectens, *Et liuore eius sanati sumus*, alibi non satis se admirari posse ostendit, illud planè suspiciendum factorum oppositum; bonum nempe latronem, Christi liuorem C in Crucis ligno intuentem, plus eum amasse quàm Iudas in cœnæ epulis dilexit. quandoquidem iste per cibum Magistrum suum prodidit; ille verò Dominum suum per dolorem credidit, & fassus est: *Plus ergo*, inquit, *in Cruce positus liuorem eius cernens latro diligit Deum. Mira res, plus in Cruce latro Christum diligit, quàm Iudas dilexit in cœna. Ille per cibum supplantat Magistrum, hic credidit Dominum per dolorem.* Serm. 44. Tom. 2.

Apertiùs etiam idem Isaias mortem quam Christus Dominus sponte pro nobis pertulit, seipsum æterno Patri in ara Crucis sacrificium offerens, prophetauit, cùm in eodem capite quinquagesimo tertio dixit: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Super quibus verbis Glossa interlinearis ait: *Oblatus est hostia pro nobis in ara Crucis*. Et reuerà oblatus est, quia ipse voluit; non autem quia aliquis eum coëgerit, aut cogere potuisset. Quocircà ipsemet ad institutum hoc dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Ioan. 10.
D Et propterea diuus Hieronymus inquit: *Non enim necessitate Crucem, sed voluntate sustinuit; dicens in Euangelio: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Et ad Petrum, qui scandalizabatur ad Crucis nomen, quia non nouit mysterium, & humano pauore trepidabat: Vade retro me satana; scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* In Isaiæ cap. 53.

Decima sanctæ Crucis prophetia in sacro Isaiæ libro, euidenter in verbis illis retegitur, quæ in quinquagesimi quinti capitis fine scripta sunt: *Et erit Dominus nominatus in signum æternum quod non auferetur.* His enim verbis Isaias non sanctam tantùm prophetauit Crucem, quæ signum æternum illud est, quod numquam amouebitur; sed etiam prædixit Christum Dominum in hoc signo nominandum fore, id est fideles populos, qui hoc signo consignati sunt, ab ipso *Decima prophetia ex Isaia cap. 55.*

Magiſtro eorum Chriſto Chriſtianos denominandos eſſe. Quamobrem in (A) Gloſſa ordinaria inquit Procopius: *Vbique enim Chriſtianos à Chriſto nuncupatos videas, & ſignum ſalutis hoc inſculpere nomine, quod non eſt vmquam defecturum. Non deſunt tamen, qui ſine appellatione, Crucem eam, per quam ſalutem ſumus adepti, putent ſignificari.* Et ſanctus Hieronymus verba prædicta ipſius Prophetæ exponens, ait: *His, qui de malo commutati fuerint in bonum, erit Dominus in nomen & ſignum æternum; vt ex ipſius appellentur nomine Chriſtiani, & Crucis eius inurantur cauterio. De quo ſigno Simeon tenens in vlnis paruulum loquebatur*[a]*: Hic erit in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. De quo ſuprà dictum eſt*[b]*: Dabit vobis Dominus ſignum. Et Sanctus cantat in Pſalmo*[c]*: Fac mecum Domine ſignum in bonum. Et ipſe qui ſignum eſt*[d]*, Cùm videritis, ait, ſignum Filij hominis, quod non deficiet, nec vllo fine mutabitur; ſed de præſenti conuerſatione tranſiet in futurum.*

In Iſaiæ cap. 55. — a Lucæ c. 2. — b Iſaiæ 7. — c Pſal. 85. — d Mat. 24. Luc 21.

Vndecima prophetia ſub figuris tinctarum veſtium, & torcularis, ex Iſa. 63.

Vndecima ſanctæ Crucis prophetia in Iſaiæ libro, præalto myſterio & ſub (B) appoſita Metaphora capite ſexageſimo tertio diuinitus recluditur, vbi dicitur: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ? Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum.* Quibus ſanè verbis, diuinus Propheta Spiritus ſancti lumine illuſtratus, Chriſti Domini aſcenſionem proſpiciens, cùm poſt reſurrectionem, deuicta morte, proſtrato diabolo, & inferno ſpoliato, glorioſus ac triumphum ducens cælum conſcendit, interrogationem refert quam aliqui Angelorum fecerant, qui eiuſdem Chriſti Domini incarnationis, paſſionis, Crucis, mortis, & reſurrectionis myſterium adhuc plenè non nouerant; cùm viderent eum tanta Angelorum ac beatorum hominum atque Sanctorum multitudine vallatum, propria virtute nulliuſque auxilio ſuffultum cælos ſcandentem, & cælorum Regnum ſibi ipſi, (C) ceteriſque auctoritate propria reſerantem, ingenti admiratione obſtupefacti dixerunt: Quis eſt hic, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, qui graditur in multitudine virtutis ſuę? Quibus glorioſus triumphator reſpondit: Ego ſum qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Illi verò tam alti & admirabilis myſterij intelligentiam nondũ plenè aſſecuti, admiratione eos impellente, adhuc interrogant, dicentes: Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, ſicut eorum qui vuas calcant in torculari? At ipſe, vt eis integrè ſatisfactum eſſet, adiecit: Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus ne vir quidem vnus mecum fuit. Quo cæleſti profectò atque diuino dialogo, ſacratiſſimum & admirabile paſſionis & Crucis Redemptoris noſtri myſterium plurifariè prophetatum ac præſignatum eſt, vt ſacri Doctores teſtantur.

Quamobrem Gloſſa interlinearis ſuper verbis illis, *Tinctis veſtibus*, ait: *Priùs ſanguine ſcilicet in Cruce; vel quia etiam tunc apparebant cicatrices eius.* perinde (D) ac ſi innueret Angelos dixiſſe: Quis eſt iſte, qui veſtimenta tincta defert? quia viderant ea ſanguine aſperſa, quem in Cruce profuderat; vel fortè quia vulnerum cicatrices intuebantur, quæ in manibus, in pedibus, atque in latere acceperat.

Sanctus autem Hieronymus aſſerit, Edom ſanguinem, Boſram verò carnem ſignificare; ita vt verbis prædictis, Chriſtum Dominum crucifixum præſignificatum eſſe velit; ſic enim inquit: *Edom interpretatur ſanguis; Boſor caro. Ipſum Dominum noſtrum ſignificat crucifixum.* Eadem verò Gloſſa interlinearis, ſuper aliis verbis illis, *Torcular calcaui ſolus*, ait: *Preſſuram Crucis ſuſtinui ſolus.* Et Gloſſa ordinaria, in verbo *Torcular*, ſubdit, *Torcular, ſcilicet Crucem & omnia tormenta paſſionis, in quibus quaſi prælo preſſus, vt etiam ſanguis funderetur.*

In Pſal. 67.

At

A At Rupertus Abbas, quaſi repetitionem illam amplificans, qua Angeli ſancti Chriſtum Dominum denuò interrogauerant, cùm eum in cælum aſcendentem corpore ſanguine aſperſo admirãtes intuerentur, appoſitè inquit: *Si tu es qui loqueris iuſtitiam, & nullum admiſiſti peccatum, nónne indumentũ tuum, indumentum inquam corporis tui ſicut de vtero virginali ſumptũ eſt candidum, ita permanere debuit? Quare ergo nunc ſanguine eſt rubrũ? Quare veſtimenta tua ſunt ſicut calcantium in torculari? Nam ambæ manus tuæ, ambo pedes tui ſic ſunt, quaſi clauis confixi fuerint; & vnum latus tuum ſic eſt, quaſi lancea vulneratum. Hæc omnia ſigna ſunt mortis, quaſi tu quoque torcular mortis calcaueris, immò in torculari mortis calcatus ſis. Nam in torculari quidem, vnde hæc ſimilitudo ſumpta eſt, aliud quod calcatur, aliud eſt ipſe qui calcat. In paſſione autem mortis, vnde hic ſermo eſt, ipſe qui calcat & ipſe qui calcatur, idem eſt. Calcauit enim ipſe, qui ſemetipſum tradidit pro nobis: calcatus eſt tamquam botrus, qui ſub preſſura Crucis, de acino corporis vinum, id eſt, ſpiritum ſuum emiſit. Item torcular calcauit, qui, ſicut in torculari vinum expreſſum aſſumitur relictis* B *acinis, ſic in eadem paſsione ſua bonos redimendo aſſumpſit, malos iudicando reliquit.* In Iſaiam lib. 2. c. 29.

Porrò ſanctus Gregorius prophetiam hanc apertiùs ac fuſiùs exponens, ſic tradit: *Quid enim veſtimentum eius, niſi corpus, quod aſſumpſit ex Virgine? Nec tamen illud eius veſtimentum eſt, atque illud ipſe. Nam noſtrum quoque veſtimentum caro dicitur, ſed tamen ipſi nos ſumus caro qua veſtimur. Hoc autem veſtimentum illius longè antè Iſaias aſpiciens per Crucem paſſionis ſanguine cruentatum, duxit: Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua quaſi calcantium in torculari? Cui ille reſpondit: Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum. Solus enim torcular in quo calcatus eſt, calcauit; qui ſua potentia eam quam pertulit paſsionem vicit. Nam qui vſque ad mortem Crucis paſſus eſt, de morte cum gloria reſurrexit. Benè autem dicitur, Et de Gentibus non eſt vir mecum; quia hi, pro quibus pati venerat, paſsionis eius eſſe participes debuerant: qui pro eo quòd illo tempore nec dum crediderant,* C *de ipſis in paſsione queritur, quorum vita illa paſsione quærebatur.* In Ezech. lib. 2. Homil. 13.

Sanctus autem Cyrillus Alexandrinus verba antedicta eiuſdem Prophetæ ad inſtitutum quoddam ſuum declarans ait: *Iſaias teſtatur dicens: Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? Angeli enim mirantes Domini aſcenſum in cælos, idque magna cum poteſtate, ita ſcribuntur dixiſſe. Sanguine autem tinctum videntes, & myſterium ignorantes, rogant: Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? vina enim nuper in torculari expreſſa, colorem ſanguinis conferunt. Chriſtus verò ad eos, vt natura Deus intelligatur, Ego, inquit, iuſtitiam loquor. Qui autem iuſtitiam loquitur, id eſt, docet, quomodo auctor Legis non eſt? & qui Legis auctor eſt, quomodo Deus non eſt? Figuras deinde clauorum mõnſtrante Chriſto, Angeli rurſus interrogant: Quid enim plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Dilecta enim domus Iſraël erat, quæ Dominum clauis & lancea petijt.* D *Militum enim temeritas hæc fuit; ſed iniuria Iudæis, qui crucifigere Chriſtum voluerunt, adſcribitur.* In Ioan. li. 12. c. 58.

Duodecima ſanctæ Crucis prophetia, ab Iſaia ſexageſimi quinti capitis verbis illis diuinitus prolata eſt: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Quaſi Propheta ſanctus in Chriſti Domini perſona diceret: Ego vno toto die pendens in ligno Crucis brachia mea expandi, vt Iudæorum populum amplecterer, eoſque tamquam filios dilectiſſimos ſinu meo exciperem, æternum Patrem meum precatus, vt enorme peccatum impiiſſimumque in me patratum facinus eis dimitteret. Verùm ipſi ingratiſſimi & increduli, in malitiæ & peruicaciæ via peſſima gradientes, pro eo vt me verum Meſſiam ac mundi Saluatorem agnoſcerent, infinitis pænè op- *Duodecima prophetia proponens Chriſtum expanſum in Cruce, ex Iſaia 65.*

probriis atque ludibriis affecerunt. Quamobrem Glossa ordinaria prędicta verba declarans, ait: *Expandi manus meas in Cruce, orans pro eis: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Vel vt eos reciperem & collocarem in sinu meo, vel beneficia operum largiendo, ex quo eduxi eos ab Ægypto. Incarnatus quoque, infirmos eorum curaui, mortuos suscitaui, paucis panibus eos paui: ipsi tamen semper extiterunt increduli.* A

Quòd autem Spiritus sanctus per os Isaiæ Prophetæ locutus, verbis prædictis Christum Dominum brachiis in Cruce extensis innuere voluerit, omnes ferè sacri Doctores testantur. Quocircà Iustinus Martyr ad Antoninum Pium Imperatorem pro Christianis scribens, ait: *Iesus Christus autem manus expansus est cùm à Iudæis crucifigeretur, respondentibus ei atque dicentibus non esse eum Christum.* Sic enim eadem quoque verba ad Domini nostri Iesu Christi Crucis significationem deducit S. Cyprianus aduersus Iudæos. Sicque ipsa eadem intellexit etiam ac declarauit Origenes his verbis: *Iudæi autem vsque adhuc quærunt de Christo, & interrogant Scripturas de eo, & non inueniunt; quia Crux eius eis est scandalum, & ideò dicit ad eos: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem. Hoc est, Cùm penderet in Cruce, illi non solùm non inuenerunt eum, sed insuper dixerunt: Si Filius Dei es, descende nunc de Cruce, & credemus tibi. Sed audi quid in Sapientia Salomonis dicatur: Quia non inuenitur ab his qui tentant eum, apparebit verò his qui non sunt increduli ad eum.* Eadem ferè S. Hieronymus, locum hunc quoque exponens, litteris commendauit: *Denique,* inquit, *cùm ille in Cruce extenderet manus ad populum non credentem, & diceret: Pater ignosce illis; quod enim faciunt, nesciunt. illi è regione dicebant: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus ædificas illud: descendat nunc de Cruce, & credemus ei.* B

Apolog. 2. ad Antoninum.

Aduersus Iudæos li. 2 cap. 20.

In Epist. ad Romanos lib. 8. c. 10. in fine.

In Isa. c. 65

Decima tertia prophetia, nēpe Crucis per Apostolos vbiq; prædicandæ, ex Isaiæ 66.

In Glossa ordinaria.

Decima tertia sanctæ Crucis prophetia in sacro Isaiæ libro sexagesimi sexti capitis verbis illis euidenter retegitur: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint, ad Gentes.* Hisce namq; verbis non tantùm sanctæ Crucis signum innuitur, quod in Baptismi & Confirmationis Sacramento cunctis Christi fidelibus imprimitur, sed etiam mandatum præsignatur ac prænuntiatur, quod Christus Dominus Apostolis ac Discipulis suis dedit, dicens: *Euntes in mundum vniuersum, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quamobrem iure Theodoretus inquit: *Completa est hæc prophetia, cùm Matthæi cap. xxviij dixit Dominus: Euntes docete omnes Gentes. Apostoli enim missi à Domino, promulgauere Euangelium apud omnes nationes.* Quòd autem his verbis Prophetę sanctę Crucis signum pręsignificatum sit, Glossa ipsa ordinaria apertè sic declarat: *Et ponam in eis signum, scilicet Crucis Christianitatis; secundùm quod dicitur Matthæi cap. xxiiij. Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo; quod exponunt Origenes & Chrysostomus, de signo Crucis mirabiliter radiante in Iudicio, ad gloriam Fidelium, & confusionem reproborum; & maximè eorum qui eum crucifixerunt manibus, siue linguis.* Sanctus verò Hieronymus locum hunc exponens, itidem docet, pro signo quod Propheta hoc loco innuit, sanctæ Crucis signum intelligi. sic enim tradit: *Et ponet in eis signum, quod in Ezechiele principio sub Tau litteræ Hebraicæ interpretatione monstratur. Quo signo qui fuerit impressus, manus percutientis effugiet. Hoc & postes domorum in Ægypto signantur, quando pereunte Ægypto solus Israël mansit illæsus. De hoc signo quod Achaz Rex Iuda nolebat accipere, Isaias Propheta testatur: Propterea dabit Dominus vobis signum: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet. Vnde & Propheta quod promissum fuerat, deprecatur: Fac mecum signum in bonum. Et in alio loco: Dedisti metuentibus te significationem, vt fugerent à facie arcus.* C D

Atque his prophetiis hîc finem imponentes, quæ ex libro sancti Isaiæ Prophetę excerpuntur, Dominum summis precibus obsecremus, vt sanctæ Crucis

A cis signum cordibus etiam nostris sic imprimere dignetur, vt firma fide, solida spe, ac flagrante charitate illud in nobis & supra nos dignè deferentes, mereamur sub eius clypeo ac protectione defendi, vt sæculi huius tribulationes, & antiqui hostis tentationes superare valeamus: & in die Iudicij sic à facie arcus fugiamus, vt æternæ damnationis formidabilem atque letiferam in nos sagittam non intorqueat. Amen.

CAPVT VIII.

De sanctæ Crucis Prophetijs, quæ ex Ieremiæ & Ezechielis sacris libris excerpuntur.

POST Isaiæ Prophetę sacrum codicem, Ieremię & Ezechielis libri se-
B quuntur. Quamobrem cùm de sanctæ Crucis prophetiis, quæ in prædicto Isaiæ volumine continentur, præcedenti capite tractauerimus, ordo ipse ac necessaria quædam nunc exigit consequentia, vt de his agamus, quas duo isti etiam Maiores Prophetę diuinitus protulerunt. Quoniam verò vtriusque simul, multo minori, quàm quę Isaiæ sunt, numero comprehenduntur, ita vt vnico capite commodè includi possint; idcircò de his quę Ieremiæ primò, deinde verò quæ Ezechielis sunt, præsenti hoc capite tractabimus. Ieremias ergo, cuius nomen declaratur Excelsus, Helciæ Sacerdotis filius fuit, ortus in vico Anathoth, qui tertio ab vrbe Ierosolymorum lapide distat. Priusquã in vtero matris formaretur, à Deo agnitus; & priusquam inde egrederetur, sanctificatus est. In Iudæa Sacerdos, Propheta in Gentibus constitutus, vt virgo permaneret admonitus fuit. Hic cùm adhuc puer esset, prædicare cœpit, vaticiniaque sua scribere aggressus est, rudi potiùs quàm eleganti stilo, sed sensuum maiestate qua-
C dam alta atque sublimi. Scripsit sub eodem, ipso dictante, Baruch Neriæ filius librum prophetiarum eius atque visionum, quas à Deo assecutus fuerat, de Hebræorum calamitate ac ruina, & de Christi futura Ecclesia, vnius siue duorum super quadraginta vel circiter annorum spatio; ab anno videlicet decimo tertio regni Iosiæ filij Amon Regis Iuda, vsque ad Ierosolymorum vrbis euersionẽ, & vsque ad transmigrationem residui tribus Iudę in Ægyptum. Librum illum etiam conscripsit, quem Hebræi *Cinoth*, Græci autem *Threnos*, Latini verò *Lamentationes* appellant: in quo lugubri carmine prædictæ ciuitatis ruinam, populique eius miseram captiuitatem deplorauit; carmina sua ita per Alphabeti ordinem disponens, vt primum ab Aleph, secundum à Beth, & tertium à Ghimel exordiatur, sicq; per ceterarum litterarum ordinem vsque ad Alphabeti finem discurrit; idque quater à principio ad finem vsque prosequitur.

Quis & quantus Ieremias Propheta fuerit.

Is sæpè publicè concionari consueuerat, populi peccata liberè carpens, pœ-
D nitentiamque auribus eius passim inculcans: quamobrem improborum hominum ingens odium contraxit. Sæpè à perfida plebe malè acceptus, crudeliter verberatur, vinculis alligatur, in carcerem truditur, & in lacum demergitur. Demum verò in Ægypto, in ea ciuitate quam Hieronymus Thamnas, alij verò Taphnas, recentiores autem Taphnum siue Tanes appellant, à populo lapidibus obrutus est, atque in eo loco tumulatus, vbi olim Pharao habitauerat. Verumtamen quia precibus eius Deus ab eodem loco serpentes abegerat, Ægyptiosque ab eorum infestatione ac morsibus liberauerat, hinc factum est, vt sepulchrum eius ab eisdem Ægypti populis amplissimis honoribus diu veneratum fuerit. Non defuere tamen aliqui, ac inter eos præcipuè Victorinus Martyr, aliique veteres sancti Patres, qui opinionem hanc se imbibisse

ostendunt, Ieremiam adhuc in humanis agere, atque in nouissima mundi A
ætate vnà cum Elia ad prædicandum contra Antichristum venturum, & ab eodem interficiendum esse.

Multa ergo sanctus hic & magnus Propheta prædixit, non tantùm de Christi Domini Ecclesia, vt superiùs innuimus; sed de eius etiam sancta Cruce admirabiles prophetias protulit. Inter quas insignis planè illa est, de qua vna dũtaxat, vt breuitati consulamus, hoc loco mentionem facere decreuimus: præsertim verò cùm hæc eadem ipsa altissimis sacramentis admirabilibusque mysteriis adeò redundet, vt vna certè pro multis plenè sufficere possit. Quandoquidem præuidens Ieremias, Spiritus sancti lumine prædocente, incarnatum Verbum, vnigenitum Dei Filium, verum Messiam, ac mundi Redemptorem Christum Dominum, impij & sceleftissimi Scribarum ac Pharisæorum consilij molimine, tamquam agnum innocentissimum ac mansuetum ad immolandum in ara B
Illustris prophetia de agno & ligno misso in panem, ex Ierem. 11. cap.
Crucis deducendum esse, in persona eius inquit: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui; quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* Quam admirabilem prophetiam dum sancti Patres exponunt, ad sanctæ Crucis Domini significationem passim deducunt: cunctique in hanc sententiam eunt, pro pane hoc loco corpus eius intelligendum esse, cùm ille de semetipso dixerit: *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* atque per lignum sanctam eius significari Crucem, cui sacratissimum corpus eius confixum est.

Quamobrem Lactantius Firmianus suo Diuinarum institutionum tracta-
Diuinarũ instit. lib. 4. cap. 18.
tu verba prædicta declarans, ait: *Lignum Crucem significat, & panis corpus eius: quia ipse est cibus & vita hominum qui credunt in carnem quam portauit, & in Crucem in qua pependit.* Tertullianus autem aduersus Iudæos hanc ipsam prophetiam eodem sensu exposuit his verbis: *De hoc ligno Crucis etiam Deus insinuat* C
Aduer. Iudæos c. 10. & contra Marcioné lib. 3. c. 19.
per Ieremiam, quòd essetis dicturi: Venite, mittamus in panem eius lignum. Vtique in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retrò corpus in pane Prophetes figurauit. Similia quoque idem Tertullianus protulit contra Marcionem hæreticum scribens. Sic etiam eamdem hanc prophetiam intellexit atque exposuit Cyprianus Martyr ac Pontifex, aduersus Iu-
Aduersus Iudæos l. 2. cap. 20.
dæos scribens. Diuus autem Ambrosius Prophetæ verba prædicta pariter declarans, atque ad eumdem sensum deducens, altissima mysteria admirabiliaque sacramenta, quæ in hac eadem prophetia conduntur, sic appositè explica-
In Psal. 35. Tomo 2.
uit: *Bene panem dixit pro carne eius. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio retulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt, qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarunt. Pulchrè etiam duo ista iunxerunt: Iniciamus lignum in panem eius. Nesciebant quid loquerentur Iudæi, & mysterium loquebantur. Paradisum nobis Crux reddidit Christi. Hoc est lignum quod Adæ Dominus demonstrauit, dicens: De ligno vitæ, quod est in* D
medio Paradisi, edendum: de ligno autem scientiæ boni & mali non edendum. Errauit Adam, mandata non tenuit, interdictum gustauit. Per lignum cœpimus esurire, quia suum caro accepit alimentum; ideò Dominus in Christo carnem iunxit & lignum, vt fames antiqua cessaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit. Beata caro Domini, quæ victum omnibus ministrauit.

In Ierem. cap. 11. S. Gregor. Moralium lib. 3. c. 11. & lib. 12. cap. 4.
Sanctus verò Hieronymus hanc ipsam prophetiam pariter exponens, per lignum, Crucem; & per panem, corpus Christi Domini intellexit, dicens: *Mittamus lignum in panem eius: Crucem videlicet in corpus Saluatoris. Ipse est enim qui ait: Ego sum panis qui de cælo descendi.* Sic etiam Gregorius eamdem exposuit his verbis: *Lignum quippe in panem mittere est configendo eius corpori stipitem Crucis adhibe-*

A *bibere*. Sanctus autem Isidorus fusiùs atque apertiùs eamdem prophetiam itidem explicans, de ea sic tradit: *Jeremias Propheta ex persona Christi prædixerat, dicens: Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia super me cogitauerunt consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Hæc enim quæ passurus erat Dominus à Iudæis, quasi si iam facta fuissent, Propheta commendat. Nam cui est lignum in pane missum, nisi Christo, affixa carne in ligno? Panem enim corpus eius agnoscimus. Lignum in pane esse, fides nostra, Crucem agnoscit in corpore: quia vita corporis sui, panis est; scriptum est enim: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Theodoretus quoque hanc eamdem prophetiam explicans, asserit verba illa, *Mittamus lignum in panem eius*, Prophetæ ipsi nullo pacto adaptari posse; sed hæc in Christi Domini persona eum protulisse, qui corpus suum, quod Crucis ligno confixum fuit, panem appellauit: *Istud*, inquit, *omnino non conuenit Prophetæ. Quî enim fieri poterat, vt lignum mitteretur in panem? At Christo Domino sermo prophetiæ vel maximè quadrat; nam suum ipsius corpus panem appellauit: Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Panem hunc ligno confixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos.*

De passione Domini cap. 35.

In Ieremiã Homilia 8.

B

Verùm Origenes prædictam prophetiam pariter exponens, & ad sanctam Christi Domini Crucem adaptans, sententia sanè intellectus sui perspicuitate dignissima, sensuque à ceterorum Patrum cogitatione diuerso, de eadem sic tradit: *Panis Iesu quo nutrimur, sermo eius interpretatur. Quia igitur docente eo voluerunt quidam scandalum ponere doctrinæ eius, crucifigentes eum dixerunt: Venite, mittamus lignum in panem eius. Cùm enim verbo Iesu & disciplinæ eius coniungitur Magistri crucifixio, in panem lignum mittitur. Et illi quidem insidiantes, dicunt: Venite mittamus lignum in panem eius. Ego verò admirabile quiddam inferam: Lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem. Exemplum accipe de Lege Moysis. Sicut lignum quod missum est in amaram aquam, fecit dulcem; sic lignũ passionis Christi missum in doctrinam eius, fecit panem illius dulciorem. Antè enim quàm immitteretur lignum in panem eius, quando tantummodò panis erat, & non erat lignum, in vniuersam terram non exierat sonus eius: posteà verò quàm assumpsit fortitudinẽ per lignum, tunc in vniuersum orbem passionis eius disseminatus est sermo.* O cogitatio & animi sensus magno Origene planè dignissimus! quem licet superiùs libro tertio semel iam in medium adduxerimus, hoc loco tamen repetere coacti fuimus; quò huic diuinæ & admirabili prophetiæ Ieremiæ maior lux & claritas accederet. Iam verò ad eas quæ Ezechielis sunt, Spiritus sancti nos aura ducente, conuertamur.

In Ieremiã Homilia 8.

C

Ezechiel ergo, cuius nomen fortitudinem siue imperium Domini significat, Buzi Sacerdotis filius, sacerdos ipse quoque non secùs ac Ieremias fuit; ex oppido Sarera ortus, in Christi typo atque figura filius hominis nuncupatus est. Librum suum visionum, prophetiarum, oraculorum, ac reuelationum quas à Deo acceperat, viginti annorum spatio conscripsit; ab anno videlicet quinto captiuitatis Regis Ioachim, quem alio nomine Iechoniam dixerunt, cum quo in Babyloniam captiuus ductus est, vsque ad vigesimum quintum eiusdem captiuitatis annum. Prophetandi initium fecit ætatis suæ anno trigesimo, ad Chobar fluminis oram. Stilus eius non admodum eloquens, neque rudis, sed mediocris habetur. Verùm ea quæ ibi tractat mysteria, adeò alta atque obscura produntur, vt apud Rabbinos Hebræos veteri traditione vetitum esse censeretur, ne libri eius caput primum, neque libri eiusdem finis, id est, octo ipsius postrema capita, ab his qui trigesimum ætatis annum non expleuissent, interpretarentur. Prædicabat Ezechiel Hebræis concaptiuis suis, eorum peccata ac scelera liberè arguens; & Dei zelo impulsus, minitandi, & admonendi eos finem


Quantus fuerit Ezechiel, & quo tẽpore prophetauerit.

D

nem non faciens, eorum flagitia atque opprobria increpabat. Quamobrem A cùm improborum omnium, præsertim verò Ducis populi sui grauissimum odium contraxisset; ex eo quòd impiæ idololatriæ, qua Chaldæorum idola colebat, seuerissimè coarguerat, ab eo crudeliter interfici iussus est. Vnde à populo tumulatus fuit in agro Maur, in sepulchro Sem & Arphaxad progenitorum Abrahæ. Fato functus est Ezechiel in Chaldæa, circa annum à mundi constitutione trecentesimum & sexagesimum super ter millesimum. Flauius Iosephus in Iudæorum antiquitatibus, ad posterorum memoriam prodidit, Ezechielem duos prophetiarum libros conscripsisse, quorum alter hodie non extat. At hic vnus ex his fortè esse potuit, quos diuus Athanasius in sua Synopsi commemorat; qui mentionem facit de insignioribus ac notatu dignioribus his, quæ magnus hic Propheta vidit & scripsit. Quemadmodum enim is cælos apertos vidit, & in eis visiones Dei ipsi ostensæ sunt; sic etiam passionis & Crucis Christi Domini nostri mysterium ei reuelatum fuit: quod tamen sacramentum, sub velo & vmbra metaphoricarum figurarum innuit, ac sub altissimorum allegoricorumque sensuum significatione describit. B.

Primò igitur sanctæ Crucis signum ac mysterium prophetauit Ezechiel, idque innuens descripsit sub forma atque figura rotæ siue rotarum, quas vidit, quibus quattuor inerant facies; tunc scilicet, cùm quattuor illa animalia pari modo ei commonstrata fuere, quæ quattuor facies habebant, videlicet faciem hominis, faciem leonis, faciem bouis, & faciem aquilæ, inquiens: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quattuor facies. Et aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris; & vna similitudo ipsarum quattuor: & aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ. Per quattuor partes earum euntes ibant, & non reuertebantur, cùm ambularent. statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.* Quibus verbis atque rotarum figura, sanctæ Crucis Domini imaginem atque mysterium descripsit ac designauit. Nam si quis rotam vnam alij rotæ immittet, ita vt conuexitatis earum circumferentia in quattuor diuersas partes aspiciat, necessariò in earum intersectione Crucis imago effingetur; vt apposito hoc typo clarè demonstratur. C.

Figura Crucis sub typo quasi rotæ in medio rotæ ex Ezech. 1.



Quam figuram Theodoretus optimè intellexit. Nam prophetiam hanc exponens, inquit: *Rotarum speciem Propheta ita interpretatur, perinde ac esset, inquit, rota in rota. Hoc autem facilè poterit inspici, si quis duos circulos ratione sumptos, alterum in altero Crucis instar interserat. Talis enim figura, etiam in eadem sede posita, in quattuor partes motum admittit; Orientem inquam, & Occidentem, Aquilonem, & Austrum.* Qua D. profectò figura & imagine Deus eidem Prophetæ, & per ipsum nobis omnibus innuere voluit Christi Domini passionis & Crucis mysterium, à quattuor Euangelistis conscriptum; quorum figuram præsignabant quattuor animalia illa, quæ hominis, leonis, bouis, & aquilæ faciem præ se ferebant; per sanctorum Apostolorum organum, ceterorumque Catholicæ Ecclesiæ concionatorum, qui in prædicandi munere successerunt, in omnibus quattuor mundi partibus prædicandum & publicandum, non secùs ac rotæ illæ in quattuor diuersas partes rotantes versabantur.

In Ezechielem lect. 1.

Aspectum opusque rotarum sibi ostensarum, quasi maris visionem habere dixit Propheta; quorum verborum allegorico sensu sanctæ Crucis quoque figuram

A figuram & virtutem innuit, vt apposite sanctus Gregorius prophetiam hanc exponens tradit: *Recte*, inquit, *sacra eloquia visioni maris similia narrantur; quia in eis magna sunt volumina sententiarum, cumuli sensuum. Nec immeritò mari similis Scriptura sacra dicitur: quia firmantur in ea sententiæ locutionis, Sacramento Baptismatis. vel certè considerandum est, quia nauibus in mare nauigamus, cùm ad desideratas terras tendimus. Nobis autem, quid est desiderio, nisi illa terra, de qua scriptum est: Portio mea in terra viuentium? Ligno autem, vt dixi, euehitur, qui mare transit. Et scimus, quia sacra Scriptura lignum Crucis per Legem nobis prænuntiat, cùm dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Quod de Redemptore nostro Paulus attestatur, dicens: Factus pro nobis maledictum. Per Prophetas quoque lignum annuntiatur cùm dicitur: Dominus regnauit à ligno. Et rursum: Mittamus lignum in panem eius. Per Euangelium verò lignum Crucis apertè ostenditur, vbi ipsa Domini passio, quæ prophetata est, declaratur. Per Apostolum autem hæc eadem Crux etiam in verbis & operibus tenetur, cùm Paulus dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et rursus: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Nobis ergo qui ad æternam patriam tendimus, Scriptura sacra per quattuor suas facies mare est, quæ Crucem annuntiat, quia nos ad terram viuentium ligno portat.* In Ezechielem cap. 1. Psal. 141. Deut. 21. Psal. 95. Ierem. 11. Galat. 6.

B (margin letter beside "tur, cùm Paulus dicit")

Addit vlteriùs etiam Propheta rotarum aspectum horribilem esse; & meritò planè. Quid enim carnis illecebris delinitis, & peccatoribus Cruce ac morte horribilius prædicari aut proponi potest? Verùm quia rotæ prædictæ, quibus quattuor facies inerant, quæ in earum intersectione Crucis signum atque figuram protendebant, quattuor Euangelia propriè significabant à quattuor Euangelistis conscripta, Matthæo videlicet, Marco, Luca, atque Ioanne; quorum figuram præ se ferebant quattuor animalia illa, quæ faciem hominis, leonis, bouis, & aquilæ habebant; hinc est, quod Propheta asseruit aspectum earum horribilem esse, innuens prædictorum quattuor Euangeliorum lectionem, quæ C in littera ac narratione sua nil aliud pænè quàm Crucem, passionem, & mortem continet, incredulis & carnalibus lectoribus horribilem planè ac prorsus formidabilem futuram: at non sic tamen his, qui spiritu Dei, fide, atque iustitia aguntur; quibus Christi Domini vitæ, passionis, Crucis, & mortis contemplatio dulce atque suaue solamen est. Quamobrem Rupertus Abbas meritò inquit: *Talis nimirum rotarum, siue rotæ quattuor facies habentis visio est. Inertibus, & veram fidei virtutem non habentibus tremenda & inaccessibilis est: studiosis autem & bonam spem habentibus, adeò tractabilis, vt non dubitent se naviculæ Ecclesiæ, & arbori Crucis committere, ad transmeandam altitudinem dictorum, & sensuum, qui multiplices sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis.* In Ezechielem lib. 1. cap. 11.

Secundò sanctam Crucem prophetauit Ezechiel, virtutem ac salutem innuens, quam sacrosanctum signum hoc in iustis atque in Christum credentibus operaturum erat, dum visionem illam sibi ostensam narrat, virorum nimi- D rum illorum sex, qui venientes per viam portæ, quæ respicit ad Aquilonem, (& in cuiusque manu vas erat interitus) in templum ingressi sunt, inquiens: *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem. Et vniuscuiusque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius. Et ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum. Et gloria Domini Israël assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus. Et vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis; & dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescen-* *Nobilissimus typus Crucis in signo litteræ Tau, ex* Ezech. 9.

adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem: Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis; & à sanctuario meo incipite. A

Cùm autem superiùs, dum de Cruce commissa egimus, & posteà de trecentis vernaculis illis, quos Abraham secum duxit, cùm ad Lot nepotem suum liberandum perrexit, qui vnà cum vxore, ac filiis, vniuersaque domo eius captiuus abducebatur à quattuor Regibus illis, qui Sodomorum ac Gomorrhæorum vrbes diripuerant, multorum Patrum auctoritate suffulti probauimus, signum Tau, de quo hîc mentio habetur, sanctæ Crucis signum esse: ne tædiosa nimiùm prolixitate defatigemur, eadem ipsa hîc repetenda non duximus; cùm ibi curiosus Lector in hoc sibi plenè satisfacere possit. Sed hoc loco tantùm enitemur in eo, vt ostendamus quinam sex illi viri fuerint, quorum vnusquisque vas interitus, siue vt Septuaginta exposuerunt interpretes, securim in manu habebat: quis præsertim septimus ille fuerit, qui lineis pannis indutus, atramentarium scriptoris ad renes habebat; vel vt iidem Septuaginta dixere interpretes, vestitus erat podere, & zona sapphiri super lumbos eius; denique verò quidnam Deus per visionem hanc Prophetæ ipsi ostenderit, quidque per ipsum ad captus nostri intelligentiam deductum esse voluerit: quibus omnibus sancti Patres plenissimè respondent. Quocircà sanctus Hieronymus inquit: *Ad hominum igitur peccata delenda, qui in sexta die fabricationis mundi facti sunt, veniunt sex viri, & descendunt de porta superiori, & habebat vnusquisque securim in manibus, de qua Joannes loquitur: Iam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor, quæ fructum non facit, excidetur, & in ignem mittetur. Eratque in medio sex virorum vnus, id est, septimus in habitu Pontificis, vestitus lineis indumentis: & habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, quo omnium peccata describeret, & Sanctorum à peccatoribus numerum segregaret; siue zonam sapphirinam coloris lapidis sapphiri, qui in ornamentis est Principis sacerdotum. Egressique sunt sex viri, & steterunt iuxta altare æneum. Duo enim erant altaria, vnum thymiamatis aureum intrinsecus, & alterum ante templum æneum holocaustorum. Juxta altare autem stare dicuntur parati ad iubentis imperium, vt cuiuscumque viderint ibi non esse peccata dimissa, sententiæ Domini, & interfectioni eum subiacere cognoscant.* Deinde verò, vt apertiùs nobis insinuaret quinam sex illi viri fuerint, quique septimus, qui in medio illorum erat, subdit: *Quidam sex viros, sex interpretantur Angelos, qui Dei pareant voluntati. Ipsumque vnum, qui habebat indumenta Pontificis, Saluatorem intelligunt, iuxta id quòd Sacerdos est, & magni consilij Angelus; illudque quod dicitur, Tu es sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Idque, quoad septem virorum illorum personas innuisse sufficiat; vt mentis oculorum acies referetur ad percipiendum quinam hi esse potuerint.

Supràli. 1. c p. 4. & lib. 5. c. 4.

In Ezech. cap. 9.

Quid verò hac visione Ezechieli ostensa Deus innuere voluerit, sanctus Cyprianus declarauit ad Demetrianum Africæ Proconsulem scribens; sic enim ait: *Euadere enim eos solos posse, qui renati, & signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur, quando ad vastationem mundi, & interitum generis humani Angelos suos mittens, grauiùs in vltimo comminatur, dicens: Vadite, & cædite, & nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris, aut iuuenis, & virginis, & paruulos & mulieres interficite, vt perdeleantur. Omnem autem, super quem signum scriptum est, ne tetigeritis. Quod autem sit hoc signum, & qua in parte corporis positum, manifestat alio in loco Deus, dicens: Transi per mediam Ierusalem, & notabis signum super frontes virorum, qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. Et quòd ad passionem & sanguinem Christi pertineat hoc signum, & ille saluus atque incolumis reseruetur, quisquis in hoc signo inuenitur; item Dei testimonio comprobatur dicentis: Et erit sanguis in signo vobis super domos, in quibus vos eritis; & videbo san-*

Ad Demetrianum libello.

Mysteriũ Crucis, & litteræ Tau prolixè explicatum Exodi 2.

B C D

A *sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cùm percutiam terram Ægypti. Quod autem occiso agno præcessit in imagine, impletur in Christo, secuta postmodum veritate. Vt illic percussa Ægypto, Iudaicus populus euadere non nisi sanguine & signo agni potuit; ita & cùm vastari cœperit mundus & percuti, quisquis in sanguine & signo Christi inuentus fuerit, solus euadet.*

Verùm huius Ezechielis visionis ac prophetiæ significationem atque mysterium Rupertus Abbas apertiùs admodum explicauit his verbis: *Notandum ergo, quod dicitur: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Nam hoc est quod Dominus noster ex hoc mundo transiturus ad Patrem, & signum Crucis suæ scripturus in frontibus nostris, non atramento, sed sanguine suo & Spiritu sancto, primùm prædicare cœpit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cælorum. quia videlicet, non quibuslibet, sed gementibus & dolentibus super malis pristinis, id est pœnitentiam agentibus, inscribitur hoc signum. Non enim aliter, nisi abrenuntiemus diabolo & pompis eius, baptizamur in remissionem peccatorum, quod est accipere Crucis Christi signaculum. Signum hoc tam mortuis electis quàm viuis vir iste sacrauit passione sua; sed & vsque hodie, quamuis in cælo sedeat, & corporaliter sit absens, quantoscumq; signationis huius habeat ministros, hic est qui signat. nam hic est qui baptizat. Transite, inquit, per ciuitatem sequentes eum; & percutite, subauditur, omnem super quem non videritis signum Tau: omnem autem super quem illud videritis, ne occidatis.* In Ezech. lib. 1. c. 32.

B

Sic quondam in Ægypto præcipiebatur filiis Israël: Fasciculum hyssopi tingite sanguine, & aspergite ex eo superliminare & vtrumque postem. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios. Cumque viderit sanguinem in superliminari & in vtroque poste, transcendet ostium, & non sinet percussorem ingredi & percutere. Nulla hîc distinctio Israëlitæ & Ægyptij, nisi in postibus & super liminaribus domorum sanguis agni: nulla itidem distinctio hîc iusti & peccatoris, nisi in frontibus signum Tau, signum Crucis Christi Filij Dei. Et à sanctuario meo incipite, inquit. Quare? Videlicet, quia existimat populus, cuius sanctuarium meum est, quòd non indigeat signaculo Crucis, signaculo iustitiæ Dei, quippe qui iustitiam suam statuere vult, & ideò iustitiæ Dei non est subiectus. Ne ergo arbitretur, non necessariam sibi esse iustitiam fidei, & signaculum Crucis Christi, vel ad se non pertinere prophetiam huius percussionis: Effundite vasa hæc omnia super generationem istam, quotquot impleta sunt, à sanguine Abel iusti; & effundentes atque percutientes, à sanctuario meo incipite, vt non relinquatur lapis super lapidem in isto pulchro templo, neque in ista magna ciuitate: contaminate domum, implete atria interfectis, & egredimini. Ex quibus verbis satis apertè coniici poteſt, quidnam hæc prophetica visio significare voluerit, vt proinde, cùm superfluum videatur his aliquid addere, ad ceteras eiusdem Ezechielis prophetias stilum conuertamus.

C

D Tertiò sanctam Crucem Christique Domini crucifixionem, sub obscura quidem, sed allegorici sensus pulchritudine ac lepôre effluente Metaphora prophetauit Ezechiel in decimi septimi capitis verbis illis, vbi iuxta Vulgatam editionem nostram dicitur: *Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam: de vertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem. In monte sublimi Israël plantabo illud; & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit.* Quæ verba iuxta Septuaginta interpretum versionem, ita sonant: *Hæc dicit Adonai Dominus: Et auferam ego de electis cedri de vertice, & dabo de capite ramorum eius. De corde eorum auferam, & plantabo super montem excelsum, & suspendam illud in monte sublimi Israël:*

Ezech. cap. 17.

Crux Christi adumbrata per cedrum in monte excelso.

Iſraël: & plantabo, & afferet germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & requieſcet ſub ea omnis auis, & omne volatile ſub vmbra eius requieſcet. A

Quibus metaphoricis allegoricíſque verbis, licet aliquantulùm ſubobſcurè, Chriſti Domini noſtri nihilominùs incarnationem, Crucem, mortem, reſurrectionem, & gloriam, Gentiumque vocationem, ac ſanctæ Eccleſiæ congregationem prophetauit Ezechiel. Per cedrum enim, lignum quod nulli corruptioni obnoxium eſt, æterni Verbi diuinitatem innuit; quod per admirabile incarnationis myſterium, ab æterno Patre in excelſo vteri virginalis monte plantatum eſt; natumque ſacratiſſimæ humanitatis & corporis ſui germen produxit, & virtutum ac miraculorum fructum fecit: deinde verò ligno Crucis in Caluariæ monte ſuſpenſum, & mortuum, tertia die reſurrexit; ac demum glorioſus triumphator cælum conſcendit: eiuſdemque odoratiſſimi & incorruptibilis cedri proceritas, in tantam altitudinem ſe extulit, vt ad ſublimiſſimam Dei Patris ſedem pertingens, ad dexteram eius æternum conſeſſum promeruerit; admirabiliumque ac perexcelſorum operum ſuorum per orbem terrarum fama diffuſa, homines, ac præſertim Gentiles, qui tamquam ſiluestres volucres à vera Dei agnitione abducti, per inanis, non ſubſiſtentis, ac falſæ Religionis aërem, perque errorum ſiluas, & idololatriæ lucos circumuolabant, ad fidem eius conuerſi, ſub ſanctæ Crucis ramis feliciter nunc quieſcunt. B

In Ezechielé, Sect. 6. fol. 462. 463. Quamobrem Theodoretus prophetiam hanc exponens; *Perſpicuum eſt*, inquit, *de Domino ac Saluatore noſtro Jeſu Chriſto hæc fuiſſe prænuntiata, qui à Dauid ſecundùm carnem genus duxit, non ex aliquibus Regni ramis maiores habens, ſed ex ipſa Regum ſucceſſione. Et ſuſpendam ipſum in monte excelſo Jſrael: excelſus autem Golgathas eſt, vbi ſalutaris infixa Crux eſt. Deinde poſt paſsionem, reſurrectionem, & Euangelij propagationem: Et plantabo eum, & producet germen, & faciet fructum, quem orbis terrarum vindemians & depaſcens, æternam vitam ſperat.* Diuus etiam C

In Ezech. cap. 17. Hieronymus hanc ipſam quoque explicans prophetiam, inquit: *Dominus Deus Pater omnipotens, qui locutus eſt ad Ezechielem, tollit de ſtirpe Regia, & de genere Dauid, & plantat ſuper montem excelſum & eminentem, qui loquitur in Pſalmo: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Defecerat enim Princeps de Iuda, & Dux de Jſraël, donec veniret cui repoſitum eſt; & ipſe erat expectatio Gentium. Jſte erupit in germen, & fecit fructum, & cedros omnes ſua ſublimitate ſuperauit, ita vt habitent ſub eo omnes volucres cæli, & cuncta volatilia illius protegantur vmbraculo. De quo dicit Habacuc: Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Et quæ congregare deſiderat quaſi gallina pullos ſuos ſub alas ſuas. Vt omnia regionis ligna cognoſcant, quòd ipſe ſit Dominus.* Et paulò inferiùs ſubdit: *Quidam aliter interpretantur; lignum ſublime, humiliatum, & humile exaltatum, referentes ad paſsionem Domini Saluatoris. Qui cùm in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitratus, æqualem ſe eſſe Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. Et poſt reſurrectionem, ipſum lignum poſteà ſublimatum eſt, quod priùs virens morte ſiccatum eſt, & poſteà reuiuiſcens, priſtinum recepit virorem.* D

Quartò, ſanctam Chriſti Domini noſtri Crucem magnus Propheta Ezechiel prophetauit, & ſub alta quadam Metaphora eam deſcripſit; ſanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum, quod idem Dominus in ſua ipſius vltima Cœna inſtituit, diuinitus præſignauit, verbis illis, quæ in ſacri & admirabilis libri ſui capite quadrageſimo primo iuxta Vulgatam noſtram editionem

Ezech. cap. 41. ita leguntur: *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum: & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Et locutus eſt ad me: Hæc eſt menſa coram Domino.* Quæ quidem verba, Septuaginta Interpretes ita verterunt:

A terunt: *Visio quasi species altaris lignei; trium cubitorum altitudo eius, & longitudo cubitorum duorum, & latitudo cubitorum duorum, & cornua habebat; & basis eius, & parietes eius lignei. Et dixit ad me: Hæc est mensa, quæ ante faciem Domini.* Quibus verbis diuinus Vates sanctam Crucem innuit atque descripsit. Ipsa enim ligneum illud altare fuit, in quo Christus Dominus æterno Patri sacrificium, pro humani generis reconciliatione ac salute, se ipsum obtulit: sacrosanctum namque altare istud cornua reuerà habuisse dicitur, id est, quattuor extremitates eius; altitudinem scilicet, longitudinem, profunditatem, & latitudinem, quæ ad dexteram atque sinistram extenditur. *Altare ligneum, & mensa, illustres typi Crucis.*

Quam prophetiam Rupertus Abbas diuino planè sensu in hunc modum exposuit: *Altare ligneum, mysterium Crucis, mysterium & sacramentum passionis Christi est. Cùm venisset hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, in ipso transitu respiciens ad dorsum, id est, ad nos, qui credituri eramus post eumdem ipsum transi-* In Ezech. li.2.cap.27
B *tum, mensus est altare ligneum, id est, iam dictum Crucis vel passionis suæ sacramentum, substantiam panis & vini accipiens in manibus suis, dicensque post benedictionem: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Altaris huius altitudo trium cubitorum, longitudo duorum cubitorum est. Altitudo trium cubitorum, fides est sanctæ Trinitatis, sine qua nusquam est altare Dei. Longitudo duorum cubitorum, extensio geminæ dilectionis, Dei & proximi, sine qua nihil dignum Deo potest offerri; qua plurimùm indiget quisquis ad hoc altare hostiam viuam sacrificaturus accedit. Anguli eius, longitudo eius, & parietes eius lignei. Totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constat viuificæ Crucis; quia totius sacrificij summa est passio eius, qui pro omni mundo semetipsum super lignum Crucis sacrificauit. Et hæc est, inquit, mensa coram Domino, subauditur, sola & vnica. nam Iudaici mensa sacrificij iam non est coram Domino. Ne offeratis, inquit, vltrà sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi. Item: Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? subauditur, Non. Sed*
C *quid? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.*

Quintò, magnus Propheta Ezechiel sanctam Domini nostri Crucem iterùm sub altaris Metaphora prophetauit verbis illis, quæ libri sui capite quadragesimo tertio leguntur: *Et dabis sacerdotibus Leuitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine eius, pones super quattuor cornua eius.* Per vitulum enim, quem hoc loco Deus pro peccato offerri præcepit, Iesus Christus Dominus ac Redemptor noster præsignatur, qui in ara Crucis pro omnium hominum peccatis æterno Patri oblatus est sacrificium; cuius sanguine pretiosissimo quattuor altaris cornua, id est, quattuor Crucis extremitates aspersæ sunt. Et quemadmodum immolati vituli cruore quattuor altaris cornua purificabantur; ita & Christi crucifixi sanguine quattuor mundi plagæ expiatæ atque sanctificatæ sunt. Quamobrem diuus Hieronymus verba prædicta sic exponit: *Quòd au-* Ezech. 43. In Ezech. cap.43.
D *tem tollitur sanguis, de quo loquitur Petrus: Redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, pretioso sanguine Christi. & Paulus Apostolus docet: Pretio redempti estis. & in alio loco: Pacem faciens per sanguinem Crucis suæ, siue in terra, siue super cælos. illud significat, quòd sanguine Saluatoris quattuor cornua purificantur altaris, id est, quattuor mundi plagæ.* Sed de insignioribus sanctæ Crucis prophetiis quas Ezechiel altissimè protulit, hactenus breuiter dixisse sufficiat; consequenterque, à Maioribus Prophetis expediti, ad Minores conuertemur.

A

CAPVT IX.

De sanctæ Crucis Prophetiis, quæ sacro duodecim Minorum Prophetarum libro continentur.

IVRE suo nunc postulat omnis ratio, vt cùm de sanctæ Crucis prophetiis, quæ in Maiorum Prophetarum libris continentur, hactenus tractauerimus, agamus nunc de his, quas Minores etiam diuinitus protulerunt. Hos Hebræi Chaldaico verbo ab eorum numero, *There asar*, id est duodecim, appellant; omnesque vnico volumine perstringunt: non quòd omnes vno eodemque tempore prophetauerint, sed ne ipsorum scripta perirent, si separatim conglutinarentur, cùm eorum libri breuissimi sint: ex quo factum est, vt Minorum Prophetarum nomen sortirentur; non autem quia minora ceteris prophetauerint. B

Minores Prophetæ vnde dicti.

Primus autem ordine in duodecim Prophetarum libro Oseas ponitur, cuius nomen saluatorem significat. Filius fuit Beeri, in terra Belomoth ex tribu Issachar ortus. Librum suum per capita & periodos, ac ferè per sententias digestum conscripsit. Prophetauit contra decem tribus Israel, sub nomine Ephraim, & Samariæ, & domus Ioseph. Inter omnes Prophetas, Gentium vocationem, Hebræorumque reprobationem apertè admodum prædixit. Vixit tempore Osiæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, Regum Iuda, Isaiæque contemporaneus fuit. Aduentum etiam Domini nostri Iesu Christi sanctus hic Propheta prænuntiauit; mortemque eius in Cruce, qua electos suos ab æterna morte liberaturus erat, mortem ipsam perimens, infernumque frænans ac spolians, clarè prænuntiauit. Vnde quasi in eiusdem Domini ac Saluatoris nostri persona loqueretur, inquit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.* Quæ verba exponens diuus Hieronymus, C *Liberauit autem*, inquit, *omnes Dominus, & redemit in passione Crucis, & effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit ad infernum, & caro eius non vidit corruptionem; & ad ipsam mortem atque infernum locutus est: Ero mors tua, ô mors. idcircò enim mortuus sum, vt tu mea morte moriaris. Ero morsus tuus inferne, qui omnes tuis faucibus deuorabas.*

Christus mors mortis, & morsus inferni.
In Oseæ cap. 13.

Post Oseam autem in duodecim Minorum Prophetarum libro sequitur ordine Ioël, cuius nomen incipiens siue descensus Domini declaratur. Filius fuit Phatuel, cuius nomen latitudinem siue portam Domini tropologicè significat. Quasi duo hæc nomina simul iuncta innuere velint: Quicumque portam & scientiam Domini apertam habuerit, hic rectè prophetare incipiet. Natus est Ioël in agro Betoron siue Bethor, ex tribu Ruben. Paruum libellum prophetiarum suarum conscripsit, in quo mala quæ mundo obuentura erant, prænuntiauit; præsertim verò duabus hisce tribubus, quæ Iudas, Ierusalem, & D Iacob appellabantur, propter peccatorum ac scelerum magnitudinem. Vixit eo tempore quo Ioram filius Achab regnabat in Israël. Crudelem atque horribilem famem, quæ tempore suo futura erat, prædixit; & paulò pòst vita functus, cum honore & gloria in patria sua sepultus est. Christi quoque Domini mysteria prophetauit; inæstimabilemque fructum, quem Crux eius sancta mundo allatura erat, apertè prænuntiauit, cùm dixit: *Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret. Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti: quia lignum attulit fructum suum.* Quæ verba Hieronymus in hunc modum exponit: *Ne timeas terra, immò confide atque lætare: quæ priùs sementem Dominicam tua ariditate perdideras: quia magnificauit Dominus vt face-*

Ioël. 2.
Lignũ Crucis etiam à Ioële prophetatum.
In Ioël. c. 2

A *faceret tecum misericordiam; in tantum vt etiam iumenta regionis, & desertæ solitudinis, lætis nouabilibus complerentur, & lignum Crucis afferret fructum suum, & Spiritus sancti dona dulcissima suam cunctis tribuerent largitatem.*

Tertius in ordine in duodecim Minorum Prophetarum libro, iuxta ipsius Hieronymi Hebraicam versionem, Amos constituitur, qui Isaiæ Prophetæ pater nequaquam fuit, vt quidam errore ducti arbitrati sunt. Hebræi enim nomen illius per Aleph litteram in principio appositam describunt, fortemque ac robustum significat; istius verò per Ain & Samech, ac declaratur populus auulsus. Prophetauit enim contra decem tribus, quæ propter inobedientiam & idololatriam à Dei cultu, & à domo Dauid sese abalienauerant. Natus est in oppido Thecue, sex milliaribus ad Australem plagam à Bethleem distante, vt sanctus Hieronymus scribit, in tribu Iudæ. Hic cùm Propheta non esset, nec filius Prophetę, sed homo plebeius & pastor, repentè in Prophetarum numerum vo-
B catus, ad Israëliticum populum à Deo missus est; in mandatis accipiens, vt Samariam petens, ibi quę ventura erant prophetaret. Quem ab Amasia Rege iniuriis ac verberibus frequenter affectum, demum Ozias filius eius in regno successor, barbara planè atq; immani crudelitate necauit, ligneo atque acuto vecte per tẽpora transfixo: semiuiuusq; in patriam euectus, post dies aliquos excessiuo vulneris dolore victus, truculentissimoq; pœnarũ agone conflictatus, cunctantem efflauit animã, & cum patribus sepultus est. Hic Christi passionem & mortem in Cruce prophetauit; innuens ea de causa, & propter sacerdotũ Iudæorum auaritiam ac scelera, eorũ templum euertendum, & populũ obtruncandum; sic enim ait: *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem, & commouebuntur superliminaria. Auaritia enim in capite omnium: & nouissimum eorum in gladio interficiam.* In quem prophetiæ locum sic Rupertus Abbas: *Magna verè visio, & magnæ rei significatio extitit. Prophetico deinde spiritu vidit, & reuerà futurum erat,*
C *quod illi talis visio præostendit. Quærimus ergo, vbi, vel quando factum sit tale quid, cuius in signum stans Dominus super altare videri debuerit. Quærentibus autem in toto Christi Euangelio, vel in omni Euangelicæ gratiæ sacramento, nihil tam magnum, nihil tam euidens secundùm huius visionis proprietatem nobis occurrit, quàm schema vel habitus Domini nostri Iesu Christi crucifixi. Crucifixus namque & sacrificium pro nobis factus, super altare Crucis stetit, statione difficili, statione laboriosa sibi. Diligenter animaduertendum, nec vmquam oculis mentis nostræ debet abesse stationis illius spectaculum. Pendebat, & stabat manibus ad Crucis cornua confixis, pedibus ligno suppedaneo per clauorum fixuram cohærentibus, in modum stantis. Taliter stans ipse hostia; Crux verò altare erat. Propter talem eius stationem futurum erat, vt destrueretur illud Judaicæ superbiæ templum; iustè profectò, quia taliter stanti crudeles insultantes dicebant: Vah qui destruis templum, & in triduo illud reædificas. Dixit ergo ita stans: Percute cardinem, & commoueantur superliminaria. Cuicumque dixerit, siue videnti*
D *hæc Prophetæ, siue Angelo; nimirum illa in visione percussio cardinis, & commotio superliminarium, certissimè adfuturum significabat templi exterminium, tanta percussione, tanta commotione, vt hodieque admiretur orbis terrarum. Quam ob causam? Auaritia enim, inquit, in capite omnium: cui videlicet auaritiæ crudelissimæ fructus fuit, auaris & impiis, scelus istud, quòd taliter Dominum super altare Crucis stare fecerunt. Nam cùm quotidie disputaret contra auaritiam illorum, illud maximè concitauerat eos, quòd diutiùs non ferens pertinaciam auaritiæ, propter quam domum Patris, domum orationis, speluncam fecerunt latronum, Scripturam impleuit, dicentem, Zelus domus tuæ comedit me; mensas numulariorum, cathedrasque vendentium columbas, conuertens; factoque de resticulis quasi flagello, cunctos eiiciens.*

[Margin notes: Amos 9. — *Synagoga reprobata, Domino stante super altare Crucis.* — Rupertus in Amon Prophetam lib. 4. cap. 9 Tom. 2. — Psal. 68. — Matth. 21.]

Nunc autem sanctæ Crucis prophetias, quas Abdias, Ionas, Micheas, Na-

 hum,

hum & Sophonias Prophetæ protulisse potuerint, vltrò prætermittentes; ad eas A
quæ Habacuc sunt, breuitati consulentes, veniemus. Habacuc igitur, cuius nomen luctator declaratur, in agro Bezocar siue Betacar ortus, ex tribu Simeon, eo tempore vixit, quo Nabuchodonosor Babyloniæ Rex, Ierosolymorum vrbe expugnata, temploque Dei euerso, Hebræorum populum in seruitutem abduxit. Verùm ante vrbis prædictæ expugnationem captiuitatemque, ipsam ingentem desolationem & calamitatem, quæ eidem vrbi ac populo eius imminebat, prospiciens, diu multumque cùm super ciuitatem eamdem, tum super populum luxit. Appropinquante autem Nabuchodonosor cum exercitu Ierosolymis, in Ostracinam aufugiens se recepit; ibique incola permansit, donec hostes Chaldæi Ierosolymâ abeuntes, sese ad propria receperunt. Ille verò in patriam reuersus dum die quadam messoribus suis prandium afferret, repentè ab Angelo raptus, capillisque in aërem leuatus, in Babyloniam delatus est, vt cibo illo Danielem in lacum leonum immissum refocillaret. Multa Habacuc B
ipse de Christi Domini aduentu ac de sancta eius Cruce prophetauit. Biennio verò antequam populus postliminiò reuerteretur, morte præuentus, in patria sua perhonorificè sepultus est.

Habacuc 2. *Prima prophetia Habacuc de Cruce.* Sanctam autem Crucem primò prophetauit Habacuc, cùm dixit: *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* Quæ verba in Septuaginta interpretum versione ita leguntur: *Propter quod lapis de pariete clamabit, & scarabæus de ligno loquetur ea.* Iuxta verò aliam litteram quam Hieronymus prodit, sic sonant: *Lapis de pariete clamabit, quasi vermis in ligno loquens.* Quæ sanè verba, licet secundùm litteram atque exterioris sensus intelligentiam, contra Nabuchodonosor ab ipso Propheta prolata esse videantur, dicente, quòd Ierosolymorum ac sacri templi ædificiorum, quæ ille impiè demolitus fuerat, lapides & ligna vltionem tanti sceleris contra eum exclamatura erant; Spiritus sanctus nihilominùs, qui in eo loquebatur, verborum illorum C
sensum ad altiora & grauiora dirigens mysteria, sub lapidis & vermis Metaphora Christum Dominum innuit; qui lapis ille fuit ab ædificatoribus reprobatus, & factus est in caput anguli; vermisque ille extitit, de quo diuinus Psaltes intellexit, cùm in eius persona inquit: *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* (Psal 21.) Qui vermis, sic appellatus ob profundissimæ suæ humilitatis excessum, ac propter enormes iniurias atque ludibria, quæ in passione sua sustinuit; tunc profectò è ligno clamauit, cùm Crucis ligno confixus vociferatus est, dicens: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Deinde verò pro crucifixoribus suis orans, subdit: *Pater ne statuas illis hoc peccatum, non enim sciunt quid faciunt.* Et demum adiecit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quocircà non abs re diuus Hieronymus hæc Prophetæ verba exponens, ait: *Quidam è nostris, vermem in ligno loquentem, illum esse aiunt, qui dicit in Psalmo: Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* (In Habacuc cap. 2.) D

Habacuc 2. *Prædictio secunda de felle & nuditate Crucifixi.* Secundò Christi Domini passionem & Crucem sanctus Habacuc prophetauit, cùm dixit: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius. Repletus est ignominia pro gloria.* Nam iure quidem nos fabulas ac somnia prætermittentes, quas circa verba hæc Hebræorum Rabbini referunt, quorum cæcitas à litterarum cortice sese subducere nequit; dicimus, hoc loco à Spiritu sancto per os Prophetæ graues minas impietati ac sceleri Iudæorum intentatas, qui fel amico suo Christo Domino propinauit: amico inquam, & fratri eius secundùm carnem, qui ad illum saluandum venerat, inebrians eum opprobijs, iniurijs, atque ludibrijs, ac nuditatem eius in Cruce cum delectatione inspiciens, ignominiaque replens eum, pro honore & gloria, qua iure

A iure optimo ipsum afficere tenebatur. Quam detestandam prorsus iniquitatem per Regij Prophetæ os ipse conquestus ait: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Quamobrem prophetiam hanc exponens Rupertus Abbas, inquit: *Ipse est enim amicus, qui dicit in Psalmo: Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. In tantum amicus, vt frater sit effectus, & nostræ naturæ consanguineus: quippe qui cùm Deus esset, homo factus est. Nimirum ipse amicus repletus est ignominia, id est passus est ignominiam, sustinuit mortem, mortem autem Crucis, quam pro summa ignominia miscuit impius illi, Morte (inquiens) turpissima condemnemus eum. Tanta ignominia repletus, passus est pro gloria, videlicet sciens inde sibi prouenturum, vt iam ex eo sederet à dextris virtutis in gloria Dei Patris. Nam propter hoc ait Apostolus: Et Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est* B *Dei Patris.* Psal. 68. Comment. in Habacuc lib. 2. cap. 2.

Tertiò sanctam Christi Domini Crucem Habacuc prophetauit: quin non Crucem tantùm, sed & ipsius aduentum, incarnationem, mortem, atque victoriam, quam in eadem morte de morte ipsa ac de diabolo reportauit, diuinitus sanè tunc nimirum prænuntiauit, cùm in cælestis & admirabilis illius Cantici sui initio dixit: *Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius.* Prospiciens namque diuinus hic Vates Spiritus sancti lumine illustratus, benignum ac misericordem Deum, licet iustè ac meritò peccatis hominum succensentem, misericordiæ suæ nihilominùs memorem, in medio C ætatis mundi cursu admirabile opus illud ab se iam ab initio statutum executurum esse, mittens vnigenitum Filium suum, ad humanam carnem in sacratissimæ Virginis vtero suscipiendam; ad veram ac salutarem doctrinam disseminandam, & ad mortem Crucis pro nobis miseris oppetendam, vt ab æterna morte, & à diaboli manibus nos eriperet; proinde tam sublimium atque altissimarum rerum progressum paucis hisce verbis admirabiliter perstrinxit atque descripsit. Et perinde ac si è longinquo admonitus esset, excelsam ac tremendam æterni Verbi Christi Domini maiestatem, à quo omnia esse cœperunt, è cælo in terram esse venturum, vt de Creatore creatura, de inuisibili visibilis, de infinito finitus, de impassibili passibilis, de immortali mortalis, & de Deo homo fieret, ingenti stupore correptus, tantæque nouitatis admiratione consternatus, ac pro tam suspicienda diuinæ misericordiæ immensitate totus pio horrore repletus, ac tremens ait: *Domine audiui auditionem tuam;* id est, fama admirabilis D aduentus tui permotus sum, *& timui.* Verùm infinitam posteà vtilitatem expendens, quam ex aduentu atque diuino opere illo vniuersus orbis accepturus erat, se ipsum colligens atque corroborans, Deum ipsum precatus est, vt opus illud accelerare dignaretur, inquiens: *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Deinde verò certior factus id ita omnino futurum esse, determinatè magis prophetando, subdit: *In medio annorum notum facies.* Ac postmodum declarans quodnam opus id esse deberet, apertiùs locutus, adiecit: *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan;* vel, vt in Septuaginta interpretum versione habetur, vmbroso atque condenso: id est, Deus sanctus & benedictus, verus ipse Messias ab Austro veniet, nascetur in Bethleem, quæ à Ierosolymis ad Australem plagam posita est: & Sanctus sanctorum Christus Iesus à monte vmbroso & con-

Tam triumphus Christi quàm eius passio ab Habacuc prædicta. Habacuc 3.

denso, id est, ex vtero beatissimæ virginis Mariæ: quæ vmbrosus mons appellatur, quia à Spiritu sancto, & ab Altissimi virtute obumbrata fuit; atque condensus, propter intactam virginitatem eius, quæ velut fecunda terra quædam fuit, ab humanæ carnis aratro numquam proscissa. A

Post hæc autem de eiusdem Domini admirandis operibus, de miraculis, de gloria, ac bona eius fama, cuius laus & commendatio per vniuersum terrarum orbem disseminanda erat, dixit gloriam eius cælos operuisse, & laudis eius terram plenam esse. Quod planè tunc comprobatum est, cùm post resurrectionem suam gloriosus ac triumphator cælum conscendit, & cùm Apostolorum voce sanctum Euangelium in cunctis mundi regionibus palàm prædicatum est. Præterea de sancta eius doctrina, cuius splendore illuminandi erant hi qui in eum credituri erant, deque eius crucifixione prolocutus, inquit: *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius*. quorum priora verba sanctus Seuerus sic exposuit: *Splendorem, inquit, diuinam doctrinam, vel Euangelicam legem, quæ nostris mentibus lux fuit*. posteriora verò diuus Augustinus in hunc modum declarauit: *Cornua in manibus eius, quid est, nisi trophæum Crucis?* B

In Catena Græca.

De ciuitate Dei lib. 18. cap. 32.

Demum verò vt victoriam ac triumphum innueret, quem Redemptor noster per mortem suam in Cruce, destructa morte ac diabolo deuicto, ducturus erat; perinde ac si duos hos truculentissimos tyrannos vinculis astrictos, inuictissimi & gloriosissimi triumphatoris currum mœstissimè præcedentes, corporeis oculis conspiciendos nobis obijceret, subdit: *Ante faciem eius ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes eius*. Et meritò quidē. Nam ea victoria non contenti, quam in primi parentis nostri Adæ transgressione extorserant, ob quam ipse vnà cum vniuersa eius posteritate in ferrea mortis vincula, & in diaboli truculentissimam atque horribilem tyrannidem inciderat; victoriosa superbia & insolentia elati, arroganter nimis sese iactantes concinebant: *Omnis caro fœnum*. Diabolus autem ipse, velut ferocissimus quidam taurus cornupeta, aridum hoc & transitorium humanæ carnis fœnum, superbissimis cornibus ventilans, atque in aërem proijciens disperdebat. Quod miseratus benignus ac miserator Dominus & Saluator noster, brachia sua ad Crucis cornua extendens, ipsiusque diaboli cornua insuperabili robore arripiens, eum domuit & alligauit; morte autem nostra moriendo destructa, & vtroque tyranno pedibus conculcato, ac trophæo Crucis reuincto, ambos in triumphum duxit. C

Insignis descriptio triumphi Christi.

Quòd autem his verbis Habacuc sanctam Crucem, & Christi Domini crucifixionem prophetauerit, omnes pæne sancti Patres passim testantur. Quamobrem Hieronymus, *Habacuc*, inquit, *luctator fortis & rigidus stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem, vt Christum in Cruce contempletur, & dicat: Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius*. Et alibi prædicta verba Prophetæ ad Crucis significationem clariùs atque apertiùs adaptans, subdit: *Splendor quoque eius, quasi sol iustitiæ, clara luce radiauit. Et cornua in manibus eius, vexilla, & trophæa Crucis; & in ipsis cornibus abscondita est fortitudo eius. Cùm enim esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo: sed exinaniuit se, formam serui accipiens, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis. In Cruce ergo paulisper abscondita est fortitudo eius, quando dicebat ad Patrem: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Et in ipsa Cruce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* D

Ad Paulinũ, Ep. 103.

In Habacuc cap. 3.

Sanctus etiam Isidorus apertè professus est, Habacuc verbis prædictis Christi passionem & mortem eius in Cruce prænuntiasse; sic enim, *Habacuc quoque*, inquit, *passionem Crucis Christi ita prænuntiauit, dicens: Cornua in manibus eius.* *Quod*

De passione Domini cap. 35.

A *Quodquid est aliud nisi trophæum Crucis?* Et Rupertus Abbas prophetiam hanc itidem exponens, & à primis verbis Cantici ipsius Habacuc incipiens, cuius exordium est, *Domine audiui auditionem tuam; & timui*, ait: *Veraciter huiusmodi auditionem audiendo, timere siue expauescere fidelis & sapientis animi est. Quantum enim hoc est, quòd veniens in hunc mundum Deus & Dominus omnium, maiestas altissima, cunctis virtutibus cælorum timenda & adoranda, carne assumpta, manibus confixis ad Crucis cornua pependit? & vt hoc pateretur, vt tam malè tractaretur tantus Dominus, contumacium culpa seruorum extitit. Cornua namque vexilla dixit, & trophæa Crucis, cuius brachiis confixæ fuerunt manus eius.* In Habac. cap. 3.

Iulius autem Firmicus Maternus ad Constantium & Constantem Augustos, ac magni Constantini Imperatoris filios scribens; ipsosque ad pietatem, ad religionem, & ad sanctæ Crucis deuotionem adhortans, oratione omni verborum lepôre affluentissima doctè admodum atque apposité dixit: *Cornua nihil aliud nisi venerandum Crucis signum monstrant. Huius signi vno extenso ac directo cornu, mundus sustentatur, & terra constringitur: & è duorum quæ per latus vadunt compagine, Oriens tangitur, Occidens subleuatur; vt sic totus orbis tripartita stabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur. Hoc secretum nobis venerandum Prophetæ oraculum tradidit. Inuenimus enim in Habacuc ita esse præscriptum: Texit cælos virtus eius; & laude eius plena est terra: & splendor eius, vt lux erit; cornua in manibus eius. En venerandæ Crucis cornua; en sanctæ virtutis immortale fastigium; en gloriosi operis diuina compago.* Deinde verò ad Christum Dominum sermonem suum piè conuertens, subdit: *Tu Christe mundum ac terram extensis manibus, tu cæleste sustentas imperium: tuis immortalibus adhæret humeris salus nostra. Tu Domine æternæ vitæ baiulas signum. Tu venerando instinctu hoc nobis denuntias per Prophetas. Ait enim Isaias: Ecce natus est nobis filius, cuius imperium super humeros eius, & vocatum est nomen eius, magnæ cogitationis nuntius.* De errore profanarum Religionũ. (B)

C *Hæc sunt Crucis cornua, quibus omnia & subleuantur pariter & continentur. His cornibus benè nititur hominum vita. Vt Amalec vinceretur, extensis manibus Moyses hæc imitatus est cornua; vt faciliùs impetraret quod magnopere postulabat, Crucem sibi fecit ex virga. Ad hæc cornua, festina celeritate properate. Ad hæc cornua humili veneratione confugite. His vos affigant cornibus, iustitia, æquitas, pudicitia, misericordia, patientia, fides: vt veneranda præferentes insignia, consecrati fontis maiestate gaudentes, & sepulturæ Christi participes sitis & vitæ.*

Quartò & postremò, sanctam Christi Domini Crucem, sanctæque Ecclesiæ congregationem sub apposita Metaphora diuinus Vates Habacuc prophetauit, cùm iuxta Vulgatæ editionis nostræ litteram, dixit: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo.* Quæ verba in Septuaginta interpretum versione ita leguntur: *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo.* Et in Græca editione, quæ habetur in Catena sanctorum Patrum, ita sonant: *Exaltatus est sol, & luna stetit in ordine suo.* *Quarta prophetia Habacuc de Cruce sub typis Solis & Lunæ.* Habac. 3.

D Sub solis enim nomine ac Metaphora Christum Dominum innuit, qui verus est sol iustitiæ; sub lunæ autem denominatione atque Metaphora sanctam Ecclesiam intellexit; quasi diceret: Exaltatus fuit sol iustitiæ Christus in ligno Crucis: & per exaltationem eius, luna stetit in ordine suo; id est aduocata & congregata est Ecclesia. Quocircà sanctus Cyrillus Alexandrinus prædicta verba in hunc modum exponit: *Sol Dominus noster Jesus Christus nominatur apud Scripturam, secundùm illud: Exorietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ. Cum igitur exaltatus est sol, honoratam pro nobis ascendens Crucem, vel cælos apud Patrem & Deum; tunc luna, hoc est Ecclesia, quæ videbatur in tenebricoso loco esse, hoc est in rerum confusione, stabit in ordine suo: & quinam est eius ordo, nisi illustrare terram quæ sub cælo est, hoc est, ad lucem producere?* At de sanctæ Crucis prophetiis à

magno Habacuc Propheta diuinitus prolatis hactenus dictum sit. Post quas, arctiori breuitatis studio Sophonia prætermisso, ad Aggæum conuertemur. A

Aggæus ergo, cuius nomen, festiuum ac lætum significat, quia destructum templum reædificandum prophetauit, & post captiuitatis luctum, postliminij lætitiam prædicauit, Babyloniæ ortus est eo tempore quo Hebraicus populus ibidem captiuus detinebatur; cum quo, dum adhuc admodum adolescens esset, Ierosolymam reuersus est; vbi vaticiniis & adhortationibus suis, ad templi Dei reædificationem populum excitauit & impulit, grauissimas ei futuras calamitates minitatus, ni in constructionem illam totis viribus atque conatibus intenderet. Et ad illos sollicitandos ac permouendos adeò solerter totus incubuit, vt videndi templum illud pro maiori parte absolutum lætitiam perceperit; in quo ipse omnium primus in Dei laudem & honorem cecinit Alleluia. Qui quidem Hymnus, ad ipsius & Zachariæ Prophetæ imitationem (vt sancto Epiphanio placet) ad hunc vsque diem in sancta Ecclesia concinitur. Defunctus est autem Aggæus Ierosolymis, anno circiter quinquagesimo post populi à Babylonica seruitute regressum; ibique iuxta Sacerdotes perhonorificè sepultus est. B

Aggæi vaticinium de Christi aduentu & Cruce. Aggæi 2.

Apertè admodum sanctus hic Propheta Christi Domini aduentum, Gentiumque vocationem prænuntiauit: tunc verò præsertim cùm dixit: *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam: & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus.* Eiusdem etiam Domini mortem in Cruce sub torcularis Metaphora prophetauit; allegoricè innuens Iudæos in Christum non credentes, nullum ex morte ipsius fructum percepturos, sic enim inquit: *Cùm intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.* Quæ verba mysteriis refertissima doctè admodum Rupertus Abbas exposuit, illaque ad Christi Domini Crucem, & ad Iudæorum incredulitatem appositè sic adaptauit: *Crux & mors eius torcular extitit. Vnde & Propheta alius prospiciens eum, ait: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? & ipse respondens, Torcular, inquit, calcaui solus. Hoc torcular quinquaginta lagenas, id est peccatorum remissionem facit. Numerus namque iste, scilicet quinquagesimus, remissionem significat secundùm Legem, quæ anno quinquagesimo remissionem sacrauit. Vnde annus Iubileus, id est, dimittens dicitur. Sed vos ô Iudæi, cùm intraretis ad torcular eiusmodi, torcular lagenarum quinquaginta, factæ sunt vobis lagenæ viginti: qui numerus longè est à numero quinquagesimo, numero remissionis. Plusquam dimidium vobis deficit. Nam totius quod erat reponendum, tres vobis partes desunt, & tantummodò duæ susceptæ sunt. Quænam sunt duæ partes quas suscepisti? videbatis natum ex Maria, passum vel mortuum, quamuis peruerso corde, non ignoratis. Quæ sunt tres partes quas omisistis? Nimirum resurrexisse, in cælum ascendisse, atque ad iudicandum viuos & mortuos venturum esse non creditis.* C

In Aggæũ cap. 2.

Post Aggæum in duodecim Prophetarum ordine sequitur Zacharias, cuius nomen Latinitati redditum, Memoria Domini dici potest. Septuagesimo enim anno desolationis templi completo, ipso Zacharia prædicante, memoratus est Dominus populi sui; iussuque Darij Regis populus Dei ad propria reuersus, vrbem ac templum reædificauit. Filius fuit Barachiæ, in Chaldæorum regione natus: temporibus eiusdem Darij Medorum Regis prophetauit, quibus Aggæus quoque vaticinatus est. Sed Zacharias post Aggæum ponitur, quia duorum mensium intercapedine post illum prophetare cœpit, vt ex vtriusque lectione colligitur. Fusiùs autem idem Zacharias, quàm ceteri omnes ex duodecim Prophetis scripsit: suisque prophetiis multa de Christi Domini aduentu, de passione, de Cruce, ac morte eius, deque humani generis redemptione quam operaturus D

A turus erat, prædixit: idque totum diuinitus planè verbis illis prænuntiauit: *Ecce ego adducam seruum meum Orientem: quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Quibus animaduertendum est, Prophetam, vt Lectorem attentum redderet, eumque monitum faceret, in eisdem de seriis atque grauissimis agi; ibique sub verborum Metaphora, & sub allegorico sermone magnarum rerum significationes innui, ac sub ipsius litteræ cortice altissima mysteria condi; in cuiuslibet clausulæ initio dictionem hanc apposuisse, *Ecce.* Et iure quidem: nam de maioribus ac grauioribus sermo nequaquam institui potest. Primò enim, Christi Domini aduentum sub verbis illis innuit: *Ecce ego adducam seruum meum Orientem.* Christus enim diuinæ Scripturæ locis quamplurimis, & præsertim ab eodem Propheta Oriens appellatur; & meritò: nam humani generis salus ab eo orta est. Omnium autem virtutum B vniuersitatem, atque gratiarum plenitudinem eidem Christo Domino affuturam innuit sub lapidis illius Metaphora, super quem septem oculos esse dixit. Is enim lapis ille fuit, qui sine manuum opera à monte abscissus est: & lapis idem est, qui, vt alibi iam diximus, cùm ab ædificatoribus reprobatus esset, factus est in caput anguli. Super hunc autem septem oculi fuerunt, id est, septem Spiritus sancti dona. Ipsius quoque crucifixionem innuit sub sermonis illius Allegoria: *Ego cælabo sculpturam eius.* Tunc enim sacratissimi corporis sculptura cælata atque incisa est, cùm manus & pedes eius clauis perfossi, Crucis ligno confixi sunt, & latus eius lancea apertum est. Demumque humani generis salutem, quam idem Dominus in ligno Crucis operaturus erat, præsignauit dicens: *Auferam iniquitatem terræ in die vna.* In die namque, qua Christus Dominus in Crucem actus est, vniuersæ terræ, id est, cunctorum hominum peccata & iniquitates pretiosissimo ipsius sanguine dilutæ atque deletæ sunt. Quæ omnia C sanctus Hieronymus, admirabilem hanc prophetiam exponens, breuiter explanauit his verbis: *Suprà promiserat Deus Iesu filio Iosedech sacerdoti magno, quòd si in viis eius ambulasset, & eius præcepta seruasset, ipse diiudicaret domum eius, & atria eius custodiret; & daret ei ministros Angelicæ dignitatis: nunc ei dicit, & amicis illius, plenam felicitatem & perfectam beatitudinem tunc futuram, quando veniret Oriens, de quo scriptum est: Ecce vir, Oriens nomen eius. Qui Oriens ipse dicitur & lapis angularis; quia populum vtrumque coniungat, & duos parietes in vnam domum consociet: hic non credentibus lapis scandali est, de quo in Psalmis dicitur: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud. Super hunc lapidem, septem oculi sunt, de quibus loquitur Isaias: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet; & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis; & implebit eum Spiritu timoris Dei. Ecce ego cælabo sculpturam eius, di-* D *cit Dominus exercituum. Suprà dixerat, Ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem septem oculi sunt; nunc consequenter Metaphoram seruat de lapide, & dicit: Cælabo sculpturam eius, vel, vt Aquila interpretatus est, Sculpam aperturam eius: vel, vt Theodotio & Symmachus, Sculpam sculpturam eius. Et est sensus: Istum lapidem clauis Crucis, & lancea militis faciam vulnerari, & in illius passione auferam iniquitatem terræ, in die vna, de qua scriptum est: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Eumdem sensum & intellectum prædictis Prophetæ verbis Rupertus Abbas etiam tribuit, diuinam hanc prophetiam exponens, & sancti Hieronymi ipsa ferè verba referens. Quocirca breuitatis causa eadem in hunc locum transferre superuacaneum duximus.

Zach. 3.

Prima prophetia Zachariæ de Cruce, eiusque mysteriis.

In Zachar. cap. 3.

Zach. c. 6.

Ephes. c. 2.

1. Petri 2.

Psal. 117.

Isaiæ 11.

Secundò, sanctam Christi Domini Crucem, eiusque crucifixionem diuinus Vates

Secunda prophetia Zachariæ de Cruce, ex cap. 12. Vates Zacharias prophetauit, dum in eiusdem persona ait: *Et aspicient in me quem confixerunt.* Deinde verò, vt ostenderet quidnam ab intuitu illo his qui peruerso corde illum conspexerant euenturum esset, subdit: *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum.* Quę verba sacri Doctores annuntiatiua ac demonstratiua esse volunt; ita vt annuntient atque præsignent quid peruicacibus ac perfidis Hebræis in die Iudicij euenturum sit, cùm Christum Dominum in gloria & maiestate sua viuos & mortuos iudicaturum, cum potestate magna venientem prospicient. Tunc enim intuentes in eum, vnigenitum Dei Filium agnoscent, illumque esse quem ipsi vel maiores ipsorum impiè crucifixerunt, & in quem, pertinacia atque perfidia eos obcæcante, credere noluerunt: tuncque pœnitentia atque horrore perfusi, percutientes pectora sua, amarissima plangoris lamentatione aërem complebunt. Et vt ostendat quàm asper atque intensus eorum fletus futurus sit, asserit, vnumquemque illorum in easdem lugubres lamentationes ac querimonias sese daturum esse præcipitem, quæ fieri solent in morte primogeniti; innuens planctum eorum eiusmodi futurum, vt nec maior aut amarior esse possit. Quamobrem Glossa ordinaria pro horum verborum declaratione inquit: *Cùm Iudæi videbunt Christum regnantem in sua & Patris claritate, dolebunt à se crucifixum, intelligentes fuisse vnigenitum & primogenitum totius creaturæ.* Tertullianus verò aduersus eosdem Iudæos scribens, eamdemque prophetiam in medium adducens, in hunc quoque sensum sic exposuit: *Et tunc cognoscent eum quem pupugerunt. Et cadent pectora sua tribus ad tribum, vtique quòd retrò non cognouerint eum, in humilitate conditionis humanæ constitutum.* (Aduersus Iudæos capite vlt.)

(De Ciuit. Dei, lib. 2. cap. 30.) Sanctus autem Augustinus asserit, in die Iudicij non solùm Iudæos illos, qui ad mortem vsque in incredulitate sua pertinaciter perstiterint, sed eos quoque qui ad Christi fidem conuersi fuerint, ploraturos. Diuersa tamen prorsus occasione: illi enim, inquit, culpam ac damnationem suam deplorabunt; isti verò dolebunt, non reatus culpæ, sed pietatis affectu. Diuus etiam Hieronymus affirmat (In Zachar. cap. 12.), Iudęos ingenti animi dolore atque mœrore tunc afficiendos, quòd Christus Dominus ab ipsis crucifixus sit, cùm in claritate eum regnantem conspexerint. Et sanctus Isidorus in suo De passione Domini tractatu (De passione Domini cap. 36.), Prophetæ verba prædicta in medium adducens, *Et aspicient in me quem confixerunt,* inquit: *Hoc enim factum deprehendimus in Iesu, quem confixerunt Iudæi in Cruce: quem & dolebunt à se crucifixum in Iudicij die; cùm viderint eum in Patris ac sua maiestate regnantem.* Item Rupertus Abbas (In Zachar. cap. 13. tomo 2.) dum prophetiam hanc exponit, super verbis illis, *Et plangent eum; Maximum erit*, inquit, *quòd in illo planctu omnes tribus terræ, & maximè qui illum confixerunt, omnes omnino peccatores & impij, qui pœnitentiam non egerunt, plangent seorsum; quamuis omnes ad vnum congregentur Iudicium, omnes ad vnum descendant carcerem, id est, infernum, omnis animus ab omni animo erit seorsum multùm occupatus apud semetipsum, nec amicam respiciens, nec amicum.*

Tertium vaticinium de plagis in medio manuum Saluatoris, ex Zachar. 13. Tertiò, sanctam Crucem plagasque quas in ea Saluator noster accepit, Zacharias prophetauit, cùm dixit: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet; His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Perinde ac si Propheta hîc Christum Dominum in Cruce pendentem, manibusque ligno confixis intuens, ei diceret: Quare patibulo affigeris? quid est quòd manus tuæ clauis perfossæ sunt? quodnam scelus patrasti, cuius damnatione huic pœnæ atq; tormento addictus es? Ipse verò respondens, diceret: Vulnera hæc, plagas istas, ego consanguineorum meorum, eorumq; qui non oderant me, sed diligebant, sententia ac iudicio damnatus accepi. Sic enim diuus Hieronymus prophetiam hanc exposuit (In Zacha. cap. 13.): *Quid sibi volunt istæ plagæ, & hæc vulnera, quæ in medio manuum tuarum sunt? & est sensus: Quare adhæres patibulo? cur manus tuæ transfixæ sunt clauis?*

A *uis? Quid commisisti, vt huic pœnæ & cruciatui subiaceres? Et ille respondebit & dicet: Hæc vulnera, & has accepi plagas, parentum meorum iudicio condemnatus, & eorum qui me non oderant, sed amabant.*

Rupertus autem Abbas diuinæ huius prophetiç claritatem & euidentiam admiratus, de ea sic tradit: *Quid hîc in littera prophetica deest, nisi quòd manifestè non dixit: Ille confixus & mortuus resurget; & stans in medio Discipulorum suorum, dicet: Videte manus meas, & pedes meos, siue infer digitum tuum huc, siue manum tuam, & cognosce loca clauorum?* Deinde verò eadem verba Prophetæ subtiliùs examinans, & diligentiùs expendens, post nonnulla inferiùs subdit: *Hæc, cùm fixus fuerit, cùm mortuus fuerit & resurrexerit, dicentur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Quàm diu putas, & quomodo hoc, & à quo, vel à quibus dicetur ei? Nimirum in sæcula sæculorum sine cessatione dicetur ei, & admirando admiratione ineffabili dicetur, & à Deo Patre, cui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: & dicetur ei, & à sanctis Angelis, qui eum desiderant prospicere: dicetur ei, & ab hominibus, quos morte sua redemit. dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? O magnum miraculum, mirum spectaculum, præsertim in Domino dominatore omnium, plagas habere in medio manuum suarum! Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Quæritis quid sint plagæ istæ; & ego dico vobis, quia testimonia sunt obedientiæ, signa voluntatis & iussionis paternæ: Dominus exercituum, Deus Pater mihi proprio Filio suo non pepercit, sed pro vobis omnibus tradidit me. Et dixit: Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi. Quod est dicere: O mors conualesce super Filium meum, pastorem meum bonum, super virum cohærentem mihi, id est, in vnitate personæ coniunctum Verbo, quod consubstantiale mihi est. Ad hoc dictum, ac si framea quæreret, dicens: Quomodo vel in quantum suscitabor super hunc pastorem tuum? ita protinus edicit: Percute pastorem, & dispergentur oues. Hinc ipse pastor, dum percuteretur, ita locutus est: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Igitur dicentibus, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? congruè apponitur vox Patris, dicentis: Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, percute pastorem, & dispergentur oues gregis. vt sit sensus: Monumenta sunt paternæ charitatis, signa sunt obedientiæ meæ: quia ille mihi proprio Filio suo non pepercit; & ego factus sum obediens illi pro omnibus vobis vsque ad mortem, mortem autem Crucis.*

In Zachariæ cap. 13. Tom. 2.

B C

Postremus omnium, in duodecim Prophetarum libro Malachias constitutus est; cuius nomen Angelus, siue nuntius meus declaratur. Natus est in Sopha, ex tribu Zabulon. Hic à puero sanctam & inculpatam vitam duxisse fertur; cumque esset decorus aspectu, mansuetudine & honestissimis moribus prçditus, à populo apprimè dilectus est; qui ob eam causam Melachil, id est, Angelum eum appellauit. Viridi autem admodum adhuc iuuentute florentem D mors ab humanis abripuit. Atque in proprio maiorum suorum sepulchro honorificè conditus fuit. Iudæi autem, vt sanctus Hieronymus asserit, hunc Malachiam, Esdram illum Legis scriptorem fuisse autumant. Quamobrem diuus Augustinus de eodem sic tradit: *Propheta Malachias, siue Malachi, qui & Angelus dictus est, qui etiam Esdras sacerdos, cuius alia in Canonem scripta recepta sunt, ab aliquibus creditur: nam de illo hanc esse Hebræorum opinionem dicit Hieronymus.* De Ciuit. Dei. lib. 20 cap. 25.

Prophetauit Malachias aduentum Domini; Dominatorem & Angelum testamenti illum appellans; eumque ad templum suum, statim post sanctum Præcursorem aduenturum esse prænuntiauit: Gentium vocationem & sanctæ Ecclesiæ congregationem prædixit: sanctumque Eucharistiæ sacrificium, hostiam purissimam Deo quandoque oblatum iri; demumque ipsius Domini mor-

mortem in Cruce, & salutem quam humano generi allatura erat, vaticinatus A
est. Primò autem sanctam Christi Crucem eiusque crucifixionem prophetauit, cùm dixit: *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.* Quibus verbis Propheta in Christi Domini persona, Pontificum, Scribarum ac Pharisæorum prauitatem & auaritiam carpit; quæ causa fuit vt adeò instanter & auidè Christum Dominum ac Saluatorem nostrum crucifigendum efflagitauerint. Cùm viderent enim eum à populo apprimè diligi, qui doctrinæ eius sanctitate, & miraculorum stupore illectus totus ferè eum sequebatur, atque eum Regem facere volebat; priuati status ratione impulsi, eum de medio tollere studebant; veriti ne id amittendi regni illius zelotypiam Romanis incuteret, néve ob id omnem status illius administrationem ac regimen, omnemque exigendi à populo decimas & primitias iurisdictionem & auctoritatem ab ipsis auferrent. Quocircà sua ipsorum re propria & auaritia impellente, non destiterunt, donec in mortis damnationem eum induxerunt, mortis B
inquam Crucis turpissimæ ac truculentissimæ: arbitrati, quo probrosa magis atque horribili morte eum affici studerent, eo maiori officio ac studio addictos subditos Romanorum populo, omnisque nouitatis ac defectionis inimicos sese ostensuros; atque hanc veram esse viam, quâ status sui tranquillitati consulerent, suamque auctoritatem tuerentur. Quamobrem hinc liquidò factum esse constat, quòd cùm Pilatus eorum importunitatem non ferens, ironicè eis dixisset: *Regem vestrum crucifigam?* ipsi malitia atque adulatione repleti, protinus responderint: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Malach. 3. *Prima prophetia Malachiæ de Christi in Cruce confixione.*

Quod autem verbis prædictis Propheta in Christi Domini persona de Crucis morte locutus sit, qua impij Sacerdotes, Scribæ ac Pharisæi eum affici studuerunt, quamplures Patres testantur; atque inter eos præsertim sanctus Isidorus his verbis: *Ita enim idem Dominus de semetipso dixit: Si affiget, inquit, homo* C
Deum, quia vos configitis me? & dixistis, In quo configimus te? & subiecit Deus post hæc illis: Me vos configitis gens tota. Quod pertinet ad mysterium Dominicæ passionis, in qua Iudæi Christum crucifixerunt, quando sceleratas manus iniecerunt in eum. Rupertus autem abbas eadem verba exponens ait: *Nullus vmquam homo, præter Iudæum, nulla vmquam gens, præter gentem Iudæam, Dominum suum affixit, Deum suum ligno suspendit. Vos me affixistis, vos me ligno confixistis.* Et alibi hanc eamdem prophetiam fusiùs explicans, subdit: *Non ignorat anima fidelis & erudita pietatis quod sequitur: Si affiget homo Deum, quia vos confixistis me in decimis & primitiuis, & vos me confixistis gens tota; illud esse quòd propter auaritiam suam hunc dominatorem Dominum, & Angelum testamenti crucifixerunt Pontifices & Pharisæi. Ideò dixit: In decimis & primitiuis vos me configitis. Testatur & hoc ipse in Psalmo, cùm dicit: Quoniam zelus domus tuæ comedit me. quod est dicere: Quoniam pro domo tua zelatus sum, eiiciendo vendentes & ementes, dicendo: Scriptum est, Domus mea, domus* D
orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum: idcircò hæc omnia passus sum; quorum hæc summa est, Quia confixerunt me.

De passione Domini cap. 36.

In Malach. cap. 3.

In Danielem, vbi addita est hæc particula prophetiæ Malachiæ, li. 1. cap. 27. Tomo primo.

Ioannes autem Cassianus Eremita suis De incarnatione Christi libris, quos sancto Leoni Papæ direxit, asserit Malachiam Prophetam prædicta verba protulisse, tamquam si per os Christi loqueretur, cùm Cruci affigendus deduceretur; inquit enim: *Vt euidentiora vtique fierent, quæ prophetabantur, quòd de passione Domini nostri Propheta cecinit, quasi ipsius de quo dicebat ore prædixit: Si affiget, inquit, homo Deum suum, quia vos affigitis me? Nónne tibi, quæso, dixisse hoc Dominus Deus noster quasi ad Crucem ductus videtur? Cur, quæso, Redemptorem vestrum non agnoscitis? Cur Deum pro vobis carne indutum nescitis? Saluatori vestro necem paratis?*

De Incarnatione Christi libro 12.

Ancto-

A *Auctorem vitæ ad mortem ducitis? Deus vester sum, quem suspenditis: Deus vester, quem crucifigitis. Quis ergo hic error, aut quæ insania est? Si affiget homo Deum suum, quia vos affigitis me?*

Secundò, & vltimò Christi Domini crucifixionem, brachiorumque eius in Cruce extensionem, sub specioso Metaphorarum lepôre diuinus Vates Malachias prophetauit, cùm dixit: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Sub solis namque Metaphora Christum Dominum intellexit. Quamobrem Eusebius Cæsariensis hæc ipsa verba in hunc modum exponit: *Qui sæpè nominatus est Dominus, & Deus, & Angelus, & princeps Imperatorum, & Christus, & Sacerdos, & Verbum, & Sapientia Dei, & imago; nunc idem Sol iustitiæ dicitur. Hunc ipsum igitur is qui genuit Pater, non omnibus oriturum promittit, sed solis nomen suum timentibus; vt sic illis timoris erga se præmium, Solis iustitiæ det lumen.* Deinde verò sub pennarum Metaphora Propheta sanctus brachia in-

Malach. 3.
Secundum Malachiæ vaticinium sub typo solis & pennarum.
De demonstrat. Euãg. lib. 5. c. 29.

B tellexit, quæ idem Sol iustitiæ Saluator noster in Cruce extendit. In quibus pennis tantummodò vera sanitas comprehenditur, verumque perfugium contra æterna mala reperitur. Quocircà in Glossa ordinaria dicitur: *In alis eius est sanitas, vt sanatos per pœnitentiam protegat, & ad caulas gregis sui in humeris suis reportet.* Quæ verba ex Hieronymi textu decerpta fuisse puto, qui in prophetiæ eius expositione ait: *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, qui vera omnia iudicabit, & nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia latere patietur: Et sanitas in pennis eius, vt sanatos per pœnitentiam portet in humeris suis; iuxta illud quod in Deuteronomio scriptum est: Expandens alas suas suscepit eos, & in humeris suis portauit illos.* Atque hîc tandem de sanctæ Crucis Christi Domini prophetijs, quæ sacris voluminibus continentur, scribendi finem faciemus; cui sit laus, honor, gloria, & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

In Malach. cap. 4.
Deuter. 32.

C

CAPVT X.

De sanctæ Crucis Prophetijs, quæ Deo sic volente, à Sibyllis, alijsque vatibus mirabiliter prænuntiatæ sunt.

ILLVD sanè infinitæ Dei optimi maximi bonitati & misericordiæ congruum & conueniens erat efficere, vt sanctæ Crucis excelsum & admirabile mysterium, per quod humanum genus ab horribili dæmonis seruitute, ac morte æterna redimendum eruendumque statuerat, non minùs Gentilium quàm Hebræorum populo prænuntiaretur. Præsertim cùm vnigeniti Filij sui sanguis pro communi omnium hominum salute effundendus esset. Et iure quidem optimo, cùm non Hebræorum tantùm, sed & Gentilium ipse Creator, Pater, Deus, & Dominus existat; quemadmodum vt & perfidorum Iudæorum

D tumidum fastum, grandeque supercilium aliquanto deprimeret, qui solos se esse dilectos Dei Filios superbè nimis atque inaniter iactabant. Inquit Apostolus: *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Jmò & Gentium. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Sicut ergo admirabile mysterium hoc per sanctos Prophetas Hebræis prophetatum esse altissima Maiestas voluit; sic etiam, vt per vates alios Gentibus quoque prænuntiaretur, eidem placitum fuit: præsertim verò per Sibyllas; quæ de Christi Domini aduentu, de natiuitate, de miraculis, de passione, de Cruce, de morte, de resurrectione, ac de secundo eius aduentu, in quo cum gloria, maiestate, atque potentia viuos ac mortuos iudicaturus adueniet, tam alta, tam clara, tam aperta, ac vera prænuntiauere facinora, vt non de futuris, sed de

Quod Iudæis fuerũt Prophetæ, id Gentilibus Sibyllæ.

præteritis rebus geſtis, quibus ipſæ interfuiſſent, hiſtoriam texuiſſe diceres. A

Quamobrem à quibuſdam ſanctis Patribus Gentium propheti§ę meritò appellantur. Quarum ſcripta apud celebriores illuſtrioreſq; orbis terrarum populos, plurimum fidei & auctoritatis habuere: ita vt quemadmodum Chriſtus Dominus, quò Iudæorum peruicaciſſimam perfidiam conuinceret, qui in eum credere nolebant, dicebat eis: *Scrutamini Scripturas; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*; ſic & Apoſtoli ſancti dum Gentilibus prædicabant, vt eos ab errorum tenebris, & ab impio inanium deorum cultu faciliùs auerterent, ad ſanctæque fidei lumen pertraherent, his ſuadere ſolebant, vt Sibyllarum ſcripturas ſtudioſè perlegerent. Idque Gentium doctor Paulus Apoſtolus præcipuè facere conſueuerat, vt Clemens Alexandrinus teſtatur his verbis: *Nam quòd quomodo Deus Iudæos ſaluos eſſe voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum ſpectatiſſimos propriæ ſuæ linguæ prophetas excitatos, prout capere poterant Dei beneficium, à vulgo ſecreuit, præter Petri prædicationem, declarabit Paulus, dicens: Libros quoque Græcos ſumite; agnoſcite Sibyllam, quomodò vnum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura: & Hyſtaſpen ſumite, & legite; & inuenietis Dei Filium multo clariùs & apertiùs eſſe ſcriptum.* B

Ioan. 5.

Stromatum lib. 6. cap. 2.

Hyſtaſpes Medorum Rex, Gentium Propheta.

Fuit Hyſtaſpes Medorum Rex antiquiſſimus, & inter Perſarum Magos fama clariſſimus. Is præſcientiam, ac futura prædicendi ſpiritum habuiſſe traditur. Complura vaticinia atque oracula poſt ſe ſcripta reliquit, in quibus multa de Chriſto Domino prædixit. Ab huius Regis nomine, Hydaſpem fluuium celeberrimum vocitatum volunt, qui per Parthos & Medos præterfluens ad Indos vſque extenditur, & aquarum ſe fluctibus apud Indum exonerat. De eodem Hyſtaſpe Gregorius Gyraldus ſic meminit: *Fuerunt*, inquit, *apud Perſas ſapientes, qui Magi vocabantur. Medi quoque oraculis ab Hyſtaſpe verſibus vſi ſunt, & vnà Zoroaſtrem vatem & magum coluere.* Et alibi, de his qui vaticinia & oracula ſcripſerunt, ſubdit: *Fuit & in hoc genere Hyſtaſpes, quem Medi antiquiſſimum ſuum Regem fuiſſe affirmant, ſibique oracula dediſſe, quibus vterentur, vt Romani Publij & Martij vatum. Hic & fluuio nomen dediſſe dicitur apud eos populos notiſſimo, qui mox mutata littera Hydaſpes vocatus eſt.* C

In proœmio de Poëtarum hiſtoria.

In Dial. 3. de Poët. hiſt.

Sibyllæ autem mulieres fuerunt, quæ virginitatem perpetuam obſeruantes, fatidico ac prophetico ſpiritu afflabantur. Sic appellatæ, quaſi Dei conſilij nuntiæ. Æoles enim Deum σιὸν, conſilium verò βουλὴν appellabant. Quamobrem diuus Hieronymus ad Sibyllarum exemplum virginitatem laudibus efferens, argutè inquit: *Sibyllarum inſigne virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio. Quòd ſi Æolici genere ſermonis, Sibylla Θεοβουλὴ appellatur; rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Magna ſanè inter veteres ſcriptores circa harum Sibyllarum numerum, patriam, ac tempus quo vixerunt, diſcrepantia vertitur. Quidam namque Græci auctores oſtendere enixi ſunt, licet plura Sibyllarum nomina ſcripta comperiantur, Sibyllam tamen vnicam extitiſſe: non ſecùs ac licet multa Iouis, Mercurij, & Herculis nomina legantur, vnum tamen Iouem, vnum Mercurium, vnumque Herculem tantummodò fuiſſe. Nec tamen circa eius progeniem inter ipſos conueniunt. Quidam enim eam Apollinis & Lamiæ, alij verò Ariſtocratis & Hidoles, quidam Crinagoræ, alij Theodori filiam putauere. Neque minor inter eos de patria Sibyllæ eſt controuerſia: alij namque Erythræam, alij Siculam, alij Sardianam, alij Gergethiam ſeu Rhodianam, alij Libyſſam, plerique Leucanam, & alij Samiam fuiſſe tradunt. D

Aduerſus Iouinianũ lib. 1. cap. 26

De numero Sibyllarum varia veterum ſententia.

Martianus Cappella duas tantùm Sibyllas fuiſſe prodidit: Erophilem nimirum Troianam Marmeſij filiam, hancque illam eamdem fuiſſe autumat, quam Phrygiam & Cumæam appellarunt; alteram verò Symmachiam Hiporenſis filiam,

A filiam, quæ Erythris progenita, Cumis etiam vaticinata est. Plinius tria Sibyllarum signa Romæ iuxta Rostra fuisse testatur; quæ illæ eædem forsitan esse potuerunt, de quibus Solinus meminit. Harum primam Delphicam Eriphilem, secundam Erythræam, tertiam verò Cumanam appellat. Ælianus in varia Historia quattuor Sibyllas enumerat; Erythręam nempe, Samiam, Ægyptiacam, & Sardianam. Alij verò quattuor hisce duas alias addunt; Iudæam nimirum, & Cumæam. Marcus autem Varro Latinorum doctissimus, in libris Rerum diuinarum, quos ad Caium Cæsarem Pontificem maximum scripsit, decem Sibyllas fuisse perhibet; quas omnes Lactantius Firmianus primo diuinarum Institutionum libro ordinatim enumerat. Plin. l. 34. cap. 5. Solinus c. 8. Diuinarum instit. lib. 1. cap. 6.

Quarum decem Sibyllarum prima illa fuit, quam Persicam appellauere; cuius mentionem fecit Nicanor, qui Alexandri Magni res gestas ad posterorum memoriam litteris consignauit. Hæc ipsa etiam à quibusdam Chaldæa, &

B ab alijs Hebræa nuncupatur, cuius nomen proprium Sambetha fuit. Quidam in ciuitate Noë, ad Rubri maris oras ortam, oraculorumque viginti quattuor volumina conscripsisse tradunt; in quibus multa de Christi Domini aduentu, & de rebus ab eo gestis prænuntiarit. Et licet in fragmentis scriptionum Sibyllarum, quæ ad hunc vsque diem extant, pro certo ferè affirmari nequeat, quæ vnius vel alterius ipsarum Sibyllarum sint carmina (Erythrææ tamen exceptis, quæ scriptis suis nomen suum adiecit) plurimorum illa est sententia, huius nimirum Persicæ Sibyllæ illa fuisse carmina, quæ veri Messiæ præcursoris sancti Ioannis Baptistæ aduentum mirabiliter prædixere: quibus illa expresse prænuntiantur verba, quæ ipsemet posteà ore proprio protulit, dicens: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini; rectas facite semitas eius.* omnes ad pœnitentiam, & ad aquæ Baptismum inuitans. Quæ quidem carmina ex Græco in Latinum conuersa, hæc sunt: *Sibylla Persica de S. Io. Baptista vaticinium.*

C
Verùm cùm quædam vox per deserta locorum
Nuntia mortales veniet quæ clamet ad omnes,
Vt rectos faciant calles, animosque repurgent
A vitijs, & aquâ lustrentur corpora cuncta.

Sixtus Senensis Bibliothecæ sanctæ l. 2. & Sibyll. orac. lib. 1.

Secunda verò Sibylla Libyca dicta est, cuius in Lamiæ prologo Euripides meminit. Huius autem carmina illa fuisse traduntur, quibus Christi Domini miracula admirabiliter prædicta fuere. Quæ Isaias quoque spiritu prospexerat, cùm dixit: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Carmina autem ipsa Latinitati pariter donata, sic habent: *Sibylla Libyca de Christi miraculis.* Isaiæ 35.

Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Læsos, quotquot ei fident, cæcique videbunt:
Incedent claudi: surdis audire licebit.
D
Insolitas mutis dabitur formare loquelas:
Expellet furias: oppressi morte resurgent.

Sibyll. orac. lib. 1.

Tertia Sibylla illa est, quam Delphicam appellarunt; de qua multa in libro de Diuinatione ad posterorum memoriam transmisit Chrysippus. Hanc Delphis ortam, Teminque siue Artemin vocitatam ante Troiæ excidium vixisse putant; quod & eam prædixisse Bocchus asseuerat. Nec defuere qui Homerum putent non pauca huius Sibyllæ carmina, ornatus gratia, Poëmati suo inseruisse; quod inter ceteros præcipuè Diodorus Siculus retulit, affirmans, hanc Daphnen appellatam, Tiresiæ diuinatoris fuisse filiam, quam Alcmęon & Argiui, Thebanorum vrbe capta atque diruta, Delphos, voto suscepto, oblationem Apollini misere: eamdemque diuinandi artem iam priùs edoctam, in Diodorus Siculus antiq. lectionũ lib. 4. cap. 7.

Sibyllæ Delphicæ de colaphis Christo impingendis, necq; de sputis, felle, & aceto. Delphis posteà degentem, multo magis eam scientiam coluisse. Plurima quoque oracula eam conscripsisse testatur, asserens, hanc ipsam sæpiùs diuino spiritu afflatam, varij generis responsa dedisse; ob idque Sibyllam ab omnibus cognominatam. Huius autem carmina illa fuisse ferunt, quibus admirabiliter prædictum est, impios ac sceleſtissimos Iudæos, Christi Domini ac Saluatoris nostri diuinum vultum colaphis impetituros, sputis fœdaturos, felque & acetum ei propinaturos esse: A

Sibyll. orac. lib. 1. & 8. Hos versus citat etiam Lactantius Firm. Diuin. Instit. lib. 4.

Impingent illi colaphos, & sputa sceleſtis
Israël labiis, neque non & fellis amari
Apponent escam, potumque immitis aceti.

Quarta Sibylla Cumæa est, de qua Nęuius in libris de bello Punico, & Piso in Annalibus meminerunt. Sic à Cumis Italiæ vrbe cognominata, quæ in Campaniæ prouincia sita est, vbi sua prodidit oracula; quo fit, vt ab aliquibus Italica etiam sit dicta. Diuus autem Iustinus Martyr, Græcos cohortans ad impiam idololatriam derelinquendam, vnum solum Deum adorandum, sanctamque doctrinam Euangelicam amplectendam, huius Sibyllæ scripta eis legenda suadet; de cuius progenie, de patria, & de oraculis sic eos alloquitur: B

In Cohortatione ad Græcos. *Præclarum S. Iustini de Sibylla Cumæa testimonium.* *Perfacile autem vobis erit*, inquit, *rectam religionem ex parte aliqua, & ea quæ proximè ad Prophetarum accedunt doctrinam, à veteri Sibylla, ex afflatu quodam mirifico, per sortes ac responsa vos docente, percipere. Hanc Babylone ortam, Berosi, qui Chaldaicam historiam scripsit, filiam, ad Campaniæ oras nescio quomodo peruenisse ferunt; vbi responsa dedit, in vrbe, cui Cumæ nomen est, sexto à Baijs (qui locus Thermas Campanas habet) lapide. Vidimus sanè, ea in vrbe cùm essemus, locum quemdam, vbi basilicam ingentem vno fabrefactam saxo conspeximus; rem profectò maximam, & admiratione omni dignissimam, vbi oracula eam edidisse qui res patrias à maioribus suis quasi per manus traditas acceperant, affirmabant. In media autem basilica nobis illi ostenderunt tria solia ex eodem excisa lapide; quibus aqua repletis, lauisse ibi eam, & stola sumpta in penitissimam se basilicæ ædem eodem extructam saxo abdere, atque in media ea æde super sublimiore gradu & throno considere solitam, & sortes ad eum modum promulgasse dixerunt.* C

Huius Sibyllæ tamquam fatidicæ cùm permulti alij meminere scriptores, tum etiam Plato in Phædro. Mihi certè quidem is videtur, cùm in illius vaticinia incidisset, vates diuinitate donasse. Videbat enim prædictiones eius ad rem conferri. Ac proinde admiratione ductus, in libro ad Menonem fatidicos laudat, & ad verbum ita scribit: Rectè profectò diuinos eos appellauerimus, quos modò vocamus fatidicos & vates; nec minùs hos etiam (in Reipublicæ administratione versantes homines) quàm reliquos, atque insuper eos quoque dixerimus diuinos esse, atque numine instigari afflatos, nec non à Deo agitari attonitos, qui res multas & magnas rectè & verè dicunt, nihil eorum quæ loquuntur intelligẽtes: manifestò & apertè ad carmina respiciens Sibyllæ. Huic enim haudquaquam, sicuti Poëtis, etiam postquam poëmata scripsere, facultas fuit corrigendi, atque expoliendi responsa sua, iuxta exquisitiorem numerorum dimensionem & carminis rationem. Sed in ipso afflatus tempore, sortes illa suas explebat: & euanescente instinctu ipso, simul quoque dictorum memoria euanuit. Atque hæc ipsa causa est, quamobrem non omnes carminis numeros, Sibyllæ seruent oracula. Quin ipsi quoque, cùm in vrbe ea essemus, indicibus, qui hospites ad ea quæ visenda sunt ducere solent, ostendentibus, qui nobis loca etiam in quibus illa est vaticinata commonstrarunt, vidimus loculum quemdam ex ære elaboratum, vbi reliquias eius asseruari dicebant. D

Insuper inter alia omnia, quæ indices isti exposuerunt, illud quoque fuit: à maioribus se audiuisse, quòd qui responsa ab oraculo excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuissent, multoties in accuratiore numerorum obseruatione errauerint: & proinde istam illi

carminum

A *carminum quorumdam inconcinnitatis attulerunt causam, quòd cùm vates ipsa, mentis emotione & afflatu libera, dictorum suorum memoriam non retinuerit; tum qui oracula scripto mandabant, propter imperitiam numerorum obseruandorum, accurata ratione exciderint. Porrò cùm non in Poëticis numeris, neque in ea quæ apud vos clara habetur eruditione, viri Græci, res veri cultus Dei sint sitæ; relicta deinceps carminum & orationum exquisita ratione, ad dicta Sibyllæ citra contentionis studium animum aduertentes, cognoscite tandem, quorum vobis illa bonorum futura sit conciliatrix: assentimini vetustæ huic antiquissimæque Sibyllæ, cuius volumina toto terrarum orbe asseruari contingit; quæ supernè afflata, oraculis vos erudiet, quòd qui dicuntur, Dij non sunt. De Saluatoris autem nostri Jesu Christi aduentu, & de his omnibus quæ is facturus erat, manifestè pronuntiat. Quorum notitia vobis necessaria, quædam præ exercitatio futura est ad sacrorum prophetias virorum.* Hactenus de Sibylla Cumæa Iustinus Martyr; de qua etiam, ac de oraculis eius, diuus Augustinus: *Fuerunt*, inquit, *& inter Gentiles Prophetæ, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur; quod non facilè crederem, nisi quòd quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret de innouatione sæculi, quæ in Domini nostri Regnum satis concinere & conuenire videantur, proposuit verbum, dicens:* (In expositione inchoatæ Epist. ad Romanos.) B

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas. (Virgilius, Ecloga 4.)

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Hæc Augustinus. Quod quidem carmen, iam pridem ante ipsum Augustinum, ab Eusebio Cæsariensi in eodem sensu & significatione expositum est. Hæc autem Sibylla ipsa, Iesu Christi Domini nostri aduentum admirabiliter prædixit; pacemque ac tranquillitatem innuit, quæ natiuitatis illius tempore in vniuerso terrarum orbe futura erat. Gentium quoq; vocationem, sub diuersarum ferocium ac siluestrium ferarum Metaphora, quæ cicures pacificè inter se versaturæ erant, diuinitus prænuntiauit: significans Christum Dominum varias hominum nationes dissimilium morum ac rituum, in vnam sanctam Ecclesiam adducturum, qui cùm anteà feroces & barbari, à vero Dei cultu alienissimi atque auersi essent, sancta Euangelica lege & ipsa Christiana doctrina nihilominùs mansuefacti, in fidei vnitate, atque in ipsa Ecclesia Catholica pacificè ac sanctè conuicturi essent. Non diuersè admodum ab eo quod Isaias etiam prophetauit, cùm inquit: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident.* Carmina ergo quæ eidem Sibyllæ attribuuntur, ex Græcis ad Latinos translata, sic sonant: (*Sibyllæ Cumaæ de Christi aduentu & Gentium conuersione oraculum.*) C (Isaiæ 11.)

Cùm Deus ex alto Regem demittet Olympo,
D *Tunc terra omniparens, fruges mortalibus ægris*
Reddet inexhaustas frumenti, vini, oleique;
Dulcia tunc mellis diffundent pocula cæli,
Et niueo latices erumpent lacte suaues:
Oppida plena bonis, & pinguia culta vigebunt:
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus.
Verùm pax terris florebit in omnibus alta:
* *Cumque lupis agni per montes gramina carpent:*
Permistique simul pardi pascentur & hœdi,
Cum vitulis vrsi degent, armenta sequentes,
Carniuorusque leo præsepia carpet, vti bos:

(Sibyllinorum oraculorum lib. 3. in fin.)

(* Sex Carmina postrema simul cum superioribus iuncta citantur à Sixto Senensi Biblioth sanctæ lib. 2.)

 Cum

Cum pueris capient somnos in nocte dracones, A
Nec lædent; quoniam Domini manus obteget illos.

Quinta Sibylla Erythræa est; sic cognominata ab vrbe Erythra, hodie Stolar appellata, in prouincia Ioniæ sita, quam recentiores Quiscum dicunt, à Turcis occupata. Hanc Apollodorus Erythræus ciuem suam fuisse affirmat, Græcisque ad Troianam vrbem obsidendam petentibus, eam tum vaticinatam Troiam perituram, Homerumque mendacia & figmenta scripturum. Communior habet opinio, eam ante Troiæ obsidionem vixisse. Eusebius verò in prima Romanæ Vrbis ætate, & in Romuli Regno ipsam constituit. Strabo autem duas Erythræas fuisse contendit, quarum alteram antiquissimam, alteram Alexandri Magni temporibus in humanis egisse, atque Atheani nuncupatam fuisse tradit. Lactantius Firmianus, hanc licet Babyloniæ natam, Erythræam tamen se nuncupari maluisse asseuerat. Celebrior hæc & Sibyllis omnibus nobilior esse censetur. Fenestella enim diligentissimus scriptor tradit, Curionem Consulem, restituto Capitolio, ad Senatum retulisse, vt legati ad Erythram vrbem mitterentur, qui huius Sibyllæ carmina solerti studio conquisita Romam afferrent: quamobrem Publium Gabinium, Marcum Octacilium, & Lucium Valerium missos esse, qui à priuatis hominibus circiter mille versus descriptos Romam attulerunt. B

Strabonis Geographia li. 14.

Diuinarũ Institutionum lib. 1. cap. 6.

Diuus Augustinus opinioni huic se adhæsisse ostendit, Sibyllam nimirum hanc pij & optimi Ezechiæ Regis Iudæ, Oseæque Regis Israël, ac Romuli primi Romanorum Regis temporibus vixisse. Coæquatis enim inter se his, quibus Reges isti regnauere temporibus, idem posteà subdit: *Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non vnam. Hæc sanè Erythræa Sibylla, quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in Latina lingua versibus malè Latinis & non stantibus legimus, per nescio cuius Interpretis imperitiam, sicut pòst cognouimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam Proconsul fuit, facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, cùm de Christo colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ; vbi ostendit quodam loco, in capitibus versuum, ordinem litterarum ita se habentem, vt hæc in eo verba legerentur:* ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ. *quod est Latinè,* IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. C

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 23.

Quam planè admirabilem prophetiam iam pridem ante ipsum Augustinum etiam Magnus Constantinus Imperator prodidit ac recitauit in ea Oratione, quam ad Sanctorum cœtum habuit, & sanctæ Ecclesiæ dicauit: quamque ab ipsomet primitus Latinè recitatam, Interpres quidam posteà in Græcum sermonem transtulit, vt Eusebius Cæsariensis in ipsius Constantini vita, libro quarto capite trigesimo secundo testatus est. Quam Orationem idem ipse Eusebius ad calcem libri sui de eadem Constantini vita adiecit. In cuius Orationis capite decimo octauo hæc ipsa eadem prophetia Latinitati donata conspicitur, cuius quoque carminum capitales litteræ hæc præcisè verba produnt: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX: carmina autem ipsa hæc sunt: D

Sibylla Erythræa de tremendi Iudicij die.

Habentur etiam hæc carmina, licet in aliquibus variata lectione, in codice Sibyllin. orac. lib. 8.

I udicis aduentu magni, sudore videbis
E manare solum. tunc Rex æternus ab arce
S iderea præsens, carni ius dicet & orbi,
V t spectare Deum pia gens, atque impia possit,
S ublimem carne humana sanctaque caterua
C inctum, supremoque homines qui iudicet æuo.
H æc erit omnis humus vepres, & tristis arena:

Rescin.

A *R escindent simulacra homines, aurumque repellent;*
I ncendentque auidè terram, mare, sidera, flammæ.
S tabunt functorum sub apertum corpora lumen;
T etraque mens, & sancta illo splendore patebit.
V oce latens facinus quod gessit quisque loquetur,
S ubdolaque humani pandentur pectoris antra.
D ira mali facies, pauor vndique, & vndique luctus:
E t iubar inuoluent solis stellasque tenebræ.
I am vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther.
F erre caput valles, disiectis Alpibus, imas
I usserit: humanum culmen fastusque iacebit;
L ataque planities montes æquabit, & altum
I ntactum rate stabit, & vrent fulmina terras.
B *V nà deficiet flagrans cum fontibus amnis.*
S tridula de cælo tuba fundet lugubre murmur,
S upremumque orbi canet exitiabile carmen;
E t subito stygium chaos apparebit hiatu,
R egnantumque Dei celebrabit turba tribunal.
V ndaque sulphureæ fluet alto ex æthere flammæ.
A fflabit mortale genus insignè coruscans,
T rabs sancta in rectis animis optabile robur,
O mnibus vna piis vitæ melioris origo;
R ursus vesani dolor atque offensio mundi;
C ollustrans vndis duodeno in fonte fideles.
R egnabit latè pascentis ferrea virga,
V nus & æternus Deus hic Seruator, & idem
C *X hristus pro nobis passus, quem carmina signant.*

Admirabilis planè ac diuina prophetia; qua, Deo sic volente, celebris hæc & peruetusta Sibylla, vt carminibus prædictis clarè perspicitur, non tantùm tremendi Iudicij diem prænuntiauit, in quo Rex Regum, & vnigenitus Dei Filius Christus Dominus, cum gloria, maiestate, ac potestate magna viuos & mortuos iudicaturus adueniet; verùm etiam passionem eius, & Crucem, humanique generis salutem, quam in ea operaturus erat, diuinitus præsignauit. Quamobrem non immeritò ceteris omnibus celebrior atque nobilior censetur; vt Lactantius Firmianus, quem superiùs citauimus, testatus est.

Sexta autem Sibylla, illa est, quam Samiam dixere; de qua Eratosthenes scribit se in antiquis Samiorum Annalibus memoriam reperisse. Hæc nomine Pitho dicta est; cuius admirabile illud oraculum esse autumant, quod inter Sibyllina carmina scriptum comperitur, in quo Christi veri æternorum sæcu-
D lorum Regis, solemnis humilisque ingressus in Ierosolymorum vrbem, asinæ pullo insidentis apertè prænuntiatus est; cuius oraculi carmina ex Græcis ad Latinos translata, hæc sunt:

Sibylla Samia de solemni Christi asinæ pullo insidentis in Ierusalem ingressu.

Salue casta Sion, permultaque passa puella:
Ipse tibi inscenso Rex en tuus intrat asello,
Erga omnes mitis, iuga quò tibi, quò iuga demat
Intoleranda tibi, quæ fers ceruice subacta,
Soluat, & exleges leges, violentaque vincla.

Sibyll. orac. lib. 8. & Bibliothecæ sanctæ Sixti Senensis lib. 2.

Septima Sibylla Cumana est, sic cognominata ab antiquissima Vrbe Cuma, vna tum ex Æolidarum vrbium maxima & optima, ad Sardenes montis radices posita, quæ nunc Foia noua vocatur, vbi nata & educata est. Amal-

thæa, siue vt alij volunt, Erophile vel Demophile illi nomen inditum. Complures diuinationum & oraculorũ libros conscripsisse traditur. Lactantius Firmianus Varronis auctoritate suffultus, asserit hanc nouem libros Tarquinio Prisco Romanorum Regi attulisse; ac pro eis trecentos Philippéos postulasse, Regemque pretij magnitudinem, & mulieris insaniam derisisse: illam verò indignatam, tres in ipsius Regis conspectu igni tradidisse; ac pro reliquis idem pretium postulasse: Tarquinium autem multo magis mulierem insanire putasse: quæ denuò tribus aliis exustis, cùm in eodem pretio perseueraret, commotum esse Regem, ac residuos trecentis aureis emisse. A

Diuinarũ Institutionum lib. 1. cap. 6. De falsa relig.

Facti huius Auctores complures meminere; atque inter eos præcipuè Plinius, Dionysius Halicarnasseus, Solinus, Aulus Gellius siue Agellius, Seruius, & alij. Verùm hi Tarquinio Superbo, non autẽ Prisco Sibyllam eos libros detulisse asseuerant. Plinius autem tres tantummodò, non autem nouem fuisse; ex quibus duobus exustis, tertium à Rege emptum tradit. Idem quoq; Solinus asserit. Sed hoc ipse facinus non Cumanæ, sed Cumææ tribuit Sibyllæ; quæ in Italia & Cumis prope Neapolim ac Baias degebat, vt superiùs ostendimus. Dum enim quarumdam finitimarum vrbium originem prosequitur, inquit: *Ab Ascanio constitutæ sunt, longa Alba, Fidenæ: Antium, Nola à Tyriis: ab Eubœensibus Cumæ; ibidem Sibyllæ sacellũ est. sed eius quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit; cuiusque librum, ad Cornelium vsque Syllam, Pontifices nostri consulebant. Tunc enim vnà cum Capitolio igni absumptus est: nam priores duos Tarquinio Superbo parcius pretium offerente quàm postulabatur, ipsa exusserat: cuius sepulchrum in Sicilia adhuc manet.* Hæc Solinus. At quænam reuerà illa fuerit, cuius carminibus Romanorum euentus continerentur, de eo magna est inter Auctores controuersia. Idque Ioannes Ludouicus Viues Valentinus, suis in Augustini librum De Ciuitate Dei commentariis ex professo prosequitur; ad quem breuitatis ergô Lectorem remittimus. Ibi enim sedula temporum collatione ac dimensione perpensa, Varronis & Suidæ auctoritatibus adstipulatus, probat verisimilius esse libros Sibyllæ præfatos Tarquinio Prisco potiùs quàm Superbo delatos. Huius autem Cumanæ Sibyllæ admirabile oraculum illud fuisse putatur, quo Christi Domini aduentum prædixit; nomenque eius sanctissimum atque dulcissimum IESVS, per numeros Græcarum litterarum quibus conscribitur, artificiosè admodum prodidit, his carminibus: B C

Solinus De Italia, & eius antiquitate, cap. 8.

Sibyllæ Cumanæ de Iesu Christi aduẽtu, & sanctissimo eius nomine oraculum.

Sibyllinorum oraculorum libro primo.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus Patris omnipotentis,
Corpore vestitus. Vocales quattuor autem
Fert, non vocalesque duas binùm geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Namque octo monadas, totidem decadas super ista,
Atque hecatundas octo, infidis significabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto
Æterni Natum Christum summique Parentis. D

Hanc autem supputationem numerorum, qui per Græcos litterarum characteres nomen IESV ingrediuntur, quosque Sibylla carminibus hisce innuit, venerabilis Beda apertiùs explicat his verbis: *Huius sacrosancti nominis* IESV, *non tantùm etymologia, sed & ipse, qui litteris comprehenditur numerus, perpetuæ nostræ salutis mysteria redolet. Sex quippe litteris apud Græcos scribitur* ΙΗΣΟΥΣ, (videlicet Ι, & Η, & Σ, & Ο, & Υ, & Σ) *quarum numeri sunt* X, *&* VIII, *&* CC, *&* LXX, *&* CCCC, *&* CC, *qui fiunt simul* DCCCLXXXVIII. *qui profectò numerus, figuræ resurrectionis adgaudet.* Quibus Bedæ verbis, Frater Sixtus Senensis Bibliothecæ

In Lucæ Euangeliũ, lib. 1. c. 8.

A thecæ ſanctæ libro ſecundo hæc adiecit: *Octauus enim numerus in Sacris litteris reſurrectionis gloriæ conuenit: quia Dominus octaua die, hoc eſt poſt ſeptimam ſabbati reſurrexit. Et ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam ſabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore reſurgemus.* Hæc ille. Verùm vt ratio atque numerorum collectio, quos nomen ſacratiſſimum IESVS Græcis characteribus conſcriptum continet, vt Sibylla ipſa innuit, faciliùs & clariùs percipi poſſit; prout Beda priùs, deinde verò idem Frater Sixtus, prodidere, eamdem hoc pacto demonſtrabimus,

I ——	10
H ——	8
Σ ——	200
O ——	70
Υ ——	400
Σ ——	200
	888

B

Numerus planè ſacratiſſimus, altiſſimiſque myſteriis refertiſſimus. Tres enim numeri iſti octo, non tantùm ſignificant, dulciſſimum Saluatorem noſtrum Ieſum in tribus diebus à mortuis reſurrecturum fuiſſe, ſed etiam humanæ carnis vniuerſitatem, huius ſacratiſſimi nominis virtute reſurrecturam præſignant, cunctaque myſtici corporis Chriſti, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ membra non ſolùm à mortuis euocanda, ſed ipſi capiti ac Domino noſtro IESV, poſt reſurrectionem coniungenda, cum ipſo in æternum regnatura. Sicut enim octauus numerus ſymbolum reſurrectionis eſt, ſic etiam cùm ſit parilis atque compoſitus, humanum corpus ſignificat. Ternarius autem numerus Deo tribuitur, vt alibi clariùs demonſtrauimus. Quoniam autem Sibylla aſſerit in C nomine prædicto quattuor Vocales, duaſque Conſonantes cõtineri, quibus nomina duorum Geniorum conſcribuntur; pro Vocalibus, I, H, O, Υ, intelligi debent, & pro duabus Conſonantibus, Σ, Σ, quæ ſunt elementa, quibus duorum præcipuorum Angelorum nomina inſcribuntur; quorum alter bonus eſt, nempe Sathael, alter verò malus Satan. Neque enim ſine ingenti myſterio in nomine hoc ſacratiſſimo duo Angeli innuuntur, bonus nimirum & malus. Pro prima namque Σ, quæ inter ceteras huius ſanctiſſimi nominis litteras tertio loco conſtituitur, boni Angeli deſignantur; qui cùm peccatum non admiſiſſent, in gratia confirmati ſunt. Pro altera verò Σ, quæ poſtremo ac infimo loco reiecta eſt, defectores innuuntur angeli, qui diabolicam Luciferi ſuperbiam ſecuti, è cælo vnà cum ipſo deiecti, in profundum inferni barathrum pręcipitati ſunt. Id etiam hoc ipſo myſterio ſignificari videbatur, nimirum IESVM imminutionem illam, quam cæleſtes acies in perduellium angelorum deiectione acce- D perant, inſtauraturum, impiiſſimumque ſatanam vnà cum ſceleſtiſſimis ſatellitibus ſuis, pedibus illius proterendum & conculcandum; nec non ea, quam ſibi in mundum arrogauerat, tyrannide ac dominatu expoliandum.

Octaua Sibylla fuit Helleſpontica, in Agro Traiano nata, vico Marmiſſa ſiue Marpeſo, vt alij tradunt, prope oppidum Gergithion, ex quo Gergithia vocitata eſt: quæ, vt Heraclides Ponticus tradit, ea ætate floruit qua Syrus & Solon. Hæc perinde ac ſi Chriſtum Dominum loquentem audiuiſſet, ea verba prænuntiauit, quæ ipſemet poſteà protulit, cùm dixit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* cumque vt oſtenderet ſe quoad diuinitatem Patri in omnibus ſimilem eſſe, inquit: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* innuitque ipſum Dominum veram ac cæleſtem doctrinam homines docturum. Ac præterea, quod admi-

Mat. 5.
Ioan. 14.

Sibyllæ Hellespontica vaticinium de Christo à Magis adorato.
admiratione sanè dignum est, aperte admodum prædixit, tres Magos, quos ipsa Sacerdotes appellat, ad eum adorandum, ac tria illa mystica dona, aurum, myrrham, ac thus illi offerendum, aduenturos esse. inquit enim: A

Sibyl.orac. lib.1.

Ille Dei legem complebit, non violabit,
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.
Illi libabunt aurum, myrrhamque ferentes,
Thusque sacerdotes: hæc omnia namque patrabit.

Nona Sibylla illa fuit, quæ Phrygia dicta est. Hæc oracula sua promulgauit, ac responsa dedit in vrbe Ancyra olim notissima. Christi Domini mortem carminibus cecinit; solisque eclypsin, & tenebras, quibus trium horarum spatio præter consuetum naturæ cursum in die crucifixionis & mortis eius, orbis terrarum offusus est, admirabiliter prædixit. Clarè admodum prænuntiauit, velum templi in duas partes scindendum; significans cunctas vmbras atque figuras, quæ veteri Testamento continebantur, per Christi passionem & mortem patefactas ac declaratas esse; innuens ipsum Dominum ad inferos descensurum, ac die tertia à mortuis resurrecturum; certissimam arrham cunctis fidelibus, qui per sacrum Baptisma renati fuerint, tribuens, se quoque resurrecturos; cuius quidem carmina admiratione planè dignissima ex Græco in Latinum conuersa, hîc damus: B

Sibyllæ Phrygiæ de Christi morte, descensu ad inferos, & resurrectione.

Sibyl.orac. lib.8.

Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis:
Non etenim deinceps templum, legemque colendam
Arbitrio mundi monstratum est, idque latebat,
Arbiter vt terras æternus venit in imas,
Deuenietque, bonam spem portans omnibus, orcum,
Et tridui somno peraget mortalia fata.
Tum demum linquet manes, lucemque reuiset, C
Prima resurgendi lectis vestigia monstrans,
Qui laticis culpas abluti fonte perenni
Præteritas, rursum geniti, pleneque renati,
Jam non infandis parebunt moribus orbis.

Decima in Sibyllarum numero Tiburtina fuit, sic ab antiquissima vrbe Tibure nuncupata, nomine autem Albunea dicta. Hanc veteres Tiburtini vt Deam coluere, in Anienis fluminis, quem vulgò nunc Tiberonem vocant, littore; vbi ad hanc vsque diem in huius antiquitatis testimonium, paruum ac perquetustum templum, rotunda forma, pulchraque architectura constructum conspicitur, Sibyllæ templum passim ab omnibus vocitatum. Cuius simulacrum, vt scribit Varro, librum manu tenens, in Anienis gurgite repertum fuit. Hæc Christi Domini resurrectionem, eiusque admirabilem ascensionem his carminibus suis prædixit, quæ ex Græco Latinitati donata ita sonant: D

Sibyllæ Tiburtinæ de Christi itē resurrectione & ascensione.

Sibyl.orac. lib.1.

Sed postquam triduo lucem repetiuerit, atque
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit, cælestia tecta subibit,
Nubibus inuectus. ——

Complures præter has decem, quas Varro prodidit, aliæ extitere Sibyllæ; vtputa Sardiana, Rhodiana, Sicula, Colophonia, quæ Lampusia dicta, ex Calchantis progenie nata est. Fuit & Sibylla Helissa. Atq; in Sibyllarum numero ponitur etiam Cassandra, alio quoque nomine Alexandra vocata, Priami Troianorum Regis filia, quæ patriæ suæ euersionem prænuntiauit. Fuit & Epirotica Sibylla, in Thesprotia Epiri, nunc Albaniæ regione orta, quæ & oracula ipsa quoque conscripsit.

A scripsit. Fuit prætereà Sibylla Thessalica, nomine Manto, Tiresiæ Thebani filia, ex qua Mantuanam vrbem nuncupatam esse volunt. Quidam verò Sibyllarum etiam numero Xanocleam adscribunt, quæ Delphis in Apollinis templo oraculi responsa dedit. Alij quoque inter Sibyllas Nicostratam Euandri matrem referunt, quæ à Latinis, quòd responsa carminibus dare consueuisset, Carmenta dicta est. Et vt summatim rem perstringamus, perplures aliæ vaticinæ atque fatidicæ mulieres extitere, à plerisque auctoribus Sibyllæ appellatæ, quas breuitati consulentes omittimus.

Scribit Cornelius Tacitus, sanxisse Augustum Cæsarem (quod temporibus suis multa vana & commenticia, sub nomine Sibyllinorum carminum circumferebantur) vt quæsitis Samo, Erythris, & Ilio, vbi Troiæ vrbs antiqua fuit, per Africam etiam, ac Siciliam, & Italicas colonias fatidicis carminibus; quæcumque reperirentur, intra certum diem ad Prætorem Vrbanum deferrentur: hisque B quindecim virorum iudicio ac censuræ suppositis, quæcumque reuerà Sibyllina esse decernerentur, in Capitolium deferri, ibique seruari deberent; neque ea priuatim haberi liceret; quod iam à maioribus quoque decretum erat. At hæc ipsa carmina, quadringentis vel circiter annis posteà elapsis, Stilico Honorij Imperatoris socer, dum contra generum res nouas moliretur, (sperans hac occasione ingentem aliquam aduersus eumdem commouere seditionem) ea cremari ac prorsus deleri curauit. Cuius infame & improbum facinus his carminibus perstrinxit Rutilius: Annalium lib. 6. *Oracula Sibyllarum ab Augusto religiosè vndique conquisita.*

Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,
Antè Sibyllinæ fata cremauit opis.

In Itinerario, lib. 2.

Præter ea autem quæ de Christi Domini rebus gestis oracula ac prædictiones superiùs retulimus, quæque huic, siue illi Sibyllæ nominatim attributę sunt: tot tantaque alia de passione, de Cruce, de morte, ac de resurrectione eius in libris Sibyllinorum oraculorum scripta comperiuntur, adeò aperta & clara prædictione prolata (inexploratò tamen quænam ex Sibyllis prædictis singularum prædictionum auctrix extiterit) vt reuerà non sine ingenti admiratione atque stupore legi queant. In primis autem id ibi clarè admodum prædictum fuisse comperitur, Christum Dominum ventis imperaturum, & mare tranquillaturum esse, hominumque quinque millia, ex quinque panibus ac duobus piscibus ab eo pascendos & saturandos, ex quorum fragmentis duodecim cophini implendi essent. Cuius admirabilis diuinationis, hæc sunt ex Græcis Latina effecta carmina: *Varia Sibyllarum de Christi vita & passione oracula; sed quæ singulis attribuenda, incertum.* (C)

Placabit fluctus: in desertisque locorum
Largè panibus ex quinis, & pisce marino,
Millia quinque virûm satiabit; relliquiæque
Bis senos cophinos implebunt virginis almæ.

Sibyll. orac. lib. 1.

D Hoc insuper ibi prædictum fuisse comperitur, peruicaces nimirum ac perfidos Iudæos, Christi Domini miraculis non obstantibus, quasi ebrios, surdos, ac cæcutientes in eum minimè credituros: immò alapis eum impetituros, sputis vultum eius inquinaturos, fellisque escam apposituros, & aceti potum illi propinaturos esse:

Et tùnc ebrius Israël non mente videbit,
Non oculis cernet, non auribus audiet ipsis.
Hebræos sed enim summi lymphata Tonantis
Cùm petet ira, fide sublata prorsus eorum,
Propter cælestem, diuino sanguine cretum,
Offensum per eos puerum: tunc impius illi

Sibyll. orac. lib. 1.

Impin-

Impinget colaphos, virosáque sputa scelestis
Israël labiis: neque non & fellis amari
Apponent escam, potumque immitis aceti. A

Ijsdem etiam Sibyllinis versibus prædictum fuisse patet, Christum Saluatorem nostrum spinis coronandum; manus eius in Crucis ligno extendendas, vt omnia traheret ad se ipsum; lanceaque latus eius perfodiendum: atque ob id futurum esse, vt lux meridiana in obscuram noctem trium horarum spatio verteretur: Salomonis autem templum huius mortis signum daturum, Christumque ad inferos descensurum, vt sanctos Patres inde eriperet, & vt resurrectionem mortuis annuntiaret:

Sibyll. orac. lib. 1. circa finem.

Sed manibus passis cùm mensus cuncta, coronam
De spinis tulerit, nec non latus eius arundo
Fixerit acta manu, cuius causá tribus horis
Nox tenebrosa die medio monstrosáque fiet: B
Tunc hominum generi magnum Salomonia signum
Templa dabunt, Ditis cùm tecta profunda subibit,
Nuntiet in vitam reditum quò morte peremptis.

In eodem quoque Sibyllinorum oraculorum libro alibi legitur, eumdem Dominum spinea corona redimendum, felle potandum, & Cruci suffigendum: demumque Sibylla ipsa sanctam Crucem salutans, lignum felix eam appellat; cùm Deus ipse in ea pependerit, innuens eiusdem Crucis signum in cælo conspiciendum, cùm idem Dei Filius viuos ac mortuos cum maiestate iudicaturus adueniet; postquam mundus à sordibus suis per ignem purgatus erit.

Sibyll. orac. lib. 6.

—— Nempe coronam
De spinis illi posuisti; iniuria maior
Quò foret, & potum fudisti fellis amari.
O lignum felix, in quo Deus ipse pependit! C
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Et non secùs ac Propheta de opprobrijs, iniurijs atque ludibrijs, quibus Saluator noster in passione sua afficiendus erat, ait; *Dabit percutientibus se maxillam, saturabitur opprobrijs, & dabit in verbera dorsum:* sic vna ex eisdem Sibyllis asseruit, eum patienter malas colaphis & virulentis sputis præbiturum, sacratissimumque dorsum verberibus & flagellis tundendum ac proscindendum; nec non & vultum tacitè & compresso sermone depalmandum, ac senticoso serto caput impingendum; demumque sacratissimas manus, vt totum metiretur orbem, in Cruce expansurum esse:

Thren. 3.

Sibyll. orac. lib. 8.

Ad virosa genas præbebit sputa pudentes,
Verberibusque sacrum tradet proscindere tergum.
Perque feret tacitus colapbos, ne fortè sciatur, D
Quis sit, cuius sit, mortalibus vnde locutum
Venerit; horrentemque feret de vepre coronam,
Expandetque manus, totum metiatur vt orbem.

Et quemadmodum sancti Patres & Doctores asseuerãt, Moysen, cùm brachijs erectis atque extensis oraret, dum Israëliticus populus aduersus Amalec præliaretur, Christi Domini figuram præ se tulisse, qui brachia sua in Crucis ligno extendens, figuratum Amalec, antiquum videlicet ac feralem hostem nostrum satanam deuicit: sic vna ex Sibyllis id etiam iam pridem ante eos admirabiliter planè atque diuinitus prædixerat. Ita enim Græcè olim, nunc verò Latinè canit:

Versibus hic noster Deus est, nostræque salutis

Condi-

A *Conditor æternus, perpessus nomine nostro;* Sibyll. orac. lib. 8.
Sincera hunc Moyses expressit brachia tendens,
Vi fidei vincens Amalec, vt disceret esse
Electam Patri populus magnoque in honore
Dauidis virgam, lapidem in quo constitit; in quo
Cui sua spes posita est, is in omnia sæcula viuet.

Nec non & quemadmodum sacrosancti Euangelistæ testantur, Christum Dominum postquam à mortuis resurrexerat, rediuiuum sese vt anteà Discipulis suis repentè conspiciendum exhibuisse, manusque & pedes clauorum cicatricibus obsignatos eis ostendisse; sic etiam Sibyllarum vna quædam iam pridem ante ipsos, multisque sæculis antequam id fieret, inter cetera quæ de futuris euentibus admirabiliter præcinerat, hoc ad posterorum memoriam scripto commendauit:

B *Porrò suis primùm Dominus patefiet, eritque* Sibyll. orac. lib. 1.
Corporeus, sicut fuit antè; manusque pedesque,
Ostendetque impressa suis vestigia membris.

Verùm id longè maiore admiratione dignum censendum est, quod vna ex Sibyllis iam anteà clarè prædixerat, æternum Verbum, & vnigenitum Dei Filium è cælo in terras dilapsum, in sacratissimæ Mariæ virginis vtero incarnandum, assumpto, sic iubente Deo per Angelum Gabrielem, visibili corpore, altissimoque eiusdem Filij Dei incarnationis per eum annuntiato Virgini mysterio; quam & ab ipso Angelo eisdem pænè verbis, quæ nostra salutatione Angelica continentur, salutandam Sibylla ipsa prænuntiauit: asserens, Virginem salutatione illa commotam & conturbatam, virginalique verecundia ac rubore perfusam, & cogitantem quænam salutatio illa esse potuisset, quam ab initio, perpetuo virginali suo consilio repugnantem rebatur; ab eodem Angelo confortatam, diuinique consilij consciam effectam, C collegisse se, & Dei voluntati paratissimam obtulisse. Tum verò æternum Verbum in eius vterum protinus aduolasse, ibique humanam naturam, formam, & corpus sumpsisse; atque ex ea tempore præfixo in Bethleem, matre ipsa virgine remanente, natum esse. Quod licet hominibus admirandum prorsus videatur, Deo tamen ipsi nihil impossibile censendum. Quin & natiuitatem eius pastoribus priùs annuntiatam fuisse; qui ad illum adorandum confestim accesserunt, puero ipso pannis inuoluto, ac fascijs illigato, in præsepe iacente reperto; Magosque, noua eos stella ductante, ad infantem ipsum adorandum accessisse. Quæ omnia, & multo quidem plura Sibylla ipsa, diuinitus planè atque admirabiliter, vt dictum est, prænuntiauit. Cuius admiranda prorsus carmina ex Græco idiomate in Latinum conuersa, eiusmodi fuisse comprehendimus:

D *Omnia namque tibi certo ordine disposuisti,* Sibyll. orac. lib. 8.
Temporibusque petit postremis terram . . . . .
Et breuis ingressus Mariæ de virginis aluo,
Exorta est noua lux . . . .
E cælo veniens, mortales induit artus.
Ac primùm corpus Gabriel ostendit honestum
Nuntius, hinc tali affatur sermone puellam:
Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait: ast illam cælestis gratia molli
Leniijt afflatu. tum virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno subitò correpta stupore

Atque metu, trepida pressit formidine mentem, A
Ignotis verbis commoto corde tremiscens.
Hinc vt lætificis mens est recreata loquelis,
Erubuit malas ridens puerile venustas,
Lætitia dulcique animum demulsa pudore.
Tunc ad se rediit, Verbumque volauit in aluum;
Idque suo factum atque animatum tempore corpus
Mortali facie cretum est: puer inde creatus
Virgineo partu: mira est mortalibus hæc res;
Sed res nulla Deo Patri Natoque stupenda.
Hoc puero nato, properauit gaudia tellus,
Cælestis risit sedes, & gestiit orbis;
Diuinamque Magi stellam coluere recentem:
Monstratusque Dei præcepta sequentibus infans B
Est in præsepi, quem fascia circuit; estque
Dicta Logi Bethlem diuino patria nutu
Caprarum atque ouium custodibus atque bubulcis.

Si in paucis his verbis ergo Sibyllarum carminibus, quæ ad hæc vsque tempora nostra perdurant, Syllæ, Iuliani Apostatæ, ac Stiliconis incendiorum reliquiæ, quæ parua admodum ac minima fragmenta eorum sunt, quæ Sibyllæ ipsæ conscripserunt, admiranda adeò de Christo Domino, deque rebus ab eo gestis oracula reperiuntur; quid quæso de miraculis ac sacratissimis mysteriis eius prophetatum atque prędictum fuisse repertum iri, nobis putandum est, si vniuersa earum scripta haberi possent? Ego quidem reor, nullam vmquam præteritarum rerum gestarum historiam ab vllo quantumuis perito historico, qui singulis rebus interfuisset, tam diligenter conscriptam fuisse, quàm Christi Domini sancta atque pręclara facinora ab hisce admirandis virginibus, Spiritus C sancti in hoc lumine perfusis, prædicta fuere. Quamobrem valdè admiranda est diuina prouidentia, & nullo vmquam fine terminanda gratiarum actione ex hoc præcipuè collaudanda; quòd quemadmodum Hebræorum populo sanctos dederat Prophetas, qui veri Messiæ Christi Domini aduentum, miracula, passionem, Crucem, mortem, & resurrectionem, multifariè multisque modis prophetauerant, vt cùm ipse postea aduenisset, in eum faciliùs crederent; sic Gentium quoque populis prospexit, Sibyllas has eis tribuens, quæ Prophetissæ quodammodò appellari possunt, cùm Christi Domini res gestas adeò clarè prædixerint, vt Gentes ipsæ ad sanctæ Fidei lumen minori postea negotio pertraherentur. Qua consideratione permoti sancti Apostoli, ceterique Euangelicæ Legis prędicatores, in nascentis tum Ecclesiæ primordiis, dum Ethnicis prędicabant, tam sępè atque libenter harum Sibyllarum oracula in medium proferebant, vt à maleuolis ac sanctę Fidei inimicis quibusdam, quò irrisui at- D que ludibrio essent, Sibyllistæ passim vocarentur; vt Origenes innuit aduersus Celsum scribens.

Sibyllarum oracula cõuertendis Gentibus seruierunt. Aduersus Celsum l. 5. circa finem.

Ceterùm Ethnicorum magistratus & principes econtrà, animaduertentes à nostris ingentes fieri progressus, multosque ex Gentilibus ad sanctam Christi fidem quotidie conuerti, atque huius rei causam in librorum Hystaspis & Sibyllarum auctoritatem magna ex parte reiicientes, quos homines Christianorum suasione impulsi magna attentione perlegebant, sanxerunt capitale fore, si quis eos seorsum atque priuatim legeret. Quod sanè malorum dæmonum instigatione factum fuisse credendum est, quò miseri Gentiles in sua cæcitate, in errorum tenebris, atque in idololatrię impietate diutiùs persisterent.

Verùm

A Verùm his non obstantibus, Christiani ab eorum lectione non absterrebantur; sed & Ethnicis, vt eos perlegerent, instantiùs suadebant. quod Iustinus Martyr diligenter annotauit, cùm inquit: *Opera autem & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium aduersus librorum Hystaspis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores constitutum est: vt per timorem, homines ab illis, quo minùs scripta eius legentes rerum bonarum notitiam percipiant, sed in seruitute eorum retineantur, absterreantur. Quod certè quidem efficere & ad finem suum perducere nequiuerunt: non enim absque timore tantùm huiusmodi scripta legimus, verùm etiam vobis ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus; grata acceptataque omnibus fore scientes. Atque hoc etiam si paucis persuaserimus, maximum inde tamen feremus lucrum: nam vt boni agricolæ, amplam à Domino capiemus mercedem.* Volunt nonnulli, non Hystaspem solum atque Sibyllas apud Gentiles, sed alios quamplurimos Christi Domini Crucem & mortem prædixisse; vtputa Homerum & Virgi- Pro Christianis Apolog. 2. ad Anton. Pium.

B lium. Quin & diabolus ipse Dei voluntate coactus, per idolorum & oraculorum ora, eiusdem Domini ac Redemptoris nostri natiuitatem, passionem, Crucem, & mortem palàm fassus est. De Platone sanè Clemens Alexandrinus luculentissimum nobis perhibet testimonium, illum quasi prophetice Christi Domini passionem & mortem prædixisse, inquiens: *Quid verò, an non similiter Scriptura, quæ dicit: Tollamus iustum à nobis, quoniam nobis est inutilis: Plato propemodum prophetice prædicens salutarem dispensationem, sic dicit in secundo de Republica? Iustus autem qui sic est affectus, flagris cædetur, torquebitur, vincietur, ei oculi effodientur, & postremò omnia mala perpessus, suspendetur.* Verba admiratione planè dignissima, his ferè similia, quæ in sacro Sapientiæ libro à Spiritu sancto prædicta fuere circa Iudæorum iniquitatem atque inuidiam; qui cùm à Christi Domini innocentissima atque sanctissima vita auersissimi essent, quippe quæ vitiis & sceleribus ipsorum repugnabat; neque increpationes Stromatũ lib. 5. c. 6. *Plato etiã quædam de Christo videtur prædixisse.*

C eius vlteriùs tolerare valerent, dicebant: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quonam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tamquam ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum: videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi; & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. morte turpissima condemnemus eum.* Sapient. 2.

Quamobrem, quia verisimile non censetur, neque vllo pacto credendum

D est, Platonem vt Ethnicum, Spiritus sancti lumine adeò perfusum fuisse, vt ea quæ ad Christi Domini passionem tam clarè spectant, prospicere ac prænuntiare potuerit; non irrationabili argumento coniectari posse videtur, quòd cùm ille in Ægyptum profectus esset, præcipuo fauore adiutus, sacros Moysis ceterorumque Prophetarum libros peruoluere atque perlegere potuerit. Cui opinioni perplures etiam ex priscis Christianis eruditi viri adhæsisse visi sunt; qui eiusdem Platonis opera peruoluentes, cùm multa ad Christianæ Religionis veritatem congruentia reperissent, eodem vsi argumento id anteà iudicauerant. Quocircà diuus Augustinus in hanc sententiam inquit: *Mirantur quidam nobis in Christi gratia sociati, cùm audiunt vel legunt Platonem de Deo ista sensisse, quæ congruere veritati nostræ Religionis agnoscunt. Vnde nonnulli putauerunt eum, quando* De Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 11.

perrexit in Ægyptum, Ieremiam auidisse Prophetam, vel scripturas Propheticas in eadem peregrinatione legisse. A

Et quamquam idem Augustinus subiungat, diligenti supputatione abs se æquatis temporibus comperisse Platonem annis circiter centum natum postquam Ieremias prophetauerat, eumdemque sexaginta ferè annis fato functum antequam Ptolomæus Ægyptiorum Rex per Septuaginta interpretes sacras Hebræorum Scripturas ad Græcos traduxisset, ita vt Plato ipse in ea quam tum in Ægyptum peregrinatione susceperat, nec Ieremiam vidisse, qui tanto iam antè tempore decesserat; neque Hebraicas Scripturas, quæ in Græcum adhuc conuersæ non erant, legisse potuerit: fatetur tamen eumdem Platonem tam magno atque eximio ingenio extitisse, atque in studiis cognoscendi semper aliquid atque discendi desiderio flagrantem; vt quemadmodum Ægyptiacas litteras didicerat, sic etiam per seipsum vel per aliquem interpretem legisse, vel notionem assequi potuisse eorum quæ sacris Hebræorum Scripturis B continentur. Quamobrem non est quod miremur, si in eiusdem Platonis libris nonnulla reperiuntur vaticinia, quæ in Saluatoris nostri persona ac rebus gestis, magna legentium admiratione, veritate ipsa comprobata sunt.

Quod autem ad Homerum Poëtarum Regem attinet, nonnulli eam opinionem imbiberunt, illum operum suorum locis quamplurimis carmina inseruisse, quæ Christi Domini res gestas, præcipuè verò eius passionem & Crucem innuunt. Quo præsertim delectata Eudoxia Imperatrix Theodosij Iunioris Augusti coniunx (mulier, cuius in primis sanctè viuendi institutum erat) Sacrarumque litterarum lectioni deditissima, atque in Poëticis studiis exercitata, admirabili industria ex ipsius Homeri Græcis carminibus multos centones contexuit, quibus varias vtriusque Testamenti historias complexa, id ipsum opus suum Ὁμηρόκεντρα vocauit; in quo, posteà Latinitati donato, de Christi Domini crucifixione ac morte nonnulla carmina leguntur: quæ, C etsi Christiani Scriptoris instituto congruum haudquaquam esse putamus, Ethnicorum Poëtarum carmina ad sanctæ Religionis nostræ sacra mysteria, violentia quadam pertrahere, eadem nihilominùs in piorum Lectorum gratiam, ac tantæ mulieris memoriam, hoc loco referre voluimus. Sunt autem eiusmodi:

Homeri etiam quædam Christo accommodata.

Agnus enim erat ouium longè optimus omnium,
Inter autem ipse iuit suis alacritatibus fretus:
Vinculo autem difficili ligatus erat, fortes dolores patiens;
Simul autem pedes manusque ligabant irato animo.
In medium autem adduxere, hi autem ambas manus sustulere
Confestim, lanam autem deposuit puniceam.
Tum autem sol medium cælum ambiuerat.
Accipientes igitur hi diuisi extendunt D
Crucibus densis vndique hinc & inde
Nudum, verùm ipsi vestimenta in domibus iacebant,
Rectum in ligno: ex ipso autem extrema suspendere
Altè valdè magnopere, inclamat autem populus retrò.
Hi verò offendebant, & conuitiabantur verbis;
Verùm hic animum habens suum fortem vt anteà;
Ter autem deinde clamauit quantum caput cepit viri:
Ostentabat autem se sitire, bibere autem nolebat capere.

Multa itē ex Virgilio Christo adaptātur.

Virgilius quoque, & quidem Homero forsitan euidentiùs, multa de Christo, & de sancta eius Cruce præcipuè innuere pergit. Quamobrem Proba Falconia claris-

A clarissima mulier Adelphi Romani Proconsulis vxor, in suis centonibus hæc eiusdem Virgilij carmina in hanc sententiam, pio sanè ac laudabili labore, coaceruando selegit:

Ingentem quercum decisis vndique ramis,
Constituunt, spirisque ligant ingentibus illum:
Tendebantque manus, pedibus per mutua nexis:
Triste ministerium; sequitur quos cetera pubes:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Ille autem impauidus, Quo vincula nectitis? inquit.
Tantáne vos generis tenuit fiducia vestri?
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Intereà magno misceri murmure cælum
B *Incipit, & rebus nox abstulit atra colorem;*
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Terra tremit, fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pauor inde repentè
Dat tellus gemitum, & cælum tonat omne fragore.

Et quamquam centones isti nulla alia pænè de causa admirandi sint, quàm præclarissimarum matronarum quæ illos contexuere pietate atque industria; cùm quod ad prophetiam & prædictionem attinet, non magni adeò æstimari possint, cùm carmina sint hinc atque illinc accersita, & in vnum ex industria congesta: inficias tamen iri minimè potest, quin Poëtæ in carminibus suis quandoque aliud dicere putantes, futura aliqua prædixerint. Ex quo factum est, vt ab antiquis Vates appellati sint. Quamobrem sanctus Isidorus de ipsis inquit: *Vates à vi mentis appellatos, Varro auctor est: vel à viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis: & proinde Poëtæ Latinè Vates olim; & scripta eorum Vaticinia dicebantur.* Et quidem, si Poëta vllus vates dici potest, Virgilius profectò tali nomine dignissimus censendus est. Licet enim per summam ambitionem, natiuitatem Salonini, Asinij Pollionis Romanorum Ducis & Consulis filij, sibi celebrandam assumpsisset; multa tamen carminibus suis, nihil tale cogitans, prædixit, quæ Christo Domino tantummodò, vt nonnullorum fert opinio, conueniunt, vt innuit diuus Hieronymus: qui etsi eos carpens, qui sine magistro, cùm Doctores ac Theologi non sint, Scripturas interpretari, & ad suum sensum pertrahere audent, hos ipsos Homeri atque Virgilij centones, quasi exempli gratia in medium adducere videatur; tamen eumdem Virgilium in hoc admiratione dignum extitisse subindicat, quòd cùm Christianus non fuerit, nullamque Christi Domini ac diuinorum mysteriorum eius notionem sit assecutus, perplura tamen scripsit, quæ illi congruenter adaptari possunt: *Quasi*, inquit, *grande sit, & non vitiosissimum docendi genus deprauare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem: quasi non legerimus Homerocentonas, & Virgilio centonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:*

(Originum lib. 8. c. 7. — C)

(D — Ad Paulinũ epist. 103.)

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna; Ecloga 4.
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

Et Patrem loquentem ad Filium:

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Saluatoris in Cruce:

Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Æneidos lib. 2.

Hæc Hieronymus. At diuus Augustinus de impij Porphyrij inconstantia dis-

S. August. De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 27. ferens, qui in his quæ fidei sunt titubans, inter veri Dei confessionem & idolorum cultum fluctuabat, asserit, Virgilium de Christo poeticè quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad ipsum referantur, hæc carmina protulisse: A

Ecloga 4.

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Verùm iam pridem ante sanctos Patres Hieronymum & Augustinum, magnus Imperator Constantinus, in ea quam habuit ad Sanctorum cœtum Oratione, eiusdemque, quam Eusebius Cæsariensis refert, Orationis capite vigesimo, apertè ostendit, Virgilium carmina prædicta, ac pleraque alia quæ ibidem refert, de Christo Domino cecinisse. Verùm quid miramur, Poëtas, licet Ethnicos, quædam Christi decantasse mysteria; cùm diabolus ipse, vt superiùs innuimus, Dei omnipotentia atque iustitia coactus, pro diuinæ ipsius maiestatis gloria, in salutis nostræ profectum ac fidei confirmationem, Christi natiuitatem, diuinitatem, potentiam, passionem, Crucem, ac mortem fassus sit? Confessus namque is est, licet inuitus admodum, ipsius Christi Domini natiuitatem, diuinitatem, virtutem, atque potentiam, Octauiano Augusto Romanorum Imperatori; qui senio iam confectus, percupidè admodum scire desiderans quisnam post ipsum Romanum administraturus esset Imperium, ad Pythij Apollinis oraculum profectus est; sacrificioque illo omnium maximo, quod Hecatomben veteres appellabant, in quo centum vnius generis victimæ mactari solebant, dæmoni oblato, quæsiuit quisnam post ipsum tanti Imperij clauum, ac Romanæ Reipublicæ gubernacula tenere deberet. At cùm dæmon nullum daret responsum; quippe qui post Christi Domini natiuitatem vlteriùs loqui non auderet; Augustus aliud quoque simile, sed alterius animalium generis adiecit sacrificium, rogans quidnam causæ esset, quòd oraculum pluribus verbis anteà vti solitum, nunc tandem obticuisset? Tum dæmon parua interiecta mora, tandem mœsta voce, tribus carminibus Græcis responsum edidit, quorum verba Latinitati donata, ita sonant: B C

Quin & diabolus ipse coactus est fateri Christi supra se potentiam.

Nicephorus Callistus lib. 1. cap. 17.

Me Puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus absceditо nostris.

Niceph. lib. 1. c. 17. Suidas in verbo Augustus. Cedrenus in Comp. hist.

Historiam hanc per plures auctoritate graues Scriptores referunt, atque inter eos præsertim Nicephorus, Suidas, Cedrenus, & plerique alij. Suidæ autem Traductor præcipuè pro eorumdem carminum faciliore intelligentia, sic ea Latinè interpretatus est:

Puer Hebræus iubet me, diis beatis imperans,
Hanc ædem relinquere, & in orcum redire.
Iam abito tacitus ab aris nostris. D

Nicephor. lib. 1. c. 17. Augustus ergo hoc accepto responso Romam reuersus, diuinoque instinctu afflatus, aram in honorem Filij Dei in Capitolio erigi mandauit, hac inscriptione apposita: ARA PRIMOGENITI DEI. sic enim Auctores prædicti affirmant, præsertim verò Nicephorus, cuius verba ex Græcis ad Latinos sic translata sunt: *Tali responso accepto Cæsar Romam reuersus est, atque in Capitolio aram maximam extruxit, cum huiusmodi Latina inscriptione:* ARA PRIMOGENITI DEI. Volunt quidam, quòd in eodem loco vbi Augustus aram illam maximam extrui fecerat, templum illud posteà in gloriosæ Virginis Mariæ honorem constructum fuerit, quod ARA CÆLI nunc appellatur. Quin Christi Domini quoque diuinitatem, humanitatem, miracula,

Cru-

A Crucem, & mortem, idem dæmon inuitus tunc confessus est, vt Lactantius Firmianus testatur, cùm sciscitatus, an idem Dominus ac Redemptor noster, Deus esset, an homo; in Milesij Apollinis oraculo admirabiliter respondit tribus Græcis carminibus, quæ Latina effecta eiusmodi fuisse perhibentur: *Item Christi Crucem & mortem.*

Corpore mortali, sapiens ad facta stupenda;
Verùm à Judicibus Chaldæis captus & armis,
Clauis & palis mortem tolerauit acerbam.

Lactantius Firmianus, diuinarum Institut. lib.4.c.13.

Cuius oraculi iam superiùs obiter meminimus; primi nempe libri huius operis capite decimo quinto; dum de clauis ageremus, quibus Redemptor noster Cruci suffixus est. Cuius gloriosum nomen, cui omne cælestium, terrestrium, & infernorum genu flectitur, à creaturis omnibus laudetur, magnificetur, glorificetur, & exaltetur, in sæcula sæculorum. Amen.



IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE

LIBER QVINTVS.

Quòd quamuis Deus Israëliticum populum sibi in peculiarem possessionem elegisset, non propterea Gentium populos auxilio suo destitutos esse passus est; vt ad ipsius Dei notitiam & verum cultum redigi possent. Quodque ob eam causam forsitan permiserat, vt in Ægyptiorum symbolis & hieroglyphicis tot Crucis signa atque figuræ insculperentur, vt his adminiculis Gentes mentium suarum aciem ad mysteriorum eorum contemplationem erigere possent, quæ per eiusdem sanctæ Crucis instrumentum operaturus erat.

CAPVT PRIMVM.

Deum omnes homines velle saluos fieri, & quomodo id intelligendum sit. D

1. Tim. 2. 

VLT Deus, inquit Apostolus, omnes homines saluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire. At quonam pacto, dicet fortasse aliquis, hæc sententia verificari poterit, cùm vniuersi orbis terrarum populi, priscis quidem temporibus, Israëliticis exceptis, à veri Dei notitia & cultu aberrabant, & in impiæ idololatriæ cæcitate atque erroribus immergebantur? cumque tot nationes ac populi, hisce etiam nostris temporibus, sanctæ Christi fidei lumine orbati, infidelitatis horribilis & obscuræ noctis tenebris miserabiliter obuoluantur; vel in hæresum iniquitate & peruersitate, à pio atque materno

A terno ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ gremio, extra quod non eſt ſalus, in æternam damnationem (ô rem infeliciſſimam!) peruagentur? Omnis Scriptura, ait Gloſſa, idque diuus etiam Petrus innuerat, interpretatione indiget. Veriſſima procul dubiò Apoſtoli verba fuere. Neque enim tam clara atque ſonora Spiritus ſancti tuba falſum ſonitum & à veritate diſcordem edere poterat; neque à Vaſis electionis ore puriſſimo aliud quàm veraces ac ſelectæ gemmæ prodirent. Verùm vt ſermonis ſui ſenſus ſano modo intelligeretur, data opera ipſe idem poſteà ſubdit, inquiens: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quaſi diceret, quòd Deus optimus maximus, pro infinita ſua bonitate ac miſericordia, tamquam vniuerſorum Pater, & vnicus Creator omnium, voluntate ſua antecedente, omnes homines ſeruatos eſſe cupit: atque ad hunc finem vnigenitum Filium ſuum miſit, qui omnium hominum ſalutem in ligno Crucis operatus

2.Pet.1.

1.Tim.2.

B eſt. At non ſic indiſtinctè idem vult voluntate ſua conſequente. Antecedens voluntas illa eſt, qua quis abſolutè aliquid vult: conſequens verò eſt, qua quis aliquid quidem vult, ſed neceſſariis circumſtantiis & conditionibus accedentibus. vt, exempli gratia: Vult Rex cunctos ſibi ſubditos viuere, & ſeruatos eſſe, quatenus membra regni ſui exiſtunt; & hæc eſt voluntas eius antecedens, quæ ſub hac conſideratione, vtique ſancta & bona eſt: verùm ſi quidam ex eis perduelles, ſeditioſi, homicidæ, aut fures effecti fuerint, non ſolùm eos non viuere, ſed morti addictos cupit, quia publicum bonum & quietem perturbant, ad cuius conſeruationem regiminis ſui gubernacula dirigit; & hæc eſt voluntas eius conſequens. Sic ergo vult Deus omnes homines ſaluos fieri, vt ſunt creaturæ ſuæ, atque ipſius capaces per cognitionem & amorem: ſed conſideratis præcipuis conditionibus, iuxta quas eorum quidam ſunt iuſti, quidam verò peccatores; quidam fideles, quidam autem infideles; ſecundùm hunc modum diuina maieſtas, pro iuſtitiæ ſuæ ordine, quoſdam ſeruatos eſſe vult, alios autem damnatos eſſe permittit.

C

Similitudo Regis volentis omnes ſuos ſaluos, & tamen ſceleſtos punientis.

At ſi quiſpiam fortaſſe nimia curioſitate perquireret, cur non omnes ſaluet is qui omnes ſeruatos eſſe cupit; & quidnam cauſæ fuerit, quòd priſcis temporibus, cunctis Gentibus prætermiſſis, vnum Iſraëliticum populum tamquam peculiarem poſſeſſionem ſibi elegerit, quem in veritatis notione erudiret; ceteros verò populos omnes, & præſertim Ægyptios, tam miſerando & cæco errorum & idololatriarum barathro immergi permiſerit? huic reſpondendum erit, iudiciorum Dei altitudinem humanæ intelligentiæ acceſſibilem non eſſe. Quamobrem Proſper Aquitanicus, in eo de Vocatione Gentium tractatu, qui diuo Ambroſio à quibuſdam tribuitur, ad inſtitutum hoc: *Nullis*, inquit, *ſtudiis, nullis ingeniis indagare conceſſum eſt, quo iudicio, quòve conſilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter iuſtus, ſemper præſcius, ſemper omnipotens, ideò omnia in incredulitate concluſerit, vt omnium miſereatur: & tamen illis ſæculis, quibus vnum Iſraëlem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare diſtulerit, & nunc eumdem Iſraëlem, donec vniuerſitas Gentium introëat, obcæcatum eſſe patiatur; pereuntem in tot millibus naſcentium atq; morientium, & ſaluandum in eis, quos mundi finis inuenerit. Quo myſterio toto Scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum ſit, quidve faciendum ſit; ſed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione ſubtractum eſt.*

Iudiciorũ Dei altitudo humano ingenio incomprehenſibilis.

Proſper De vocatione Gentium, l.1.c.21. vel S. Ambroſ. lib.1.cap.7.

D

Et paulò antè, in hanc eamdem ſententiam dixerat: *Cur illorum non miſertus, & horum miſertus ſit Deus; quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inueſtigare ſapientia? latet diſcretionis iſta ratio, ſed non latet ipſa diſcretio. Non intelligimus iudicantem, ſed videmus operantem. Quid calumniamur iuſtitiæ occultæ, qui gratias debemus*

Proſp.ibid. cap.15. vel S.Ambroſ. cap.5.

mus misericordiæ manifestæ? laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur. Hæc ille. Multa proculdubiò sunt in diuinorum operum mysteriis, quorum causæ ab intelligentia nostra remotæ atq; abditæ sunt; effectus autem earum tantummodò patent: ita vt licet manifestum sit quod fit, lateat tamen causa cur id ita fiat. Quamobrem attenta mentis consideratione expendens Apostolus, quantum diuinorum mysteriorum altitudo humanæ intelligentiæ captum atque mensuram excedat; cùm longa mora interposita, ingenti mentis excessu ac stupore correptus conticuisset, tandem exclamauit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.*

Rom. 11.

Super quibus verbis idem Prosper Aquitanicus inquit: *Horum mysteriorum iudiciorumque causas, pius & doctus magister maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quàm iustissimæ veritatis & misericordissimæ bonitatis subtractum ab humana cognitione secretum temeraria inquisitione discutere; nihil omittens de iis quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his quæ non licet sciri.* Sufficiat igitur nobis compertissimum esse, quòd Deus optimus maximus (apud quem non est iniquitas, & cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas) tamquam optimus Pater, cunctorumque hominum creator, nostra omnia iustissimè ordinat ac disponit; neminem indebitè damnans, neminemque ex debito liberans. Nostra enim plectit, cùm punit noxios; & sua tribuit, cùm iustos facit: ita vt nec damnati iusta sit querimonia, nec iustificati verax sit arrogantia; si vel ille dixerit non meruisse pœnam, vel iste asseuerit meruisse gratiam.

Prosper De vocat. Gentium lib. 1. cap. 13. & iuxta edit. quæ habetur apud S. Ambros. cap. 5. Idem lib. 2. cap. 1.

Quamobrem nec iustè conqueri, aut iure sese Gentium populi, præsertim verò Ægyptij, excusare potuissent, si impietatis & cæcitatis suę, stultęque ac scelestissimæ idololatriæ culpam, in quam miserrimè se immerserant, & cum summo dedecore conspurcarant, in eam causam reiicere voluissent, quòd omni prorsus Dei notitia spoliati fuerint; quodque ab ipsis omnia subtracta fuerint auxilia, quæ mentes suas ad diuinæ maiestatis ac magnitudinis contemplationem erigere, & ad Dei agnitionem perducere, atque in vera ac sancta religione seruare potuissent. Nam licet Deus Israëliticum populum, præcipua lege & cærimoniis in religione ac cultu suo dirigendum atq; erudiendũ sibi delegisset: non propterea ab vlla hominum natione bonitatis suæ dona subtraxit, neq; his generalibus documentis, hisque manifestis indiciis eos priuatos esse voluit, quibus cælum, stellæ, ignis, aër, aqua, tellus, huius vniuersi ornatus, & omnia quæ creata sunt, de Dei optimi maximi infinita potentia, bonitate, atq; sapientia testimonium perhibent. Quæ omnia, humanum intellectum in altissimam mirabilium eius contemplationem, hincque ad Creatorem & Rectorem eorum agnoscendum & adorandum, iugiter excitant & erigunt: vt appositè dixit Apostolus, perinde ac si ad institutum nostrum Ægyptios corriperet; qui pro eo, vt ab his quæ visibiliter creata sunt, Deum agnoscerent, ipsumque laudarent & glorificarent, peruersè ac miserabiliter ad bestias, & volucres, atq; serpentes adorandos sese conuerterant: *Inuisibilia ipsius*, inquit, *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & diuinitas; ita vt sint inexcusabiles: quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Quasi diceret: Gentium populi & idololatræ, præsertim verò Ægyptij, qui

Deus ab omnibus cognosci potuit ex suis creaturis.

Rom. 1.

A qui totius orbis terrarum hominibus ſapientiores ſe eſſe putabant,quiq; eos ſeſe fuiſſe iactabant,qui omnium primi artes,ſcientias,religionẽ & deorum cultum adinueniſſent,nullam errorum & impiæ idololatriæ dignam excuſationem habent,cùm dicere velint, nullam ſe Dei notitiam vel agnitionem habuiſſe,quòd inuiſibilis atque incomprehenſibilis ſit. Etenim inuiſibilia eius, ſempiternaque virtus & diuinitas ipſius à creatura mundi, & ab his quæ in ea creata ſunt, clarè percipiuntur ac dignoſcuntur; quin & manifeſtè videntur, & manu ipſa palpantur. Immò omni animaduerſione ſe reos fecerunt: quia cùm ex his Deum cognoſcere potuiſſent, non tamquam Deum glorificauerunt, neq; debitas gratias ei perſoluerunt,quòd ipſos creauerat, ac tanta in homines beneficia contulerat; ſed ſua ſtudia ad vanitates conuerterunt. Quapropter peruerſa mens,ſtultumque eorum iudicium ignorantia adeò obſcuratum eſt, vt dum ſapientes ſe eſſe iactarent,ſtulti effecti ſint: cùm eam gloriam,quæ æterno atque immorta-

Nec proinde dignam erroris excuſationem Gentiles, præſertim Aegyptij, prætendũt.

B li Deo debetur(qui omni humilitatis affectu ac puritate cordis colendus eſt)in idololatriæ impietatem atque ſtultitiam commutarint; pro ipſo Deo, corruptibilium ac mortalium hominum, & quod peius eſt, volucrum etiam, & quadrupedum, atque ſerpentium ſtatuas & imagines adorantes.

Quocircà idem, quem ſuperiùs citauimus, Proſper Aquitanicus ad inſtitutum hoc ſubdit: *Quamuis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum conſtet electum, omnesque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ ſint viuere voluntatem; non ita ſe tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret. Cælum quippe, ac terra, & mare, omnisque creatura quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem; vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur Auctoris; impellente omnia Spi-*

De Vocat. Gent. lib. 2. cap. 4. & iuxta editionem quę habetur apud S. Ambroſ. lib. 2. cap. 1.

C *ritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Quoniam etſi longè eſt à peccatoribus ſalus, præſentia tamen ſalutis ipſius, ac virtute nihil vacuum eſt.* Quinimmò tam euidentia & clara ſunt argumenta ac teſtimonia, quæ à cælo, à ſtellis, ab elementis, atque ab omnibus quæ creata ſunt, de Dei omnipotentia, infinita ſapientia & bonitate redduntur; vt, quemadmodum idem Proſper ſubiungit, id Gentium populis & idololatris, vice Prophetarum ac Legis quam Iſraelitæ acceperant, inſeruire poſſet. Quocircà inexcuſabiles ex eo facti ſunt; quia ipſius Dei optimi maximi dona, deos ſibi conſtituerunt: atque ea quæ pro ſuo vſu creata fuerant, ſtultè atque peruersè venerantes adorauere.

Proſper De Voc. Gent. lib. 1. c. 5. & S. Ambroſ. lib. 1. cap. 2.

Itaque Ægyptij, ac ceteri populi idololatræ, nullam cæcitatis & perditionis ſuæ legitimam excuſationem habent, nec tantæ calamitatis culpam iure in aliud, quàm in propriam peruerſitatem ac ſtultitiam reiicere poſſunt. Sua enim ipſorum culpa (vt ceteris improbis omnibus vſu venire ſolet) periere: non au-

D tem quia infinita Dei bonitas & clementia, naturalibus his ac neceſſariis auxiliis vmquam deſtitutos eſſe voluerit, quæ ad ſui agnitionem,& ad ipſorum ſalutem eos dirigere poterant. Neque enim profectò talia vmquam ab eis ſubtraxiſſet auxilia: quandoquidem benigniſſimus Pater nihil aliud maiori curæ aut deſiderio ſibi vmquam fuiſſe oſtendit, quàm ſalutem hominum; quam tanti ſemper æſtimauit,vt ſua ipſius gloria (ô rem planè dictu admirabilem!) numquam ſibi ipſi tantæ curæ extitiſſe videatur. Quamobrem ſanctus Ioannes Chryſoſtomus inquit: *Neque enim Deo ſua gloria tantæ eſt curæ, quantæ ſalus hominum.* Et meritò quidem; nam hominum ſalus diuitiæ ſuæ, immò ſua ipſius eſt gloria. Salutem autem hominum, Dei diuitias eſſe, innuit Apoſtolus, cùm dixit: *Nam idem Dominus omnium, diues in omnibus,qui inuocant illum.* Quæ quidem

Nihil vmquã magis Deo curæ fuit, quàm hominum ſalus.

In Pſal. 113.

Rom. 10.

dem verba idem sanctus Chrysostomus declarans, asserit, Paulum etiam hominum salutem diuitias Dei appellare sciuisse: *Scit enim*, inquit, *Paulus quoque appellare diuitias Dei, salutem hominum.* Quòd autem eadem salus hominum, Dei sit gloria, altè planè explicauit Origenes his verbis: *In omnibus quippe, qui conuersatione sua glorificant Deum, est gloria Dei. Olim non omnis terra plena erat gloria Dei, sed vnus angulus terræ, quando dicebatur: Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. Gloria Deo, qui misit Filium suum, vt omnis terra plena fieret gloria sua.* Quibus verbis dum idem Origenes Dei gloriam in his omnibus positam esse affirmat, qui bona eorum conuersatione ipsum Deum glorificant, per consequens etiam dixit, hominum salutem Dei gloriam existere. Hi enim soli, qui diuina gratia, bonisque operibus quæ in vera fide & charitate fecerunt, seruantur, Deum dignè glorificare possunt: atque in eis Dei gloriam sitam esse, verè dici potest. A

In Psal. 134. In Isaiam, Hom. 4. de visione Dei, & Seraphim. *Hominum salus, Dei est gloria.*

Sed hoc ipsum apertiùs sanctus Ioannes Chrysostomus asseruit, cùm dixit: *Hoc est enim maxima laus, maxima Dei gloria, quando multos requirit futuros eius salutis participes.* Quin etiam magis clarè, quàm ceteri omnes, idipsum Dominus ipse noster Iesus Christus affirmauit, cùm Apostoli sancti Andreas & Philippus ad eum detulissent, quosdam astare Gentiles, qui ipsum videre percuperent; inquit enim: *Venit hora, vt glorificetur Filius hominis.* Super quibus verbis Augustinus: *Hîc quisquam forsitan putat, ideò se dixisse glorificandum, quia Gentiles eum volebant videre. Non ita est. Sed videbat ipsos Gentiles, post passionem & resurrectionem suam, in omnibus Gentibus credituros. Quia, sicut dicit Apostolus, cæcitas ex parte Israël facta est, donec plenitudo Gentium intraret. Ex occasione igitur istorum Gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem Gentium; & promittit iam iamque adesse horam glorificationis suæ, qua facta in cælis, Gentes fuerant crediture. Vnde prædictum est: Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Quo loco idem Augustinus affirmat, plenitudinem prophetatam fuisse Gentium, quæ per Christi fidem saluandæ erant. B C

In Psal. 145. In Ioannem Tract. 51. Psal. 56.

Cùm igitur salus hominum, diuitiæ gloriaq; Dei existat; congruum profectò ac dignum infinitæ bonitatis ac prouidentiæ eius munus fuit, tamquam omnium Creatoris & Domini, in eam præcipuè curam incumbere, vt non prisci Hebræi tantummodò, sed Gentiles quoque seruarentur: quod Cyrillus Alexandrinus innuere voluit, cùm dixit: *Dignatur Deus suæ prouidentiæ cura non Iudæos solos, sed etiam vniuersæ terræ homines. Vnus enim vniuersorum Dominus.* Atque ob id propterea Gentium populos, præsertim verò Ægyptios, qui super ceteros omnes in impiæ idololatriæ cæcitate atque erroribus sese immerserant, generalibus atque ordinarijs auxilijs illis, non tantùm ad ipsos à tam horribilium ac miserabilium tenebrarum obscuritate educendos, & ad agnitionis suæ claritatem deducendos, necessarijs numquam destituit; sed præcipuis gratiæ fauoribus eos præueniendo ita semper prosecutus est, vt opportuno posteà, & ab incomprehensibili sapientia sua statuto tempore, à tam profundo ac tenebroso cæcitatis & errorum barathro eruti, ad clarissimæ veritatis altitudinem, & ad sanctæ Fidei lumen perducti sint. D

Contra Iulianũ, lib. 3.

Scit enim Deus, qui sponte ad pietatem & misericordiam semper propensus est, nouis & inconsuetis modis multas & admirabiles hominibus aperire vias, quibus ad veram æternamque salutem sese dirigere possint. Vnde sanctus Gregorius Nazianzenus: *Multas enim, ait, & mirabiles salutis vias hominibus Deus insuitato modo aperire nouit, ad humanitatem & misericordiam propendens.* Atque hinc fortasse argumentari libet (quamuis Dei occulta sint iudicia) altissimam maiestatem permisisse, quò Gentium illarum intellectus ac mentes ad altissi-

In Iulianũ, Orat. 1.

A altiſſimorum redemptionis noſtræ myſteriorum contemplationem erigeret, quam per ſanctæ Crucis inſtrumentum operaturus erat, vt in ſymbolis & hieroglyphicis (& quod maiori ſanè admiratione dignum eſt) etiam in falſorum & inanium deorum illorum ſimulacris & imaginibus, eiuſdem ſanctæ Crucis euidentes figuræ & imagines inſculperentur; & ad hanc vſque diem inſculptæ conſpiciantur. Quæ quidem in ipſius mali dæmonis idolorum inuetoris ignominiam, eoque etiam inuito, ingenti poſteà auxilio ac teſtimonio ad eoſdem Ægyptios idololatras conuincendos, & ad ſanctę Fidei lumen perducendos extitere; vt Deo optimo maximo iuuante paulò pòſt dicemus.

CAPVT II.

Quidnam Aegyptiorum Symbola & Hieroglyphica fuerint.

B QVEMADMODVM ſol ad vniuerſi illuminationem intentus, clariſſimorum radiorum ſuorum ſplendorem ſuper lutum etiam viliſſimum, immò & ſuper lutulentiores fœditates, quę in his inferioribus terrę partibus deprehenduntur, extendere non dedignatur: ſic benignus ac miſericors Deus, in hominum ſalutem intenta mente in primis incumbens, priſcis illis temporibus non impediuit, quo minùs in Ægyptiorum ſymbolis ac hieroglyphicis, in idolorum ſignis, atque in impiæ & ignominioſæ eorum idololatriæ impuriſſimis myſterijs, ſanctæ Crucis figuræ, ſignificationes, & characteres miſcerentur, pingerentur, atque inſculperentur. De quibus rebus aggreſſuri tractationem, quam præcedenti capite ſpopondimus, pro faciliori intelligentia oſtendendum priùs à nobis eſſe quidnam Ægyptiaca ſymbola & hieroglyphica fuerint, neceſſitas exigere videtur.

C Dictio hæc, ſymbolum, variam atque diuerſam ſignificationem habet. In eo enim quod à Gręco verbo συμβάλλω deducitur, quod Latinè *confero*, *coniungo*, vel *commiſceo* exprimi poteſt, collationem illam ſignificat, quam in prandium ſiue cœnam ſibi communiter comparandam plures in vnum conferunt. Atque hinc factum eſt, vt comeſſationes & epulæ apud maiores noſtros in Italia collationis nomen ſibi vendicarint. Id verò quod ſinguli conferebant aut perſoluebant, ſymbolum à Latinis dicebatur. Quamobrem Plautus inquit: *Symbolorum collatores apud forum Piſcarium.* Et Terentius: *Symbolum dedit, cœnauit.* Vnde eum aſymbolum dicere conſueuerant, qui ad conuiuia eiuſmodi nil conferens admittebatur. Symbolum quoque, vt Plinius refert, à priſcis Gręcis nuptiarum annulus dictus eſt. Atque ab eiſdem, & à Latinis ſymbolum etiam appellatum erat ſignum, quod vel vaſis vel epiſtolis imprimere ſolebant, ne à quibus non oporteret, reſignarentur; quod ſignum, recentiores ſigillum vocant. *Varia ſymboli ſignificatio.* Plautus Curc. Terent. in Andr.

D Significat etiam hęc vox ſymbolum, bellicum ſignum illud, teſſeram nuncupatum, quod in bello militibus dari ſolebat; quo amici & ſocij ab hoſtibus & exploratoribus dignoſcerentur.

Symbolum pari modo appellabant ſignum quod iiſdem militibus tradebatur, cùm ineundi pręlium, ſeu hoſtes aggrediendi, vel quodpiam aliud ſerium facinus adoriendi tempus aduenerat. Sic enim Plutarchus ſignum appellauit, quod Romulus Romanis aſſignauit, cùm temporis opportunitas, qua Sabinas aggrederentur ac raperent, adeſſe ſibi videretur. Quod quidem ſignum erat, cùm ipſe aſſurgens purpuream veſtem in ſinum adſtringeret, adſtrictamque dilataret. Ipſius autem Plutarchi verba Latina effecta, iuxta veriorem traductionem, hæc ſunt: *Erat autem ſymbolum, aggrediendæ rei opportunitatem adeſſe, cùm aſſur-* In Romuli vita.

assurgens, purpuram in sinus contraheret, ac rursus contractam explicaret. A

Ipsa eadem quoque dictio, symbolum, accipiebatur interdum pro eo indicio siue coniectura, per quam ad alicuius rei cognitionem & notitiam peruenitur. vt exempli gratia, Annulus nuptiarum indicium est. Quandoque etiam etymologiam & argumentum designabat: interdum etiam augurium & vaticinium. Quamobrem Græci symbolum definientes, illud esse dixerunt, per quod aliquid coniectamus siue cognoscimus. Putabant tamen inter symbolum & coniecturam hoc differre: nimirum coniecturam esse de his quæ naturaliter accidunt, vt lac in puerpera, vel fumus in igne; symbolum autem de his quæ non à natura, sed arte fiunt. Secundùm verò Latinorum intentionem, symbolum ita clariùs definiri potest: symbolum est nota alicuius arcanioris mysterij significatiua. Symboli peculiare illud est, ducere animum nostrum similitudine quadam ad quarumdam rerum intelligentiam, quæ valdè distant ab his quæ sensui exteriori subiacent. Symbolorumque illud insuper proprium est, vt mæandris, obscurisque sententiarum inuolucris ac metaphoricis figuris inuoluantur. Illud quoque Demetrius Phalereus in symbolis attendendum tradit, vt cum grauitate ac breuitate quadam plurimum sensus atque substantiæ in eisdem percipiatur. B

Symbolum propriè est nota mysterij arcanioris.

Consueuere autem veteres quædam symbola verbis, quædam verò figuris construere: vtrisque autem Ægyptij, ac præsertim in Theologiæ & Religionis suæ mysterijs prodendis vsi sunt; sacrarum rerum maiestati minimè decens & congruum ducentes, vt cuiuslibet vulgaris hominis intelligentiæ subiacerent: quocircà eorum sacerdotes, diuina mysteria sub quarumdam notularum ac figurarum operculo, obscurorumque verborum velo & obumbratione innuere solebant. Quod & ceteri sapientes & veteres Philosophi ab eisdem sacerdotibus didicerunt: præsertim verò Pythagoras, qui hoc peragendi atque docendi genere, mundo se admirabilem posteà reddidit; symbolis suis, sententiarum ac dogmatum quæ traditurus erat sensum, sub metaphoricorum verborum mæandris atque inuolucris obtegens. De cuius disciplina & instituto differens Plutarchus, inquit: *Pythagoras autem maximè, vt apparet, in admiratione habitus, admiratusque sacerdotes istos, imitatus est rationem eorum, res notis quibusdam & per ambages proponendi, suasque sententias inuolucris texit.* C

Plutarchus De Iside & Osiride.

Quamobrem omnes pænè qui nouas religiones instituêre, aut qui vrbibus nouas Leges primi dedere, hoc obscuro atque operto loquendi genere plerumque vsi sunt; ita vt nec ab ænigmatibus, Metaphoris, Allegorijs, atque parabolis abstinuerint. Quem sanè loquendi morem (vt Zoroastrem, Zamolxidem, Zaleucum, Dardanum, Charondam, Numam Pompilium, ceterosque antiquos Ethnicos mittamus) magnum etiam Moysem, & cum eo reliquos Hebræos Prophetas tenuisse comperimus. Et quod maioris ponderis est, eodem etiam ipsum Dominum Saluatorem ad profectum nostrum quandoque vsum fuisse constat. Nam vt sanctè, impius tamen ipse Iulianus Apostata, quandoque inquit: *Amat diuina natura celari, abditaque eius substantia non patitur nudis verbis in aures introire pollutas.* Hinc etiam Iulius Firmicus Maternus ait: *Celari & abscondi plurimis tegumentis natura diuinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis esset accessu, néve cunctis patefacta maiestatis suæ origine panderetur.* D

Refert Gregorius Giraldus, in Interpretationis symbolorum Pythagoræ Præfatione.

Iul. Firm. Ad Mauortium Lollianum, in vltima sui voluminis parte.

Atque hinc Pythagorici, doctrinam quam magister ipsorum in Ægypto didicerat secuti, & post eos Platonici, in suis documentis, ænigmatibus & symbolis vsi sunt; nudam & apertam expositionem Deo ac diuinæ naturæ inimicam esse existimantes. Sibi enim ipsis suaserant, cùm Deus sui ipsius intelligentiam & agnitionem à vulgarium hominum sensu ac perceptione subtraxisset, eamdemque

A demque sub variarum rerum inuolucro obtexisset; gratum quoque & acceptum Deo fore, diuina & arcana mysteria à sapientibus atque prudentibus viris sub tegumentorum operculo pertractari. Quocircà sacra doctrinæ suæ mysteria, symbolis atque ænigmatibus, quasi cuniculis obtegebant; vt viri excellentes tantummodò, quibus sapientia interpres esset, ad abditi arcani penetralia intelligentiâ peruadere possent; volentes vt ceteri homines ad venerationem contenti essent figuris ipsis atque inuolucris defendentibus à vilitate secretum. Quod sanè docendi genus diuo etiam Dionysio Areopagitæ satis probari videtur; sic enim tradit: *Occultis scripturis est dignissimum, & consentaneum maximè, abditis sacrisque obscuritatibus inuolui, nec patere aditum plerisque ad diuinam & occultam diuinarum mentium veritatem. neque enim omnes sunt idonei & sacri, neque omnium est, vt ait Scriptura, fides & scientia.* Et paulò inferiùs subdit: *Nec verò quemquam eorum qui rectè sentiant, contradicturum arbitror,* B *quin mentem nostram magis excitent, tollantque in cælum obscuræ similitudines.* Hæc ille, qui ob id etiam sacra hæc symbola appellauit. Atque hinc factum fuisse constat, vt quemadmodum ea quæ symbolis percipimus, quæque corporeis sensibus & imaginibus propositis ad mentem & ad intelligentiam nos perducunt, trium specierum esse comperiuntur, nimirum moralia, naturalia, ac theologica: ita quidam insigni doctrina excellentes viri, Theologiam triplicem esse dixerunt; symbolicam, mysticam, atque telesticam.

Symbola inuenta, ne diuina & sublimia apud plebē vilescant.

De cælesti hierarchia cap. 2.

Quoniam autem quædam symbola verbis, quædam verò figuris ab antiquis construi asseruimus; illud in primis sciendum est, ex ijs quæ verbis componebantur, non Ægyptios tantùm, sed etiam Hebræos atque Chaldæos sæpè vsos fuisse; vt ex Moysis, Salomonis, ac Prophetarum lectione librorum apertissimè patet. Quorum symbolorum pleraque prouerbiorum formam & simili-
C tudinem præ se ferunt, vt præsertim ea sunt, quæ Salomonis Parabolæ vulgò nuncupantur; quas probati Scriptores quidam symbola dixere. Talia pariter quædam Pythagoræ symbola extiterunt. is enim, vt Apuleius testatur, prouerbijs nonnumquam vsus est: quod præcipuè tunc fecisse constat, cùm dixit: *Non ex quouis ligno fit Mercurius.* vt innueret, non omnia ingenia ad scientias ac bonas artes perdiscendas apta. Nonnulli verò auctoritate graues auctores non leui coniectura ducti existimauerunt, Pythagoram ab Hebræis & ab Ægyptijs symbola sua desumpsisse. Quin & Clemens Alexandrinus, sanctus Cyrillus, Porphyrius, alijque, Pythagoram tradunt Zoroastrem æmulatum eadem symbola edidisse. Is enim dogmata sua symbolis hisce & obscuritate sermonis obuoluta tradere solebat.

Quamobrem, cùm docere vellet quonam pacto anima humana ad cælum, vnde delapsa est, reuolare queat, symbologico hoc vsus, animam nostram ala-
D tam esse dixit: cumque alæ excidunt, illam in corpus præcipitem ferri; tum demum illis subcrescentibus, ad superos reuolare. Efflagitantibus autem discipulis, vt doceret eos quo pacto alis plumantibus volucres animas sortiri possent: Irrigetis, inquit, alas aquis vitæ. Iterumque sciscitantibus vnde has aquas peterent; illis per parabolam respondit: Quattuor fluminibus Dei paradisus abluitur & irrigatur, inde vobis salutares aquas haurietis. Nomen fluminis ad Aquilonem, quod iustum & rectum est significat: eius verò quod ad Occasum vergit, expiationem; quod ad Orientem, lumen; quod autem ad Meridiem præterlabitur, pietatem designat. Quo sanè metaphorico ac figurato loquendi modo illud innuere voluit, quod cùm anima virtutum alas sibi decidere sinit, in vitiorum barathrum præceps ruit; ibique sensus & carnis illecebris sese im-

Illustre symbolum Zoroastris fingentis animā alatam.

 mergens,

mergens, tota corporea atque terrestris efficitur. At cùm virtutum alæ illi denuò A subcrescunt; id est, cùm vitijs & peccatis nuntium remittit, virtutesque de integro viriliter ac sanctè amplectitur, hisce administris ad cælum reuolat. Insigniores autem virtutes, quæ tamquam alæ benè pennatæ animam nostram ad cælum erigendi ac subleuandi vim obtinent, has esse subindicat: fidem nimirum, quam sub luminis epitheto innuit: charitatem erga Deum & proximum, quam sub pietatis nomine vult intelligi: iustitiam, quam sub recti denominatione demonstrat: & pœnitentiam, præteritorumque reatuum correctionem, quam expiationem appellat.

Hæc omnia Christiano pænè instinctu, vt ita dicam, Zoroastres prodidit, si modò ipsius Zoroastris hoc admirabile symbologicon existit, vt Chaldæi interpretes asseuerant. Ad quod diuus Augustinus forsitan alludere voluit, cùm in centesimi ac trigesimi octaui Psalmi versiculi illius expositione, *Si sumpsero pennas meas diluculo*, inquit: *Quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis, in quibus tota Lex pendet, & Prophetæ?* At longè clariùs alibi, quasi symbolum prædictum exponens, animas alas habere asseruit; ostenditque tunc quænam verę illarum alę sint, cùm verba illa Psalmographi declarans, *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*, inquit: *Pennæ ventorum, pennæ animarum quæ sunt, nisi à quibus sursum attolluntur? Pennæ ergo animarum, virtutes, bona opera, recta facta. In duabus a'is habent omnes pennas: omnia enim præcepta, in duobus præceptis sunt. Quisquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam liberis alis, sancto amore volantem ad Dominum.* Quinetiam S. Gregorius Nyssenus sua in Canticorum expositione, super verbis illis sponsi ad sponsam, quæ in Vulgata editione nostra sic habentur, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*; quæque ipse ita legit, *Auerte oculos tuos à me, nam illi a'as mihi reddiderunt*; perinde ac si ad institutum hoc nostrum symbolicon prædictum interpretari vellet, inquit: *Sæpenumerò libros à sancto Spiritu profectos, Dei alarum mentionem facere audio. Modò enim Vates ait: Sub tegmine alarum tuarum me teges. Item, Sub alas eius sperabis. Rursum Moyses insigni illo in carmine, idem his verbis quasi depingit: Diductis alis suis recepit eos. Nec illud quod à Domino ad Ierosolymam dicitur; Quoties volui colligere liberos tuos, quemadmodum gallina pullos sub alas suas colligit? abhorrere ab hac sententia dicere quis possit, consequentiam ipsam intuens. Quare si profectus à sancto Spiritu sermo, ratione quadam ineffabili, diuina in natura esse alas definit; & si primum hominis opificiū testatur naturam nostram ad imaginem similitudinemque Dei factam esse; omnino patet, factum ad imaginē huius habuisse per omnia cum archetypo suo similitudinem. Atqui alas habebat exemplar princeps, de sententia Sacrarum litterarum: idcircò sequitur, humanam quoque naturam sic fuisse conditam, vt esset alata, quò nimirum etiam in alis diuina cum natura similitudinem haberet. Est autem manifestum, alarum vocabulum per considerationem quamdam figuratam ad sensum Deo consentaneum esse transferendum; ita vt & potestas, & beatitudo, & status expers interitus, & alia huiusmodi per hoc nomen significentur. Quia igitur hæc etiam erant in homine, quàm quidem diu per omnia Deo erat similis, verùm deinde ad vitiositatem facta inclinatio, talibus nos alis spoliauit (posteaquam enim extra tegmen alarum Dei esse cœpimus, etiam propriis alis nudati sumus) idcircò Dei gratia patefacta est, illuminans nos, vt impietate mundanisque cupiditatibus depositis, rursum per sanctitatem ac iustitiam alas proferamus. Quamobrem conuenit hoc loco statuere, fateri sponsam ipsam qua sit ab oculis diuinis affecta gratia. Simul enim & benignitatis suæ nos oculis adspexit Deus, & nos ad exemplum gratiæ pristinæ a'as recuperauimus.* Hæc Nyssenus.

Atque hinc est (vt ego quidem reor) quòd prisci illi Philosophi ac sacerdotes, Ægyptiacæ Theologię institutores primi, in symbolicis ac mysteriis refertissimis

[Margin notes: *Ad quod alludere videtur D. Augustinus*; In Psal. 138. — In Psal. 103. concione 1. de prima parte eiusdem Psalmi. — *& S. Gregorius Nyssenus.* — In Cantica Homil. 15. & vltima. — Psalm. 16. — Psalm. 35. — Deut. 32. — B — C — D]

A ſimis ſuis figuris, multas imagines humano vultu, corpore autem volucrum & aliorum alatorum animalium inſtar effictas, pingere atque inſculpere conſueuerant. Quarum nonnullæ in Ægyptiacarum antiquitatum fragmentis, quæ Romæ & alibi ad hanc vſque diem extant, lapidibus inſculptæ conſpiciuntur. Eaſdemque ære cælatas quandoque inſpeximus in antiquiſſima tabula Ægyptiaca Illuſtriſſimi Cardinalis Bembi; quam deinde ad Torquatum Bembum hereditario iure delatam, nunc penes Sereniſſimum Mantuæ Ducem exiſtere intelleximus; de qua in ſequentibus, Deo fauente, fuſiùs agemus. Sunt autem eædem imagines eius formæ, quam in ſuppoſito hoc typo conſpici licet, ex eadem tabula graphicè delineatæ, ac bona fide deſumptæ. *Ægyptiorum Philoſophorum ſymbolicæ imagines.*

B



Quæ quidem imagines & figuræ licet à priſcis Philoſophis ac ſacerdotibus illis ad myſteria ea ſignificanda, quæ ſuperiùs innuimus, effictæ fuerint; inſani tamen ac ſtolidi Ægyptiorum populi, qui poſterioribus poſteà ſęculis ſucceſſerant, hæc & plurima alia longè magis portentoſa & ridicula efficta monſtra, C opprobrioſè ac dementiſſimè coluerunt, vt ſuo loco dicemus. At quoad ea quæ nobis dicenda ſuperſunt de ſymbolis quæ veteres verbis conſtruebant, quæque vno verbo Symbologica dici poſſunt, pro coronide hoc vnum tantùm addemus; quòd quemadmodum vox iſta ſymbolum apud antiquos, vt diximus, collationem illam præcipuè ſignabat, quam plures in vnum ad celebranda conuiuia conferebant; ſic etiam illam verborum portionem ſignificabat, quam ſingulorum quiſque, orationi, aut ſcriptioni, quam plures dictarent, addidiſſet: ex quo factum eſt, vt ſignum ſiue indicium illud, in quo fidei noſtræ articuli continentur, quod *Credo* vulgò appellatur, Symbolum Apoſtolorum nuncupatum ſit; quia vnuſquiſque eorum ſymbolum ſuum, ſiue articulum in illud contulit, circa ea quæ de religione ac fide noſtra ſentiret. Quod & Symbolum Apoſtolorum præterea ex eo quoque appellatum eſt, quia illud compoſuere Apoſtoli, vt ſigno atque indicio inſeruiret, per quod veri Chriſti fideles ab infideli- D bus atque à pſeudochriſtianis dignoſcerentur. Vnde Ruffinus Aquileienſis: *Id enim fecerunt Apoſtoli, in his ſermonibus in vnum conferendo, quod vnuſquiſque ſenſit. Indicium autem vel ſignum idcircò dicitur, quia in illo tempore, ſicut Paulus Apoſtolus dicit, & in Actibus Apoſtolorum refertur, multi ex circumeuntibus Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel ventris gratia, ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes: idcircò iſtud indicium poſuerunt, per quod agnoſceretur is qui Chriſtum verè ſecundùm Apoſtolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus, hoc obſeruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atque eadem inſtituta bellandi; ne qua doli ſurreptio fiat, ſymbola diſtincta vnuſquiſque dux ſuis militibus tradit, quæ Latinè ſigna vel indicia nuncupantur: vt ſi fortè*

Quas ſtolida Ægyptiorū plebecula pro idolis coluit

Articuli fidei noſtræ duplici ratione dicū-tur Symbolum.

Comment. in Symbolum.

1. Cor. 11.

Act. 15.

occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis vel socius. Hæc ille. Atque hæc quidem hactenus dixisse sufficiat, circa ea symbola quæ verbis construebantur; quibus similitudo erat cum his, quibus Pythagorici sua dogmata occulto ac mystico sensu breuissimè prodebant. A

Antiqui præterea, atque inter eos præcipuè Ægyptij, symbola imaginibus quoque ac figuris construere, animorumque suorum conceptus sub reconditis earum significationibus, atque abstrusis proprietatibus promere consueuerant. Quo in genere Ægyptiorum symbola & ænigmata, quoad sensus obscuritatem atque latibulum, Hebraicorum erant similia. quamobrem Clemens Alexandrinus ait: *Quod attinet ad occultationem, sunt Hebraicis similia Ægyptiorum ænigmata.* Traditque idem Clemens, consueuisse quosdam Ægyptios nauigio, quosdam verò crocodilo solem ostendere: significantes hoc pacto quòd sol per aërem dulcem & humidũ ingrediens, gignit tempus, quod crocodilus per quamdam aliam sacerdotalem historiam ænigmaticè significat. B In Diospoli autem Ægypti vrbe, & in eiusdem delubro, quod vocatur Pylon, symbolum hoc effictum conspici, in quo puerulus figuratus est, qui generationem significat: præterea senex, qui interitum designat: insuper accipiter, qui Dei est symbolum: rursus piscis, qui odium signat; demum verò crocodilus, qui alia significatione impudentiæ signum est. Quod quidem vniuersum symbolum simul compositum, verba hæc innuere ac significare videtur: *O qui nascimini, & interitis, Deus impudentiam odio habet.* Subditque, eosdem Ægyptios aures & oculos ex pretiosa materia affabrè confectos suis inanibus diis dedicare solitos: hoc pacto tacitè innuentes, Deum omnia videre atque audire. Addit insuper, apud eosdem roboris & fortitudinis signum esse leonem: sicut & ipsius terræ, & agriculturæ, atque alimenti erat bos: magnique animi, virtutis, & libertatis, equus: roboris autem rursus cum ingenij solertia sphinx, quæ totum quidem corpus leonis habet, faciem autem hominis. C Consueuisse propterea inter cetera symbola, sacrosque suos characteres, hominem quandoque etiam insculpere; quo ingenij solertiam, mentem, vires, potentiamque & artem innuerent. Eosdem etiam Ægyptios, in quibusdam solemnitatibus, quasdam deorum aureas imagines circumferre solitos, quæ ab ipsis κωμασίαι dicebantur; inter quas duo canes, vnus accipiter, & ibis vna aderat: quarum imaginum simulacra, quattuor litteras vocabant. Duo enim canes, symbola erant duorum hemisphæriorum; vtpote quæ circumeant, & custodiant: accipiter verò solis; cùm igneus sit, vimque interimendi obtineat: ibis autem symbolum erat lunæ; albis namque plumis, lunaris corporis lucidam partem, nigris verò vmbrosam referebat. Nonnullos tamen esse, qui putarent Tropicos significari à canibus, qui custodiunt, & quasi ianitores accessum solis ad Austrum & Septemtrionem obseruant: accipitrem autem Æquinoctialem designare, qui est altus & perustus: ibim verò circulum obliquum, siue Zodiacum referre. Hæc quidem omnia de Ægyptiorum symbolis Clemens Alexandrinus memoriæ prodidit. D

[Margin: Stromatũ lib. 5. c. 3. Exempla varia Symbolica ex Clemente Alexandrino & aliis.]

Verùm Iamblicus de eisdem Ægyptiorum symbolis differens, asserit, eosdem Ægyptios per lutum, mundi corpus, materiamque genitabilem intellexisse. Qui etiam cùm Deum ipsum, principatum rerum omnium tenentem, nec ipsum teneri, significare vellent, pingere vel insculpere solebant loton aquaticæ arbori insidentem, quæ ab ipsa Loto nomen obtinuit: ea enim arbor est lotos, quæ omnia rotunda habeat, tum folia, tum fructus.

[Margin: In expositione symbolorum Ægyptiacæ Theologiæ.]

Fuit autem Lotis nympha quædam, vt veteres Poëtæ finxere, quæ obscœna Priapi fugiens, in arborem ab ipsius nomine Loton postea appellatam trans-

A transmutata est. Quia ex re significari putabant circularem mentis actionem eodem modo sese habentem. Deus namque ipse (inquit Iamblicus) super ipsam mentis actionem assidens, in seipso consistit, superans huiusmodi principatum, sanctus & venerandus, & in se ipso penitus conquiescens; quod ex actu sedendi significatur. Quandoque etiam, cùm Deum iidem Ægyptij significare vellent, nauis gubernatorem pingere siue insculpere consueuerant. sicut enim gubernator etsi à naui & à gubernaculo segregatus, vno quodam facilique momento mouet vndique, regit, dirigitque nauem; ita Deus ipse mundo à primis naturæ principiis præcipuas motionum causas exhibet, cunctisque rebus infinita sapientia & admirabili prouidentia occurrens atque prospiciens, suauiter, ac nullo prorsus negotio regit & gubernat. Cumque significare vellent iustitiam, nulla neque munerum, neque fauoris aut gratiæ intercessione corrumpendam, iudicum statuas manibus carentes; Principis autem B iudicum, oculis in terram deiectis effingebant. eiusmodi enim statuas Thebis quandoque dicatas fuisse, Plutarchus auctor est. *De Iside & Osiride.*

Symbola autem imaginibus ac figuris excogitata, non tantùm Ægyptij, sed & alij quoque populi barbari habuere; atque inter eos præsertim homines illi, qui Philosophiæ studiis dediti erant. Quocirca Clemens Alexandrinus refert, Pherecydem Syrum memoriæ prodidisse, Idanthuram Scytharum Regem, cùm accepisset Darium bellum sibi minitantem Istrum cum exercitu traiecisse, symbolum pro litteris ei misisse, murem videlicet, ranam, auem, iaculum, & aratrum. Cùm autem de his, vt erat consentaneum, in ipsius Darij exercitu exorta esset dubitatio, Orontopagas quidam Tribunus militum dicebat, Scythas tradituros esse Imperium, coniectans nimirum ex mure habitationes, ex rana aquas, ex aue aërem, ex iaculo arma, & ex aratro regionem. Verùm Xiphodres qui aderat, id prorsus contrà interpretatus est: dicebat enim, Scythas C eodem symbolo innuere voluisse, ni Persæ tamquam aues euolarent, aut velut mures terram aut tamquam ranæ aquam subirent, eorum tela effugere haud posse: per aratrum verò subintelligi, Persas ipsos Scythiæ ipsorum natiui soli haudquaquam dominos esse. *Symbolicæ imagines non tantùm Ægyptiis, sed aliis item gentibus vsitatæ.* Clemens Alexandr. Stromatū lib. 5. c. 4.

Sed & alias præter eas, quas superiùs recensuimus gentes, sua symbola habuisse constat, non Græcos modò, sed etiam Romanos; quibus inter alia, ne singula enumeremus, papauer fertilitatis & vrbis symbolum fuit; connubij malum Cydonium; fructuum Adonis; libertatis Liber pater; florum Atys; spuma genituræ; Satyrus libidinis: atque huius generis multa, quæ breuitatis gratia prætermittuntur; quæque Plutarchus atque Eusebius collegere, penes quos auctores curiosus Lector sibi copiosius satisfacere poterit. Quin etiam symbolis, licet ad longè magis pium ac sanctum institutum, priscos illos primitiuæ Ecclesiæ Christi fideles vsos fuisse compertum est. Hi enim vanam, superbam, D atque fallacem mundi huius diuitiarum ac fastus elationem & pulchritudinem innuere volentes, pauonem effingebant, qui alis in rotam expansis, pedibusque magnæ cuidam pilæ siue globo insistens, fulgidarum plumarum suarum superbam ostentationem facit. Licet alij putent, eos per pauonem Christum Dominum significare voluisse: per fulgentes ac nitidas plumas ad diuinitatem, per pedes verò ad humanitatem eius alludentes; per pilam autem siue globum, qui pedibus eius subest, mundum intelligentes, cuius ipse est Dominus, eiusdemque ipse idem Creator ac Saluator extitit. Cùm autem obedientiam & pacem innuere vellent, columbam oleæ ramusculum rostro deferentem pingebant: contrà verò, cùm inobedientiam, & vilissimarum huius mundi rerum cupiditatem & auiditatem designarent, coruum pingebant: *Quin & ipsis Christianis olim in vsu, sed pio & sancto.*

ad duarum volucrum earum actiones alludentes, quas Noë ab arca emiserat; vt per eos exploraret, an aquæ diluuij à superficie terræ recessissent. Pro resurrectionis autem symbolo, phœnicem effingebant; vt in sacris sanctorum Martyrum cœmeteriis, quæ extra Romam circa ipsius Vrbis mœnia sub terra effossa sunt, licet conspicere; vbi iidem prisci Christi fideles, sæuientium in se ipsos persecutionum temporibus, vitam degebant, & post mortem tumulabantur. Quæ eiusmodi aliisque similibus mysteriis refertissimis depicta sunt figuris; quarum pleræque nihil aliud quàm futuræ nostræ resurrectionis & glorificationis symbola & significationes esse dignoscuntur. Atque hæc breuiter ad demonstrandum quidnam Ægyptiaca symbola fuerint, hactenus dicta sint. A

Reliquum est, pro huic capiti imponenda coronide, vt ostendamus quidnam hieroglyphica fuerint, quibus iidem Ægyptij vtebantur. Et quamquam hieroglyphicum re ipsa nihil aliud sit, quàm breuissimum quoddam symbolum; tamen quia omnia symbola hieroglyphica non sunt, propterea à nobis præcipuè ostendendum est, quidnam reuerà hieroglyphicum ipsum fuerit. Hieroglyphicum ergo, siue hieroglyphica, Græca est vox, quæ nihil aliud, quàm sacras notas siue sacras litteras Latinè significat. cuius vocabuli definitionem Ioannes Goropius Becanus sic breuiter prodit: *Nihil aliud est signum hieroglyphicum*, inquit, *quàm rei sacræ symbolum, materiæ cuipiam incisum.* Qua ex definitione apertè colligitur, inter hieroglyphicum & symbolum, duas differentias intercedere; quarum prima illa est, hieroglyphicum nempe, licet symbolum sit, rei sacræ tamen symbolum existere, quod ab ipsius denominatione clarè comprehenditur. Altera verò, hieroglyphicum ipsum non verbis, sed notis tantummodò, siue characteribus aut figuris, lapidibus, vel æri, siue cuiuis metallo alij, aut materiæ cuipiam incisis constare. B

Hieroglyphicorũ l. 2

Hieroglyphicum & symbolum quì differant.

Hieroglyphica autem propriè loquendo, characteres aut litteræ sunt, quibus Ægyptiorum sacerdotes suæ Theologiæ scribebant, annotabant, siue vt veriùs dicam, innuebant occulta mysteria. Duo enim litterarum genera apud Ægyptios frequentibus vsibus erant recepta; sacrarum quidem alterum, alterum populariium. De quibus litteris, ac de Ægyptiorum scribendi modo, Herodotus Halicarnasseus sic meminit: *Græci*, inquit, *litteras scribunt, & calculis computant, à sinistro in dextrum manum ferentes: Ægyptij à dextro in sinistrum. Et hoc facientes, aiunt se in dextrum, Græcos facere in sinistrum. litteris bifariis vtuntur, quarum vnas, sacras vocant, populares alteras.* Populares autem litteræ erant, quibus in epistolis, legibus, contractibus, negotiis publicis ac priuatis, ceterisque rebus ad cuiusque vsum necessariis conscribendis, Ægyptij vtebantur; & palàm cuique discere volenti, in scholis prodebantur. Hieroglyphicas autem sacerdotes ipsi tantummodò nouerant; easdemque seorsum & secretò filios suos docebant; quod Diodorus Siculus testatur his verbis: *Cùm Ægyptij litteris vtantur propriis, has quidem vulgò discunt omnes; has verò quas sacras appellant, soli sacerdotes norunt, à parentibus eorum arcanè acceptas.* Quod si quandoque alicui alienigenæ eas fortè prodebant, fauorem hunc his tantummodò impartiebantur, qui religionis ipsorum mysteriis initiari volebant; atque his sanè non anteà, quàm eorum mores ac fides optimè probata esset. Non omnibus, inquit Clemens Alexandrinus, ea quæ erant apud ipsos Ægyptij committebant mysteria; neque rerum diuinarum cognitionem ad profanos deferebant, sed ad eos solos, qui ad Regnum erant peruenturi; & ex sacerdotibus his dumtaxat, qui educatione, & doctrina, & genere probatissimi habebantur. Atque hinc est, quòd Orpheus, qui ab eisdem sacerdotibus Theologiam in Ægypto didicerat, C D

In Euterpe, siue lib. 2.

Rerum antiquarum li. 3. par. 2. cap. 1.

Stromatũ lib. 5. c. 2.

A cùm ignotis hominibus ſacrorum cærimonias aperiret, nihil aliud ab his quos
initiabat, in primo veſtibulo, niſi iuriſiurandi neceſſitatem, & cum terribili qua-
dam auctoritate religionis exigebat, ne profanis auribus abs ſe inuentæ ac com-
poſitæ religionis ſecreta proderent. Cuius iuriſiurandi Theon Smyrnæus Phi-
loſophus Platonicus, Iulius Firmicus Maternus, Cælius Rodiginus, Gregorius
Giraldus, aliique complures meminere.

At Clemens Alexandrinus, vt litterarum quibus Ægyptij vtebantur, quali-
tatem ac differentiam diligentiùs & exquiſitiùs oſtenderet, poſtquam eas in
populares & ſacras genericè diuiſiſſet, quod Herodotus ac Diodorus Siculus
quoque fecerant, ſacras ſeu hieroglyphicas ipſas poſteà in multas ſpecies hoc
pacto & his verbis ſubdiuidit: *Qui docentur ab Ægyptiis*, inquit, *primùm qui-* Clemens
dem diſcunt Ægyptiarum litterarum viam ac rationem, quæ vocatur ἐπιστολογραφική, Alexandr.
hoc eſt, apta ad epiſtolas ſcribendas: ſecundam autem ſacerdotalem, qua vtuntur Stromat. lib. 5. cap. 2.
B ἱερογραμματεῖς, *id eſt, qui de rebus ſacris ſcribunt: vltimam autem* ἱερογλυφικὴν, *id* *Litterarũ*
eſt, ſacram, quæ inſculpitur, ſcripturam: cuius altera quidem eſt per propria elementa *Ægyptiacarum quot*
κυριολογικὴ, *id eſt, propriè loquens; altera verò ſymbolica, id eſt, per ſigna ſignificans.* *genera.*
*Symbolicæ autem, vna quidem propriè loquitur per imitationem, alia verò ſcribitur
velut tropicè, alia verò apertè ſumitur allegoricè per quædam ænigmata. Quamob-
rem qui ſolem ſcribere volunt, faciunt circulum: lunam autem, figuram lunæ, cor-
nuum formam præ ſe ferentem, conuenienter ei formæ, quæ propriè dicitur. Tropicè
autem per conuenientiam traducentes & transferentes, & alia quidem immutantes,
alia verò multis modis transfigurantes imprimunt. Regum itaque laudes tabulis, per
quas in deos referuntur, mandantes, inſculptis inſcribunt notis. Tertij autem gene-
ris, quod fit per ænigmata, hoc ſit indicium: alia quidem aſtra propter obliquam con-
uerſionem, aſſimilabant corporibus ſerpentum; ſolem verò, ſcarabei, quoniam cùm ro-
tundam ex bubulo ſtercore effinxit figuram, eam vultu aduerſo conuoluit. Aiunt au-*
C *tem hoc quoque animal ſex quidem menſibus ſub terra, alteram verò anni partem vi-
uere ſuper terram, & ſemen in globum emittere & gignere, & non naſci feminam
ſcarabeum. Omnes ergo, vt ſemel dicam, qui de rebus diuinis tractarunt, tam Bar-
bari quàm Græci, rerum quidem principia occultauerunt: veritatem autem ænigmati-
bus, ſignisque, & ſymbolis, & Allegoriis, rurſus & Metaphoris, & quibuſdam
talibus tropis modisque tradiderunt, cuiuſmodi ſunt etiam apud Græcos oracula: &
Apollo quidem Pythius dicitur* λοξίας, *id eſt obliquus.* Hæc omnia de hierogly-
phicis litteris Clemens Alexandrinus.

Et quamquam ex eo antiquiſſimarum harum litterarum maior notitia elici
videatur, quàm ex alio quopiam auctore, qui ad hanc vſque diem ſcripſerit, il-
la tamen non eſt ſic numeris abſoluta, vt ex ea litterarum earumdem verãm in-
telligentiam percipere valeamus: quinetiam verba eius maiorem confuſionem
& tenebras nobis offundere videntur. Diſtinguit enim quamdam ſcribendi for-
D mam Hierogrammatiſtis, vt ipſe loquitur, perfamiliarem, quam ſacerdotalem
vocat, à hieroglyphica diſtinctam: nec poſteà, quęnam illa fuerit, aut deſcriptio-
ne aut exemplo vllo declarat. Quæ diſtinctio omnino aduerſatur his quæ He-
rodotus & Diodorus Siculus prodidere. Hi enim Ægyptiacas litteras in vniuer-
ſum bifariàm tantummodò diuidunt; in populares nimirum & ſacras; conſe-
quenterque innuunt, immò & locis quamplurimis demonſtrant, ſacras litteras
eaſdem eſſe, quas alio nomine hieroglyphicas appellant; ipſasque hieroglyphi-
cas vnius tantummodò generis eſſe. Prætereà, dum idem Clemens hierogly-
phicam in kyrioglyphicam atque ſymbolicam diuidit; differentiam poſteà non
prodit, quæ inter duas has ſpecies intercedebat. Quamobrem magna in dubi-
tatione & obſcuritate verſamur, quænam kyrioglyphica illa fuerit quæ propriè
loque-

loquebatur; præsertim cùm symbolicam ipsam in tres species denuò diuidat, quarum primam propriè quoque loqui asseuerat. Verùm de his Michaël Mercatus, suo De obeliscis tractatu, fusiùs differit; cui hanc prouinciam relinquimus. id enim præcipui instituti nostri non interest. A

Quis primus inuentor hieroglyphicorum, inquiritur.

Rerum antiquar. li. 3.

Quis autem harum litterarum hieroglyphicarum primus inuentor extiterit, non benè certum est. Siculus enim Diodorus tradit, Ægyptios suarum litterarum formam ab Æthiopibus accepisse; earum præsertim, quas iidem Ægyptij sacras appellabant: nobisque de ipsarum forma ac significatione aliquid delibandum tradere volens, subdit: *Sed de Æthiopum litteris, quas Ægyptij sacras vocant, nequid de priscis rebus omittamus, dicendum. Sunt Æthiopum litteræ variis animantibus, extremitatibusque hominum, atque instrumentis, sed præcipuè artificum, persimiles. Non enim syllabarum compositione, aut litteris verba eorum exprimuntur, sed imaginum forma, earum significatione vsu memoriæ hominum tradita. Scribunt quidem accipitrem, crocodilum, serpentem, hominis oculum, manum, faciem, & cetera huiusmodi. Accipiter rem denotat citò factam: quoniam hæc aliarum fermè omnium auis est velocissima. Transfertur hæc nouatio ad domesticas res, quæ velociter fiant. Crocodilus malum significat. Oculus iustitiæ seruator, & totius corporis interpretatur custos. Reliquarum corporis partium, dextra manus digitis passis liberalitatem designat; sinistra verò compressis, tenacitatem atque auaritiam. Eodem modo ceterarum corporis partium figuræ, atque instrumenta, certum aliquid notabant; quæ memoria hominum longo vsu ac meditatione obseruata, e uestigio quid ea exprimerent, internoscebant.* B

Annalium lib. 11.

In Platonis Philebum, comment. cap. 29.

Tradit Cornelius Tacitus, Ægyptios primos extitisse, qui animalium figuris mentis conceptus effingerent; ita vt apud eos antiquissima humanæ memoriæ monimenta saxis impressa cernerentur, & litterarum primos inuentores semet fuisse perhiberent. Marsilius autem Ficinus ait, quòd licet litterarum vsus, iuxta Platonis & Plinij sententiam, sempiternus fuerit, certi tamen ac præcipui quidam scribendi modi à variis hominibus adinuenti sint: additque, Zoroastrem & sacerdotes eius ob id propriam ac seorsum à vulgo litteraturam habuisse, eumdemque Zoroastrem litteras in signorum ac siderum cælestium characteribus instituisse; Mercurium autem Trismegistum eius exemplo commonitum, sacerdotibus suis Ægyptiis in animalium & plantarum figuris litteras dedisse, ne vulgus reconditorum Theologiæ mysteriorum conscius esset. C

Ammianus verò Marcellinus de obeliscis agens, de quibus & nos etiam inferiùs dicturi sumus, id efficere conatus est, vt modum & regulam, quam in hieroglyphicis litteris conscribendis prisci Ægyptij obseruabant, qualisque earum esset significatio, nos quoque coniicere possemus; inquit enim: *Non enim, vt nunc litterarum numerus præstitutus & facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptij; sed singulæ litteræ singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnumquam significabant integros sensus. cuius rei scientiæ, in his interim sit duobus exemplum: Per vulturem, naturæ vocabulum pandunt; quia mares nullos posse inter has alites inueniri, rationes memorant physicæ: perque speciem apis mella conficientis, indicant Regem; moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere his signis ostendentes, & similia.* D

Contra Iulianú, lib. 9.

Sanctus quoque Cyrillus Alexandrinus, vtpote qui regionis illius antiquitatum plenissimam notionem erat assecutus, quò posteris honestè gratificaretur, eius normæ quam in hieroglyphicè scribendo Ægyptij sequebantur, ac figurarum illarum significationis aliquod lumen nobis ingerere conatur his verbis: *Aiunt inter priscos Ægyptios fuisse quosdam ænigmatum artifices, qui idolis seruiebant; & ad hoc magna industria & grauitate præditos, quos illi nominare solent*

Hiero-

A *Hieroglyphos, qui templis & obelis scripturas insculpebant; non vulgaribus vtentes litteris, sed aliis figuris, rerum naturas effigiantes, arcanam quamdam prudentioribus scientiam augebant. Etenim volentes significare Deum, hoc est summam & quæ super omnia est naturam, pingebant oculum, cui baculum substituebant; vt per hoc intelligeretur, quòd omnia videat, & sit ei Regia dignitas: nam sceptrum ferè semper Regis intelligitur symbolum: quamuis etiam per stantem baculum, quòd nullo modo diuina natura labefactari possit, sed quasi semper stare, & quodammodò sustinere & fundare omnia, discatur. Dicuntur autem aspidem fingere in figuram cæli, eò quòd in circulum feratur: & serpentem in figuram temporis, eò quòd longus sit, & multis voluminibus se gyrat reptitatque absque strepitu. Insuper furorem & iram per ænigma declarantes, insculpebant craticulam, cui subiicitur ignis, & cor superponitur.*

Porphyrius pariter, vt Eusebius Cæsariensis refert, de hieroglyphicis figuris agens, testatur, scarabeum animal, quod rerum diuinarum indocti abominantur, ab Ægyptiis summopere venerari, qui illud animatam solis effigiem esse putarent. Scarabeos autem omnes virilem obtinere sexum, & semine stercori infuso, pila deinde confecta, pedibus auersa facie illam obuoluere, veluti sol contra cæli motum circumactus mensem lunarem expectat: sicque de ariete, de crocodilo, de vulture, ac de ceteris animalibus eosdem Ægyptios philosophari tradit. Atque hinc eorum dementiam idem Eusebius meritò subsannans, ait, eos ex sapientia & religione ad cultum animalium stultissimè peruenisse. Et Gregorius Giraldus in sua symbolorum Pythagoræ Interpretatione tradit, Ægyptios inter sacras seu hieroglyphicas litteras, pro vite lætitiam intellexisse. Et vt summatim dicam, de nonnullorum hieroglyphicorum characterum ac figurarum significatione, aliquam notionem quidem habemus; sed de ordine ac modo tenendi, quo integra quælibet hieroglyphica inscriptio perlegi, ac sensus eius percipi queat, non est qui documentum aliquod nobis præbeat. Atque ita sanè antiquitatum studiosi, magno sui animi mœrore, atque Reipublicæ etiam detrimento, tot pulcherrimarum inscriptionum, totque Ægyptiacæ antiquitatis insignium monumentorum, quæ Romæ & alibi ad hanc vsque diem extant, intelligentia frustrantur. At de Ægyptiorum symbolis & hieroglyphicis, quoad institutum nostrum attinet, quodque ad illud necessarium & vtile fore iudicauimus, hactenus dixisse sufficiat.

[Margin: B; De Præpar. Euang. li. 3. cap. 2.; C; *Hieroglyphicorũ interpretationes magna adhuc parte latent.*]

CAPVT III.

De impia idololatria, quæ per Ægyptum atque alias mundi prouincias sese diffuderat.

D CVM omne id quod de Ægyptiacis symbolis & hieroglyphicis ad institutum nostrum facere videbatur, præcedenti capite satis abundè tractauerimus, concinni ordinis consequentia exigere videretur, vt ad declarationem figurarum ac significationum sanctæ Crucis, quæ eisdem symbolis & hieroglyphicis continentur, pro ipsius instituti nostri ratione stilum conuerteremus: verùm quia iidem Ægyptij eorumdem symbolorum & hieroglyphicorum maiorem partem ad id præsertim construere solebant, vt suæ idololatriæ mysteria per ipsa annotarent atque innuerent; hinc est quòd pro clariore intelligentia eorum quæ dicturi sumus, non incongruum, immò potiùs decens atque expediens esse videtur, vt priusquam id aggrediamur, de impiæ idololatriæ origine, deinde verò de inani Theologia, & stolida religione Ægyptiaca, aliquid dicamus.

Variæ opiniones Ethnicorum de primo hominum ortu.

Prisci scriptores Ethnici, qui veri Dei vniuersorum creatoris, hominumque plasmatoris agnitionem assecuti non erant, multas vanitates, stultasque opiniones quamplurimas, circa primorum hominum originem & ortum litteris ad posterorum memoriam prodidere. Diodorus namque Siculus inter ceteros, constantem ac firmam hanc opinionem se imbibisse ostendit; primos nimirum homines ab ipsa terra in Æthiopia generatos esse: huiusque opinionis suæ solidam admodum ac benè fundatam rationem se afferre putat, omnino verisimile esse, homines sub Meridie habitantes, omnium primos à terra generatos esse. Sole enim generationis patre, vicinitate sua terram illam, quæ priùs humida erat, præ omnibus arefaciente, consentaneum esse credere, ibi priùs quàm alibi, terram ipsam tamquam Soli propinquiorem, naturam & vitam hominibus & animantibus præbuisse. His tamen non obstantibus, idem Diodorus alibi refert, Ægyptios firmiter credere, primos homines apud se natos esse; huius rei firmum argumentum ducere putantes, tum ex prouinciæ ipsius mira aëris temperie, ac soli illius felicitate, tum propter Nilum, qui & multa generat, & suapte natura quæ genuit, facillimè nutrit; idque coniectantes ex eo, quòd certis anni temporibus in Thebaidis agro multi ac magni generentur mures; qua ex re homines plurimùm obstupescant, cùm videant quorumdam anteriorem vsque ad pectus & priores pedes murium partem animatam moueri, posteriore nondum inchoata, sed immobili & informi: ex quo perspicuum esse dicebant, ab ipso orbis ortu, primos homines in Ægypto procreatos, cùm in nulla alia orbis terrarum parte accidat eo modo animalia creari. A

Rerum antiq. lib. 3.

Rerum antiq. lib. 1. B

In Euterpe, siue lib. 2.

Verùm Herodotus Halicarnasseus asserit, Ægyptios in ea opinione perseuerasse, omnium hominum se primos extitisse, donec Psammeticus eorum Rex apud ipsos regnauit. Tunc enim cùm eidem Psammetico ingens cupiditas incessisset noscendi quanam orbis terrarum parte primi homines orti essent; nec sciscitando huius desiderij compos effici posset, duos pueros ex humilibus parentibus recèns natos, cuidam pastori inter pecora educandos dedit; districtè præcipiens, vt nemo eos alloqueretur, neque coram ipsis vocem vllam ederet; sed in deserta casa ab omni hominum commercio segregata seorsum diligenter custodirentur, quam nemo ingrederetur, pręter ipsum, ad necessaria eis ministranda, atque ad immittendas capras, quæ statutis horis illos lacte nutrirent. Quod ideò faciebat iubebatque Rex, audire cupiens quodnam verbum pueruli per seipsos sponte ac naturaliter à nemine edocti proferrent: sibi persuasum habens, id illi idiomati, quo primi homines essent locuti, conforme futurum: consequenterque vbi verbum illud ad ea vsque tempora communiter proderetur, ibi & non alibi primos homines ortos esse. Quod planè, vt optauerat, contigit: nam bimatus tempore exacto, ex quo pueruli in ea casa collocati fuerunt, pastori, qui hæc administrabat, aperienti ianuam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus occurrentes; Beccos, Beccos clamabant. Quod primò audiens pastor, obticuit: cùm verò crebriùs adeunti, & obseruanti, idem verbum pueruli semper repeterent; id ad Regem detulit: iussusque ab eo, pueros attulit, exhibuitque. Quos cùm Rex ipse, sæpè sæpiùs id verbum repetentes audisset, diligenter perquiri curauit, quanam regione homines Beccos quippiam appellarent: idq; sedulò percunctatus, comperit Phrygios sic panem nuncupare solitos. Quo ex facto, firmissimum argumentum capi posse sibi visus est, primos homines in Phrygia natos esse. Quod cùm accepissent Ægyptij, primæuam illam omnium hominum antiquitatē, quam ad illa vsque tēpora sibi arrogauerant, tunc Phrygiis concessere. Hęc omnia à Vulcani sacerdotibus, qui Memphi degebant, se in Ægypto audisse testatur Herodotus. C D

Pueruli inter bestias nutriti, primam vocem ediderunt, Beccos, Beccos.

At

A At quemadmodum ambo Auctores prædicti inter se diffident, & in prima illa hominum antiquitate assignanda contrariis opinionibus inhærent, cùm alter Æthiopibus, alter verò Phrygiis illam tribuat; sic etiam in ea discrepantia ambo à veritate in hoc plurimùm aberrant, dum alter Æthiopes, alter verò Ægyptios primos fuisse affirmat, qui deorum cultum adinuenerint; eosdemque populos rituum, cærimoniarum, & sacrificiorum, quibus iidem dij posteà honorati sunt, primos inuentores extitisse: perinde ac si impia idololatria ante verum Dei cultum mundo sit inuecta. Verùm enimuerò nos, quos Sacrarum litterarum veritas edocet, infinitas gratiarum actiones Deo reddere tenemur, quòd à tantorum errorum obscuris tenebris & inepta stultarum opinionum huiusmodi credulitate liberati simus; planè ac probè scientes, primos homines non à terra generatos, sed à Deo optimo maximo ad sui ipsius imaginem & similitudinem creatos esse: quodque non Adam & Eua tantummodò,
B sed etiam eorum nepotes per plura sæcula, priusquam dæmone instigante idololatria mundo inuecta esset, verum Deum Creatorem suum (licet peccatores fuerint) recognouerint, pieque adorauerint.

Quamobrem Lactantius Firmianus, verissimis ac solidis fundamentis innixus, vt ostenderet quonam pacto idololatria in Ægypto ac per ceteras mundi prouincias sese diffuderat; postquam Arcæ Noë constructionis ac Diluuij sacram recensuisset historiam, causamque prodidisset ob quam Deus supplicium illud mundo immisisset, sic tradit: *Ille verò*, inquit, *cùm egressus esset ex Arca, vt Sancta litteræ docent, terram studiosè coluit, atque vineam sua manu seuit. Vnde arguuntur, qui auctorem vini Liberum putant: ille enim non modò Liberum, sed etiam Saturnum atque Uranum multis antecessit ætatibus. Qua ex vinea cùm primum fructum cepisset, lætus factus, bibit vsque ad ebrietatem, iacuitque nudus. Quod cùm vidisset vnus ex filiis, cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem; sed egressus,*
C *etiam fratribus indicauit. At illi sumpto pallio, intrauerunt auersis vultibus, patremque texerunt. Quæ cùm facta recognouisset pater, abdicauit atque expulit filium. At ille profugus, in eius terræ parte consedit, quæ nunc Arabia nominatur; eaque terra, de nomine suo Chanaan dicta est, & posteri eius Chananei.*

Diuinarũ Instit. lib. 2. de origine erroris, cap. 13.

Hac fuit prima gens, subdit idem Firmianus, *quæ Deum ignorauit, quoniam princeps eius & conditor, cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo: itaque ignorantiam Diuinitatis minoribus suis reliquit.* Ab hac autem gente, proximos quosque populos fluxisse testatur; patris verò ipsius posteros, Hebræos dictos, penes quos religio Dei resedit. Sed & ab his posteà, multiplicato in immensum numero, cùm eos angustiæ locorum suorum capere non possent, tum adolescentes vel missos à parentibus, vel sua sponte, cùm rerum penuria premerentur, profugos ad quærendas nouas sedes huc atque illuc dispersos, omnes insulas, vniuersumque terrarum orbem demum repleuisse; & à stirpe sanctæ
D radicis auulsos, nouos sibi mores atque instituta pro arbitrio condidisse. Sed omnium illi primi, inquit, qui Ægyptum occupauerant, cælestia suspicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aëris clementiam, nec vllis in ea regione nubibus obducitur cælum; cursus siderum obseruantes, eorumque pulchritudinem atque splendorem admirati, ea tamquam deos adorauêre: deinde verò portentosas animalium figuras, quas colerent, commentos fuisse tradit, quibusdam prodigiis inductos, quorum auctores mox proditurum se pollicetur. Ceteros verò, quos per diuersas orbis terrarum partes dispersos fuisse dixerat, admirantes mundi elementa, cælum, solem, terram, mare, sine vllis imaginibus ac templis à principio veneratos esse; hisque sacrificia in aperto celebrasse; donec processu temporum, cùm Reges,

Veritas de ortu & multiplicatione hominum, primoque cultus Dei neglectu.

Principes, ac Duces eorum potentissimi iam effecti essent, eis templa & simulacra erexerunt, eaque victimis & odoribus colere instituerunt. Hoc autem pacto à veri Dei agnitione atque notitia aberrantibus hominibus, Gentes esse cœpisse asseuerat. *Errant igitur*, addit, *qui deorum cultum ab exordio rerum fuisse contendunt, & priorem esse gentilitatem quàm Dei religionem: quam putant posteriùs inuentam, quia fontem atque originem veritatis ignorant.* A

Diuinarũ Institutionum lib. 2. de origine erroris, c. 14. Præterea ostendere volens idem Firmianus, quisnam idololatriæ ac tantorum errorum in mundo inducendorum causa fuerit, adiecit, immundos spiritus, malorum quæ in mundo fiunt auctores esse, quorum diabolus princeps est. Vnde Mercurius Trismegistus, illum Δαιμονάρχην, id est, dæmoniorum principem appellat. Dæmones autem sic dictos putasse Grammaticos, quasi δαίμονας, id est, peritos ac rerum scios. Hos autem stulta antiquitas putauit esse deos. *Sciunt illi quidem*, inquit, *futura multa, sed non omnia; quippe quibus penitus consilium Dei scire non licet: & ideò solent responsa in ambiguos exitus temperare.* Hos contaminatos ac perditos spiritus dicit per omnem terram vagari, & perditioni suæ aliquod solatium, hominum quoque perditione venari. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis & erroribus complere: adhærere enim singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupare: & quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuare se corporibus hominum, & occultè in visceribus operantes valetudinem vitiare, morbos excitare, somniis animos terrere, mentes furoribus quatere: vt homines his malis cogant ad ipsorum auxilia confugere. B

Ibid. c. 16. Hos autem ipsos malos dæmones fuisse tradit, *qui imagines & simulacra fingere docuerunt; qui vt hominum mentes à cultu veri Dei auerterent, fictos mortuorum Regum vultus, & ornatos exquisita pulchritudine statui consecrarique suaserunt; & illorum sibi nomina quasi personas aliquas induerunt. Hi*, subdit, *scelestissimi spiritus, qui desciuerunt à Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici & præuaricatores, Dei nomen sibi, & cultum deorum vendicare conantur: non quòd vllum honorem desiderent, (quis enim honor perditis est?) nec vt Deo noceant, cui noceri non potest; sed vt hominibus, quos nituntur à cultura & notitia veræ Maiestatis auertere, ne immortalitatem adipisci possint, quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne Dominum, ne Patrem suum norint.* Hæc omnia de idololatria, quæ in Ægypto, & per mundum vniuersum sese diffuderat, verisimiliter admodum ac solidè Firmianus. C

Idololatriæ initium, & progressus. Ægyptij, vt Eusebius Cæsariensis testatur in Chronico, genus duxêre à filio Cham, cui nomen erat Mestre; & post ipsum vsque ad Seruch, qui Abrahami proauus fuit, iidem Ægyptij ceterique populi à Cham & ab aliis filiis Noë descendentes, qui per orbem terrarum erant diffusi, licet essent idololatræ, solem nimirum, lunam, ac stellas adorantes; non tamen imagines & statuas adhuc venerari cœperant, sed idem Seruch primus fuit, qui impium ac scelestissimum abusum illum mundo inuexit. Vnde sic in eam sententiam Damascenus: *Seruch idololatriam primus inuexit. Cùm enim omnes cultum, quem tum probauerant, superstitione quadam ad humaniorem cultum deducere communi consensu constituissent, mos simulacrorum hominum generi ponendorum ortum habuit.* Tunc enim primò pingere & coloribus adumbrare cœperunt eos, qui tum apud ipsos magni nominis erant & gloriæ, vtputa Principes, tyrannos, aut dominos, aut eos qui aliquid in vita gessissent, quod propter corporis robur, aut animi insignem fortitudinem atque virtutem, dignum memoria censeretur. Deinde verò Thare Abrahami patris ætate, cùm impium illum idololatriæ errorem ad statuas transtulissent, hi qui inter eos potentiores erant, maiores suos statua- D

De hæresibus.

rum

A rum dedicatione honorare cœperunt. Et primò quidem rudi ſimplicitate, figulorum arte ſtatuas atque imagines eorum, qui ante ipſos è vita exceſſerant, ex argilla fieri curabant: poſteà verò ſculptores accerſiti, qui ex ſaxo ſeu ex marmore eas ſculperent: demumque fuſores adhibiti, qui ære, ſiue argento, vel etiam auro conflato, fuſili arte eaſdem conficerent. Quorum ſignorum fabricandorum Ægyptij, & Babylonij, & Phryges, nec non & Phœnices primi inuentores, atque ſuperſtitionis eius interpretes extiterunt: à quibus poſteà ad Græcos tranſlata eſt, Cecropis ſequenti ſæculo. Tum verò multo poſteà tempore tranſacto, Saturnum, Martem, Iouem, & eos qui eum conſecuti ſunt, & Apollinem in deorum numerum retulerunt.

De eodem hoc ipſo venerandarum imaginum abuſu & impio errore, Lactantius etiam Firmianus ſic ferè tradit: Si nulli Reges ante Saturnum vel Vranum fuerunt, propter hominum raritatem, qui agreſtem vitam ſine vllo rectore degebant, ambigendum non eſt, quin illis temporibus homines Regem ipſum, totamque eius familiam ſummis laudibus extollere ac nouis honoribus euehere cœperint; ita vt deos etiam eoſdem appellarent; ſiue in virtutis eorum admirationem, ſiue (vt fieri ſolet) in adulationem præſentis potentiæ, vel etiam ob ea, quibus ab eiſdem affecti eſſent, beneficia. Deinde verò, cùm ipſi Reges chari fuiſſent his, quos humaniter rexerant iuſteque gubernauerant, magnum poſteà ſui deſiderium cùm mortui eſſent reliquerunt. Quamobrem homines eorum ſimulacra finxerunt, vt ex imaginum contemplatione aliquod haberent in eorum abſentia ac morte ſolatium. Tum verò longiùs progreſſi, propter meriti dilectionem, demortuorum Principum memoriam colere cœperunt, idque vt gratiam referre benemeritis viderentur, & vt ſucceſſores eorum ad benè imperandi cupiditatem allicerent. Id enim, inquit, docet Cicero de natura Deorum his verbis: *Suſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent.* Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber: & alio loco atque alio in pleriſque ciuitatibus intelligi poteſt, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentiùs Reipublicæ cauſa periculum adiret optimus quiſque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam. Hac ſcilicet ratione Romani Cæſares ſuos conſecrauerunt, & Mauri Reges ſuos: ſicque paulatim religiones eſſe cœperunt; dum illi primi, qui eos nouerant, eo ritu ſuos liberos ac nepotes, deinde omnes poſteros imbuerunt.

Diuinarum Inſtit. lib. 1. cap. 15. De falſa Religione.

B

Imagines hominum illuſtrium, demum vt idola culta.

C

Et hi quidem ſummi Reges, ſubdit Lactantius, ob nominis ſui celebritatem in prouinciis omnibus celebrabantur. Præter quos etiam ſinguli populi, gentis aut vrbis ſuæ conditores, ſiue inſignes virtute viros, aut admirabili caſtitate mulieres ſumma veneratione coluerunt: vt Ægyptij Iſidem, Mauri Iubam, Macedones Cabyrum, Pœni Vranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem vtique modo Athenæ Mineruam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sicque per populos ac regiones varia ſacra ſuſcepta fuere, dum grati homines eſſe in ſuos Principes cupiunt; & quos alios honores vita iam functis deferant, inuenire non poſſunt. Præterea ſucceſſorum pietas, imò potiùs ambitio, plurimum contulit ad errorem: nam vt diuina ſtirpe nati viderentur, diuinos honores parentibus detulere, deferrique iuſſerunt.

D

Anne dubitare quis poterit (addit idem Firmianus) quonam pacto religiones deorũ ſint inſtitutæ, cùm apud Maronem legat Æneæ verba ſociis imperantis:

Nunc pateras libate Ioui, precibuſque vocate Æneid. 7.
Anchiſem genitorem:

cumque idem Æneas non immortalitatem tantùm Anchisæ genitori suo, sed etiam ventorum tribuerit potestatem, sibi mentem & consilium inesse templa eidem erigendi, altariaque dedicandi, ac sacra quotannis faciendi, ostendens? sic enim apud eumdem alibi: A

Æneid. 5.

Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis,
Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem quoque de Ioue Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo filij eius fecerunt; ac posteà de his ipsis, successores eorum. Accesserunt ad id etiam Poëtæ, qui compositis ad voluptatem & per summam ambitionem carminibus, in cælum eos sustulerunt: sicut faciunt, qui apud Reges etiam malos Panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum à Græcis præcipuè ortum est; quorum leuitas dicendi facultate instructa, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitauerit: ob quam vanitatem Sibylla carminibus suis sic eos corripit: B

Habentur etiam hæc carmina, in paucis versione mutata, Sibyllinorum Oraculorum lib. 3.

Græcia, quid confidis in viros Principes?
Ad quid dona inania mortuis dedicas?
Immolas idolis: quis tibi in mentem errorem imposuit,
Vt hæc perficias, magni Dei ore relicto?

Similis quoque impiæ idololatriæ originis causa proditur sacro Sapientiæ libro; illius nimirum patris, qui de immatura filij sui morte, supra quàm par erat, acerbissimi doloris impatiens, imaginem quamdam ei similem sibi construi curauit, illamque tamquam deum venerari cœpit; seruis suis præcipiens, vt eidem sacrificia offerrent. Talis ergo impiæ idololatriæ, quæ per Ægyptum & ceteras orbis terrarum prouincias, malo dæmone id operante, sese diffuderat, origo fuisse perhibetur; quamque stolidi & insani illorum temporum homines stultè nimis ac miserrimè amplexati sunt. Quorum cæcitatem atque socordiam admiratus Philo Iudæus, sic pænè in eos inuehitur: Ego certè, inquit, hos statuarum ac simulacrorum adoratores miseriores iudico, quàm orbatos corporis oculis. Nam hi quidem mulctati sunt, aut incurabili morbo, aut inimicorum insidiis: illi verò suapte voluntate visum animæ obscurarunt, aut omnino perdiderunt. Quapropter alteris miseratio debetur, vt infortunatis calamitosisque; alteris pœna, vtpote qui miseriam ac malitiam vltrò complexi sunt. Qui ne illud quidem considerant, quod vel pueris ipsis conspicuum est; artificem nimirum præstantiorem & antiquiorem esse suo opificio: is enim secundùm tempus prior est, cùm sit quasi pater; potentia quoque superior, quanto id quod agit, præcellit ea quæ patiuntur. C

De Decalogo, quod est Iuris summariũ. *Idololatræ grauissimè à Philone Iudæo redarguti.*

Certè, subdit, si error placuit, pictores ac statuarij magis merebantur consecrari, ac diuinis honoribus affici: nunc verò ipsis contemptis, ac si nihil egregium præstitissent, pro diis habentur eorum opera. Et cùm artifices sæpè inhonorati in egestate consenuerint, variisque casibus absumpti sint; opera tamen eorum exornantur purpura & auro, luxuque cetero, quem diuitiæ suppeditant; adoranturque religiosè non solùm ab ingenuis, verùm etiam & à nobilibus honestaque specie præditis. D

Nec hîc gradum sistit impietas, procedit enim vlteriùs. Noui equidem, inquit, quosdam adeò socordes atque insanos, qui simulacris abs se fabrefactis preces votiuasque victimas offerrent, iustiùs sanè vtramque manum suam adoraturi: aut si hoc nollent, crimen arrogantiæ vitantes, saltem incudes, malleos, scalpra, forcipes, ferramentaque cetera, quibus materiæ formam addiderunt. Huiusmodi planè deploratæ amentiæ homines sic increpare libet: Heus vos, viri egregij, votorum summa & felicitatis finis est, reddi Deo similem. Orate igi-

A te igitur, vt ſimiles fiatis veſtris ſtatuis, & ſumma illa felicitate fruamini, non videntes oculis, non audientes auribus, nec reſpirantes nec olfacientes naribus, ore nec loquentes nec guſtantes, manibus nec dantes nec capientes, nec agentes quidquam aliud, pedibus non incedentes, otioſique in omnibus partibus corporis, templo incluſi, aſſeruatique tamquam in carcere, adhibitis interdiu noctuque cuſtodiis, & inibi haurientes nidorem ac fumum exhalantem è victimis: nam hoc vno commodo frui ſacratas ſtatuas (licet falsò) ſtultè tamen creditis. Atqui talia dicentem, non vt fauſta ominantem libenter audirent, ſed vt diras imprecantem auerſarentur, conuitiisque viciſſim proſcinderent. Nemo igitur, ſubdit idem Philo, animam habens, huiuſmodi vanitates ac ſtultitias, resque brutas & caſſas animis adoret; indecorum enim & impium eſt naturæ opus, artificum operibus ſe ſubmittere. Hæc ille. Atque hæc etiam de origine idololatriæ, quæ per Ægyptum atque vniuerſum terrarum orbem ſeſe diffuderat, hactenus dixiſſe ſufficiat.
B

CAPVT IV.

De fabuloſa & inani Aegyptiorum Theologia: deque eorum impia atque probroſa idololatria.

POSTQVAM à quo, quomodo, & quando impia idololatria, quæ per vniuerſum terrarum orbem ſeſe olim diffuderat, ſuam traxerit originem, ſuperiori capite à nobis eſt oſtenſum; reliquum nunc eſt, quò ad inſtitutum noſtrum paulatim propiùs accedamus, vt de Ægyptiorum fabuloſa Theologia, ac de ignominioſa eorum idololatria peculiariter agamus. Etenim illius inuentores & inſtitutores primi, licet quid in hoc agerent, non ſatis percepiſſent; in
C ſymbolicis tamen ſuis imaginibus atque figuris, ea ſanctæ Crucis & admirabilis redemptionis noſtræ myſterij ſymbola ac ſignificationes effinxerunt & inſculpſerunt, quas iam iam explicaturi ſumus.

Meſraim igitur filius Cham, ceterique illius poſteri qui Aegyptum primi incoluêre, cùm nullam diuinitatis agnitionem, propter eas quas ſuperiùs recenſuimus cauſas, aſſecuti eſſent; cumque ſolo naturalis intellectus lumine ducti, inuiſibilem Dei eſſentiam coniicere nequirent, dum ſub dilucido illo, temperato, & nubibus numquam obducto cælo, tranquillam & ab omni turbatione remotam vitam ducerent, oculorum & mentis aciem ad cæli ornatus, ad ſtellarum ſplendoris, & ad vniuerſorum naturæ contemplationem erigentes, longa atque attenta obſeruatione didicerunt, duo ſingulariſſima cæleſtia lumina, ſolem videlicet & lunam, totum temporis curſum moderari, anni tempora, menſium numerum, dierumque ac noctium perennem viciſſitudinem producere. *Ægyptiorũ idololatria origo.*
D Dumque rerum mutationes, quas pro temporum fluxu & varietate in hac mundi inferiori regione fieri contingebat, aſſidua mentis conſideratione perpenderent, paulatim opinari cœperunt, duo illa cæleſtia corpora æternos deos, rerumque omnium auctores exiſtere; hisque propterea ſummam adorationis venerationem exhibuêre. Deinde verò longiore obſeruatione, cælorum conuerſiones ſpectantes, quinque alias erraticas ſtellas ſiue Planetas exiſtere cognouerunt, ex quorum coniunctionibus, & variis inter ipſos atque cum ſole & luna ſyzygiis, varij in his inferioribus producebãtur effectus. Quamobrem putantes hos quoque in vniuerſi regimine eſſe participes, magnamque in eo prærogatiuam obtinere, ipſos pariter tamquam deos adorare inſtituerunt. Atque hinc mentis aciem ad octauæ ſphæræ contemplationem altiùs erigentes, in toto ſtella- Mercurius Triſmegiſtus hæc tradit, Aſclepij cap. 8.

ſtellarum inerrantium infinito propè numero, triginta ſex obſeruauere præcipuas, quas Horoſcopios, id eſt, horarum ſpeculatores appellarunt. Horumque ſiderum, Vſiarchum vnum ſiue principem commenti ſunt, quem Pantomorphon, id eſt, Omniformem vocauerunt, arbitrati hunc illum eſſe, qui diuerſis ſpeciebus diuerſas formas tribuit. Deinde verò, cùm naturalis philoſophiæ adminiculo, quattuor quoque elementorum notionem aſſecuti eſſent, hæc ipſa pariter in deorum numerum ſtultiſſimè retulerunt. A

Hi ergo duodecim Ægyptiorum maiores dij extitere, nimirum ſeptem Planetæ, Pantomorphos, & quattuor elementa. Quorum deorum Herodotus, Ægyptios primos inuentores fuiſſe tradit, & ab illis Græcos fuiſſe mutuatos: eoſdemque Ægyptios omnium hominum primos annum adinueniſſe, diſtinguentes eum in duodecim temporum menſes, idque ex aſtrorum obſeruatione comperiſſe: item primos diis aras, & ſimulacra, & delubra ſtatuiſſe: demum verò aſſiduo mentis exercitio, & diuturno naturalium ſcientiarum ſtudio, eminentiores inter Ægyptiorum ſacerdotes Philoſophi, ad ſupernaturalem contemplationem animum applicuerunt, ita vt eorum quidam mentis acie in tantam ſe altitudinem euexerint, vt vnum Deum omnium deorum maximum agnouerint, de quo Mercurius Triſmegiſtus admiratione planè dignisſima, ſcripto ad poſterorum memoriam commendauit, vt appoſitè magis ac fuſiùs ſuo loco dicemus. Qui quidem vniuerſum deorum numerum in duas principales partes diuiſit, intelligibilem nimirum atque ſenſibilem. Sub ſenſibili autem, omnes deos, quos ſuperiùs recenſuimus, complexus eſt, arbitratus hos per ſenſibilem naturam omnia operari: in intelligibili verò vnum ſolum Deum conſtituit, cui totius vniuerſi regiminis ſummam adſcripſit; huicque propriè ac diffinitiuè nomen tribui poſſe negat, cùm vnico tantùm nomine omnia nomina complecti nequeant: ipſe enim Deus, inquit, ſolus eſt, & omnia. B C

In Euterpe, ſiue lib. 2.

In alta caecitate Aegyptij quidam Philoſophi verum Deum agnouerunt.

Verùm hæc ſummi Dei agnitio, præter quod inter pauciſſimos ſeſe cohibuit, ad longius tempus non perdurauit, quàm in Ægypto floruere ſcientiæ: nam poſt Mercurij Triſmegiſti, quorumdamque ſacerdotum coæuorum, ac diſcipulorum eius ſummorum Philoſophorum mortem, huius notionis lumen mox extinctum eſt; ſucceſſoribus eorum craſſioribus errorum ac ignorantiæ tenebris circumfuſis: immò quia hi poſteà ſymbola, allegoricas imagines, ac metaphoricas figuras, quibus priſci illi atque eminentes Philoſophi Theologiæ myſteria profundè atque abditè nimis innuerant, non rectè intellexerunt, id cauſæ fuit, vt ij populi præcipitarentur & immergerentur in probroſam & ignominioſam idololatriam, de qua maiore breuitate qua fieri poterit, inferiùs dicturi ſumus.

Ægyptij ergo in monſtroſo inanium ac falſorum deorum ſuorum numero, duodecim prædictos ſumma veneratione ſemper proſecuti ſunt, atque inter eos præcipuè ſolem & lunam, illum quidem Oſiridem, hanc verò Iſidem appellantes. Quamobrem Theodoretus, Diodori Siculi auctoritatem ad inſtitutum hoc noſtrum in medium afferens, inquit; *Atque vt teſtis eſt Siculus Diodorus, omnium mortalium primi Ægyptij, ſolem lunamque deorum nomine appellantes; ſolem quidem Oſirim, lunam verò Iſin eſſe dixerunt.* Quorum nominum interpretationem Plutarchus apertè admodum explicauit; non quoad Græcam tantùm, verùm quoad Ægyptiacam quoque etymologiam. Nam quoad Græcam, nomen Oſiridis, ab hoſio & hiero compoſitum eſſe dixit, quod ſanctum & ſacrum ſignificat; quo verò ad Ægyptiacam, multos oculos deſignare: illo enim idiomate, *os* multum, *iris* verò oculum exprimere teſtatur. D

In curatione Græcarũ affectionũ, Serm. 3. de diis & angelis.

De Oſiride & Iſide.

Dio-

A Diodorus autem Siculus tradit, Ægyptios ſolem Oſiridem Græca interpretatione, vtpote qui ſuis radijs, veluti pluribus oculis, terram ac mare luſtraret, multos oculos habentem dixiſſe: ad quod alludere Homerus voluit, cùm ſolem omnia conſpicientem atque audientem dixit. Lunam verò Iſidem vocare ſolitos, quod antiquam ſignificat; ſumpto nomine ab æterno ac veteri eius ortu. Ipſius autem imagini addunt cornua, inquit idem Diodorus, tum propter aſpectum (ita enim videtur, quo tempore primis diebus poſt ſolis coniunctionem apparet) tum quia bos ab Ægyptijs ei ſacrificatur. Rerum antiq. lib. 1. cap. 2.

Quæ autem hæc Iſis fuerit, cuius nomen Ægyptij ipſi lunæ indiderunt, propter varias auctorum qui de ea re ſcripſerunt ſententias, atque inanes de eadem confictas fabulas, plurimùm ambigitur. Tradunt Græci, hanc Inachi Argiuorum Regis filiam fuiſſe, nomine Io; fabulanturque eamdem à Ioue ſtupratam, & ſibi in concubinam adſcitam. Quod cùm Iuno præſenſiſſet, zelotypia *De Oſiride & Iſide Aegyptiorum dijs variæ opiniones.*
B impellente, eam in iuuencam transformauit; illique Argum centoculum cuſtodem appoſuit. Iupiter autem id ægrè ferens, & miſeratione commotus, Mercurio mandauit, vt Argo interempto, illam in priſtinam formam ac libertatem aſſertam, in Ægyptum per mare traduceret; ibique Iſidem appellari, & ab Ægyptijs vt deam adorari iuberet; poteſtate eidem attributa, Nilum augendi, ventis imperandi, nauigantesque cuſtodiendi atque ſeruandi. Quam fabulam, quaſi colludens & ineptias iſtas irridens, ſuis in Dialogorum libris Lucianus refert, Ioue & Mercurio de hac re colloquentibus illuc adſcitis. Diuus Auguſtinus item hanc perhiberi aſſerit Inachi filiam fuiſſe, quæ poſteà Iſis appellata, vt magna dea culta eſt in Ægypto: quamuis alij ſcribant, eam ex Æthiopia in Ægyptum veniſſe Reginam; ac pro eo quòd latè iuſteque imperauerit, eiſque multa commoda & litteras inſtituerit, hunc honorem illi habitum eſſe diuinum, poſteaquam ibidem mortua eſt: eumdemque ei tanta veneratione ex- In Dialog. Iouis & Mercurij. De Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 3.
C hibitum, vt capitali crimine reus cenſeretur, quiſquis eam quandoque hominem fuiſſe dixiſſet. Atque hinc eſſe conſtat, quòd in omnibus delubris, in quibus Oſiris & Iſis adorabantur, iuxta eorum ſigna, ſimulacrum quoque Harpocratis eorum filij, quem ſilentij deum eſſe dicebant, conſpiciebatur: quod ad pueri formam effictum dexteram manum ori admouentis, digitoque labia comprimentis, innuere videbatur, vt ſilentium ſeruaretur, ſiniſtra autem Cornucopiæ deferens. Quo ſignificabatur, vt tacerent Ægyptij, neque hos deos homines fuiſſe proderent, cùm eorum operâ omnium bonorum copia afflueret. Quocircà diuus Auguſtinus, Varronis auctoritatem in hoc ſecutus, ſubdit: *Quoniam in omnibus templis, vbi colebatur Oſiris & Iſis, erat ſimulacrum,* Ibid. cap. 5.
D *quod digito labijs impreſſo, admonere videretur vt ſilentium fieret. Hoc ſignificare Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe tacerent.* Cuius idoli antiquiſſimum ſimulacrum, pario candidoque marmore ſculptum, venuſtate & gratia ſanè conſpicuum, penes me habeo, appoſito huic typo planè ſimillimum.



Diodorus Siculus litteris commendauit, Oſiridem in Ægypto iuſtè regnantem, à Typhone fratre impio atque Rerum antiq. lib. 1. cap. 2.

 nefario

nefario trucidatum; eumdemque in sex & viginti partes dissectum, vnicuique A eorum, qui secum tanti sceleris participes fuerant, partem vnam dedisse, veluti eius facinoris conscijs, vt ipsos defensores custodesque Regni fidos haberet. Verùm Isis eiusdem Osiridis soror & coniux, exercitu comparato, auxilioque Ori filij sui, viri necem vlta, Typhone & qui cædis conscij fuerant interemptis, Ægypti regnum cepit. Cumque dissecti mariti corporis dispersas partes inuenisset; cupiens incertum esse viri sepulchrum, idq; ab Ægyptijs & à cunctis hominibus venerari, ex aromatibus & cera singulas eas partes in hominis formam marito Osiridi similem composuit, Ægyptique sacerdotibus conuocatis, singulis singulam Osiridis imaginem seorsum tradidit, vnicuique eorum asseuerans, ei soli corpus illius concredere voluisse: & iure iurando singulos adegit, ne vlli vmquam hominum panderent Osiridis sepulchrum apud se esse; quin etiam adytis templi asseruatum atque reconditum, illum vt deum religiosè colerent: eique animal, quod mallent, dicarent, quod & colerent veluti Osi- B ridem, dum viueret, & post obitum simili cærimonia obseruarent. Vt autem maiori beneficio deuinctos sacerdotes ad hæc sibi promptiores redderet, tertiam eis totius Ægypti agrorum partem ad deorum cultum attribuit. Quamobrem hi, cùm meritorum Osiridis memores, tum Isidis beneficio allecti, eius mandata libenti animo executi sunt. Ex quo factum fuisse idem Diodorus testatur, vt vnusquisque Ægyptiorum sacerdos, ad suum ipsius vsque diem, corpus Osiridis apud se esse asseueranter contenderet: traditque, animalia, ac tauros præcipuè, quos eidem à principio dicauerant, summa veneratione ab Ægyptijs coli; & cùm moriuntur, in eorum funere luctum Osiridis renouare solitos. Quorum taurorum alterum quidem Apim, alterum verò Mneuim nominabant, hosque sacrificabant Osiridi; & dum viuebant, vt deos venerabantur. Hæc autem omnia, quoad Osiridis & Isidis historiam, Diodorus.

En quàm parum sibi constet mēdax idololatria.

Alij autem tradunt, Isidem vxorem fuisse Typhonis, qui cùm percepisset, C Osiridem vxorem suam amborumque sororem corrupisse, eum interemit; atque in minuta frusta concisum, eadem secus Nili ripam dispersit. Quam immanitatem cùm Isis accepisset, marito Typhone repudiato, vt dilecto fratri Osiridi iusta funeris persolueret, accitis secum Nephta sorore & Anube venatore, quem posteà canino capite effinxêre, quia venatici canis olfactu & indagine concisas atque dispersas Osiridis corporis partes inuenit; cùm eas Isis collegisset, sepulturę mandauit. Scribunt, Osiridem, dempto incestu quem cum Iside sorore admiserat, Regem iustum & æquum; Typhonem verò fratrem econtrà crudelem, superbum, & nefarium extitisse. Atque hinc factum fuisse dicunt, vt propter nimium amoris affectum, quo Osiridis memoriam Ægyptij prosequebantur, superstitiones posteà, barbari ritus, stultæque inoleuerint cærimoniæ, quæ sacra Isiaca dicebantur; quæque dæmone cooperante, non per Ægyptum tantùm, sed per vniuersum terrarum orbem sese diffuderant. Quorum rituum D cærimoniarumque hæc erat summa:

Ritus sacrorum Isidis stultissimi & turpissimi.

In remotioribus templi adytis corpus Osiridis sepultum habebant, vel habere fingebant, idque mœstissimo luctu annuis lamentationibus plangebant. Radebant capita, tundebant pectora, lacertos lacerabant, veterum vulnerum cicatrices resecabant; vt dehonestati capitis turpitudine, verberumque ac refricatorum vulnerum dolore, in animis atque corporibus suis funestæ ac miserandæ necis dilecti Regis Osiridis memoriam renouarent. Cumque hæc quorumdam dierum spatio fecissent, fingebant se lacerati corporis reliquias tandem reperisse. Sicque ab insani luctus excessu, in gaudiorum, epulationum, atque omnium turpitudinum dissolutionē repentè ac miserè proruebant. Diebus autem,

A quibus ſacra Iſiaca celebrabantur, ipſius ſacerdotes per vrbem vagantes incedebant, altis gemitibus deflentes, linea veſte induti, Anubidis ſtatuam canino capite deferentes; manu autem altera ramum abſinthij marini, vel pini geſtabant, altera verò ſiſtrum, quod inſtrumenti genus quoddam æreum erat ſonorum & concrepans, quo Ægyptij tubarum ac tympanorum vice in bellis vtebantur: quo ſacerdotes iſti quoque vti conſueuerant, vt inſtrumenti eiuſmodi concrepatione ac ſonitu, populum ad luctum prouocarent. Ad cuius ſimilitudinis forſitan imitationem fabrefactum fuit inſtrumentum illud, vulgò Panderum nuncupatum, quo ad noſtram adhuc vſque diem Luſitani in cantilenis quandoque vti ſolent: licet antiquum ſiſtrum differenti admodum eſſet forma; vt plurimùm enim ouata figura olim conſtruebatur, addito manubrio ad deferendum ac vibrandum: atque in circumferentia, & in tribus chordis, quæ per tranſuerſum diſtendebantur, tintinnabulis, alijſque æris fragmentis muni- *Siſtrum Ægyptijs tubæ & tympani loco vſitatū.*

B tum erat; quæ quidem omnia, dum ſiſtrum excuteretur, ſtrepentem ſonitum edebant.

Horum priſcorum ſiſtrorum veram imaginem & formam intueri libet, antiquiſſimæ cuidam marmoreæ baſi inſculptam, quam penes me domi habeo, quamque antiquarum rerum periti, Aram Iſidis fuiſſe, non immeritò autumant. Nam Iſidis ipſius, atque Anubidis imagines ibi quoque inſculptæ conſpiciuntur. Ipſaque eadem ſiſtra inciſa pariter videntur antiquis quibuſdam argenteis numiſmatibus, præſertim verò cuidam, quod excuſum eſt in libro, cui titulus eſt: *Diſcorſo dell' antica Religione de' Romani di Guglielmo Choul*. Cuius meminit etiam Antonius Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopus, Diſcurſuum ſuorum ſuper numiſmatibus Dialogo tertio; opinatus, id Valentiniani Imperatoris extitiſſe. Habet autem numiſma prædictum Iſidis effigiem, quæ dextra manu ſiſtrum tenet, ſiniſtra verò vas quoddam fructibus plenum. Ex *Eius vera imago & forma.*

C quo innui videtur, eamdem fructuum inuentricem extitiſſe. A tergo verò habet imaginem Anubidis, quem alij Cynocephalum dixere; quoniam canino capite eum effingebant: iſque manu etiam dextera ſiſtrum, ſiniſtra autem Mercurij caduceum geſtat. Quidam enim Anubidem & Mercurium, vnum eumdemque fuiſſe volunt. Eiuſdem verò numiſmatis typus, per omnia talis eſt qualis hìc impreſſus conſpicitur.

D



Siſtri autem Virgilius atque Ouidius ſuis carminibus meminere. Ita enim Virgilius: ——*Patrio vocat agmina ſiſtro.* Æneidos 8.

Ouidius verò: ——*Quid nunc Aegyptia proſunt Siſtra?* Amor. lib. 3 Elegia 8.

Martialis quoque Epigrammatum ſuorum libro, ad caput abraſum, ad lineas veſtes, & ad ſiſtra, quæ profani ac ſtolidi Iſidis ſacerdotes deferebant, alludens, hæc ipſe quoque de ſiſtro inquit:

Linigeri fugiunt calui, ſiſtrataque turba. Lib. 12. Epigramm. 28.

In ipſo autem Iſidis feſto die ſacerdotes prædicti, & qui ex eorum erant col-

legio,

legio: diuersimodè personati, ornatuque vario compositi incedebant: alij siquidem balteo incincti, milites se esse fingebant: alij venabulum gestantes, vt venatores discurrebant: alij longam stolam induti, feminas mentiebantur: nonnulli fascibus atque securibus præcedentibus, magistratus se esse ostentabant, sicque Isidis simulacrum deferebant. Quod magna mulierum sequebatur caterua, candidis amiculis serta ferentium. Quarum nonnullæ cum speculis & pectine ante ipsius deæ signum famulabantur, quasi eamdem comere volentes: aliæ verò cum lucernis & lampadibus, diuersa aliæ huius generis supellectilis instrumenta deferentes sequebantur; vt Lucius Apuleius fusiùs, & inter recentiores Alexander ab Alexandro suis in Genialium dierum libris scripto commendauit. Huiusmodi autem sacra Isiaca, vel vt veriùs denominentur, vesana prorsus deliramenta, dæmonis opera tantum auctoritatis atque existimationis apud illorum temporum superstitiosos ac stolidos homines demum A

Ser. in Natali SS. Apostol. Petri & Pauli. affecuta sunt; vt in ipsam vrbem Romam introducta fuerint. Quæ ciuitas, vt B sanctus Leo Papa meritò inquit, *ignorans suæ prouectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Lucius Apuleius

Metamor. lib. 2. innuit hæc sacra Romam introducta fuisse Lucij Syllæ Dictatoris temporibus. Verùm Lucius Piso & Aulus Gabinius Consules publico edicto cauerunt, ne idolorum prædictorum simulacra Capitolio inferrentur. Quin etiam aris eorum, quæ Romæ ad illam vsque diem erectæ fuerant, euersis, expresè vetuerunt ne diuinis celebrarentur honoribus. Valerius autem Maximus memoriæ

Li. 1. tit. 4. De Auspiciis. — *Sacra Isiaca sæpiùs Româ proscripta, sæpè iterùm sunt introducta.* prodidit, quòd cùm Senatus Isidis & Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum religionis scrupulo attingere auderet; Lucius Æmilius Paulus Consul posita prætexta securim arripuit, templique eius foribus inflixit. In Romanarum verò Historiarum libris legitur, pluries in Senatu actum de Ægyptiorum sacris & cærimoniis Româ eiiciendis; vtpote quæ turpium reli- C gionum, nouarumque superstitionum erant seminarium. Verùm tantum valuit dæmonis versutia, quæ damnatissimis superstitionibus illis immersos homines detinere gestiebat, vt contradictionibus quibuscumque, quibus profana illa sacra iure oppugnata fuere, non obstantibus, ingenti nihilominùs animi feruore & hominum concursu posteà instaurata, & per plures annos celebrata sint. Vnde Lucanus:

Ad Ægyptû lib. 8.

Nos in templa tuam Romana accepimus Isim,
Semicanesque deos, & sistra mouentia luctum.

Et quamquam Tiberij Imperatoris temporibus, ipso iubente Isidis templum dirutum fuerit, & simulacrum eius in Tiberim proiectum, propter sacerdotum illorum infamem auaritiam, quorum præcipua opera fuit in sacrilegio & adulterio illo perstruendo, quod in Paulina Saturnini viri illustris vxore patratum est; vt primi libri capite septimo superiùs tradidimus; non tamen ob id D sacra Isiaca Romæ prætermissa fuere: quin etiam maiore posteà celebritate instaurata sunt. Cuius absurdi illud potissimùm causa fuit, quòd Imperatores qui posteà successerunt, non fauore tantùm ea prosecuti sunt, sed eorum quidam his etiam initiari voluerunt; & non secùs ac ipsi, qui sacerdotum Isidis collegio adscripti erant, eadem sacra celebrarunt. Quod præcipuè Othonem fecisse memoriæ proditum est; qui linea religiosaque veste indutus, ipsa eadem sacra in publicum celebrando processit. Ex quo apud superstitiosam plebem, pij ac religiosi Principis opinionem nactus est. Quamobrem Suetonius Tranquillus

In Othone cap. 12. violentam diramque mortem eius vitæ ipsius incongruam ac prorsus indignam homines censuisse testatur. Idem quoque Domitianum fecisse legimus:

A mus: tradit enim Eutropius, eum inter cetera quæ ſuo tempore ædificauit, templum Iſidi erexiſſe. Lib.7.

Et quamquam recentiores quidam, inter quos Iacobus Pamelius, ſcripſerint, Iſiaca Hadriani Imperatoris temporibus non ſolùm Romæ, ſed in vniuerſo terrarum orbe penitus ceſſaſſe; ego tamen eadem ipſa, annis quinquaginta & pluribus poſt Hadrianum exactis, Romæ frequentata, ac maiore quàm anteà feruore inſtaurata fuiſſe comperio; ita vt Commodus Imperator, non illa ſolùm magna veneratione ſit proſecutus, verùm etiam ipſemet eadem ſæpè celebrauerit, & capite abraſo, Anubidis ſimulacrum per vrbem tulerit, ceteraque omnia in eiſdem ſacris fieri ſolita peregerit. Id enim Lampridius & Spartianus teſtantur. Et poſt ipſum, Antoninus Caracalla Romæ locis compluribus templa magnifica in Iſidis honorem extruxit; eiuſque ſacra, maiore quàm vmquam anteà veneratione peracta fuiſſent, celebrauit: ita vt quidam memoriæ B prodiderint, Antoninum Caracallam ſacrorum Iſidis Romæ introductorem extitiſſe. Quocircà idem Spartianus inquit: *Sacra Iſidis Romam deportauit, & templa vbique magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam maiore reuerentia celebrauit, quàm anteà celebrarentur. In quo quidem mirum videtur, quemadmodum ſacra Iſidis primùm per hunc Romam veniſſe dicantur, cùm Antoninus Commodus ita ea celebrauerit, vt & Anubim portaret, & Pauſa ſederet: niſi fortè iſte addidit celebritati, non eam primus inuexit.* Quin etiam, ſi Lampridio credendum eſt, Alexander Seuerus, qui annis circiter octuaginta & ampliùs poſt Hadriani mortem Imperij gubernacula ſuſcepit, templum quoddam Iſidis & Serapidis Romæ inſtaurari & ornari curauit; ſimulacraque & myſteria omnia quæ deerant ſuperaddidit. Erantque idola hæc tum Romæ tanta celebritate conſpicua, vt tertia Vrbis regio, Iſidis & Serapidis regio diceretur. Sic enim Publius Victor, ſua in Vrbis regionum Deſcriptione, ſicque alij Scriptores complures C teſtantur.

In Commodo Antonino. In Antonino Caracalla. In Alexandro Seuero.

Quamobrem Tertullianus meritò Romanis exprobrauit, quòd licet ex Senatus decreto, Liberi patris feſta & myſteria non Vrbe tantùm, ſed vniuerſa etiam Italia Conſules eliminari iuſſiſſent; & quamuis Piſo & Gabinius Conſules expreſsè vetuiſſent, ne Iſidis, & Serapidis, atque Harpocratis ſigna, cum eorum Cynocephalo in Capitolium inferrentur, eorùmque aras dirui ſtatuiſſent; vt ea quæ ex turpiſſimis & otioſis ſuperſtitionibus illis oriebantur vitia, frænarentur atque extirparentur; ipſi nihilominùs econtrà non ea tantùm reſtituiſſent & inſtauraſſent, ſed magnum quoque decorem, ac ſummam maieſtatem his ſuperaddidiſſent. In Apologetico aduerſus Gẽtes, c.6.

Putauêre nonnulli, hanc deam, quæ Iſis ab Ægyptiis dicebatur, eamdem illam eſſe, quæ apud nationes alias Ceres, Berecynthia, Magna deorum Mater, Cybele, Idea, Ops, Bona Dea, Maia, Fauna, Fatua, Paſſinuntia, Rhea, & D Phrygia appellabatur; cùm vtraque harum dearum ſic indifferenter à diuerſis Auctoribus nominentur. Quamobrem Plutarchus meritò Iſidem Myrionymon, à nominum diuerſitate, quæ illi indebantur, dictam fuiſſe teſtatur. Vnde Euſebius Cæſarienſis: *Quod ergo Ceres apud Græcos eſt, id eſt Iſis apud Ægyptios: & rurſus Bona Dea & Dionyſius apud Græcos, Iſis & Oſiris apud Ægyptios.* Diuus autem Auguſtinus innuit, memoriæ proditum comperiſſe, Iſidem dum parentibus ſuis, qui omnes Reges fuêre, ſacra faceret, hordeum reperiſſe, eiuſque ſpicas marito Oſiridi, & Mercurio eius conſiliario oſtendiſſe. Quapropter nonnulli autumant ipſam illam eamdem eſſe, quæ Ceres dicebatur. Idem etiam innuit ſanctus Hieronymus contra Iouinianum ſcribens; vbi ſimul tamquam vnius eiuſdemque rei, coſſorum ſeu rugoſorum Iſidis & Cybeles ſacerdotum

An Iſis Ægyptiaca alibi aliis nominibus appellata. De Præparat. Euang. lib.3.c.3.

ieiunia

iciunia coniungit. Tertullianus quoque opinioni se inhæsisse ostendit, Isidem A eamdem esse, quæ & Magna deorum Mater alio nomine dicebatur. quod ex his carminibus elicitur, quæ ad quemdam Romanum Senatorem direxit, qui à Christiana Fide desiliens, ad idololatriæ impietatem sese miserrimè conuerterat, inquiens:

Tertullianus ad Senatorem ex Christiana Religione in idolorum seruitutem prolapsum.

Quis patiatur enim, te Matrem credere Magnam
Posse Deam dici, rursusque putare colendam,
Cuius cultores infamia turpis inurit?
Res miranda satis deiectaque culmine summo.
Si quis ab Isiaco Consul procedat in vrbem,
Risus oris erit: quis te non rideat autem,
Qui fueris Consul, nunc Isidis esse ministrum?

Et vt summatim dicamus, quemadmodum hæc sacra Isiaca turpium superstitionum, damnatorum rituum, dæmoniacarumque confusionum omnia plena erant; sic etiam non est, cur miremur, quòd ipsi qui de ea scripsere Auctores Ethnici, ipsius etiam deæ nomini confusionem offuderint. Verùm his non obstantibus, à rerum antiquarum peritioribus haud ignoratur, vnum quid Isidem, aliud verò Magnam deorum Matrem extitisse; cuius simulacrum ex Senatus decreto Romam aduectum est ab Oratoribus, quos idem Senatus è monte Ida, vbi à Phrygiis summa superstitione colebatur, ad accersendum expresè delegauerat; magnaque pompa & celebritate in Vrbem inuectum, centesimo circiter anno, antequam Isidis & Osiridis atque Harpocratis signa cum sacris ipsorum introducta fuerint: festusque dies ei institutus, qui quotannis posteà ad pridie Idus Aprilis celebratus est; & ludi in honorem eius facti, quos Megalesia vocarunt; ritusque & cærimoniæ prætereà, quæ in Cybeles, siue Magnæ deorum Matris cultu obseruabantur, à prædictis sacris Isiacis longè distabant. Quorum cùm Herodotum Halicarnasseum, Diodorum Siculum, C Plutarchum, Strabonem, Macrobium, Apuleium, Porphyrium, ceterosque Ethnicos Scriptores forsitan iure puderet, quibusdam Physicis, vel potiùs Sophisticis rationibus ostendere nituntur, Osiridis & Isidis, aliorumque deorum fabulas, quas Ægyptij confinxerunt, mysticas significationes eorum effectuum fuisse, quos sol, luna, & stellæ, atque elementa producunt. Atque his, vt ita dicam, chimæris, ostendere voluerunt inanis Theologiæ Ægyptiacæ profundissima fundata esse mysteria.

Alia Isis, alia Magna deorum Mater.

De Iside & Osiride. *Philosophia mirabilis Ethnicorũ, vt idololatrias suas excusent.*

Quamobrem Plutarchus, de his ad hunc modum: *Decima septima mensis die interiisse Osiridem Ægyptij fabulantur, qua die maximè plenilunium fit euidens. Ideò diem istam Pythagorei vocant Antiphraxin, quasi oppositionem cum obstructione coniunctam.* Deinde subdit: *Annos xxviij. alij vixisse, alij regnasse Osiridem dicunt: toties enim lucet luna, totque diebus circuitionem suam absoluit. Lignum autem in sepultura, vt vocant, Osiridis secantes, arcam apparant lunata forma; quia luna soli* D *appropinquans falcatur & occulitur. Quòd autem in quattuordecim partes discerptus dicitur Osiris, referendum est ad dies, quibus à plenilunio, vsque ad nouilunium deficit luna. Diem autem, qua primùm conspicitur, euitatis & præteritis radiis solis, imperfectum bonum nominant. Est enim Osiris beneficus; & nomen hoc multa significans, præcipuè vim efficacem & beneficam designat. Existimant autem Nili incrementa, ratione quadam illuminationibus lunæ respondere. Maximum enim apud Elephantinam vrbem, cubitorum fit xxviij. quot dies sunt menstruæ circuitionis lunæ. Apud Mendetem & Xoin, vbi est minimum, cubitos æquat sex, quot diebus lunæ orbis fit dimidiatus. Medium apud Memphim, si iustum sit, xiiij. cubitis conuenit; & respondet tempori plenilunij. Et in nouilunio mensis Phamenoth, festum celebrant, quod ingressum*

Osiridis

A *Osiridis in lunam appellant. est autem id veris initium. Hoc pacto vim Osiridis in luna collocantes, Isidem ei vxorem, ex qua prolem procreet, adscribunt: ideò & lunam mundi matrem appellant, & naturam ex vtroque mistam sexu adsignant ei; quòd impleta & grauida facta à sole, rursum à se in aërem emittat ac dissemninet genitabilia principia.* *Sunt qui dicant*, addit idem Plutarchus, *quòd quemadmodum apud Græcos Cronos* (qui Latinis est Saturnus) *tempus, Iuno aërem, Vulcani ortus mutationem aëris in ignem notat; sic apud Ægyptios pro Osiride Nilum intelligi, qui cum terra, quam Isis designat, coëat: Typhonem verò mare esse, in quod incidens Nilus diuellitur, & perit.* Hæc omnia & alia complura Plutarchus tradit, in eo totus incumbens, vt ostendat Ægyptiorum deorum fabulosa principia, turpissimaque mysteria, naturalium effectuum occultas atque subtiles significationes extitisse.

Porphyrius quoque, quantum facere atque eniti potuit, in eo elaborans, Refert hæc
B vt Ægyptiacæ Theologiæ ridiculam & inanem stoliditatem proprio, vt ita di- Euseb.Cæ-
cam, pallio obtegeret; in quadam epistola, quam cuidam Anebo Ægyptio sariensis
scripsit, tradit, Chęremonem, ceterosque illorum temporum naturales Phi- De præpar.
losophos, nihil aliud in rerum natura existere præter visibilia putasse, Ægy- Euang.li.1.
ptiorum rationem ad vnguem secutos; qui nullos alios deos, præter solem & cap.2.
lunam, ceterasque erraticas stellas, nec non & signa, quæ orbem replent obliquum, & stellas fixas, quæ oriri atque occidere cum his dicuntur, deos existimarunt. Vidit Chæremo, subdit, solem ab Ægyptiis vt creatorem coli; nec ignorauit, omnia quæ de Osiride & Iside dicuntur, omnesque fabulas, aut ad stellas, aut ad ortum atque ad occasum earum, vel ad progressum & regressum, aut ad incrementa decrementaque lunæ, aut ad solarem cursum, aut ad nocturnum hemisphærium aut diurnum, aut ad fluuium Nilum, & omnino ad res causasque naturales referri; nec vllam de incorporeis viuisque substantiis
C Philosophos facere mentionem. Vnde nostra quoque omnia, nescio quo indissolubili vinculo, à motu stellarum necessariò dependere arbitrabantur, sicque omnia astris attribuebant, quæ sola deos & fatorum dominos existimabant; sacrisq; & simulacris, reliquoque deorum cultu, propitia sibi reddere conabantur. Itaque præter illa quæ in cælo videntur, alios deos, ipso etiam teste Porphyrio, Theologia Ægyptiorum à principio non nouerat; Creatorem verò rerum omnium, non intellectualem quamdam, incorpoream, atque inuisibilem, & incomprehensibilem substantiam; sed visibilem hunc solem, qui vniuersum illuminat, arbitrabatur. Quòd si visibilia hæc elementa, mystica *Verè mise-*
Ægyptiorum Theologia, inquit Eusebius Cæsariensis, deos putat, quæ animæ *ra anima,*
atque rationis expertia sunt; attende diligenter, in quantam turpitudinem & *quæ res inanimes vt*
ignominiam sublimis eorum Theologia deciderit, cùm vltra hæc nullam in- *deos cole-*
tellectualem substantiam pro rerum causa cognouit. Quamobrem meritò *bant.*
D non satis se admirari ostendit Sedulius, quonam pacto fieri potuerit, homines adeò mente obcæcatos extitisse, vt solem Deum, patrem, ac rerum omnium creatorem putauerint; cùm ab eius motu perpetuo, à continuis eius circuitionibus, ab ipsius cum nocte partitione dominij, ab eius ortu & occasu, & ab eius semper vbique existendi impotentia, euidenter constet, eum nullo pacto Deum, sed ministrum eius esse; ipsumque non æternum lumen illud, quod lucem fecit, existere, cùm ab ipsius mundi primo exordio duos dies (inquit ille) immò tres fuisse asseramus sine sole, cùm quarta die sol ipse, & stellæ creatæ fuerint:

Ast alij solem, cæcatis mentibus acti, Operis Pa-
Affirmant rerum esse patrem, quia ritè videtur schalis li.1.

Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare Polum: cùm constet ab istis
Motibus, instabilem rapidis discursibus ignem,
Officium, non esse deum: quique ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduas dimissus in oras,
Partitur cum nocte vices, nec semper vbique est:
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cùm geminum sine sole diem nouus orbis haberet. A

Quin etiam idem Porphyrius, vt leuissimæ ac fabulosæ Ægyptiorum Theologiæ auctoritatem tueretur, inter ceteras excogitationes suas, quas chimæras meritò vocare possumus, tradit, Ægyptios Osiridem fructuum procreatricem virtutem esse putasse; quam fletibus placabant, quoniam sationis tempore in terris occultatur: eumdem quoque Osiridem apud eosdem, pluuialem virtutem Nili designare. Verùm cùm per Osiridem, tellurem terrestrem denotabant, B fecundam terram intelligebant; quando verò cælestem, eumdem Nilum esse dicebant. Hunc enim Osirim, id est Nilum, è cælo defluere arbitrabantur: quem etiam deflere solebant, lacrymis reuocari virtutem eius putantes, quæ ceteris anni temporibus desinere videtur. Addit idem Porphyrius, Isidem, quæ secundùm fabulas Osiridi coniungitur, Ægypti terram significare.

His ineptiis prudenter admodum, & vt Christianum scriptorem decet, respondet Iulius Firmicus Maternus, qui ad Constantium & Constantem magni Constantini Imperatoris filios scribens, ac de prædictis sacris Isiacis disserens, easdemque Porphyrij futiles & commentitias rationes irridens, ad hunc fere modum tradit: Defensores Ægyptiorum stoliditati rituum eorum physicam quamdam rationem addere volunt, asserentes Osirim frugum semina esse, Isim verò terram, Typhonem calorem: & quia maturatæ fruges calore ad vitam hominis colliguntur, & à terræ consortio separantur, & rursus appropinquante hieme seminantur; hanc volunt esse mortem Osiridis, cùm fruges seminantur atq; in terra sepeliuntur. Inuentionem verò ipsius Osiridis esse fingunt, cùm satæ fruges fecunda terræ virtute rursus procreari cœperint. Pone hanc, inquit, veram esse sacrorum istorum rationem: suppone etiam, propter fruges vota reddi numinibus; quid addis incestum? quid adulterium? quid miserandæ animaduersionis exitium? Quid hisce profanis sacris tuis, puris atque ignaris hominibus malum monstras exemplum? qui licet errantes peccent, in hoc tamen se putant religiosos esse atque deuotos. Physica ratio, quam dicis, alio genere celetur. Quid autem celari oportuit, quod omnibus notum est? Cur plangitis fruges terræ & crescentia lugetis semina? Agendæ potiùs sunt summo Deo immortales gratiæ propter hoc, nec est Dei optimi maximi lugenda largitio. Deflete potiùs quòd erratis; & quòd errorem vestrum restauratis, semper luctibus deplorate. Nolite annuis sacris quærere funus alienum: vestris potiùs D funeribus per singulos annos parate solatia. O miser homo, inuenisse te nescio quid gaudes, cùm animam tuam ex sacris istis per annos singulos perdas. Nihil illic inuenis, nisi simulacrum quod ipse posuisti, & nisi quod iterùm aut quæras, aut lugeas. Quære potiùs spem salutis, quære lucis exordium. quære vt apud te sit quod te summo Deo aut commendet aut reddat; & cùm veram salutis viam inueneris, gaude; & tunc erecta sermonis libertate proclama: O insperatum bonum! ô inæstimabilem thesaurum! cùm à cæcis ac miseris erroribus hisce egressus fueris, & cùm ab his calamitatibus, post pœnitentiam tuam, summi Dei fueris indulgentia liberatus.

[Margin: De errori-bus profan. religionū.]

[Margin: *Physicæ rationes idololatriæ prætensæ, eædemque refutatæ.*]

C

Quin etiam idem Christiani nominis perfidus & implacabilis hostis Porphy-

A phyrius, vt Ægyptiorum ignominiosam insaniam excusaret, quòd inter ceteros monstrosos atque ridiculos deos, simulacrum quoddam humano quidem corpore, capite verò arietino, super templorum aras solemniter adorarent, asserere non erubuit, id eos facere vt solis & lunæ coniunctionem in signo Arietis significarent; sic enim inquit: *In Elephantinopoli autem Aegyptia vrbe, simulacrum colitur cærulei coloris, viri corpus, caput arietis habens. Arietis igitur caput & facies, & caprina cornua quæ habet, coniunctionem solis & lunæ in Ariete significant. Cæruleus color ei attribuitur, quia lunaris coniunctio humida est.* Hæc autem omnia Cæsariensis Eusebius litteris commendauit, asserens se è prædicto Porphyrij libro desumpsisse: qui quidem in explicationis harum fabularum atque Ægyptiacę Theologiæ mysteriorum exordio, arroganter nimis inquit: *Explicabo quibus fas est, procul abeste scelesti.* Quamobrem idem Eusebius sermonem suum de his meritò sic concludit: *Hos errores sanè nos libenter fugimus, & transfugas* De præp Euang. l. 3. cap. 3. in fine.

B *nos prædicare non pudet. Neque enim terrebit me arrogans illa oratio: Explicabo cui fas est, procul hinc abeste scelesti. Non enim nos scelesti sumus, qui hos errores fugimus: sed qui turpes atque obscœnas has fabulas, & scarabeos, & cetera bruta & immunda animalia ad summam Theologiæ sapientiam accipiunt: qui iuxta vocem Apostolicam, cùm sapientes se dicant, fatui sunt inuenti: quoniam incorruptibilis Dei gloriam, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, nec hominis solùm, verùm etiam volatilium, quadrupedum & serpentum, commutarunt.*

At minoris sanè detrimenti & criminis extitisset, si Ægyptiorum miseranda & demens superstitio hîc pedem fixisset: quandoquidem in longè magis ignominiosis atque probrosis impiæ & insanissimæ idololatriæ sese erroribus immersere, vt sequenti capite dicemus.

C

CAPVT V.

Adhuc de ignominiosa Aegyptiorum idololatria, de diuersis brutis animalibus quæ stultè adorabant, & de causis cur id facerent.

HVMANVS error, inquit diuus Ambrosius, idololatriæ causa fuit; eiusdemque euidentior ac perniciosior causa extitit error eorum, qui prauo exemplo, atque imitatione erroris sui, inscios & imprudentes populos in longè maiorum errorum prolapsionem induxerunt. Quamobrem Mercurius Trismegistus ipsa veritate coactus, liberè fassus est, proauorum suorum errorem & incredulitatem, ignominiosæ atque probrosæ idololatriæ, qua Ægypti populi sese immerserant, causam extitisse. Etenim multùm aberrantes, inquit, In Epist. 1. ad Cor. 10. Mercurius Trismegist. Asclepij cap. 13.

D circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenerunt artem qua deos efficerent, id est, statuas. Et cùm eas animatas facere non possent, malis artibus dæmones euocantes, statuis illis eos indiderunt, vt idola illa posteà benè & malè faciendi vim haberent: quibus diuersa animalium genera, species atque figuras dedicantes sacrauêre. Vnde contigit ab Ægyptiis hæc animalia sancta nuncupari, colique per singulas ciuitates in eis eorum animas, qui ea consecrauêre viuentes: ita vt ab eorumdem animalium appellatione, ciuitates ipsæ denominarentur, iisdemque legibus ac ritibus regerentur, quas illi præscripsere, qui hoc vel illud animal consecrauerant. Ex quo etiam contigit, Ægypti pænè ciuitates omnes hostili odio vicissim affectas continuis se bellis lacessere, prout hoc vel illud animal, *Secreta idolorum graphicè depicta & detecta.*

natura inter se inimicum, colebant. Quæ Trismegisti verba, dum attenta animi consideratione perpendo, non satis admirari mihi posse videor, quonam pacto fieri potuerit, vt tantus vir, cui de Dei agnitione adeò clarum lumen affulsit, quique reuerà cognouit, quàm impia, stulta atque inanis res esset idololatria; quem nec latuit, quantum dæmones, qui in statuis illis condebantur, scelesti ac nefarij essent, atque ad homines iuuandos non solùm impotentes & inefficaces, verùm potiùs ad nocendum procliuiores, illos nihilominùs laudauerit atque probauerit, impiè asseuerans cælestes deos (vt Ethnicè prorsus ipse loquitur) rerum sublimium atque cælestium moderatione distentos, terrestria & humana despicere. Eadem verò idola, quæ terrestres deos ipse appellat, amica quadam cum hominibus cognatione, eis, vtpote suis fabricatoribus, auxiliari; sic enim tradit: *Et ne putes*, inquit, *fortuitos effectus esse terrenorum deorum, ô Asclepi: dij cælestes inhabitant summa cęlestia, vnusquisque ordinem quem accepit, complens atque custodiens. Hi verò nostri, singillatim quædam curantes, quædam sortibus & diuinatione prædicentes, quædam prouidentes, hisque pro modo subuenientes, humanis quasi amica cognatione auxiliantur.* Hæc ille. A B

Idem Trismegistus, ibid. paulò inferiùs.

Has autem impias assertiones iure subsannans diuus Augustinus, ait, Trismegistum verè vnum ex his hominibus extitisse, qui cùm Deum cognouissent, vt inquit Apostolus, non tamquam Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Multa enim de vno vero Deo mundi fabricatore, veritati sanè consentanea asserit: deinde verò, nescio quo pacto, quáve obscuritate & cæcitate cordis in hanc prolabitur impietatem, vt diis, quos fatetur ab hominibus fieri, eosdem homines subdi velit: quasi quidquam sit infelicius homine illo, cui propria manuum suarum figmenta dominantur. At Trismegistum ego quidem in hoc, cuipiam fortè ex recentioribus Principibus nostris similem fuisse puto, qui priuati status sui rationi, & rei quæ sua interest, omnia quantumuis sancta, iusta, atque honesta, sine conscientiæ scrupulo subiici volunt. Is enim cùm magnus rex esset, vt quidam tradunt, non secùs ac magnus sacerdos atque philosophus erat (vnde & Trismegisti, id est, ter maximi nomen illi inditum esse volunt) arbitratus est forsitan status sui tranquillitati, & propriæ amplitudini non expedire, religionem, quæ communi consensu & longo populorum vsu recepta erat, immutare: non ignorans religionis motum, statuum quoque atque regnorum reuolutionem secum plerumque pertrahere. C

De Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 23.

Mercurius Trismegistus status rationi religionē posthabebat.

Neque enim hoc dixisse, ab hoc instituto nostro alienum est. Diodorus enim Siculus atque Plutarchus tradunt, quemdam Ægypti callidum & versutum Regem, simili status ratione permotum, cùm deprehendisset Ægyptios natura leues, & ad res nouas moliendas procliuiores esse, eosdemque ob multitudinem viribus insuperabiles atque effrænes, vbi sana mente & communi consilio, coniunctisque armis rem seriò gerere vellent; veritum ne contra se rebellionem facerent, perpetuæ dissensionis & discordiæ occasionem, dispersa atque inserta per singulos eius prouinciæ populos superstitione diuersa, obtulisse. Cùm enim insignioribus Ægypti vrbibus iniunxisset, vt hoc vel illud animal naturali instinctu inter se inimicum colerent; hinc factum esse, vt dum ea animalia sese inuicem persequuntur, & cibi gratia expetunt, dumque singulæ ciuitates sua defendunt animalia, eorumque iniurias ægrè ferunt, ac sibi illatas reputant, non obseruata Regis astutia, in capitalia odia perpetuasque rixas incautè atque imprudenter sese implicuerint. *Sanè*, inquit Plutarchus, *soli omnium Ægyptiorum Lycopolitæ oues edunt; quia idem lycos, id est, lupus facit,* D

Diuersa & multiplex Aegyptiorum superstitio, perpetuæ inter ipsos dissensionis causa.

De Iside & Osiride.

A *quem pro deo habent*. Additque temporibus suis commotum fuisse bellum inter Cynopolitas & Oxyrynchitas; quòd Cynopolitæ oxyrynchum piscem comedissent, quem ipsi Oxyrynchitæ adorabant; hique è conuerso canes, quos Cynopolitæ adorabant, mactatos in victimæ morem comedissent: atque ea de causa cùm grauia sibi inuicem damna intulissent, grauiora etiam à Romanis perpessos fuisse, qui ob temeritatem atque insaniam istam seuerissimè in eos animaduerterunt. Eiusdem discordiæ & inimicitiæ, quæ inter Ægypti ciuitates & populos, propter animalium diuersitatem, quæ stultè nimis atque probrosè colebant, meminit etiam diuus Athanasius; & exempli gratia tradit, crocodilum apud quosdam adoratum, apud alios abominationi habitum: leonem autem alicubi vt numen cultum, à collimitatis non solùm non coli, sed captum vt feram truculentissimam necari: piscémque à populis quibusdam pro deo habitum, ab alijs hamo piscantibus capi. In oratione contra idola.

B Ad tantam ergo cæcitatem, ad tam insanam superstitionem, propter maiorum suorum incredulitatem & impietatem, ac nefarij dæmonis versutiam, miserandi Ægypti populi tandem deuenêre, vt non tantùm solem, & lunam, & stellas, & elementa, atque eorumdem cælestium corporum atque hominum statuas, vt superiùs diximus; verùm etiam quadrupedia animalia, volucres, pisces, atque serpentes; & quod miserabilius etiam est, earumdem quoque bestiarum statuas & imagines demum coluerint. Quamobrem non tantùm cunctis populis fuere ludibrio, sed in tam immoderatum vesaniæ excessum eorum stulta superstitio denique prolapsa est, vt eius ad hanc vsque diem narratio fidem apud auditores vix inuenire posse videatur: ita vt Diodorus Siculus, Rerum antiquarum scriptor inter Græcos omnes fortasse veracior, dum hæc planè admiranda & portentosa deliramenta scripto commendaret, pudore quasi affici videretur, veritus ne dictorum suorum fides apud posteros titubaret. Et propterea ad hunc pænè modum tradit: Animantia dijs apud Ægyptios sacra, haud immeritò præter fidem videtur, quanto honore habeantur, credere. Colunt enim animalia quædam præter modum, non solùm viua, sed etiam mortua: sicut feles, ichneumonas, canes, accipitres, ibides, lupos, crocodilos, & huiusmodi plura. Causas verò cur id faciant, reddere enitemur, si pauca priùs circa cultum & honorem, quem iisdem exhibebant, dissueruerimus. Primùm quidem singulis animantibus, quæ colunt, separatim quampiam regionem sacrant, quæ ad eorum curam & victum sufficiat. Qui verò eiusmodi animalium curam habent, magno studio in hoc onus incumbunt: alij enim carnes incisas accipitribus volantibus proijciunt, magna voce donec carnes capiant, appellantes: in cibum verò felis & ichneumonis, blandientes illis, & allicientes, panem in lacte apponunt, aut nutriunt piscibus Nili. Eodem modo & animalibus ceteris opportunum, & quem magis gratum ac suauem eis fore putant, cibum præbent. Rerum antiquarũ l. 1. C *Admodum superstitiosa & vana animalium apud Ægyptios veneratio.*

D Non solùm autem horum cultum palàm profiteri non erubescunt; sed tamquam deorum seruitio atque honoribus mancipati, id laudi sibi atque decori ducunt. Cumque vrbes & varia loca circumeunt, eorum animalium quæ nutriunt, signa deferunt; & cùm ciuitatibus quæ ea colunt appropinquant, eadem procul ostentant, quibus ciues supplicum more prostrati, ea venerantur. Cùm verò aliquod eorum moritur, sindone contectum cum vlulatu pectus percutientes, sale liniunt, & cedri liquore, vnguentisque odoriferis, quò diutiùs corpus seruetur, vnctum in sacris locis sepeliunt. Si quis aliquod eorum animantium sponte occiderit, morte damnatur. Quòd si ælurum, vel ibim auem, quam summa veneratione colunt, occiderit, siue sponte, siue casu id fecerit, omnino illi malè moriendum est: nam sine processu aliquo, nulloque expectato iudicio,

occurrente turba, vario suppliciorum genere affectus crudeliter interficitur. A
Cuius immoderatæ seueritatis rigore ceteri perterriti, si casu contingat quempiam aliquod horum animalium mortuum reperire, procul astans statim altis clamoribus lamentatur, obtestaturque animal illud nulla sua intercedente culpa mortuum esse.

Testaturque idem Diodorus, superstitionem illam hominum mentes adeò peruasisse, eorumdemque animalium cultum Ægyptiorum animis adeò infixum esse; vt quo tempore Ptolemæus Rex, Senatus Populique Romani socius & amicus declaratus fuerat, applaudentibus Ægyptijs, Italosque ad se venientes summo studio colentibus, maximeque adnitentibus ne quam dissensionem aut belli causam præberent; tamen cùm quidam Romanus felem occidisset, statim ad domicilium eius concursu plebis facto, neque à diuersis principibus, quos Rex eò statim direxerat, neque Romanorum timore, à nece hominis absterreri potuerint, quamuis non sponte bestiam occidisset. Quam rem B non auditu quidem, sed visu se percepisse ipse Siculus Diodorus asseuerat, cùm eo tempore in Ægyptum nauigasset. Videbuntur hæc fortasse, subdit, indigna fide nonnullis, & fabulis quàm vero similiora: sed indigniora multò videri debent quæ sequuntur: Premente aliquandò Ægyptios fame, ita vt plures ob cibi inopiam etiam ab humana carne non abstinerent, animalia tamen sacra intacta reliquêre. Sicubi verò canem domi mortuum reperiri contingat, singuli inibi habitantes totum corpus flentes atque eiulantes radunt. Et quod admiratione etiam dignius videri debet, si pro ipsorum ac propriæ familiæ vsibus vinum aut frumentum comparauerint, illis non ampliùs vtuntur. Hi verò Ægyptij, qui alicuius negotij occasione extra patriam profecti sunt, si ælurum aut accipitrem ipsis mori contingat, eodem luctu in Ægyptum sepeliendum deferunt, sibi etiam deficiente sæpè viatico. Ceterùm quamuis facile sit, quomodo apud Memphim sacer bos Apis, apud Heliopolim Mneuis, apud Mi- C detam hircus, crocodilus apud Myridem paludem, leo apud Leontem vrbem, multaque alia variè colantur, referre; tamen difficile est ea apud huiusmodi rerum inscios credi.

Occisus quidã Romanus crudelissimè ob felem, etsi non sponte, occisum.

Nutriuntur hæc animalia summa cura atque impensa in templorum ambitu, à viris haudquaquam contemnendis; quæ similagine & alica, varijsque epulis lacte conditis cibant: anseres insuper tum elixos tum assos apponunt quotidie: his quæ crudis vescuntur, aues captas præbent: denique magna cura ac sumptu singula sustentant. Lauant insuper aqua calida, vnguentisque optimis & odoriferis: lectos quoque illis sumptuosos sternunt atque ornatos. Prætereà femellas cuicumque generi animalium præparant speciosas, quas pellices appellant; inque his etiam nutriendis plurimum impensæ atque operæ ponunt. Eorum mortem æquè ac filiorum lugent, sepeliuntque sumptuosiùs quàm eorum facultas ferat. Post Alexandri obitum, cùm Ptolemæus Lagus Ægyptum D teneret, Api in Memphi ex senecta mortuo, qui illius nutriendi curam ceperat, pecuniam quæ in eius sumptum data erat, permagnam quidem, & insuper quinquaginta talenta argenti mutuò à Ptolemæo sumpta, in eius sepulturam impendit. Nostra quoque ætate, quidam qui ea animalia nutrierant, in illorum sepultura haud minus centum talentis contulêre.

Nutricatio & sepultura animaliũ sumptuosissima.

Inprimis verò bonis Apis.

Addemus, inquit, & his, quæ circa sacri tauri, quem vocant Apim, curam fieri percepimus. Eo mortuo magnificeque sepulto, quærunt ad id delecti sacerdotes vitulum priori persimilem: atque eo inuento, populus statim luctum finit. Sacerdotes autem, quibus ea incumbit solicitudo, primùm in vrbem Nili vitulum perducunt; in qua eum nutriunt diebus quadraginta: deinceps in naium

A uim contectam, habitaculum aureum habentem introducentes, & ad Memphim vt deum ducentes, in Vulcani fano locant. Honoris boui impensi causam nonnulli tradunt, quòd defuncti Osiridis anima in bouem transmigrasset, quæ deinceps ad posteros pergens fuerit transfusa. Alij à Typhone interfecto Osiride, ferunt Apim membra eius collecta in bouem ligneum corio bouis circumdatum coniecisse: ideoque vrbem Busiridem appellatam. Multa alia de Api fabulantur, quæ longum esset singulatim referre. Hæc omnia de animalibus, quæ Ægyptij colebant, Diodorus Siculus.

At cùm in bouis Apis mentionem inciderimus, condecens esse videtur, admirabilia planè, quæ Plinius de eodem scripta reliquit, hoc loco adijcere: *Bos*, inquit, *in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant. Insigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus lunæ crescere incipientis: nodus sub lingua, quem cantharum appellant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos; mersumque in sacerdotum fonte* Lib.8.c.46. B *enecant, quæsituri luctu alium quem substituant. Et donec inuenerint, mœrent, derasis etiam capitibus: nec tamen vmquam diu quæritur. Inuentus deducitur Memphim à sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse, lætum est; in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, è manu consulentium cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum auersatus est, haud multò pòst extincti. Cetero secretus, cùm se proripuit in cœtus, incedit summotu lictorum; grexque puerorum comitatur, carmen honori eius canentium: intelligere videtur, & adorari velle. Hi greges repentè lymphati, futura præcinunt. Femina bos semel ei anno ostenditur, suis & ipsa insignibus, quamquam alijs: semperque eodem die & inueniri eam & extingui tradunt. Memphi est locus in Nilo, quem à figura vocant Phialam, omnibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes, diebus quos habet natales Apis: septem hi sunt, mirumque neminem per eos à crocodilis attingi; octauo post horam diei sextam redire belluæ feritatem.* Hæc autem planè admiranda de belluino idolo illo Api Plinius scri- C pta reliquit; quæ si veritati innituntur, consentaneum est credere, nefarij dæmonis artes fuisse, quibus infelices populos illos ignominiosæ illius idololatriæ impietate obcæcatos, illaque abominanda & horribili seruitute sua irretitos illaqueatosque detineret.

Stultissimam autem superstitionem illam, quam in bouis huius adoratione Ægyptij ostenderant, irridens Lucianus, licet Ethnicus, inquit: *Apis ille qui quidem deus apud illos* (Ægyptios) *est maximus, si quando moriatur, quis vsque adeò magni faciat cæsariem suam, qui non eam detondeat, ac nudo capite luctum præ se ferat, etiamsi vel purpuream Nisi comam habuerit? Est autem hic Apis, deus ex armento iam anteà suffragijs designatus, vtpote multò formosior ac venerabilior reliquis illis priuatis & gregariis bubus. Hæc igitur cùm sic habeant, & tamen à vulgo vera seriaque credantur; mihi quidem postulare videntur, non qui reprehendat, sed vel Heraclitum potiùs aliquem, vel Democritum; quorum hic amentiam eorum rideat, ille deploret inscitiam.* De sacrificijs, To.3. D Hæc Lucianus.

Putant quidam Israëliticum populum, quippe qui tam longa annorum serie in Ægypto nutritus & educatus fuerat, postquam ab illa seruitute liberatus esset, ac manna in deserto à Deo pasceretur, dum Moyses in monte Sina moram gereret, vt Legem à Deo acciperet, in luxum & voluptates prolapsum, cor ad Ægyptiorum idola conuertisse; istiusque bouis Apis præcipuè qui Memphi, ac Mneuis qui Heliopoli colebatur, memorem, aureum vitulum sibi conflari curasse, illumque adorasse, vt Sacris litteris memoriæ proditur. Quocircà Lactantius Firmianus ait: *Israëlitæ deposita iam Ægyptiaca seruitute, iam siti fameque depulsa, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cùm enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur,*

Vitulū aureum Israëlitæ conflarunt, memores bouis idoli Ægyptiorum.

De vera sapientia, l.1. cap.10.

aureum caput bouis, quem vocant Apim, quod eos præcederet, figurarunt. A

At Ægyptiorum malum longè tolerabilius extitisset, si eorum amentissima superstitio, in eo, vt bouem pro deo colerent, satis sibi factum putasset: sed quod teterrimum fuit, in tam profundum atque obscœnum vesaniæ barathrum se immersit, vt multo magis immundis ac brutis animalibus, rebusque longè turpioribus atque ridiculis, ignominiosè ac probrosè nimis sese passim prostrauerit: *Ægyptiis*, inquit Philo Iudæus, *non satis est in eodem cum reliquis hærere crimine: habent & aliud suum eximium: qui non solùm delubra venerantur cum sacratis statuis, sed etiam muta animalia in deorum numerum referunt, tauros, hircos, arietes, affingendo suas cuique fabulas. Hæc tamen habent fortasse quamdam recti speciem: prosunt enim vitæ, bos arando & terram prædomando ad futuras segetes, triturando item quando fruges conduntur in horrea: aries præbendo tegmina commodissima contra tempestatum iniurias, siue ardores solis nimios, siue immoderatum aëris frigus. Ceterùm quòd immanes crocodilos, ferocissimos leones, virulentasque aspides pariter templis, lucis, aris, sacrificijs, fastis, pompisque honorent, quæso cuius pietatis est aut prudentiæ? In vtroque elemento diuinitus concesso ad vsum hominum, terras & aquas scrutati, nec inter feras leone ferocius quidquam inuenire potuerunt, nec inter aquaticas belluas crocodilo crudelius, quos adorant pro numinibus. Nec hos solùm, sed & animantes alias, canes, feles, lupos; è volucribus ibides & accipitres, pisces quoque, aut integros aut membratim consecrant, quæ sine risu dici non possunt. Certè hospites recenter in Ægyptum delati, priusquam assuescant eius prouinciæ vanitatibus, abhorrent ab eis vsque ad tædium. Quòd si qui eruditi sunt liberaliùs, obstupescunt, dum vident ibi in honore res vilissimas, & his viliores cultores ipsos miserantur, animo transformatos in illas animantes bestias sub humana specie obambulantes.* B

[Margin: De Decalogo, quod est Iuris summarium.]

[Margin: *Ægyptij etiam colũt crocodilos & virulentas aspides*]

Ægyptus, inquit Herodotus, *cùm sit Libyæ finitima, non tamen admodum bestiis abundat. quæ verò illic sunt, eæ omnes pro sacris habentur, partim mansuetæ, partim immansuetæ. Eas seorsum singulas educandi curam Ægyptij atque Ægyptiæ suscipiunt, in quo honore filius patri succedit. His bestiis omnes qui in vrbibus sunt, vota persoluunt, supplicantes illi deo cuius illa bestia est, in hunc modum: Derasis filiorum capitibus, aut in totum, aut ex media, aut ex tertia parte, appendunt crines vna in lance, & altera tantumdem argenti; quæ pecunia, cùm lancem traxerit, eam tradunt curatrici bestiarum. Illa pro hoc concisos pisces præbet bestiis escam; talis enim cibus illis apponitur. Quarum si quam quis necauerit volens, morte mulctatur: si nolens, plectitur ea mulcta, quam sacerdotes statuerint. Quisquis tamen ibim aut accipitrem necauerit, siue volens siue nolens, necessariò morte afficitur. Quibuscumque autem in domibus felis mortem oppetit, earum domorum habitatores cuncti sola supercilia eradunt: totum autem corpus & caput, in quorum domibus canis moritur. Efferuntur autem feles mortuæ ad sacra tecta, vbi salitæ sepeliuntur in vrbe Bubasti. Canes feminas in sua quisque vrbe tumulant, sacratis in loculis. Eodem modo quo canes feminæ, canes masculi ferarum indagatores sepeliuntur: mures verò araneos, & accipitres, in vrbem Butum asportant: vrsos autem qui sacri sunt, & lupos non multo vulpibus grandiores, eo loco sepeliunt, vbi iacentes inueniunt. Quibusdam Ægyptiorum crocodili sacri sunt, quibusdam non sunt, sed veluti hostes exagitant. Sacros admodum esse eos existimant, qui circa Thebas & Mœrios stagnum incolunt: quorum vtrique vnum ex omnibus crocodilis alunt cicurem & edoctum manu tractari; appendentes eius auribus vel gemmas, vel ex auro fusiles inaures, & primoribus pedibus catenam innectentes: cibaria quoque accommodata & sacra præbentes, & viuum honestissimè tractantes. At vbi mortem obiit, sale conditum, sacris in vrnis sepeliunt. At qui circa Elephantinam vrbem incolunt, quòd eos sacros esse non censeant, etiam comedunt. Arbitrantur insuper sacrum esse genus piscium, quod vocatur squamosum, atque etiam anguillam.* C D

[Margin: In Euterpe, siue lib. 2.]

[Margin: *Quæ vni ciuitati pro deo sunt, alijs sunt profana.*]

At circa

A *At circa Thebas*, subdit Herodotus, *sunt sacri serpentes, nihil omnino hominibus noxij, pusillo corpore, binis præditi cornibus è summo vertice enatis, quos defunctos, in Iouis æde sepeliunt: huic enim deo sacros illos esse prædicant. Fertur ex Arabia serpentes alatos, ineunte statim vere, in Ægyptum volare, sed eis ad ingressum planitiei occurrentes aues ibides non permittere, sed ipsos interimere: & ob id opus ibim magno in honore ab Aegyptiis haberi, Arabes aiunt; confitentibus & ipsis Aegyptiis, idcircò se his auibus honorem exhibere. Eius auis species talis est: nigra tota vehementer est, cruribus gruinis, rostro maxima ex parte adunco. Et hæc quidem species est nigrarum quæ cum serpentibus pugnant. At earum quæ pedes humanis similes habent (nam bifariæ ibides sunt) gracile caput ac totum collum, pennæ candidæ, præter caput ceruicemque, & extrema alarum & natium; quæ omnia vehementer nigra sunt, crura & rostrum alteri consentanea.* Hæc & alia complura, quæ singula recensere longum esset, de Ægyptiorum vesana superstitione tradit Herodotus; quam falsè irridet Anaxandrides Rhodius inter Comicos Poëtas argutissimus, carminibus hisce suis
B Latinitati donatis:

Haud esse vobiscum queo commilito,
Concordibus nec moribus, nec legibus,
Per maxima interualla differentibus.
Bouem colis, deis ego macto bouem.
Tu maximum anguillam deum putas, ego
Obsonium credidi suauissimum.
Carnes suillas tu caues, at gaudeo
His maximè. canem colis, quem verbero,
Edentem vbi deprehendo fortè obsonium.

Aquam quoque iidem Ægyptij venerabantur: vnde hanc eorum insaniam irridens, vehementerque admiratus sanctus Athanasius, ait, Ægyptios etsi aquam præcipua veneratione colerent, diuinitatemque in ea esse putarent, suas tamen & aliorum sordes aquis eluere, deinde verò ipsam eamdem aquam cum ignominia proiicere. Parumque abesse subdit, quin omnium Ægyptiorum idola apud alios pro victimis immolentur; ita vt Ægyptij ludibrio sint, quòd diis careant, ac pro diis victimas & piacula colant. Strabo Ægypti ciuitates ac regiones describens, quænam præcipuè animalia in vnaquaque eiusdem prouinciæ vrbe colerentur, multa de his memoratu planè digna tradit: *Præternauiganti*, inquit, *hæc ad centum stadia, vrbs est Arsinoë, quæ olim Crocodilorum vrbs dicebatur. In hac præfectura mirum in modum colitur crocodilus, & est sacer apud eos, in lacu quodam seorsum nutritus, sacerdotibus mansuetus, & Suchus vocatur. Nutritur autem pane, carne, & vino, quæ à peregrinis afferuntur, ad eiusmodi spectaculum venientibus. Hospes itaque noster, vnus ex honoratis viris, qui nobis sacra commonstrabat, ad lacum vnà veniens, placentulam, & carnem assam,*
D *& quoddam mulsi vasculum è cœna attulit. Belluam in ripa lacus inuenimus: ex sacerdotibus alij eius os aperuerunt, alius placentam ingessit, posteà carnem, deinde mulsum infudit. Ille in lacum desiliens, in vlteriorem partem traiecit: cumque alius hospes aduenisset, & similiter primitias attulisset, cursu lacum circumeuntes, itidem inuento crocodilo obtulerunt.*

Aqua ab Ægyptiis culta.

C *In Orat. contra idola.*

Geographiæ li. 17.

Crocodilorum superstitio confirmata à Strabone oculato teste.

Post Arsinoiticam Heracleoticamque præfecturam est Herculis ciuitas, in qua colitur ichneumon, contra morem Arsinoitarum. Hi enim crocodilos colunt, & propterea fossam habent crocodilis plenam. Herculis verò ciuitas ichneumones, qui crocodilis & aspidibus perniciosissimi sunt: nam & earum oua delent, & ipsas bestias interficiunt luto armati, quo se inuoluerunt, & posteà ad solem exsiccato, aspides capite vel cauda arreptas in flumen trahunt, atque occidunt. Crocodilis verò apricantibus insidiantes,

tes, in ora eorum intrant, & exesis visceribus, è ventre mortuorum egrediuntur. Deinde est Cynopolitana præfectura, & canum ciuitas, in qua Anubis colitur; & honor & sacer quidam cibus est canibus constitutus. In vlteriore regione est Oxyrynchus ciuitas, & præfectura eodem nomine. Hic oxyrynchus piscis colitur, & oxyrynchi templum est. Enimuerò & ceteri Ægyptij omnes oxyrynchum piscem colunt. Nam quædam animalia sunt, quæ Ægyptij vniuersi colunt; vt ex terrestribus tria, bouem, canem, felem; ex volucribus accipitrem atque ibim: ex aquatilibus duo, lepidotum piscem, & oxyrynchum. Sunt alia, quæ quisque seorsum colit; vt Saitæ & Thebani ouem; latum verò, qui piscis quidam est in Nilo, Latopolitani; lupum Lycopolitani, cynocephalum Hermopolitani, cepum Babylonij qui sunt iuxta Memphim, (cepus faciem habet satyro similem, cetera verò inter canem atque vrsum; in Æthiopia nascitur,) aquilam Thebani, leonem Leontopolitani, capram & hircum Mendesij, murem araneum Athribitæ, alij aliud. Hæc ille. Quamobrem iure optimo Sedulius Christianus Poëta, populorum illorum infelicissimam insaniam miseratus, qui Creatori suo terga vertentes, in tam cæcam ac tenebrosam errorum abyssum, stolidissimæque impietatis barathrum, curante dæmone sese præcipitarant, eorum perpetuum exitium deplorandum hisce carminibus deflet: A B

Operis Paschalis li. 1.

Heu miseri, qui fana colunt, qui corde sinistro
Relligiosa sibi sculpunt simulacra, suumque
Factorem fugiunt, & quæ fecère verentur.
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit,
Vt volucrem, turpemque bouem, tortumque draconem,
Semihominemque canem supplex homo pronus adoret?

Allium tandem & cepas Ægyptij venerati. — Natural. hist. lib. 19. cap. 6.

At longè etiam vlteriùs priscorum Ægyptiorum ridicula superstitio progressa est. Non enim satis sibi fecisse putantes, vt bestias & animalia adorarent, vt superiùs ostendimus; allium tandem (quis credat?) & cepas venerati sunt; tantaque veneratione, vt per hæc religiosè iurarent. Vnde Plinius: *Allium cepasque inter deos in iureiurando habet Ægyptus.* Et Marcus Minutius Felix in suo Octauio idem innuens, ait: *Idem Ægyptij cum plerisque vobis, non magis Isidem, quàm ceparum acrimonias metuunt.* Vnde & Iuuenalis dementissimam hanc, & super omnem fidem stolidam insaniam irridens, & salsè carpens, ait: C

Satyra 15.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat.
Porrum & cepe nefas violare, & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!——

Sedulius quoque, quem superiùs citauimus, facetè admodum atque iocosè hanc ipsam Ægyptiorum vesaniam irridens, ait, Ægyptios, ceterosque, qui herbas adorabant, dum exarescentia idola sua in hortis rigabant, transplantatorum deorum cultores videri; sic enim tradit: D

Operis Paschalis, li. 1

Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina sicca rigant, verique hac arte videntur
Transplantatorum cultores esse deorum.

De Iside & Osiride.

Verùm Plutarchus, vt hanc Ægyptiorum dementissimam planè socordiam aliqua ex parte excusaret, asserit illos cepas venerari solitos, propterea quòd Dictys Isidis alumnus, dum cepas quasdam fluminis ripa enatas auidè captaret, in eumdem fluuium decidit, & periit. Sed Ægyptiacos sacerdotes auersari cepas tradit, quia hæc sola planta, luna decrescente viget & augescit, & quia ceparum vsus, neque castimoniam exercentibus commodus est, neque dies festos celebrantibus: alteris quia sitim creat, alteris verò quia lacrymas elicit.

At

Quin (pudor) etiam crepitus ventris apud Ægyptios deus.

A At quisnam admirari velit, vel sibi scrupulum iniicere, Ægyptios allium, porrum, & cepas adorare solitos, quando veneratione etiam prosecuti sunt, ac diuinitatem aliquam etiam inesse crediderunt in eo, quod sine verecundia ac rubore scribi non potest, id est crepitu, quem edit ventus per humani corporis pudenda expressus? Ridebit hîc forsitan Lector: verùm si hoc valdè suffitorum nasum offendet, grauissimos Scriptores illos incusent, qui id apertissimè testati sunt, quibus fides omnino habenda est. Licet Lactantius Firmianus, vt se modestissimum ac benè morigeratum ostenderet, id ipsum apertè exprimere noluerit, sed tantùm innuerit, his verbis: *Num peiùs nos destruimus religiones, quàm natio Ægyptiorum, qui turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colunt? quædam etiam pudenda dictu, tamquam deos adorant?*

De Iustitia lib. 1. c. 20.

At Marcus Minutius Felix in suo Octauio, vt Gentilium facies rubore suffunderet, qui Christianos falsò calumniabantur, quòd asininum caput adorarent, illis hanc Ægyptiorum ignominiosam superstitionem obiecit, quibus ipsi
B tamen multo magis quàm Christiani adhærebant; inquiens: *Idem Ægyptij cum plerisque vobis, non magis Isidem quàm ceparum acrimonias metuunt: nec Serapidem magis quàm strepitus per pudenda corporis expressos extimescunt.* Idem etiam tradit Origenes, contra Celsum scribens: *Taceo,* inquit, *nunc eos Ægyptios, qui venerantur ventris crepitus; ad quorum imitationem, si quis philosophetur seruando ritus patrios, ridiculus Philosophus erit, faciens quæ Philosophum non decent.* Id ipsum diuus quoque Hieronymus ad posterorum memoriam litteris commendauit, affirmans, hanc Pelusiacorum ciuium præcipuam superstitionem extitisse; quam vrbem recentiores nunc Damiatam vocant: *Vt taceam,* inquit, *de formidoloso & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est.*

Cõtra Celsum lib. 5.

In Isaiam cap. 46.

Ridicula & inanes superstitionis Ægyptiorũ rationes.

Verùm cùm iam satis prolixè de Ægyptiorum ignominiosa atque stultissi-
C ma superstitione disseruerimus, reliquum nunc est, vt pauca quædam breuiter attingamus circa causas ac rationes, quibus inducti, ea animalia & bestias quas retulimus, adorauerint. Et quamquam mihi persuasum sit, illud firmiter teneri posse, quod Mercurius Trismegistus innuit, vt superiùs diximus; nihilominùs nonnisi condecens erit, ceterorum quoque veterum auctorum in hoc audire sententiam. Diodorus Siculus tradit, Ægyptios huius rei tres causas reddere, quarum primam omnino fabulosam esse dicit & antiquorum simplicitate dignam. Aiunt enim, primos deos, cùm pauci numero essent, viribusque populo impares, impietatem verò hominum timerent, similes se quibusdam animalibus finxisse, eoque modo crudelitatem vimque hominum effugisse. Parto autem deinceps Orbis Imperio, vt redderetur animalibus gratia, quæ illis salutis causam præbuissent, consecrasse illa, quorum formam sumpsissent; ostendisseque hominibus, quo pacto & viua nutrienda essent, & mortua sepelienda.

Rerum antiquarum lib. 1.

D Quam stultissimam rationem irridens Lucianus, ridiculamque grauitatem & sapientiam quam Ægyptiorum sacerdotes ostentabant, iocosè carpens, ait: *Si in Aegyptum proficiscaris, permulta ibi videbis religiosa, planeque cælo digna; puta Iouem arietino vultu, Mercurium illum optimum facie canina, Panem verò totum hircum: ad hæc, alium ibim, alium crorodilum, alium etiam simiam. Quòd si horum quoque causas vt pernosse queas, didicisse libebit, complures Sophistas audies, tum scribas, ac prophetas mento raso, qui tibi narrent (sed priùs, vt dici solet, fores occlude profane) quemadmodum videlicet quondam ea seditione territi, quam mouerant hostes atque gigantes, in Aegyptum profugerint, vt illic in posterum tuti ab hostibus latitarent: & ob eam causam alius hircum induerit, alius arietem; nimirum præ formidine alius feram, alius auem. Atque hinc esse, vt dij nunc etiam eas obtineant formas,*

De Sacrificiis, Tom. 3.

quas

quas id temporis assumpserant. Nam hæc diligenter mandata litteris, idque ante annos plus decies mille, in adytis templorum suorum reposita, magna veneratione asseruantur. A

Rerum antiq. lib. 1.

Secundam autem huius rei causam esse ferunt, subdit idem Diodorus Siculus, quòd veteres Ægyptij, apud quos nulla erat militaris disciplina, cùm à vicinis sæpiùs bello superarentur, excogitauerunt aliqua insignia siue vexilla deferre, quæ milites sequerentur. Figuras igitur animalium quæ nunc colunt, in tabulas pictas Duces eorum in bello tulere; eaque ex re cognito atque obseruato, sub quo quisque ordine & insigni militaret in prælio, victores euasisse tradunt. Igitur iustum æquumque eis visum esse, gratiam his animalibus tamquam victoriæ auctoribus reddi: ob eamque rem statutum, nefas esse quodpiam eorum, quorum imago in aciem delata fuerat, occidi; sed potiùs coli, honoreque affici debere. Tertiam autem causam vtilitati adscribunt, quam animalia hominum victui afferunt. Nam bos femella & alios parit qui terram arant, & ipsa haud inutilis est ad arandum. Oues bis edunt fœtus, lanamque B præbent qua vestimur. Canis tum venationi, tum ad custodiam prodest. Feles verò ad mures, ceteraque parua atque infesta animalia è domibus expellenda, plurimùm conferunt. Ichneumon crocodilos obseruans, oua eorum conterit; qua diligentia contingit, ne illarum multitudine bestiarum Nilus repletus, nauigationi sit inidoneus; quin & ipsos quoque crocodilos occidunt. Ibides serpentes atque locustas abigunt. Accipitres verò scorpiones cerastasque, & cetera animalia, quæ morsu venenato hominibus officiunt, perimunt. Quidam autem ob eam causam honorem haberi accipitri putant, quòd his vtantur augures in futurorum prædictione: alij autumant accipitres in Ægypto venerari solitos propterea quòd vnus ex eis, priscis temporibus, librum puniceis inscriptum litteris, in quo continebatur, qui cultus diis quique honor deberetur, Thebas ad sacerdotes detulisse fertur: quapropter sacrarum litterarum scriptores, & puniceum pileum, & accipitris alam in capite gestant. Thebani venerantur C aquilam, tum quia regia videtur auis, tum Ioue digna. Hircum verò deificarunt, non secùs ac Græci Priapum, propter eam corporis partem, à qua fit hominum ortus. Sicque de ceteris omnibus animalibus, quæ Aegyptij venerantur, pergit Diodorus Siculus quasdam commentitias futilesque rationes reddere, quas ab eisdem Aegyptiis se percepisse ostendit; quasque Cæsariensis Eusebius, in suo de Præparatione Euangelica Tractatu etiam refert.

De præparat. Euang. lib. 2. c. 1.

De Iside & Osiride.

Rationes paulo sublimiores eiusdem idololatriæ.

Verùm Plutarchus huius Aegyptiacæ superstitionis quasdam sublimiores, ac mysticas causas prodere nititur, asserens, Aegyptios aspidem, & felem, & scarabeum venerari solitos, quia animalia hæc quasdam obscuras imagines diuinæ potentiæ repræsentant, non secùs ac in aquæ stillis, solis simulacra quandoque conspici solent: *Crocodilus certè*, inquit, *cultus sui probabili causa minimè destituitur: solus enim animalium elinguis est; quæ naturæ proprietas ipsi Deo refertur, nimirum quia voce Numen nihil indiget; sed per iter iustitiæ incedens, sine strepitu res humanas iustè temperat & gubernat. Aiunt huic soli animali, dum in aquis versatur, oculos contegi à membrana tenui ac pellucida, quæ à fronte descendat, ità vt videns, non videatur ipse; qua in re principi Deo quodammodò respondet.* D

At diuus Athanasius non tam admirari se ostendit, Aegyptios animalia & bestias stultè adorasse, quàm quòd vesano animi motu excogitauerint, ac sibi formauerint statuas & simulacra semihominum atque bestiarum, semiuolucrum, semiserpentum, ac semianimalium; quodque hæc, quæ nullo pacto esse possunt, pro diis sibi constituerint, ac peruersè adorarint. Sic enim inquit:

In Orat. contra idola.

Tantopere quidam mente prolapsi sunt, tantisque tenebris animum suum inuoluerunt, vt quæ nequaquam vlla ratione esse poterant, aut vmquam conspecta essent, ea excogitauerint,

A *rint, & numina fecerint: quippe qui bruta rationabiliaque animalia inuicem permiscentes, & in vnam speciem contrahentes, pro diis colant: quales sunt apud Aegyptios canicipites, serpenticipites, asinicipites, & in Libya Iupiter Ammon veruecino capite configuratus.*

At Diodorus Siculus, perinde ac si præscius fuisset huius insimulationis, qua venerabilis Ægyptiorum Theologia, vel potiùs solemnis insania, à Christianæ religionis sacris Doctoribus iustissimè incusanda atque carpenda erat, asserit, hos quinque deos, Iouem nempe, Solem, Mercurium, Apollinem, & Panem, omnem terram peragrare solitos, apparentes hominibus in sacrorum animalium formis, quandoque autem in hominum aut aliorum specie. addens id haudquaquam fabulosum videri; quandoquidem isti sunt, inquit, qui omnia generant & producunt. Testaturque, Homerum, qui ad Ægyptios quandoque profectus est, & multa ab eorum sacerdotibus percepit, hæc tamquam vera in B opere suo descripsisse: deos nimirum sæpiùs in alienis formis circumire vrbes, vitia & virtutes hominum inspicientes. Rerum antiquarum lib. 1.

Sed impius Porphyrius hac Diodori Siculi responsione non contentus, quam Christianis planè ridiculam, & profanæ religioni suæ turpissimam futuram sciebat, aliam excogitauit, quam altiorem quidem ac sublimiorem censuit, sed scelestiorem profectò, ac prorsus impuram. Nam in profano illo suo de abstinendo à carnibus animalium libro, asseruit, Ægyptios Philosophos, cùm per Theologiam ad Dei agnitionem peruenissent, cognouisse, Deum non solùm hominibus, sed etiam bestiis se ipsum communicasse, animaliaque eamdem cum hominibus animam obtinere: ideoque eosdem Ægyptios non tantùm homines quosdam, verùm etiam quasdam bestias, quosdamque serpentes & volucres in deorum numerum recepisse. Atque hinc fuisse tradit, quòd alius apud eos deus hominis collum, faciem alius, aliusque membrum aliud gerat: C & rursus, alius caput hominis, collum auis, ceteraque membra diuersorum animalium conformia possideat. Quibus significant, deorum sententia, animalia complura, cùm inter se, tum maximè nobiscum viuere. Aquam verò atque ignem ab eisdem Ægyptijs apprimè venerari tradit, & in omnibus eorum sacris adhiberi, quia maxima salutis humanæ causa hæc elementa sunt. Quare ad hunc vsque diem, inquit, cùm sanctissimum Serapidis templum aperitur, vniuersus cultus igne atque aqua peragitur: sicque permultas alias suas futiles rationes, vel potiùs sophisticas chimæras addere pergit, in eoque totus incumbit, vt ostendat, quòd cùm irrationabilium animalium atque ipsorum hominum anima vnius & eiusdem substantiæ existat, non iniuria Ægyptij animalia in deorum numerum susceperunt. Cui vesanæ prorsus ac falsissimæ opinioni respondet Eusebius Cæsariensis, dicens: *Si Ægyptij stultissimam opinionem illam imbiberant, animalia nimirum animam eiusdem substantiæ cum hominibus obtinuisse; satis sibi factum putasse debuerant, humanos honores eis tribuere. Verùm Dei nomen & gloriam feris, quas natura rationis expertes creat, & quas homines appellare non dignamur, attribuisse; id sanè non ridere, sed flere potiùs debemus; infelicissimos populos illos commiserati, qui tantæ cæcitatis tenebris miserrimè obruebantur, gratiasque bonorum omnium largitori Christo Domino reddemus, qui nos à vetustissima cæcitate ista per Euangelicam doctrinam suam liberauit.*

Excusata idololatria à Porphyrio, etiam turpius quàm ab alijs.

De præparat. Euang. lib. 3. cap. 2.

D

At de Ægyptiorum stolida Theologia, déque illorum ignominiosa atque probrosa idololatria, satis supérque tandem dixisse sufficiat. Quòd si fortè contingat de miserandis idololatrijs, quas enarrauimus, lectionem cuipiam pio Lectori tædium attulisse, id duabus vberrimis vtilitatibus largè compensari posse arbitramur. Quarum altera lumen est ex his proueniens, quo ea, quæ in-

feriùs dicturi ſumus, apertiora fient: altera verò erit pia mentis conſideratio, A quam ex eiſdem aſſequemur; vt expendamus, quantum Deo optimo maximo deuincti ſimus nos, quos non in maledictionis, & errorum ac tenebrarum Ægypti, ſed in tantæ lucis veritatis & gratiæ tempore, non meritis quidem noſtris id exigentibus, ſed ſola benignitatis & miſericordiæ ſuæ dignatione naſci voluit. Cuius ſanctum & glorioſum nomen à nobis, & à cunctis creaturis eius benedicatur, laudetur, & glorificetur in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT VI.

De ſanctæ Crucis ſymbolis, figuris, & ſignificationibus; ac de redemptionis noſtræ myſteriis, quæ in Aegyptiorum idolis, aliiſq; eorum hieroglyphicis (licet non indubitata & certa ſint) pro fructuoſo tamen exercitio noſtro inueſtigare ac ſpeculari poſſumus. B

APPARVIT Deus Abrahamo in valle Mambre, dum in maiori æſtus feruore ſub quercu in vmbra ſederet. In qua admirabili apparitione, ſub myſticarum figurarum velo, altiſſimorum myſteriorum arcanum ei præſignatum ac reuelatum fuit: quæ omnia, ſuo quoque præfinito poſteà ac præordinato tempore, mundo palàm atque apertè manifeſtata ſunt. In eo enim quòd Deus ſe ipſum ei conſpiciendum præbuit in trium hominum forma atque perſonis, in quibus ille vnum ſolum adorauit, ſanctiſſimæ Triadis myſterium ei reuelatum eſt. In ea autem quæ ſibi de filio facta eſt promiſſione, & quòd in ſemine eius benedicendæ eſſent omnes gentes, æterni Verbi vnigenitique Dei Filij Chriſti Domini noſtri proculdubiò ei reuelata eſt incarnatio; qui ſecundùm carnem ex ſemine eius naſciturus, cunctis gentibus ſalutem attulit. In tenero verò ac ſaginato vitulo, quem idem Abraham pro trium virorum illorum refocillatione menſæ appoſuit ſub quercu, eiuſdem Chriſti Domini Crucis, paſſionis, & mortis myſterium ipſi reuelatum fuit: is enim in Crucis arbore pro hominum reſtauratione & ſalute oblatus, occiſus atque abſumptus eſt. C

Hiſtoria Abrahæ Gen. 18. plena myſterijs incarnationis Chriſti & Crucis:

Quæ quidem myſteria, quemadmodum ſub arcani ſigillo, & ſub earum figurarum vmbra, quas ſuperiùs diximus, Abrahamo primitus reuelata fuere: ſic etiam apud paucos quoſdam è poſteris eius Patriarchas & Prophetas, ſub figurarum vmbris pariter ſecreta atque occulta permanſere; donec beata temporis ſuperueniente plenitudine, infinitæ Dei optimi maximi bonitati & miſericordiæ placuit, vt effectibus cunctis creaturis viſibilibus & inuiſibilibus admirandis, nobiſque ſemper felicibus, panderentur. Quamobrem, in ſymbolum & ſignificationem altiſſimi arcani, ſub quo diuina myſteria vſque ad Chriſti Domini aduentum tegenda erant, abſcondit Abraham ſub feruidis cineribus conſperſionem trium ſatorum illorum ſimilæ, vt ſubcinericias faceret; tribus poſteà viris illis in cibum appoſitas, quas Græci ἐγκρυφίας appellant, à verbo ἐγκρυφιάζειν, quod abſcondere ſignificat, quia ſub cineribus abſcondebantur. Quamobrem diuus Ambroſius in hanc ſententiam inquit: *Abſcondita teneamus myſteria, ſicut tenuit Abraham, qui ſubcinericias fecit. Tenuerunt & Patres, qui coxere conſperſum quod extulerant ab Aegypto, ſubcinericia facientes azyma, quæ Græcè ἐγκρύφιαι dicuntur, eò quòd abſconduntur in cinere.* D

Quæ abſcōdita fuere vſque ad Chriſti ipſius aduentum:

De Abel & Cain, lib. 1. cap. 9.

Quin etiam myſteria prædicta in veteri Teſtamento, ſub eiſdem & alijs quæ in eo continentur figuris, adeò profundè abſcondita perſtiterunt, vt ſedula animaduerſione id perpendens Iſaias ipſe Propheta, cùm ex eiſdem conijceret,

Deum

A Deum quodam admirabili atque ineffabili modo humanum genus seruandum statuisse; neque per semetipsum, quonam pacto id fieri deberet, satis intelligere aut clarè percipere posset, exclamauit: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator*. Neque enim reuerà in hoc est quòd miremur, cùm nec Angeli ipsi, nec alia creata potestas, vt diuus testatur Athanasius, hoc planè admirandum mysterium cognouerit; Deum videlicet in terris humanam carnem assumpturum esse: *Nullus*, inquit, *neque Angelus, nec alia creata potestas cognouit hoc* Quæst. 130. *mysterium, & dispensationem istam, quòd in terra Deus carnem assumpturus esset.*

Vndequemadmodum incarnationis, Crucis, passionis, & mortis Christi *Sub figurarum tamen velo Hebræis præsignata:* mysteria, non pro Hebræorum tantùm, sed pro Gentilium quoque salute celebranda erant; sic diuina permisit maiestas, vt ipsis quoque innuerentur ac præsignarentur: &, vt quemadmodum eadem mysteria in populo Israëlitico abdebantur & custodiebantur sub figurarum velo & vmbris, quæ Sacris in paginis continentur; sic in Gentium populis, præsertim verò in Ægyptiaco, admi- B rabiliter forsitan etiam permisit, vt in eorum inanis ac falsæ religionis simulacris, hieroglyphicis & symbolis abderentur & occultarentur, donec tempus *Gentilibus sub falsæ etiam religionis simulacris.* aduenisset, in quo imperscrutabili consilio statuerat, vt per sanctos Apostolos ceterosque Euangelicos prædicatores palàm atque apertè panderentur ac reuelarentur. Quod etiam Prudentius Christianus ac pius Poëta clarè innuit, Ethnicis infidelibus respondens, qui Christianos irridebant, in eoque offendebantur quòd Crucem adorarent, quasi is probrosæ ac nouæ religionis ritus esset, inquiens:

Crux ista Christi, quam nouellam dicitis, Peri stephanωn in passione sancti Romani mart.
Nascente mundo, factus vt primùm est homo,
Expressa signis, expedita est litteris:
Aduentus eius mille per miracula
C *Prænuntiatus ore Vatum consono.*
Reges, Prophetæ, Iudices, & Principes,
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stilo,
Formam Crucis non destiterunt pingere:
Crux prænotata, Crux adumbrata est priùs,
Crucem vetusta combiberunt sæcula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Aetate nostra comprobata antiquitas,
Coràm refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu cominus.

Quamobrem Doctor Gentium Paulus inquit: *Mysterium, quod absconditum* Coloss. 1. *fuit à sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus vo-* D *luit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in Gentibus*. Quæ verba sanctus Ambrosius declarans, ait: *Mysterium quod latuit à sæculis, modò reuelatum* In Epist. ad Coloss. *asserit; id est, tempore Apostolorum ostensum; quia & Gentes admittendæ essent sine circumcisione carnis ad fidem*. Theophylactus quoque eadem Apostoli verba exponens, inquit: *Deus enim omnia diuina prouidentia faciens, & hoc fecit iuxta dispen-* In Epist. ad Coloss. c. 1. *sationem omnino, vt hodie reuelaretur mysterium, quando homines hoc maximè accepturi erant. Proinde vani sunt, qui hîc offenduntur, eò quòd Filius in nouissimis temporibus dicatur nos adducere & reconciliare.*

Neque cuiquam fieri non posse, aut incongruum videri debet, Deum optimum maximum voluisse, vt in impiorum idolorum simulacris redemptionis nostræ symbola & figuræ reperirentur. Etenim ipsius bonitas & misericordia,

populi Gentilium ſalutis adeò omni tempore ſeſe auidam oſtendit, diuinumque fauorem ſuum ad hunc effectum tam liberaliter ac munificè illis ſemper impertita eſt, quò tandem adiuti ex obſcura errorum abyſſo emerſi, Creatorem ſuum agnoſcerent & adorarent; vt etiam in ſceleſtiſſimæ idololatriæ inſtrumentis, & quod maioris ponderis eſt, quodque horribile dictu & cogitatu quodammodò videtur, in ipſis idolorum ſtatuis, in quibus maledicti dæmones habitabant, ſanctæ Crucis imagines atque figuras eſſe permiſit. Ad hoc forſitan, vt ibi abundaret gratia, vbi ſuperabundauit peccatum: & vt diabolus, cùm in iiſdem inſtrumentis & artificijs, quibus Gentiles in damnationis barathrum ſemper immerſos detinere poſſe ſperabat, illorum redemptionis ſymbola atque figuras inſculptas tandem animaduerteret, prorſus confuſus, victus, & pudefactus, in ſua iniquitate tabeſceret: non ſecùs ac tunc cùm Balac Moabitarum Rex populum Dei per Balaam maledicere eniteretur. licet enim id per profana ſacrificia & artem magicam procuraret; ipſe tamen benignus & miſericors Deus præſens adeſſe non dedignatus eſt, non impijs quidem ſacrificijs illis, ſed talia ibi verba in magi illius ore poſuit, vt pro maledictione benedictionem in Iſraëlitas effuderit. De quo Origenes: *Res quidem profanis ſacrificiis gerebatur, & diuinatio magica arte requirebatur. Volens tamen Deus ibi abundare gratiam, vbi ſuperabundauit peccatum*, *adeſſe dignatur*; *nec refugit ab iis quæ non ſecundùm Iſraëliticam diſciplinam, ſed ſecundùm Gentilium gerebantur errorem.*

Sicùt ariolo Balaam, ita & hieroglyphicis forſitan vſus eſt Deus.

De prophetia Balaam, ex Num. cap. 23. Homil. 16.

Huiuſmodi autem imaginibus atque figuris referta ac paſſim inſculpta ſunt Ægyptiacarum antiquitatum fragmenta quæ Romæ extant, non in publicis locis tantùm poſita, ſed in priuatis quoque nobilium virorum domibus, quos res antiquaria delectat. Et ſanè quidem myſterij huius admirabile planè & luculentiſſimũ exemplum præbet ſingulariſſimum ac perantiquum Ægyptiaci idoli ſimulacrum quoddam, quod inter antiquitatum mearum monumenta domi habeo; cuius typum fideliter delineatum in piorum Lectorum gratiam hoc loco imprimendum duxi.



Idoli Ægyptiaci litteram T Crucis figuram dextrâ geſtãtis ſingulare exemplar.

Eſt autem hoc rariſſimum ſimulacrum ex lapide quodam veneti, ſubobſcuri & fuſci coloris, albicantibus quibuſdam vndequaque aſperſum maculis (quem lapidem antiquariæ artis periti Ægyptiacam ſilicem appellant) porphyretici marmoris duritiem & ſoliditatem coæquans, vel fortaſſe etiam ſuperans: eſtque quinque palmorum vel circiter altitudinis. Quod apud me pretioſiſſimæ gemmæ inſtar in æſtimatione eſt, propter raritatem & antiquitatem eius, cùm ſimile huic in toto Chriſtiano orbe reperiri haud putem. Verùm enimuerò illud etiam longè pluris facio, ob ſacratiſſimum admirandumque myſterium, quod referre ac repræſentare videtur

poſſe.

A posse. Dextera enim manu gestat litteram T, quæ non symbolum aut figura tantùm, sed etiam propria atque expressa Crucis imago est, vt superiùs abundè ostendimus. Sinistra autem volumen quoddam stringit, & in eo corporis actu perstare videtur, vt brachiis manibusque compressis, omni studio atque conatu, id quod manu gestat, cautè custodire & celare nitatur. Perinde ac si fortasse innuere vellet, sanctæ Crucis mysterium, ceteraque sacramenta ad humani generis redemptionem spectantia, quæ Sacris voluminibus continentur, vsque ad tempus à Deo optimo maximo statutum ac præordinatum, occulta atque celata esse debuisse. Cuius considerationis illa fortasse fuit diui Ambrosij sententia, dicentis: *Latere debet omne mysterium, & quasi operiri fidei silentio, ne profanis temerè diuulgetur auribus.* Quod & forsitan idem ipse Dominus noster innuere voluit, cùm asseruit regnum cælorum simile esse fermento, quod mulier illa abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum esset totum. Quem B sensum verbis prædictis idem Ambrosius tribuere videtur, vbi inquit: *Significantes per fermentum illud, quod abscondit mulier illa Euangelica in farinæ mensuris tribus, donec fermentatum est totum, mysteriorum quoque premendam esse doctrinam.*

De Abraham, lib. 1. cap. 5.

De Abel & Cain, lib. 1. cap. 9.

Fatetur pertinacissimus idololatriæ defensor Porphyrius, impossibile esse, talem Dei imaginem fingi, qualem Orphei Theologia describit, asserens Deum spiritum & intellectum quemdam inuisibilem esse, à quo vniuersa producuntur, & qui cuncta creat intelligendò; veteres tamen, hominis ei constituisse simulacrum, quoniam mens est, quæ cuncta seminali ratione producit. Cui Eusebius Cæsariensis prudenter respondens, ait: *Si impoßibile est mundi & spatij eius, cæli, aëris, terræ, ceterorumque huiusmodi quæ Deus in se continet, imaginem effingere, vt Orphei theologica carmina descripsere; quomodo diuinæ mentis effigiem fabricare potuerunt? Quodnam quæso corpus diuini intellectus similitudinem habere poterit, cùm cõstet nec humanæ quidem mentis imaginem habere posse? Humana enim mens* C *incorporea est & simplex; omne autem corpus corruptibile atque compositum. Quamobrem iure rationalis & immortalis anima imaginem & similitudinem Dei habere dicitur: immaterialis enim & incorporea, intellectualis, rationalisque per essentiam est, virtutis & sapientiæ capax. Si igitur humanæ animæ atque mentis formam & effigiem fingere impoßibile est, quoniam nec sensu percipitur; quis adeò stultus erit, vt Dei vniuersorum creatoris simulacrum aut imaginem haberi posse arbitretur? Diuina enim natura omnem materiam, & omnia quæ percipimus excedit, mente tantummodò ac sanctis animis intellecta.*

De præparat. Euang. lib. 3. c. 3.

Post hæc autem idem Porphyrius deorum Ægyptiorum symbola exponens, tradit, vniuersorum Creatorem ab iisdem vocari *Eneph*, cuius imaginem in hominis forma effingere consueuerant, colore cæruleo, zonam tenentem & sceptrum: cuius in capite pennam ponere solebant, vt significarent, Creatorem inuentu esse difficilem, & nemini visibilem, eumdemque esse viuificum, & Re- D gem, atque intelligibili motu circularem. *Hic deus*, subdit ille, *ab ore suo ouum produxit, à quo natus est deus, quem Ægyptij Ptha, Græci autem Vulcanum appellarunt. Id ouum verò mundum significat.* Hæc ille. Quæ omnia idem Cæsariensis Eusebius fusiùs prosequitur, ad quem Lectorem remittimus.

Hieroglyphica imago Creatoris vniuersorum.

Eusob. Cæsarien. ibid. paulò inf.

Hæc autem vniuersorum Creatoris symbolica imago, à Porphyrio descripta, admirabili planè mysterio, reconditis symbolis, abstrusisque significationibus artificiosè admodum cælata conspicitur in peruetusta illa hieroglyphica ænea tabula quondam ornatissimi ac celeberrimi Cardinalis Bembi; quæ cum hereditatis eius vniuersitate ad Torquatum Bembum delata, tandem in serenissimi Mantuæ Ducis potestatem deuenit, vt superiùs dictum est. Quæ cùm symbolis, hieroglyphicis, atque mysteriis sit refertissima, quæ ad sanctissimæ reli-

 gionis

gionis nostræ institutum nonnihil facere videantur, ab Ænea Vico Parmensi delineata, ære incisa, Venetiis impressa est anno salutis nostræ quingentesimo quinquagesimo nono supra millesimum, Imperatorique Ferdinando Austriaco cum hac inscriptione dicata: A

VETVSTISSIMAE TABVLAE AENEAE HIEROGLYPHICIS, HOC EST SACRIS, AEGYPTIORVM LITTERIS CAELATAE TYPVS.

QVEM EX TORQVATI BEMBI MVSEO, PVBLICAE VTILITATIS ERGO, IMPERATORI CAESARI FERDINANDO P. F. PERPETVO AVGVSTO, GERMANICO, PANN. BOEM. CROATICO, ILLYR. REI. ETC. OPTIMO PRINCIPI.

AENEAS VICVS PARMENSIS PVBLICAVIT DICAVITQVE ANN. SAL. HVM. GEN. M. D. LIX. B

Quæ quidem tabula à Laurentio Pingorio Patauino, qui eamdem interpretandi prouinciam sucepit, Tabula Isiaca nuncupatur; meritoque ab omnibus eruditis viris, ac rei antiquariæ studiosis, summo in pretio habetur. Quamobrem Ioannes Goropius Becanus in operibus suis, ac præsertim in suo de Hieroglyphicis tractatu, meritò, *incomparabile sacrosanctæ antiquitatis monumentum, & omnium antiquitatum Reginam*, illam appellauit. Cuius ego magna animi delectatione typum vnum domi meæ veneranter asseruo: in quo imago, de qua agimus, duobus modis cælata conspicitur; vt ex ipsius germana graphide, quam post pauca hîc subiiciemus, videre licebit. At quia simulacrorum atque imaginum idolorum prospectus in Christiano libro, in quo tanti ponderis ac sacrosancta materia pertractatur, piis Lectoribus tædium vel scrupulum forsitan iniiciet, & quod pluris est, prima facie fortasse placere non poterit, vt Ægyptiorum idolorum hieroglyphica ad sanctæ Crucis Christi symbola & figuras pertrahantur & applicentur; quasi sanctæ Ecclesiæ candorem Gentilium sordibus, sacrosanctaque Crucis ac passionis Domini mysteria idololatriæ fœditatibus polluere velimus: hinc est, quòd enixè exoptantes nos cunctis bonis pro viribus satisfacere, omnemque offensionis & scrupuli materiam è scriptionibus nostris euellere; ita vt quilibet pius Christi fidelis, non inoffenso tantùm pede eas percurrere, sed etiam cum delectatione atque profectu perlegere queat; solemniter & palàm hîc edicere ac declarare voluimus, intentionis nostræ non esse, idolorum imagines & figuras hoc loco addere, quò eorum memoria vllo pacto propagetur; sed ad id tantùm, vt simulacris hisce piis Lectoribus præbeatur occasio erigendi sese ad sanctæ Crucis, ceterorumque redemptionis nostræ mysteriorum recordationem & venerationem: quæ nos profectò pia intentione in eisdem imaginibus ac figuris digito quodammodò ostendere pergimus; non perinde ac si certò ac sine vlla prorsus dubitatione ibi significentur, quasi Deus sub huiusmodi idolorum simulacris illa omnino abdere voluerit: sed quia piè supponimus, quòd quemadmodum olim Hebræis licuit vasis Ægyptiorum vti, vt ea ad diuinum cultum transferrent; sic nobis quoque licere Christianis, pro spirituali exercitatione nostra ea speculari, quæ in prædictis simulacris contineri videntur. Quandoquidem etsi certò non constet, Deum redemptionis nostræ mysteria sub eisdem simulacris & figuris abscondere voluisse; nihil tamen etiam est quod in contrarium liqueat. Quocircà cùm sanctæ Crucis imago, in statuis antedictis, tot locis totque modis incisa atque insculpta conspiciatur, vt inferiùs ostendemus, piè disserere & argumentari possumus; quòd cùm Deus optimus maximus iam inde ab ipso rerum exordio statuis-

Hieroglyphicorum lib. 16.

Protestatio Auctoris de his hieroglyphicis.

C

D

A ſtatuiſſet, Gentium populos non minùs quàm Hebræos per eiuſdem ſanctæ Crucis myſterium ſeruandos eſſe, ingenti hominum admiratione atque ſtupore fortaſſe permiſit, vt in ipſis etiam idolis, ſanctæ Crucis ſignum imprimeretur ac figuraretur: ad id ſanè, vt futuris ac ſuperuenientibus poſteà ſæculis, pro maiore dæmonis idolorum & idololatriæ inuentoris confuſione, pro Gentilium conuerſione, ac pro fidelium ſolatio & confirmatione, ibi inſculptum reperiretur & conſpiceretur.

Quòd autem inter Ægyptiorum idolorum hieroglyphica, ſanctæ Crucis figuræ & imagines reperiantur, præterquam quòd qui cæcus eſſe nolit, id inficiari minimè poſſit; complures etiam graues Auctores idipſum teſtantur. Quamobrem Marſilius Ficinus, de vi atque virtute agens, quam veteres Ethnici Crucis imagini ineſſe rebantur, inquit: *Inter characteres Ægyptiorum, Crux vna erat inſignis, vitam eorum more futuram ſignificans; eamque figuram pectori Sera-* B *pidis inſculpebant.* Idem etiam atq; iiſdem pænè verbis Cælius Rhodiginus, aliique nonnulli teſtantur. Non dedignetur ergo, nec offendatur pius Lector, ſi in libro hoc noſtro, in quo ſanctæ Crucis myſteria pertractantur, Gentium idolorum imagines conſpexerit. Immò dum illas inſpiciet & contemplabitur, duplices laudes & gratiarum actiones Saluatori noſtro perſoluat, qui pro ſua infinita bonitate & miſericordia à cæca & obſcura ignorantiæ atque errorum abyſſo nos liberauit, qua miſeri idololatræ, qui illas dementiſſimè adorabant, immergebantur & obruebantur. Quique ideò forſitan permiſit, vt in eorumdem idolorum ſtatuis paſſionis ſuæ ſigna & indicia inſculperentur, vt ab illarum proſpectu & contemplatione excitati atque admoniti infideles, ad ipſum faciliùs conuerterentur, noſque in ſancta eius fide ſolidiùs confirmaremur.

De vita cælitus comparanda, cap. 18.

Statuis idolorum cur ſanctæ Crucis ſignum inſculpi Deus permiſerit.

Ad quod inſtitutum appoſitè inquit Origenes: *Etenim cùm perſpicio, quòd Moyſes Propheta Deo plenus, cui Deus facie ad faciem loquebatur, conſilium accepit à* C *Iethro ſacerdote Madian, admiratione nimia ſtuporem mentis incurro. Dicit enim Scriptura: Et audiuit Moyſes vocem ſoceri ſui, & fecit quæcumque dixit ei. Non dixit, quia Deus mihi loquitur, & quid agere debeam cæleſti ad me ſermone defertur; & quomodo conſilium ab homine accipiam, & ab homine Gentili, alieno à populo Dei? Sed audit vocem eius, & facit omnia quæ dicit; & non quis dicat, ſed quid dicat auſcultat. Vnde & nos ſi fortè aliquando inuenіemus aliquid ſapienter à Gentilibus dictum, non continuò cum auctoris nomine ſpernere debemus & dicta; nec pro eo quòd legem à Deo datam tenemus, conuenit nos tumere ſuperbia, & ſpernere verba prudentium; ſed ſicut Apoſtolus dicit: Omnia probantes, quod bonum eſt tenentes.* Hæc ille. Quemadmodum ergo magnus ille Moyſes conſilium Iethro ſacerdotis Madian non ſpreuit, quinimmò illud audiuit & executus eſt, quamuis hominis Gentilis & idolatræ eſſet; non reſpiciens quiſnam eſſet is qui loquebatur, ſed quid diceret expendens: ſic nos etiam pro Chriſti Domini honore & reuerentia, ac pro fidei D noſtræ confirmatione, prætermittere non debemus, quin ſanctæ Crucis figuras & imagines, quæ in Ægyptiorum idolorum ſimulacris cælatæ & inſculptæ ſunt, intueamur; non quidem vbi ſint reſpicientes, ſed vt id tantùm, quod per ſe ipſas repræſentant, nempe Crucem ipſam, digna veneratione proſequamur.

In Exodi c. 17. & 18. Homil. 11.

Dicta ſapienter à Gentilibus, nequaquam aſpernanda.

1. Theſſ. 5.

Similem quoque doctrinam in propriis materiæ terminis, quam modò pertractamus, diuus Auguſtinus Apoſtoli auctoritate ſuffultus nos docuit, cùm inquit: *De ipſis Gentilibus idolorumque cultoribus, multa vtique à nobis diuerſitate diſtantibus, nihil aliud nobis demonſtrat Apoſtolus, niſi vt in ipſis quoque ita quidquid prauum eſt corrigamus, vt quod fortè rectum eſt approbemus. Nam vtique idololatras, & quod eſt grauius, non tantùm cultores, ſed etiam inſtitutores ſimulacrorum redarguebat, vbi ait: Qui cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gra-*

De vnico Baptiſmo contra Petilianũ, ca 4. Tom. 7.

tias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Talia quippe nouimus fuisse simulacra Ægyptiorum, vbi & instituta esse multiplicior multoque ignominiosior idololatria perhibetur. Numquid tamen cognitionem Dei denegauit illis fuisse, ac non potius confirmauit, dicens; Cognoscentes Deum, non vt Deum glorificauerunt? Si ergo istam cognitionem tamquam mendacium repellere & destruere conaretur, quod eam in sacrilegis inuenisset; nonne, quod absit, veritatis inimicus existeret? ideoq; id quod immutauerunt in mendacium suū. Nam & hoc dixit, Immutauerunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: talem scilicet fingentes Deum, qualis non est Deus; & non sicut eum cognouerunt tradentes hominibus. Et paulò post de talibus dicit: Qui immutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Veritas quippe creaturæ à Deo est, non Deus, quem illi in mendacium conuerterunt, tamquam deos colentes solem, & lunam, & quæcumque cælestia atque terrestria. Quod ergo immutauerunt in mendacium suum, culpat, detestatur, euertit. Quod autem verum in doctrina, quamuis multis falsitatibus permista confusaque, seruarunt, approbat, testatur, affirmat. Hæc Augustinus.

Et proptereà quemadmodum Apostolus Ægyptios redarguit, quia simulacris & imaginibus hominum, animalium, volucrum atque serpentum, eum honorem & cultum, qui soli Deo debebatur, impiè tribuebant; approbans nihilominùs & laudans, siquid veri ac recti in eorum doctrina, licet multis erroribus & falsitatibus permistum, seruauerant: ita nos etiam impura atque profana idola execrantes ac detestantes, sanctæ Crucis tamen figuras & imagines, quæ in illorum simulactis insculptæ sunt, licet compluribus aliis superstitiosis characteribus permistas, amplectemur & venerabimur. Et quemadmodum in veteri Lege, ex diuina concessione, Hebręis licuerat matrimonio se iungere cum mulieribus Gentilibus & idololatris, quas in seruitutem redigebant, abrasis tamen illarum capitibus & superciliis, vnguibusque præcisis: sic nobis quoque licebit idolorum imagines scriptionibus nostris inserere, hisque ad appositam ac proficuam demonstrationem atque doctrinam nostram fructuosè vti, posteaquā annuente ac iuuante Deo, omnis cultus & adorationis species ab eis ablata est; nulla prorsus sanctissimæ religionis nostræ candori & maiestati labe illata siue aspersa macula. Sic enim diuus Hieronymus respondit his qui ipsum criminabantur, quòd Gentilium doctrinis atque sententiis in operibus suis vteretur; ait enim: *Legerat in Deuteronomio, Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & vngues corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, si & ego sapientiam sæcularem, propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Israelitidem facere cupio? Et si quid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mistos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor meus in familiam Christi proficit; & stuprum in alienam, auget numerum conseruorum.* Addens ibi infinita propemodum aliorum sanctorum Patrum exempla, qui in scriptionibus suis Gentilium sententiis vtiliter vsi sunt. Simulacrum igitur idoli, quod diximus, in ænea illa hieroglyphica tabula antedicta, duobus modis ita cælatum est:

[Margin: A; B; Deut. 21.; C; Ad Oratorem Romanum, ep. 84; D]

In ca-

A



B

C

In capite autem vtriusque horum simulacrorum penna conspicitur; illud for- *Simulacra*
tasse non tantùm innuens quod Porphyrius dixit, Creatorem nimirum dif- *hieroglyphica*
ficilem inuentu esse; sed insuper diuinæ ipsius essentiæ agnitionem ab humano *eruditè & piè*
intellectu subtractam. Quemadmodum enim penna volucrum corpora eleuat, *explicata.*
& in aërem extollit, quò nos ire non possumus; sic incomprehensibilis Dei es-
sentia adeò alta est, & ab intellectus nostri captu remota, vt ad illam plena ag-
nitione nullo pacto peruenire possimus. Quamobrem cùm diuinus Psaltes in-
nuere vellet quantum Diuinæ essentiæ agnitio humanum captum nostrum ex-
cedat, Deum super pennas ventorum volasse, latibulumque suum in tenebris
collocasse dixit: *Volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum.* Psal. 17.
De penna autem sanctus Dionysius Areopagita sic tradit: *Penna declarat & du-* De cælesti
cendi celeritatem, & quod cæleste est, & quod antè mouetur, & quod ab omni terre- hierarchia,
D *narum rerum studio & cupiditate abhorret, propterea quòd sursum feratur. Penna-* cap. 15.
rum autem leuitas, id quod nulla ex parte est terrenum, sed totum sine admistione &
grauitate sursum effertur. Pro pennis, in diuinis Scripturis, æterna Dei potestas
quandoque intelligitur, & sæpenumerò etiam pennis Spiritus sanctus designa-
tur, qui in pennatę columbæ forma super Saluatorem nostrum descendit. Quo-
circà diuus Ambrosius super illis Psalmistæ verbis, *Pennæ columbæ deargentatæ,*
posteriora eius in pallore auri; inquit: *Pennæ enim columbæ deargentatæ, æternam illam* In Apolog.
significant potestatem: & columbæ volatus, sancti Spiritus præsentiam declarauit. Et Dauid po-
notandum, quòd pennæ quæ super ambarum harum imaginum vtroque ca- ster. cap. 8.
pite conspiciuntur, in duo acumina diuidantur; fortasse innuentes, Dei veram
agnitionem, ac sanctæ Crucis redemptionisq; nostræ mysteriorum scientiam,

quæ

quæ in eiſdem figuris (meo quidem iudicio) præſignabantur, niſi Spiritus ſan- A
cti præcipua gratia & vtriuſque Teſtamenti lectione atque intelligentia haberi
haudquaquam poſſe. Quam gratiam atque intelligentiam pro ſe ipſo & om-
Pſalm. 54. ni anima fideli Regius Propheta efflagitaſſe viſus eſt, cùm dixit: *Quis dabit
mihi pennas vt columbæ, & volabo, & requieſcam?* Ad quorum verborum inſti-
In Lucam Homil. 27. in fine. tutum appoſitè Origenes: *Deſcendit*, inquit, *Spiritus ſanctus ſuper Saluatorem
in ſpecie columbæ, auis manſuetæ, innocentis, & ſimplicis. Vnde & nobis præcipitur,
vt imitemur innocentiam columbarum. Talis eſt Spiritus ſanctus, mundus, & volucris,
& ſublimè conſurgens. Quamobrem orantes dicimus: Quis dabit mihi pennas vt colum-
bæ, & requieſcam? id eſt, quis dabit mihi pennas Spiritus ſancti? Et in alio loco ſer-
mo Propheticus pollicetur: Si dormieritis inter medios cleros, pennæ columbæ dear-
gentatæ; & poſteriora dorſi eius in virore auri. Si enim inter medios cleros veteris &
noui Teſtamenti requieuerimus, dabuntur nobis pennæ columbæ deargentatæ, id eſt ſermo-
nes Dei. Et poſteriora eius auri fulgore & virore radiantia, vt ſenſus noſter Spiritus* B
ſancti ſenſibus compleatur. Hæc Origenes. At ſanctus Iſidorus conſiderationem
planè digniſſimam complexus eſt de pennæ acumine, quod in duas partes di-
uiditur. Et licet loquatur de penna, qua litteras exaramus, non tamen eſt ab in-
Originum lib. 6. c. 13. ſtituto noſtro aliena: *Penna auis*, inquit, *cuius acumen diuiditur in duo, in toto cor-
pore vnitate ſeruata; credo propter myſterium, vt in duobus apicibus vetus & no-
uum Teſtamentum ſignaretur, quibus exprimitur Verbi ſacramentum, ſanguine paſſio-
nis effuſum.*

Vtraque autem harum imaginum inter pennas habet circulum, ad ouum
illud alludens, quod, vt Porphyrius dixit, ex ore ſuo peperit Eneph, id eſt, vni-
uerſorum Creator; quod ouum, mundum ſignificat, quem per Verbum ſuum
ex nihilo creauit: cuius creatio, regimen, ac moderatio, infinitæ potentiæ ac
ſapientiæ eius adeò facilis & leuis eſt, perinde ac facile & leue eſt quidquid ſuper
pennas ſuſtineri poteſt. Altera præterea ex eiſdem imaginibus ſedens conſpici- C
tur; qua ſeſſione, Dei ſtabilis & incommutabilis virtus innuitur, vt idem tra-
Porphyrius apud Euſebium, De præparat. Euang. lib. 3. c. 3. dit Porphyrius, inquiens: *Sedere autem fingitur, vt ſtabilis virtus atque incommu-
tabilis exprimatur.* Altera verò ſtat, ad ipſius Dei indefeſſam ac ſemper vege-
tam atque robuſtam in operando virtutem alludens. Ambæ autem imagines
ipſæ litteram T manu apprehenſam tenent, quæ ſanctæ Crucis expreſſa & eui-
dens figura eſt. De quo licet in ſuperioribus fusè admodum tractauerimus,
apertè probantes, litteram eamdem non ſymbolum aut figuram tantùm, ſed
etiam propriam ſanctæ Crucis formam exiſtere, aliquid tamen adhuc de eo-
dem etiam inferiùs dicemus; oſtendemuſque, cur imagines prædictæ ſacro-
ſanctum hoc ſignum adeò firmiter manu apprehenſum teneant.

At longè maiore admiratione digna cenſenda ſunt duo myſte-
riis refertiſſima hieroglyphica: quorum alterum in baſi ſedis v-
nius ex duabus imaginibus antedictis conſpicitur, huius formæ: D
alterum verò in ſummo apice, & inter pennas eiuſdem ſtatuæ, quod tale eſt:
quo quidem charactere, totum etiam ipſius ſimulacri corpus aſper-
ſum eſt. In quibus hieroglyphicis non ſolùm ſanctæ Crucis figura
clarè impreſſa cernitur; ſed redemptionis quoque noſtræ, & vocationis
Gentium myſteria in eiſdem (mea quidem ſententia) grauiſſima & magna
animaduerſione digna conduntur. De primo quidem, opportuniore atque
aptiore loco diſſeremus, dum de hieroglyphicis agemus, quæ in Ægyptiacis
obeliſcis, qui Romæ extant, cælata conſpiciuntur; in quibus ſimilis quidam
character ſiue hieroglyphicum locis permultis inſculptum cernitur. In ſecun-
do verò, duæ adſunt lineæ in circulo, quæ è diuerſis partibus egreſſæ, per Crucis
ſignum

A signum in vnitatem coniunguntur. Circulus autem ipse, mundum significat. Duæ verò lineæ duos populos, Hebraicum nimirum & Gentilium, innuere videntur; qui cùm olim religione & cultu adeò distarent, per sanctæ Crucis virtutem, in qua vniuersorum Creator Christus Dominus salutem in medio terræ operatus est, in fidei vnitatem, & in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam coierunt. Character deinde eiusdem hieroglyphici, quo totum eiusdem imaginis corpus aspersum atque obsignatum conspicitur, illud etiam innuere videtur; nullum videlicet corporis Christi membrum, passionis ipsius tempore verberibus non attritum, aut vulneribus non perfossum, proprioque cruore non aspersum extitisse. Duæ etiam lineæ illæ, vt summatim dicam, quæ in eodem hieroglyphico per sanctæ Crucis signum in vnum coniunguntur, duas illas fortasse virgas innuunt, de quibus Zacharias Propheta intelligere voluit, cùm in Saluatoris nostri persona inquit: *Et assumam mihi duas virgas, vnam vo-* Zach.11.

Duæ lineæ in hieroglyphico per Crucis signũ vnitæ, Hebræos & Gentiles per Christi Crucem coniungendos significant.

B *caui Decorem, & alteram vocaui Funiculum; & pascam oues.* Per virgam primam, Israëliticum populum intelligere voluit, & propterea Decorem, siue pulchritudinem illam appellauit, propter verum Dei cultum, atque diuinam Legem, quæ penes populum illum obseruabatur. Per secundam autem Gentium populum subindicat; ideoque Funiculum appellat, propter idolorum cultum, & idololatriæ impietatem, qua cæca Gentilitas variis modis alligabatur & obstringebatur.

At duas has demum virgas optimus Pastor noster Christus manibus assumens, tunc nimirum cùm illas in Crucis ligno extendit, ex duabus vnam effecit. Ex vtrisque enim ouibus electis, id est, ex Hebræis qui in ipsum credidere, & ex Gentilibus qui fidem illius amplexati sunt, gregem vnum sibi constituit; quem modò in obsessis atque oppugnatis Ecclesiæ militantis campis summa charitate pascit, tumque in felicibus ac beatis triumphantis illius supernæ in

C æternum pascet. Quamobrem Theodoretus: *Duas virgas appellat Gentes & Judæos. Duo quondam in genere fuerunt dogmata: vnum pietatem profitens, quod apud Judæos viguit; alterum autem fuit idolorum cultum profitens, quo variis modis omnes Gentes olim adstrictæ fuerunt. Itaque ex hoc, inquit, & ex illo congregabo oues, & ex vtroque vnum ouile perficiam. Hoc etiam in sacrosanctis Euangeliis inquit: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Eos enim ex Gentibus qui crediderunt, his admiscuit qui ex Iudæis crediderunt, & vnum ouile constituit.* In Zach. cap. 11.

Ad easdem duas virgas diuus quoque Hieronymus allusisse visus est, sua in Habacuc Prophetam expositione; cùm dixit: *Jn consummatione mundi veniet Filius meus, qui saluet oues perditas domus Israël; & alias quoque oues antiquis ouibus copulet, & vnum efficiens gregem, iunget duas virgas, quas Ezechiel, id est, virtus Dei, sociatas, & sibi inuicem cohærentes tenet in prophetali manu.* At de dua- In Habac. cap.2.

D bus lineis, duabusque virgis hisce, non ampliùs sub Allegoriæ vel Metaphoræ velamine, sed apertè & palàm idem Zacharias locutus est, cùm inquit: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Ecce ego saluabo populum meum de terra orientis, & de terra occasus solis, & abducam eos, & habitabunt in medio Jerusalem, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum.* Quam promissionem plenissimè nunc adimpletam esse idem sanctus Hieronymus affirmat, sub Saluatore ac Domino nostro Iesu Christo, in sancta Ecclesia, quæ vera est Ierusalem; iuxta quod idem Dominus ac Saluator dixerat: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob.* Idipsumque iam pridem anteà Spiritus sanctus innuerat, per Psalmographum inquiens: *Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram. A solis ortu, vsque ad occasum, ex Sion species decoris eius.* Zach. 8. In Zach. cap.8. Psalm. 49.

Illud-

Illudque notandum eſt, duas nimirum lineas in hieroglyphico antedicto, vbi in cuſpide ac ſummitate ipſarum ſimul iunguntur, formare angulum acutum; in quo alluſionem facere videntur ad angularem lapidem illum, qui ab ædificatoribus reprobatus, factus eſt in caput anguli. Petra autem hæc erat Chriſtus (inquit Apoſtolus) qui cùm à perfidis ædificatoribus Hebræis reprobatus & crucifixus eſſet, factus eſt in caput anguli; duoſque parietes, id eſt duos populos, Hebraicum & Gentilem, qui anteà inter ſe tantum diſtabant, ſimul coniunxit; quemadmodum iam Iſaias prædixerat. Quamobrem idem ſanctus Hieronymus ait: *Statim nobis occurrit porta angulorum, vbi angularis lapis eſt, quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli: qui angularis lapis parietem vtrumque connectit, & duos populos in vnum redegit. De quo & Deus loquitur per Iſaiam: Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, & pretioſum in fundamentis eius: & qui crediderit in eum, non confundetur.* Super quem electum & pretioſum lapidem, diuinæ bonitati ſit placitum, nos in viua fide & charitate adeò ſolidè fundatos eſſe, vt nulla diabolicæ tentationis, aut mundanæ perturbationis, vel peccati commotio ab eo nos diuellere queat: ſed vt charitate non ficta eidem connexi, tamquam membra myſtici corporis, vnitatis & coniunctionis illius, quam duæ illæ virgæ in hieroglyphico antedicto innuere videntur, ſub ſanctæ Crucis vexillo inter fideles & electas oues, in beatiſſimo eius grege læti atque felices: viuere valeamus in ſæcula ſæculorum. Amen.

In Zach. cap. 14. — Iſaiæ 28.

A — B

CAPVT VII.

De Iſidis & Oſiridis ſimulacris; & de ſanctæ Crucis ſymbolis ac figuris, quæ in eiſdem contineri videntur.

PRODITVM eſt à nobis ſuperiùs, antiquos Ægyptios in portentoſo falſorum atque inanium deorum ſuorum numero, ſolem & lunam præcipuè venerari ſolitos: illum quidem Oſiridem, hanc verò Iſidem appellantes. Nomina proculdubiò à perſonata & vili populorum aſſentatione adinuenta, vt eiſdem Oſiridi & Iſidi coniugibus, Regibuſque ſuis potentiſſimis applauderent: perinde ac ſi eo pacto, ſolis & lunæ excellentiæ, pulchritudini atque ſplendori illos æquiparare vellent. Ex quo abuſu, poſt eorumdem Regum obitum, in eiſdem populis, atque in eorum poſteris, illa abſona & abſurda vox in conſuetudinem irrepſit, ſolem Oſiridem, lunamq; Iſidem appellandi. Quin etiam poſt multa reuoluta ſæcula, iidem Ægyptij ſtultam illam atque ridiculam opinionem imbiberunt, animas nimirum eorumdem Oſiridis & Iſidis, in ſolem & lunam transfuſas, ad cæli atque ſtellarum regimen aſſumptas eſſe, quemadmodum mundum & homines gubernauerant. Super cuius veſanæ opinionis baſi hieroglyphicum illud commentum & efformatum eſt, in quo oculum ſceptro ſuperimpoſitum effingebant, quo eumdem Oſiridem ſimul & ſolem ſignificari volebant: per ſceptrum quidem, Regnum, & per oculum, ſplendorem & claritatem eius innuentes. Quocircà ad id appoſitè Macrobius: *Hinc Oſirim Ægyptij, vt ſolem eſſe aſſerant, quoties hieroglyphicis litteris ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum, in eoque ſpeciem oculi exprimunt: & hoc ſigno Oſirim monſtrant: ſignantes hunc deum ſolem eſſe, Regalique poteſtate ſublimem cuncta deſpicere; quia ſolem Iouis oculum appellat antiquitas.*

Oſiris & Iſis vnde ſol & luna appellati. — Saturnaliũ lib. 1. c. 21. — *Varia Oſiridis ſimulacra, eorumdemq; cauſa explicata.*

C — D

His ergo primariis gratiſſimiſque idolis ſuis, diuerſarum effigierum atque ſpecierum imagines & ſimulacra, Ægyptij dedicare conſueuerãt. Et primò quidem, vt de his quæ Oſiridis erant, loquamur; quaſdam imagines capite abraſo

à parte

A à parte ſiniſtra, capillato autem ad dexteram, effingere ſolebant. Cauſam autem cur id facerent, idem prodit Macrobius his verbis: *Ægyptij volentes ipſius ſolis nomine dicare ſimulacrum, figurauere raſo capite, ſed dextera parte crine remanente. Seruatus crinis, docet ſolem naturæ rerum numquam eſſe in operto: dempti autem capilli, reſidente radice, monſtrant hoc ſidus, etiam tempore quo non viſitur à nobis, rurſum emergendi, vti capillos, habere ſubſtantiam. Eodem argumento ſignificatur & tempus, quo anguſta lux eſt; cùm velut abraſis incrementis, anguſtaque manente extantia, ad minimum diei ſol peruenit ſpatium, quod veteres appellauere brumale ſolſtitium, brumam à breuitate dierum cognominantes. Ex quibus latebris vel anguſtiis rurſus emergens, ad æſtiuum hemiſphærium, tamquam enaſcens, in augmenta porrigitur.* Hæc Macrobius. Ibidem.

Quaſdam autem alias ſtatuas Ægyptij eidem Oſiridi, id eſt ſoli, conſecrauerant, quas Græci αἰλουρομόρφους, id eſt æluri formas appellabant, quia ca-
B put ad felis imaginem effictum habebant. Quod faciebant, arbitrati huic animali magnam cum ſole ſympathiam, vt Græci loquuntur, ſiue naturalem quamdam conuenientiam ineſſe. Quæ autem illa ſit, inter ceteros tradit Cælius Rhodiginus, aſſerens huiuſmodi ſolis ſtatuas ab Heliopolitanis præſertim effingi ſolitas: *Traditum eſt*, inquit, *marem ælurum cum ſolis inceſſu pupillam demutare, vt quæ ſolis exortu ſubintendatur, meridie rotundetur, occaſuro hebeſcat ſidere. Quo argumento, apud Heliopolim ſolis ſimulacrum effingi æluromorphon.* Hæc ille. Antiquarum lectionum lib. 8. cap. 5.
Verùm non in hoc tantùm æluri oculi, ſolis effectus atque naturam repræſentant, ſed in re longè maiore animaduerſione digna illum imitari videntur. Quemadmodum enim ſol ſplendoris ſui fulgore tenebras expellit, ſic æluri oculi in tenebris mirabiliter fulgent. Et quemadmodum ſolare corpus adeò lucidum eſt, vt humanorum oculorum acies ſine læſione in illud intendi nequeat; ſic etiam non ſine horrore, ac fortaſſe etiam non ſine detrimento, obtutum in
C æluri oculos homo defigere poteſt, ſi nocturno tempore in illum improuidus occurrat. Quod & Plinius ſic innuit: *Nocturnorum animalium, velut felium, in tenebris fulgent radiantque oculi, vt contueri non ſit.* Quin etiam alibi de ſmaragdis, ac de quibuſdam aliis gemmis coloris viridis atque tranſlucidi, agens, æluri ac pantherarum oculis ſmaragdos Perſicos aſſimilat, quos eius naturæ eſſe tradit, vt ad ſolis ſplendorem aſpecti hebetentur, in vmbra verò refulgeant, ita vt longiùs quàm ceteri niteſcant: *Perſicos verò ſmaragdos*, inquit, *non tranſlucidos, ſed iucundi tenoris, viſum implere, nec perſpici, eoſdem in ſole hebetari, vmbris refulgere, & longiùs quàm ceteros nitere.* Quamobrem non eſt quòd adeò miremur, cùm animal iſtud ſolis effectus ac virtutem oculis repræſentet, ſi Ægyptij, Oſiridi, id eſt ſoli, non tantùm ſtatuas ad æluri imaginem effictas dicabant, ſed æluros ipſos etiam, vt ſuperiùs diximus, venerabantur & adorabant. Tanta enim nimis ſimplices & ſuperſtitioſiſſimi populi illi veneratione ſolem proſequeban-
Natur. hiſt. lib. 11. c. 37.
Idem li. 37. cap. 5.

D tur, quem omnium deorum maximum putabant, vt ea animalia, quæ aliquo modo effectus & virtutem eius repræſentabant, non tantùm diligerent, ſed etiam venerarentur & adorarent. Quamobrem ælurus inter omnia animalia per vniuerſum Ægyptum, vt iam diximus, ſumma veneratione colebatur: præcipuè autem in vrbe Rhadata, vt idem teſtatur Plinius, qui oppida ſecus Nili ripam, Æthiopiam verſus conſiſtentia deſcribens, inquit: *Rhadata, in quo felis aurea pro deo colebatur.* Idem lib. 6. cap. 29.

Quandoque etiam ſolis ſimulacra capite quidem & alis accipitris, corpore autem leonino effingere conſueuerant, velocitatem nimirum & vim eius hoc pacto innuentes. Accipiter enim velociſſima eſt volucris; leo autem omnium animaliũ ferociſſimũ eſſe perhibetur. Accipiter, inquit Clemens Alexandrinus, Strom. li. 5. cap. 3.

solis est symbolum, quia igneus est, & vim perimendi habet. Porphyrius autem, vt refert Eusebius Cæsariensis, asseruit, Ægyptios accipitrem soli dicare solitos, quia lucis & spiritus symbolum sit: istius quidem, propter motus sui velocitatem; illius verò, quia volans ad excelsiores partes se extollit, quæ inferioribus lucidiores sunt. Græci pariter, licet accipitrem non adorarent sicut Ægyptij, illum tamen plurimi faciebant ac diligebant; existimantes illum, volucrem boni ominis esse, nuntiumque Apollinis, id est solis, velocissimum. Quocircà Origenes ad quoddam institutum suum de eodem hæc protulit: *Quin & Apollo accipitris auspicio quædam significat; & is dicitur huius dei celer nuntius.* Simulacrorum autem forma, quæ Ægyptij capite accipitris, & corpore leonino soli dicare consueuerant, cęlata conspicitur in peruetusta & mysteriis refertissima tabula illa Serenissimi Mantuæ Ducis, quæ Cardinalis Bembi ornatissimæ memoriæ quondam fuit, de qua superiùs egimus. est autem bifariàm efficta, vt hîc videre est.

De præpar. Euang. li. 3 cap. 3.

Cōtra Celsum lib. 4.

Simulacra hieroglyphica capite accipitris & corpore leonino, ab Ægyptiis soli dicata.




Inter quas statuas notatu planè digna illa est, quæ super caput hieroglyphicum illud habet duarum linearum, quæ sub Crucis signo coniunguntur; cuius declarationem superiori capite explicuimus; & in basi eius illud aliud hieroglyphicum habet, in quo Crux in circuli medio conspicitur. At nihil minùs, quin etiam fortasse magis notabiles imagines illæ censendæ sunt, quæ cęlatæ conspiciuntur in Ægyptiaco obelisco, quem felicis recordationis Sixtus Papa Quintus Romæ erigi iussit in foro ante portam Flaminiam, quam nunc De populo appellant; in ea eiusdem obelisci parte, qua in Vrbem est prospectus. Quarum altera insculpta est ad dexteram eiusdem faciei partem, prope obelisci cuspidem,

A ſpidem, & more ſedentis in ſede quadam collocata conſpicitur. Corpus ac cetera membra habet hominis, præter caput, quod eſt accipitris: dextera manu Tau apprehenſum tenet, ſiniſtra autem virgam; & ſuper caput ſolarem globum forma ſphærica & orbiculari geſtat. Altera verò pænè in eiuſdem obeliſci radice prope baſim ad dexteram partem inſculpta eſt: ſtatque, & accipitris caput habet, ſuper quod ſolaris pariter globus ſphærica & orbiculari forma cęlatus conſpicitur: corpuſque & cetera membra hominis obtinet, & ſiniſtra manu Tau, ſiue ſanctæ Crucis ſignum; dextera verò virgam, ſiue ſceptrum in Regiæ poteſtatis argumentum geſtat. Atque ea prorſus forma, qua hîc videntur, inſculptæ ſunt.

Alia capite accipitris & corpore humano, cum Crucis ſigno in manu.

B



C

Ægyptij prætereà quædam alia ſimulacra Oſiridi ſiue ſoli, leonino capite, corpore verò humano effičta dicare ſolebant. Cur autem id facerent, id eſſe cauſæ quidam putarunt, quòd Ægyptiorum Reges in principatus ac poten-

Alia capite leonino, corpore humano.

D tiæ argumentum leonis aut cuiuſpiam efferati atque terribilis animalis caput, ſuper ſuum, vt Siculus Diodorus tradit, deferre conſueuerant. Verùm haudquaquam hæc vera atque eſſentialis cauſa fuit, cur huiuſmodi ſimulacra ſoli dicarent. Quamobrem Plutarchus ſolidiori rationi innixus, ait: *Leonem Ægyptij ſoli dedicant, quòd de curuiunguibus quadrupedibus ſola leæna videntem edat fetum; quòd momento temporis dormiat, oculique dormientis ſuffulgeant: quòd Leontini fontes & hiatus ſuos noua aqua repletos inueniant, Nilo exundante, quando ſol per leonem tranſit.* Hæc ille. Fabularum de quadraginta očto cæleſtibus imaginibus auctores finxerunt, Herculem, cùm adhuc ſexdecim vel decem & očto annorum adoleſcens eſſet, ferociſſimum leonem Nemæum occidiſſe; Iouemque in ſtrenui illius facinoris memoriam, eiuſdem leonis imaginem, pro quinto

Rerum antiq. lib. 1.

Sympoſiacon lib. 4. quæſt. 5.

 ſigno

ſigno in Zodiaco conſtituiſſe. Quoniam autem ſol naturalẽ curſum ſuum proſecutus, cùm ſignum illud attingit, vires ſuas quodammodò duplicare videtur, quandoquidem illo tempore, maiori calore quàm reliqua anni parte æſtuamus in terris; proptereà cæleſtium rerum perſcrutatores aſſeruere, ſolem in Leonis ſigno domicilium ac regnum ſuum obtinere. Atque hinc eſſe conſtat, quòd Ægyptij ſolis ſimulacra leonino capite effingebant. Quod etiam ſanctus Iſidorus innuere voluit, cùm dixit: *Leonem ingentem Hercules in Græcia occidit; & propter virtutem ſuam, hunc inter duodecim ſigna conſtituit. Hoc ſignum Sol cùm attigerit, nimium calorem mundo reddit, & annuos ſtatus & æſtus facit maiores, quàm toto in reliquo anno.* A

Originum lib. 5. c. 70.

Cùm Sol, inquit Macrobius, *ad Tropicum Cancri reuertitur, & ex Capricorni latebris vel anguſtijs rurſus emergens, ad æſtiuum hemiſphærium tamquam enaſcens in augmenta porrigitur, tunc ad regnum ſuum perueniſſe iam creditur. Proptereà Ægyptij animal in Zodiaco conſecrauere, ea cæli parte, qua maximè annuo curſu ſol valido efferuet calore; leoniſque inibi ſignum, domicilium ſolis appellant: quia id animal videtur ex natura ſolis ſubſtantiam deducere; primumque impetu & calore præſtat animalia, vti præſtat ſol ſidera: validuſque eſt leo pectore & priore corporis parte, ac degenerat poſterioribus membris. æquè ſolis vis prima parte diei ad meridiem increſcit, vel prima parte anni à vere in æſtatem: mox elangueſcens deducitur vel ad occaſum, qui diei, vel ad hiemem, quæ anni pars videtur eſſe poſterior: idemque oculis patentibus atque igneis cernitur ſemper; vt ſol patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili cernit.* Hæc Macrobius: ad cuius verba, carmina illa Manfredi alludere videntur, quæ Beda venerabilis operibus ſuis inſeruit. Sic enim ille: B

Saturnaliũ lib. 1. c. 21.

Computus ratio Manfredi, apud Bedam, T. 1.

At quintæ parti nomen poſuere Leonis.
Hoc animal cunctis præſtat feruore caloris,
Cuius membra tenet vigor & vis parte priori,
Degeneratque & debilitat ſub poſteriori; C
Sic magis exurit ſol, quàm per cetera ſigna,
Atque ſuum robur terris diffundit anhelis:
Nec non extremis ſignis ſub partibus huius,
Mitigat ardorem dumtaxat debiliorem
In terram poſitis, quos poſt veſtigia linquit.

Statuarum autem, quas leonino capite effictas Ægyptij ſoli dicare conſueuerant, graphis & cælatura conſpicitur in ea Sereniſſimi Mantuæ Ducis Ægyptiaca tabula, cuius iam ſæpè meminimus; in qua quidem vnam ſtantem conſpeximus, quæ dextra manu Regium ſceptrum, ſiniſtra autem Tau ſiue Crucis ſignum geſtat: & ſuper leoninum caput, ſerpentem in circuli formam inuolutum defert; in cuius medio ſcarabeus inſculptus eſt; qui, vt ſuperiùs diximus, apud Ægyptios non tantùm erat ſolis ſymbolum, ſed etiam ipſius animatam figuram eſſe cenſebant. Per eum verò ſerpentem, qui ſuper eiuſdem ſtatuæ caput in orbem circumplicatus perſpicitur, annum innuere volebant, quem ſol ipſe perpetua circuitione format atque producit; ex cuius anni cauda ſiue fine, ad caput continuò reuertitur. Vel eodem ſerpente in orbis figuram inuoluto, cælum ſubindicare volebant, in quo ſol circulariter circumfertur. Vel fortè ad tempus alludebant, cuius ſol eſt moderator & rector; quod longum eſt, & multis reuolutionibus implicatur, & ſerpentis more quodammodò reptat, ac ſine ſtrepitu prætergreditur. Quocircà ſanctus Cyrillus inquit: *Dicuntur Aegyptij aſpidem fingere in figuram cæli, eò quòd in circulum feratur; & ſerpentem in figuram temporis, eò quòd longus ſit, & multis voluminibus ſe gyrat, reptatque abſque ſtrepitu.* D

Quæ pariter Crucis ſignum manu geſtant.

Contra Iulianum l. 9.

At longè admodum rarior ac notatu dignior eſt quædam alia ſolis etiam antiquiſſima

A quiſſima ſtatua leonino capite, quæ olim fuit Ioannis Georgij Cæſarini Romani, nunc verò in domo Illuſtriſſimorum Borgeſiorum extat; Ægyptiaco quodam lapide veneti & ſubobſcuri coloris ſculpta, trium palmorum vel circiter altitudinis; & in ſella quadam ſedet, manuque ſiniſtra Tau Crucis ſignum apprehenſum tenet. Et ſuper caput orbem habet, in cuius medio ab ipſius ſimulacri capite flamma quædam erumpit, quo ſolem vniuerſi orbis lumen & calorem eſſe ſignificatur. Vtraque autem earumdem ſtatuarum forma eſt, qualis hîc delineata conſpicitur.

B



C

Idque circa ſimulacra, quæ Ægyptij ſoli dicare conſueuerant, hactenus dixiſſe ſufficiat. Qui quidem, vt ſuperiùs tradidimus, ſolem, tamquam deorum omnium ſuorum maximum atque præcipuum ſtultè adorabant. Contra quos & alios quoſcumque cæcutientes & infelices idololatras, qui ſolem tamquam Deum colebant, diuus Ambroſius in verba illa ſcribens, quæ Deus pridie quàm ſolem crearet, protulit: *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, &* Gen. 1.
D *lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum*; ſic tradit: *Ipſa*, inquit, *per ſe germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cuiuſquam indigeat miniſterio. Solent enim pleriq; dicere: Niſi clementior ſolis calor tepefecerit terras, & quodammodò radijs ſuis fouerit, non poteſt germinare terra: & propterea Gentes diuinum honorem deputant ſoli, quòd virtute caloris ſui terrarum penetret ſinus, ſparſaque foueat ſemina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum, velut hanc vocem emittentem: Conticeſcat ineptus ſermo hominum qui futurus eſt; faceſſat vana opinio. Antequã ſolis fiat luminare, herba naſcatur: antiquior eius ſit prærogatiua quàm ſolis. Ne error hominum conualeſcat, germinet priùs terra, quàm fetus ſolis accipiat. Sciant omnes ſolem auctorem non eſſe naſcentium. Dei clementia terram relaxat, Dei indulgentia prorumpere facit fructus. Quomodo ſol viuẽdi vſum miniſtrat oriundis, quãdo illa priùs diuinæ operationis*

In Hexaëmeron l. 3. cap. 6.

Præclara D. Ambroſij adhortatio ne ſoli vel ſtellis aliquid diuinum tribuatur.

tionis viuificatione ſunt edita, quàm ſol in hos vſus veniret? Iunior eſt herbis, iunior fœno. A
Idem in Hexaëmerô lib. 4. cap. 1. Et alibi idem Pater ad inſtitutum hoc adiecit: *Caue ô homo, ne tuum radius eius* (ſolis) *exoriens confundat aſpectum. Et ideò priùs firmamentum cæli aſpice, quod ante ſolem factum eſt: terram aſpice, quæ antequam ſol prodiret, cœpit eſſe viſibilis atque compoſita: germina eius aſpice anteriora ſolis lumine. Anterior rubus quàm ſol, antiquior herba quàm luna. Noli ergo Deum credere, cui vides Dei munera eſſe prælata. Tres dies tranſacti ſunt, & ſolem nemo quæſiuit, & luminis claritas abundauit. Habet enim & dies ſuam lucem, quæ præcurſor eſt ſolis. Non igitur te tanto ſplendori ſolis temerè committas; oculus eſt enim mundi, iucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ: ſed quando hunc vides, auctorem eius conſidera: quando hunc miraris, lauda ipſius creatorem. Si tam gratus eſt ſol, qui conſors & particeps eſt creaturæ; quàm bonus eſt Sol ille iuſtitiæ? Si tam velox iſte, vt rapidis curſibus die ac nocte luſtret omnia; quantus ille, qui vbique ſemper eſt, & maieſtate ſua complet omnia? Si admirabilis qui iubetur exire; quàm ſupra admirationem, qui dicit ſoli, & non exoritur? Si magnus eſt qui per horarum vices locis aut accedit aut decedit quotidie; qualis ille, qui etiam cùm ſe exinaniret, vt nos eum videre poſſemus, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si præſtantiſſimus, qui obiectu terræ patitur ſæpè defectus; quantæ maieſtatis qui ait,* (Aggæi 2.) *Adhuc ſemel ego mouebo terram? Illum terra abſcondit, iſtius motum non poteſt ſuſtinere, niſi voluntatis eius ſubſtantia fulciatur. Si cæco damnum eſt huius ſolis gratiam non videre; quantum peccatori damnum veri luminis munere defraudato, perpetuæ noctis tenebras ſuſtinere? Ergo cùm vides ſolem, attende terram, quæ antè fundata eſt: attende herbam fœni, quæ præſtat ordinis priuilegio: attende ligna, quæ plaudunt quòd priora luminibus cæli eſſe cœperunt.* B

Numquid merita fœni maiora quàm ſolis, aut numquid potior erit ligni prærogatiua? Abſit vt inſenſibilia tanti muneris præferamus miniſtro. Quid igitur præuidit altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, vt priùs inciperent ligna eſſe, quàm illa duo mundi luminaria, & quidam cæleſtis oculi firmamenti; niſi vt cognoſcerent omnes diuinæ teſtimonio lectionis, terram ſine ſole poſſe eſſe fecundam? Nam quæ potuit ſine ſole prima rerum ſemina germinare, poteſt vtique ſemina accepta nutrire, & proprio fotu, ſine calore ſolis, partus edere. Hac igitur voce quadam ſuorum munerum clamat natura: Bonus quidem ſol, ſed miniſterio, non imperio: bonus meæ fecunditatis adiutor, ſed non creator: bonus meorum altor fructuum, ſed non auctor. Interdum partus meos & ipſe adurit; frequenter mihi & ipſe damno eſt; pleriſque me locis indotatam relinquit. Non ſum ingrata conſeruo, mihi eſt in vſum datus, mecum labori eſt mancipatus, mecum ſubiectus eſt vanitati, mecum corruptionis ſubditus ſeruituti. Mecum congemiſcit & compatitur, vt veniat adoptio filiorum, & humani generis redemptio; qua poſſimus & nos à ſeruitio liberari. Mecum aſſiſtens laudat auctorem: mecum hymnum dicit Domino Deo noſtro. Vbi maior eſt gratia, ibi mecum eſt ei cōmune conſortium: Vbi ſol benedicit, ibi terra benedicit: benedicunt ligna fructifera, benedicunt pecora, benedicunt volucres. In mari poſitus illum nauta accuſat, me deſiderat: in montibus illum paſtor declinat, ad mea germina, ad meas feſtinat arbores, quibus exæſtuans obumbretur; ad meos fontes ſitiens & laſſus accurrit. C D

Deinde verò ſuper verbis illis, quæ Deus die quarta protulit, cùm ſolem &
In Hexaëmeron l. 4. cap. 2. lunam creare voluit, *Fiant luminaria in firmamento cæli*, idem Ambroſius ſubdit: *Quis hoc dicit? Deus dicit. Et cui dicit, niſi Filio? Deus ergo Pater dicit: Fiat ſol, & Filius fecit ſolem. Dignum enim erat vt ſolem mundi faceret Sol iuſtitiæ. Ipſe ergo eum in lumen adduxit, ipſe eum illuminauit, ipſe ei donauit fundendi luminis poteſtatem. Factus*
Pſalm. 118. *eſt ergo ſol, ideò & ſeruit, quoniam dictum eſt: Fundaſti terram, & permanet: diſpoſitione tua permanet dies, quoniam vniuerſa ſeruiunt tibi. Etenim cui dies ſeruit, quo-*
Pſalm. 135. *modo non ſeruit ſol, qui factus eſt in poteſtatem diei? quomodo non ſeruit luna, & ſtellæ, quæ factæ ſunt in poteſtatem noctis?* Hæc omnia ſanctè admodum, atque Chri-

A ſtiano ſcriptore digna diuus Ambroſius. Ex quibus verbis tanto apertiùs patet, quàm amentes atque veſani Ægyptij ceterique omnes idololatræ fuerint, qui ſolem tamquam Deum adorabant; & quàm impiè ac ſtultè Menander aſſeruerit, ſolem in primis adorandum, quia lucis eius gratiâ ceteri dij videri poſſint. Cuius fatua planè verba, ex Græco in Latinum conuerſa hæc ſunt:

O ſol deorum, nam te adorari decet
Primum, dei per quem videntur ceteri.

Et hæc quidem de ſimulacris, quæ Ægyptij ſoli ſub Oſiridis nomine dicabant, hactenus. Reſtat nunc tractemus de his, quæ ijdem Ægyptij lunæ, quam Iſidem appellabant, erigere atque ſacrare conſueuerant. Variæ pariter ac diuerſæ erant formæ & effigies, quibus Iſidis ſtatuæ ab eiſdem pingebantur & inſculpebantur. Quidam enim eam effingebant dextera manu geſtantem ſiſtrum, æreum inſtrumẽtum, quod manu quaſſum, vt ſuperiùs dictum eſt, ſtrepentem

Variæ picturæ Iſidis, ſeu lunæ Ægyptiorum deæ; earũdemq; notæ hieroglyphicæ explicatæ.

B edebat ſonum, ſiniſtra verò ſitulam deferentem: innuentes per ſiſtri motum ac ſtrepitum quod dextera tenebat, Nili aquarum murmur, per quas, iſtius deæ gratia ac beneficio, Ægypti terram rigari & inundari, fertilemque reddi inſipienter arbitrabantur. Per ſitulam verò quam ſiniſtra geſtabat, aquarum copiam, quæ in cunctis Aegypti riuulis & lacunaribus eiuſdem deæ largitate reperiri putabant, ſubindicare volebant: hi enim, qui Iſidem ita effingebant, eamdem Aegypti eſſe genium putabant. Quocircà Seruius ſuo in octauum Virgilij Aeneidos librum commentario inquit: *Iſis eſt genius Ægypti, quæ per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus ſignificat: per ſitulam, quam in ſiniſtra retinet, oſtendit affluentiam omnium lacunarum. Iſis autem lingua Ægyptiorum eſt terra, quam Iſim volunt eſſe.* Alij verò Iſidem ipſam muliebri habitu effingebant, eiuſque capiti bouina ſuperaddebant cornua; ad Iûs Inachi Argiuorum Regis filiæ, quæ in iuuencam conuerſa fuerat, fabulam alludentes. Quare Herodotus: *Iſidis* [In Euterpe, ſiue lib. 2.]

C *ſimulacrũ muliebre eſt, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Græci Io deſcribunt.* Verùm Diodorus Siculus aſſerit Ægyptios Iſidis ſimulacra cornibus armata effingere conſueuiſſe, quia eam lunã eſſe putabãt, quę primis diebus ab ipſius cum ſole coniunctione cornutam ſe nobis oſtendit; & quia bouem ei ſacrificabant. [Rerum antiq. lib. 1.]

Quidam autem ſub cornibus, tritici ſpicas ei addebant, ſceptrumque manu inſculpebant; vt ſignificarent, eam Ægypti Reginam & frumenti inuentricem extitiſſe. Tradit Diodorus Siculus, Aegyptios, priuſquam Iſis triticum adinueniſſet, continuis bellis mutuiſque cædibus, cibi comparandi gratia, ſe ipſos inuicem laceſſere ſolitos. [Ibidem.] Inuento autem ab ea primùm tritico & hordeo, quæ priùs incognita hominibus, caſu inter ceteras herbas oriebantur; cùm Oſiris eius maritus fructuum eorum ſuauitatem deguſtaſſet, cibique vtilitatem probaſſet, & ceteris oſtendiſſet, omnes eo nutrimenti genere deinceps vſi ſunt; tum propter cibi reperti ſuauitatem, tum quia vtile videbatur, ſæuitiæ crudelitatiſque pro-

D miſcuæ cauſam abeſſe. Quamobrem vt proficuæ inuentionis & incomparabilis beneficij monumentum exſtaret, publica lege ſanxerunt, vt meſſores antequam frumentum meterent, ſpicarum manipulum in deæ oblationem excerperent, atque Iſidem inuocarent, laudem & honorem eidem deæ tam ſalubris inuentæ frugis eo pacto reddentes. Subditque, apud quaſdam vrbes, in ſacris Iſiacis ab eadem dea repertis, hordeum inter cetera deferri ſolitum, in memoriam ab eadem dea repertorum; quam etiam primam legum inuentricem fuiſſe ferunt, quibus iuſtitia omnibus æquè ſeruaretur, vi atque iniuria de medio hominum commercio metu pœnæ ſublata. Quamobrem priſcos Græcos Iſidem legiferam, tamquam primam legum inuentricem, appellaſſe aſſeuerat.

Græci autem tanta veneratione Iſidem proſequebantur, vt ſolis ſacerdoti-

bus imaginem eius conspicere fas esset. Quare ad institutum hoc inquit Pausanias: *Non longè locus est, qui Vmbilicus dicitur, meditullium totius Peloponnesi, si modò ita se res habet vti ipsi dicunt. Ab Vmbilico progressus, Liberi vetustissimum templum videas: Apollinis etiam vnum, & aliud Isidis. In eis Liberi & Apollinis signa exposita omnium oculis sunt; Isidis verò solis sacerdotibus conspicere fas est.* In quibusdam verò Isidis simulacris, inter eius cornua circulus perspicitur, in cuius medio scarabeus insculptus est; quo innuere volebant, eam sororem & coniugem esse Osiridis, id est solis, cuius idem scarabeus apud Aegyptios non tantùm symbolum, sed animata imago habebatur. Alij verò super caput simulacrorum Isidis hisce omnibus addebant volucrem vnam ex his quas Græci meleagrides appellant, nos verò Pharaonis siue Guineæ gallinas vocamus. Quod quidam Aegyptios fecisse rebantur, quia hoc gallinarum genus, atque anseres etiam Isidi immolari consueuerant; vt Pausanias & Apollodorus tradunt. Quamquam ego potiùs meleagridem super caput simulacrorum Isidis collocari solitam putauerim, quia hæc volucris velox est, & volatu potens; quo lunæ velocitatem innuerent, quæ totum cælum viginti octo dierum spatio circuit, quod Saturnus triginta, Iupiter verò duodecim annorum spatio, vix facere possunt; tantumque vno die absoluit itineris, quantum sol decimotertio perficere potest. Quamobrem volucrem eamdem alis expansis super Isidis caput insculpebant; vt clarè conspicitur in ea iam à nobis toties celebrata tabula Aegyptiaca, quæ Cardinalis Bembi, ac posteà Torquati eius heredis quondam fuit, in qua ipsius Isidis simulacra, qualia hîc subiici curauimus, cælata cernuntur.

In Corinthiacis, siue lib. 2.

Cur Isidi meliagrides aues sacræ.

Isidis ex tabula Ægyptiaca deprompta imagines, eademque elucidata.

A

B

C



D

Curiosæ

A Curioſæ valdè hæ duæ planè ſunt Iſidis imagines, circa quarum ſignificationum explanationem multa dicenda eſſent: verùm breuitati conſulentes, pauca quædam tantummodò obiter attingemus de ſtella illa, quæ inter cornua imaginis ad dexteram poſitæ conſpicitur; deinde verò de cane, qui cælatus eſt ſub ſede illius quæ ad ſiniſtram collocatur; ac demum de Tau, quod prima illa ſtatua dexterâ apprehenſum tenet. Stellæ ergo & canis imagines, quæ ibi conſpiciuntur effictæ, ad clariſſimam ſtellam illam alludunt, quam cæleſtium rerum obſeruatores Sirium & Canem maiorem appellant; quamque primæ eſſe magnitudinis, Iouiſque & Mercurij natura imbutam tradunt, atque in octauo gradu, & quadrageſimo ſcrupulo ſigni Cancri, ſecundùm longitudinem conſtituunt. Hanc, fabularum de quadraginta octo cæleſtibus imaginibus auctores finxère Iſidem nomine ſuo ibi ſtatuiſſe, Sirionque propter ſplendoris candorem appellaſſe; cùm reuerà eiuſmodi ſit, vt ſplendore ceteras ſtellas ſuperare videatur.
B Quamobrem Hyginus ſua in Aſtronomica Poëſi, dum de ſtellis agit, quæ in hoc ſidere conſtituuntur, de ipſa hac eadem lucidiſſima ſic tradit: *Sed Canis*, inquit, *habet in lingua ſtellam vnam, quæ ipſa Canis appellatur: in capite autem alteram, quam Iſis ſuo nomine ſtatuiſſe exiſtimatur; & Sirion appellaſſe, propter flammæ candorem: quòd eiuſmodi ſit, vt præter ceteras lucere videatur: itaque quo magis eam cognoſcerent, Sirion appellaſſe*. De qua ſtella tradunt Iſidem adeò gloriari, & ſeſe iactare ſolitam, perinde ac ſi ipſamet in eiuſdem claritate fulgeret. Quamobrem poſt eius mortem, ſiue per ſummam aſſentationem id factum fuerit, ſiue quia illorum temporum ſimplices populi reuerà ita crediderint, ſuper ipſius ſepulchrum inſcripſerunt, quòd in maioris Canis ſtella in cælo tunc refulgeret. Atque hinc eſt, quod Diodorus Siculus memoriæ prodidit, legiſſe ſe apud quoſdam Auctores, in Niſa ciuitate Arabiæ, Iſidis extare ſepulchrum; ibique columnam conſpici, in qua ſacris ſiue hieroglyphicis litteris hoc epitaphium inſculptum (Rerum antiquarum lib. 1.)
C erat: *Ego Iſis ſum Ægypti Regina à Mercurio erudita. Quæ ego legibus ſtatui, nullus ſol uere poterit. Ego ſum vxor Oſiridis. Ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Ori Regis mater. Ego ſum in aſtro Canis refulgens. Mihi Bubaſtis vrbs condita. Gaude gaude Ægypte, quæ me nutriſti.* (*Inſcriptio ſepulchri Iſidis.*)

At fabularum harum vanitate relicta, veniamus nunc ad ſignum ſiue characterem Tau, quem Iſidis ſimulacrum prædictum, atque adeò cetera pænè omnia, quæ in hieroglyphica tabula antedicta cælata ſunt, manibus apprehenſum tenent. De quo, licet libro tertio iam ſatis fuſè egerimus, ac diui Hieronymi, Clementis Alexandrini, ſancti Iſidori, & aliorum grauiſſimorum ſcriptorum auctoritate ſuffulti, clarè admodum oſtenderimus, hunc ipſum præcipuum & verum ſanctæ Crucis ſignum exiſtere; tamen quia res hæc maximi momenti eſt, & inſtituti noſtri præcipua materia, non committemus, vt aliquid adhuc de eodem in piorum Lectorum gratiam hîc reticeamus. Ioannes (*Tau, quod Iſidis aliaq; ſimulacra manu tenēt, verum ſanctæ Crucis ſymbolum.*)
D Goropius Becanus ſuo de hieroglyphicis Tractatu aſſerit, vocem hanc Tau, Cimbrico idiomate, quod ipſe oſtendere nititur, primam fuiſſe linguam qua homines ab initio loqui cœperunt, id ſignificare, quod ad tenendum quidpiam eſt accommodatum. Et quemadmodum apud regionis illius homines pro fune vſurpatur, ita priſcis pro Cruce in vſu fuiſſe; quòd inſtrumentum eſſet, cui firmiſſimo nexu condemnati affigebantur, tantiſper retinendi, donec ſupremum ſpiritum efflarent: *Quòd ſi vocem hanc* TAV, inquit, *ordine verſo legas,* VAT *habebis, quod idem eſt quod apprehende: quo monemur, vt Crucem apprehendamus, velut ſacram quamdam anchoram, qua aduerſus omnes tempeſtates atque procellas ſeruemur. Hoc præceptum in ſacris Ægyptiorum figuris cuiuis licet intueri, in quibus cernitur diligenter ipſum Tau apprehendi atque retineri, velut amuletum quoddam omnium malorum.* (Hieroglyphicorum lib. 16.)

Neque

Neque verò in ænea tantùm hieroglyphicorum tabula, incomparabili sacrosanctæ antiquitatis monumento, Tau cum ansa, qua teneatur, cernitur, sed in plurimis etiam aliis vetustissimis Aegyptiorum lapidibus Romam olim transportatis inuenitur. Hæc idem Goropius, qui complures alios de hac figura & voce Tau ingeniosos sermonum discursus ibidem non desistit adiicere; quos, breuitati consulentes, missos facimus, cùm cuique curioso Lectori illos videre atque perlegere apud eumdem ipsum auctorem ad libitum fas sit: addemus tamen hoc loco pauca ea tantummodò, quæ idem Becanus de magno sancto Antonio tradit. A

Hieroglyphicorum lib. 16 prope finem.

Eadem figura Crucis in imaginibus S. Antonij, quæ in hieroglyphicis Ægyptiorum.

Nostrates, inquit, *è media plebe homines, Tau peculiari nomine Crucem sancti Antonij nuncupant; eò quòd diuus Antonius semper ita pingatur, vt non modò Tau manu gerat, perinde ac hieroglyphica simulacra, sed eo pænulam etiam habeat insignitam. Quod equidem non dubito, quin factum sit, quòd diuus Antonius Ægyptius esset, & ea quæ de Tau ferebantur apud falsorum numinum sacerdotes, audisset, ideò hoc signo prælato doceret, vitam illam, quam venturam expectauerant, iam adesse; & ea, si modò vellent, perfrui licere.* B *Miror profectò*, subdit, *hanc in hoc Diuo pingendo constantiam hactenus ab antiquo apud nos manere: nec quemquam repertum, qui causam Crucis ad eum modum formatæ explicaret. Ceteris enim Sanctis Cruces dantur cum indicibus superiùs extantibus, ita vt quattuor rectis angulis Crucis figura exprimatur: soli diuo Antonio ipsum Tau vera Crucis figura appingitur, cui nullus superiùs index, quem Pilatus affixerat, adhæret. Nusquam mihi pictores æquè atque in hoc signo pingendo grati fuerunt; & eò quidem gratiores, quòd cur hanc figuram diuo Antonio facerent peculiarem, prorsus ignorarent: quo nomine fides eorum magis exosculanda. Quamuis enim nullo alio indicio, quæ vera Crucis antiquæ fuerit forma, sciremus; attamen de hac diligentia imitationis videremus, & Crucem apud antiquißimos Tau fuisse, & hoc ipsum signum illud esse, quod Ægyptij sacerdotes venturæ vitæ notationem habere asserebant. Diuum autem Antonium honesto loco in Ægypto natum fuisse, & maximam vitæ partem in Thebaide egisse, diuus Athanasius affirmat, qui admirabilem sanctissimi hominis* C *vitam descripsit, inter cetera hoc etiam commemorans, eum Crucis signo diaboli impetus frustrari solere.* Hæc ille. Sicque nos etiam per ipsius Sancti intercessionem, ac per eiusdem signi virtutem, omnem diabolicæ tentationis impetum & aggressionem repellere & superare valeamus; ita vt victores, ac triumphum ducentes, cum eodem & cum ceteris Sanctis omnibus, illum, qui per sanctam Crucem suam eumdem impiissimum atque nequissimum hostem gloriosè deuicit, in cælis laudare & benedicere valeamus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VIII.

De sancta Crucis symbolis & figuris, quæ in Canopi Aegyptiorum idoli simulacris contineri videntur.

D

*Intellige primã: nam alioqui iustũ verè mereri gratiæ augmentum, docet Synod. Tridentina sess. 6 can. 32.

Prosper De voc. Gent. iuxta edit. quæ est in operibus Ambrosij, lib. 1. cap. 5.

QVEMADMODVM non est meritum humanæ operationis vllius, quantauis bonitate & sanctitate nitatur, quòd Dei * gratiam tamquam iure retributionis debitam, sibi arrogare possit; sic etiam nulla est peccati aut sceleris tam impia & execranda atrocitas, quæ diuinæ gratiæ donum arcere queat. Quamobrem Prosper Aquitanicus, in eo de vocatione Gentium Tractatu, qui diuo Ambrosio à quibusdam tribuitur, inquit: *Sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ arcere donum; ita nulla possunt tam præclara opera existere, quibus hoc, quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur.* Atque hinc esse constat, quòd immensum Dei gratiæ pelagus, cuius dona sunt gratuita, sæpè per indignos, scelestos atque impuros homines, excelsa & admiranda operatus est;

A est; præsertim verò cùm illa in alterius beneficium redundare debebant. Sic enim per Balaam ariolum & veneficum, benedictionem in exercitum filiorum Israël effudit: & per Pharaonem, cui annonæ caritatem reuelari fecerat, multos populos à fame liberauit. Quapropter apposité diuus Ioannes Chrysostomus: *In veteri quoque Testamento,* inquit, *est inuenire, gratiam videlicet vel indignis sæpenumerò fuisse operatam, quò inde alij quidam beneficio afficerentur. Nam & Balaam à fide optimoque viuendi instituto alienus erat, gratia tamen in illo ad aliorum œconomiam est operata. Similiter & Pharaon, tametsi eiusmodi & ipse erat, illi tamen Deus futura demonstrauit.*

Deus per malos sæpè admiranda operatur cũ bonorũ cõmodo.

In breui enarratione in Matth. c. 6. Tom. 2. in fine.

Non est igitur cur miremur, quòd Deo optimo maximo placitum fuerit, vt per ipsorum Ægyptiorum idolorum artificum ac fabricatorum manus tot sanctæ Crucis figuræ & significationes in eorumdem idolorum simulacris inuenerentur, ac tacitè exprimerentur, cùm hæc omnia posteris valdè proficua futura essent, tum ad credentes confirmandos, tum verò ad incredulos ad sanctæ
B fidei lumen perducendos. Quòd si in Osiridis & Isidis simulacris, de quibus in superioribus egimus, tam admiranda & notatu digna ad materiam hanc spectantia inspeximus, clariora & admiratione digniora proculdubiò ea sunt, quæ in Canopi simulacris atque imaginibus continentur; quæ quidem erunt huius capitis non iniucunda (ni fallor) ac non inutilis materia.

Nec mirũ proinde idolorũ fabricatores sanctæ Crucis figuras expressisse.

Fuit autem Canopus, vt Plutarcho placet, nauis Osiridis gubernator, quæ Græcis Argo dicitur, & iuxta Ægyptiorum fabulas, in ipsius Osiridis honorem, ad cælum inter astra euecta est. Vnde & nunc etiam, Argo nauis illa stellarum imago dicitur, quæ prope Orionis & Caniculæ imagines fulgere prospicitur. Inter quas lucidissima illa est, quam in meridionali remo seu gubernaculo constitutam fingunt, quæ Canopus appellatur: quia Ægyptij eidem Canopo eam dicatam ac sacram, adeoque ipsum Canopum in eamdem transformatum
C fuisse putauerunt. De qua idem Plutarchus: *Imperatorem nominant Osirin, & gubernatorem Canopum, cum quo stella idem habeat nomen. Et nauim, quæ Argo Græcis dicitur, inter sidera relatam, in honorem nauis Osiridis, non procul ab Orione & Cane ferri.* Stella hæc inter omnes fixas primæ magnitudinis, quæ in cælo conspiciuntur, nitidissima atque clarissima est. quocircà de eadem sic Plinius: *Canopum lucere noctibus, sidus ingens & clarum.* Quin etiam adeò conspicua & notatu digna est, vt Aristoteles, ac post ipsum idem Plinius, ab eadem terræ rotunditatem probauerint. Italia, inquit Plinius, stellam Canopum non cernit; quasi dicat, propter terræ rotunditatem; licet in Ægypto eiusdem detur prospectus, & ab Alexandria per quartam ferè partem signi vnius supra terram eminere intuentibus videatur, à Rhodo tamen terram ipsam quodammodò stringere cernitur.

De Iside & Osiride.

De Canopo deo Ægyptiorum opiniones variæ.

Lib. 6. c. 22.

Lib. 2. c. 70.

Alij eumdem Canopum nauis Menelai Græcorum Imperatoris gubernatorem
D fuisse tradunt; qui cùm à Troiæ expugnatione reuerteretur, Helenam iam à Paride raptam secum reducens, vi ventorum ad Ægypti littora delatus est; vbi in terram è naui descendit, in parua quadam insula ante vnum ex Nili ostiis posita, atque ibi Canopus Amyclæus, nauis eius gubernator, ictu cuiusdam mortiferi serpentis, quem hæmorrhoida vocant, interiit: cuius mortem grauissimè mœrens Menelaus, cùm corpus eius in splendidum sepulchrum intulisset, ibi in eius memoriam ciuitatem condidit, quam ab illius nomine Canopum appellauit; quæ à Magno Alexandro posteà adaucta, & ad Pellæ vrbis æmulationem penè illustrata est. Ad quod sic alludit Virgilius:

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.

Georg. li. 4.

Eius-

Eiusdem autem insulæ & ciuitatis inter alios præcipuam mentionem facit A Strabo in sua Geographia, asserens illam ab Alexandria, terrestri itinere, CXX. distare stadiis, Canopumq; à Canopi nomine Menelai classis gubernatoris, qui ibi fato functus est, appellatam. De eadem meminit etiam Tacitus, dum Germanici Cæsaris iter in Ægyptum describit: *Nilo*, inquit, *subuehebatur orsus oppido à Canopo. Condidere id Spartani, ob sepultum illic rectorem nauis Canopum; qua tempestate Menelaus Græciam repetens, diuersum ad mare terramque Libyam delatus.*

Annal. li. 2.

Hunc igitur Canopum superstitiosa & insipiens Ægypti plebs, ad idololatriam nimium propensa, veneratione prosequi, votaq; ad illius sepulchrum appendere instituit; tantumque superstitio illa paullatim percrebuit, vt is demum cultu solemni tamquam deus ab omnibus adoraretur; simulacraque ei dicata, altaria erecta, & fana constructa sint: &, vt summatim dicam, post Osiridem, Serapidem, & Isidem, maior omnibus diis Canopus habitus est, quos stulti Ægyptij colebant. Atq; in eadem Canopi ciuitate, & in ipsius idoli templo, totius B Ægypti primarium & celeberrimum erat gymnasium, vbi eos, qui initiabantur, hieroglyphicas, id est sacras litteras docebant. Quocircà locus ille, tamquam stolidæ Theologiæ ac profanæ religionis eorum fons & origo quædam, tanto hominum concursu frequentabatur, tantaque veneratione colebatur, vt nullum aliud templum aut gymnasium in tota Ægypto celebrius haberetur.

In templo Canopi celeberrimum gymnasium hieroglyphicum.

Ruffinus Aquileiensis historiæ Ecclesiasticæ libro vndecimo, qui secundus est ex duobus quos ad Eusebij Cæsariensis historiam ab ipso Latinitati donatam adiecit, quamdam huius idoli Canopi, siue vt veriùs dicam, cuiusdam sacerdotis eius, planè memorabilem historiam refert, quæ fuit causa cur huius idoli Canopi superstitiosa religio in ignara & rudi illorum temporum plebe, mirum in modum augeretur. Quandoquidem eiusdem sacerdotis astu, idem Canopus ignem superauit atq; deuicit, qui à Persis & Chaldæis summa veneratione colebatur, ab ipsisq; omnium deorum potentissimus habebatur; quippe qui omnia vreret atque consumeret. Persas autem ignem adorare solitos, à C compluribus auctoritate grauissimis Scriptoribus affirmatur; atque ex eorum scriptionibus elicitur, præsertim verò ex illo Herodoti Halicarnassei loco notatu digno, vbi ruinas, dissolutiones, iracundasque feritates referens, quas Cambyses Persarum Rex in Ægypto patrauit, inter cetera tradit, eumdem Cambysem è Memphi discedentem, vrbem Sain profectum esse, animo faciendi quæ fecit. Etenim simulatque ædes Amasis Ægypti Regis, qui multo iampridem anteà mortuus erat, ingressus esset, imperauit, cadauer eius è conditorio, id est, è loco vbi defunctorum corpora seruabantur, afferri. Quod cùm prolatum esset, per summam ignominiam atque ludibrium, vellicari, barbam euelli, verberibus cædi, stimulis pungi, omni denique contumelia & dedecore, quod excogitare potuit, affici mandauit. At cùm ministros suos circa barbaras feritates illas frustrà defatigari conspiceret (cùm cadauer illud, vtpote more Ægyptiaco D salitum & conditum, resisteret, nec quidquam omnino læderetur) cremari iussit: *haudquaquam* (inquit Herodotus) *sancta iubens; quia Persæ deum ignem esse arbitrantur*: neutra verò harum nationum defunctorum cadauera cremare consueuerat. Persæ quidem ea non comburebant, quia indignum prorsus ac nefas ducebant, deum hominis depasci cadauere: minusque id faciebant Ægyptij, quia persuasum habebant, ignem animatam & voracem belluam esse, atque omnia quæ nascuntur deuorare; cumque deuorando expleta fuerit, vnà cum ipsa re deuorata extingui ac mori. Aiebant enim non esse apud eos consuetudinem, mortuum hominem belluis tradendi, sed saliendi, tum ob id, tum ne humatus à vermibus deuoretur.

In Thalia, siue lib. 3.

Histo-

A Historiam autem ignis, Persarum & Chaldæorum dei, à Canopo deuicti, quam superiùs innuimus, idem Ruffinus his verbis enarrat: *Ferunt*, inquit, *Chaldæos, ignem deum suum circumferentes, cum omnium prouinciarum diis habuisse conflictum; quò scilicet, qui vicisset, hic esse deus ab omnibus crederetur. Reliquarum prouinciarum dij, æris, aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacumque materia constabant, quæ per ignem proculdubiò corrumperetur: ex quo fiebat, vt ignis locis omnibus obtineret. Hæc cùm audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hydriæ fieri solent in Ægypti partibus fictiles, vndique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua desudans defæcatur ac purior redditur. Harum ille vnam, cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam, statuit vt deum; & excisum veteris simulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum diligenter aptauit. Adsunt post hæc Chaldæi. Itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur: cera qua foramina fuerant obturata resol-* B *uitur: sudante hydria ignis extinguitur: sacerdotis fraude, Canopus Chaldæorum victor ostenditur. Vnde ipsum Canopi simulacrum, pedibus perexiguis, attracto collo, & quasi suggillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorso æqualiter tereti formatur. Ex hac persuasione velut deus victor omnium colebatur.*

Hist. Eccl. lib. 2.

Ignis deus Persarum, callidè à Canopi sacerdote superatus.

Hanc ipsam historiam, eodem pari modo Suidas[a], Petrus Crinitus[b], Gregorius Giraldus[c], aliiq; plures referunt. Cui magnam auctoritatem ac fidem astruunt duo antiquissima Canopi simulacra, quæ Romæ extant, quorum alterum habet Illustrissimus Cardinalis Farnesius, quod vt notatu planè dignum, atque rarissimum, iam ære incisum, ac formis Claudij Duchetti impressum, per orbem circumfertur. Alterum verò annis iam quibusdam elapsis, fortè fortuna ad manus meas deuenit; idque inter mea antiquitatis monumenta, ea diligentia asseruo atque custodio, qua tam insigne ac rarum antiquitatis testimonium meritò dignum censendum est. Etenim nullum aliud, præter hæc duo, in Italia, C ac forsitan in vniuersa Europa, reperiri puto. Meum quidem nigri, vel potiùs veneti coloris valdè fusci exsculptum est lapide, quem antiquariæ artis periti quidam, Basaltem, alij verò Ægyptiacam silicem appellant. Est autem trium vel paulo minùs palmorum; eiusdemque mensuræ illud Illustrissimi Farnesij constare puto. Ambo verò ex anteriore ac posteriore parte sunt hieroglyphicis characteribus insculpta; eamdemque prorsus formam referunt, qua Ruffinus Aquileiensis D illud Canopi descripsit; eo tantùm excepto, quòd pro exiguis pedibus ab eodem Ruffino descriptis, paruam basim habent, quæ pro ipsius hydriæ pede inseruiat. Et vt vno verbo absoluam, eius planè sunt formæ, quæ in parua hac graphide conspicitur.

a In verbo Canopus.
b De honesta disciplina, li. 11. c. 6.
c Histor. deor. Gentilium, Syntag 1.

Ruffini de Canopo historiam cõfirmant bina eius quæ etiamnunc exstant simulacra.



Eaq; sanctæ Crucis symbolis egregiè insignita.

Inter ceteros verò hieroglyphicos characteres, qui in simulacris prædictis cælati sunt, quique locis diuersis repetiti comperiuntur, sanctæ Crucis symbola atque figuræ adsunt, quas hîc, vt diligentiùs obseruentur, seorsum annotari curauimus. A

Habebat autem idolum hoc in manu dextera pennam, qua diuinitatem ipsius innuere volebant. Et quidem Ioannes Goropius Becanus (quippe qui duo hæc vetustissima simulacra non viderat, quæ hydriæ paruis terebratæ ceraque obturatis foraminibus formam & Canopi sacerdotis fraudem appositè repræsentant, vt Ruffinus Aquileiensis eam descripserat) historiam hanc irridet, & B tamquam anilem atque ridiculam fabulam habendam putat. Quocircà in suo de hieroglyphicis Tractatu, cùm eamdem historiam de verbo ad verbum retulisset, prout Aquileiensis Ruffinus litteris illam commendauit, ipse subdit:

Hieroglyphicorum lib. 7.

Quis hîc non videt ridiculã & anilem fabellam, ne dicam putidam & ineptam? tantum abest, vt ad veram referri queat antiquitatem. Stupidi fuerint, & plusquam plumbei Chaldæi illi necesse est, qui nec hydriam, nec aquam effluentem deprehendere quiuerint. Deinde qua tandem ætate hoc commentum dicemus accidisse? Certè si vmquam, Cambysis tempore contigerit, qui plurima contra Aegyptiorum superstitiosam insaniam designasse narratur. Atqui id fabulæ auctores non commemorant, adeò vt facilè cernas qualis ea sit historia, quæ nullo tempore, nullo regno, nulloque auctore circumscribitur. Hæc ille.

Quæ Becanus si vidisset, historiã eamdẽ comprobasset.

At ego quidem opinor, quòd si duo antiquissima simulacra prædicta vidisset, animi sui proculdubiò immutasset sententiam. C Ex ipsis enim manifestè dignoscitur, hanc aut veram historiam extitisse, aut tamquam verissimam in priscorum Ægyptiorum credulitatem insinuatam fuisse: iam enim à peruetustis adeò temporibus, Canopi simulacra in hanc formam effingere consueuerant.



Alia Canopi imago.

Duæ aliæ Canopi imagines, quarum altera alterâ minor est, cælatæ conspiciuntur in vetustissima illa Serenissimi Mantuæ Ducis Ægyptiaca tabula, quæ Cardinalis Bembi, vt superiùs diximus, quondam fuit; D quæ eiusdem idoli Canopi statuæ formam repræsentant, qualis esse debebat priusquam callidus sacerdos capite & manibus eam obtruncasset; illudque, & illas, ad Chaldæos astu illo decipiendos, vt diximus, super hydriam collocasset. Ambæque sunt eius formæ, quæ hîc conspicitur.

Admirabilis planè, & consideratione dignissima hæc imago perhibetur; quam Ioannes Goropius putat vetustiores Ægy-

ptios

A ptios in ſcholis, quò pueri ad bonas artes perdiſcendas conueniebant, vnà cum Harpocratis imagine, pictam habere conſueuiſſe. Per Harpocratem quidem innuentes, pueros ſilentium obſeruare debere: & per Canopi imaginem, ſymbolicè oſtendentes totum id, quod homo à ſua infantia vſque ad extremam ſenectutem facturus eſt, vt poſt mortalis huius vitæ finem ad æternitatem & beatitudinem peruenire valeat. Idemq; Becanus putat, ſubſequentium hominum inſcitia & ſimplicitate poſteà contigiſſe; vt ambas imagines prædictas tamquam idola poſteri venerati ſint. Quamobrem in ſuo de hieroglyphicis Tractatu inquit: *Hic Canopus haud aliter in ſcholis pingebatur, quàm Harpocrates. Et vt hic deus paulatim ex hominum ignorantia euaſit, ita & Canopus in errorum materiam tractus, varias vulgo præbuit fabellas.* Hieroglyphic. lib. 7.

Imago hæc pueri habet caput, cuius corpus reticulo quodam totum circumſeptum eſt: quo mea quidem ſententia ſignificatur, hominem, dum in pueri-
B tia & adoleſcentia conſtitutus eſt, coërcendum, ac diſciplinæ & obedientiæ frænis cohibendum, à prauiſque conſuetudinibus arcendum & abducendum, ne diſſolutionibus & vitiis immergatur. Scipionem manibus apprehenſum tenet, in quo Crux clariſſima cernitur, & ſub eadem lituum & amuſſim iiſdem manibus retinet. Lituo enim priſci augures cæli ſpatia metiri conſueuerant: amuſſi verò artifices lineas ad deſtinatum ſcopum dirigunt. Ac proinde hoc ſcipione illud forſitan innuebatur, quòd homo qui in hoc mundo aduena & peregrinus eſt, ſi periculoſum hoc iter ſecurus conficere cupit, ſanctæ Crucis baculo inniti debet; cogitationesque ſuas ad cælum erigens, ſingulas rerum gerendarum & cupiditatum ſuarum lineas ad ſcopum hunc vnum dirigere debet, vt ad ſupernam patriam, vnde digreſſus eſt, omnino reuertatur atque perueniat. Huius autem ſcipionis culmen in alaudæ notiſſimæ volucris caput terminatur; cuius auiculæ naturalem hunc inſtinctum eſſe ferunt, vt ſepties in die
C ad laudes Deo canendas, ſurſum in aërem euolans efferatur. quo ſanè antiquiſſimi huius ſymbolicę imaginis auctores innuere voluerunt, omnem humanarum operationum ſummam ad Dei laudem & gloriam dirigendam. Denique imago hæc poſt caput & ſcapulas, triangulum quoddam habet, cui circulus annexus eſt: quibus figuris illud nobis innui videtur, quòd quicumque vitam ſuam in hoc mundo, ad eam normam quam obiter monuimus, direxerit, poſt humanæ huius peregrinationis curſum ad Deum tandem perueniet, qui per triangulum ſignificatur, atque æternam beatitudinem (quæ circulo, figura perfectiſſima æternitatiſque ſymbolo deſignatur, quia principio & fine caret) aſſequetur.

Interpretatio hieroglyphicorum Canopi imaginis:

In primis ſcipionis, quem Crux illuſtrat, & auicula alauda.

Hæc igitur, vt ſummatim dicam, huius hieroglyphicæ & ſymbolicæ imaginis ſignificatio pauciſſimis explicata verbis, meo quidem iudicio, eſſe poteſt: verùm Ioannes Goropius fusè admodum in hoc defatigatur, diuerſaſque cu-
D rioſas explicationes eidem imagini tribuit; quas ſi hîc ſingulas referre velimus, tædiosè & prolixè nimis ſermo noſter diffunderetur. Ad illius ergo ſcriptiones curioſum Lectorem remittimus, vbi multas notatu dignas ſignificationes, lituo & alaudæ ab ipſo attributas, perſpiciet, quibus Canopi ſcipio munitur. Eſt autem auis alauda conſideratione digniſſima, cuius gratia quidam ex veteribus Poëtis confingendæ fabellæ occaſionem arripuit, qua auiculam hanc terra ipſa antiquiorem fuiſſe confingitur. Quocirca Ariſtophanes, qui antiquiſſima quæque irridere ſolet, alaudam quoque in comœdiæ partes introduxit. Piſiſtratus enim apud eumdem, auium chorum imperitiæ taxans, aſſerit, in quadam Æſopi fabula narrari, galeritam omnium auium primam extitiſſe, priuſquam terra ipſa conſiſteret; ac deinde patrem eius obiiſſe, nec terram, in qua

sepeliretur, fuisse repertam; cumque diebus quinque sepultura caruisset, illam A consilij impotem, patris tumulum in capite sibi collocasse. Ex cuius fabulæ argumento duo moralia documenta elicere possumus: quorum primo eius reuerentiæ ac pietatis admonemur, quæ filiorum erga parentes esse debet. Secundum verò ex eo instinctu deduci potest, quem huic auiculæ natura insitum esse diximus, erigendi se in aërem septies in die, ad laudes Deo concinendas. Ad quod forsitan alludere voluerunt hi, qui eidem volucri alaudæ, à laudando nomen indiderunt. Hincque illud etiam fieri potuit, finxisse nimirum veteres, eamdem terra antiquiorem fuisse; vt innuerent, ante alia omnia quæcumque Deum inuocandum atque laudandum esse, nihilque precibus & laudibus diuinis antiquius habendum. Atque ob id quoque illud fortè factum fuisse opinor, vt in illa Bembi hieroglyphica tabula, cuius iam toties meminimus, alaudæ caput non semel, sed septies cælatum sit; ad innuendum septies quotidie Deo laudes canere galeritas. Quo quidem symbolo admoniti esse debemus, nos septies in die, id est semper & assiduè Deo preces & hymnos fundere B debere. Quod etiam diuinus Psaltes nos monitos esse voluit, cùm dixit: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Duo insignia documenta ex auicula alauda.

Psalm. 118.

Aliam præterea ex eiusdem auiculæ ingenio vtilem moralitatem sumere possumus. Tradunt enim naturalium rerum obseruatores, alaudam, si accipiter eam acriter & strictè adeò persequatur, vt nullo alio pacto euadere aut seruare se posse arbitretur, in sinum hominis refugere. Quo sanè actu docemur, in mundi huius ac diaboli rapacissimi truculentissimique accipitris persecutionibus, ad Christi Domini nostri veri hominis verique Dei perfugium omni fiducia per orationes confugere. Ipse enim pro sua infinita bonitate & misericordia, ab omni vel maxima inimicorum nostrorum visibilium & inuisibilium vi, impetu, & oppressione nequissima nos eruet, & liberos esse pio ac summo iussu decernet. C

Tertium item documentum ex eadem auicula.

Demum verò pro huius capitis coronide, ex Canopi historia, qua traditur ab hoc vno idolo ignem Persarum deum deuictum fuisse, (vt quæ superiùs dicta sunt summatim perstringamus) vtilissimum quoddam Christianæ moralitatis documentum elicere possumus: idque esse scias, quòd quicumque scipioni illi Canopi, quem innuimus, id est, sanctæ Crucis ligno firmiter non innitetur, quique extra sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium errabundus vagabitur, quæ sub sanctæ Crucis vexillo militans, sanctis suis dogmatibus salutari sua doctrina, suisque ad Deum perennibus orationibus & gratiarum actionibus, sola per directum ac tutum iter hominem ad æternam vitam perducit; hic procul dubio igne inferni in æternum cruciabitur & comburetur. Idque pro Canopi imaginum, ac sanctæ Crucis figurarum quæ in eis contineri videntur expositione, hactenus dixisse sufficiat: sub cuius victorioso vexillo, gloriosoque ac triumphali reparationis & redemptionis nostræ clypeo ac protectione, vtinam D infinitæ bonitati & misericordiæ illius sit placitum, qui in eodem pro nobis omnibus falsum Persarum deum, id est nequissimum satanam deuicit atque contriuit, nos adeò munire & corroborare, vt sua nos adiuuante gratia, omnes illius insidiosas periculosasque in nos irruptiones repellere & superare valeamus; vtque æterno igne deuitato, ad felicissimum cælestis patriæ refrigerium pertingamus, vbi ipse cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Scipio Canopi, firmissimum Crucis fulcimentum designat.

CAPVT

A

CAPVT IX.

De alio quodam Aegyptiaco hieroglyphico, in quo non solùm Crux insculpta conspicitur, sed eius adoratio quodammodò exprimitur; sanctaq; Sacramenta à Christo Domino per sanguinis sui virtutem instituta, quæ per Crucis signum in sancta Ecclesia Catholica exercenda erant, forsitan præsignabantur.

ADMIRABILIA sanè ea fuere sanctæ Crucis symbola & figuræ, quæ in Ægyptiorum idolorum simulacris hactenus inspeximus & consideraui-mus: at longè magis (mea quidem sententia) admirandum, ac maximè animaduertendum sese nobis offert symbolum seu hieroglyphicum quoddam, quod pluribus locis cælatum cernitur in limbo vetustissimæ illius Ægyptiacæ & hieroglyphicæ tabulæ, quæ Cardinalis Bembi quondam fuit, nunc autem penes Serenissimum Mantuæ Ducem existere nouimus, in cuius mentionem iam toties incidimus. Quod hieroglyphicum, neque à Ioanne Goropio Becano, nec ab alio quopiam, qui ad hanc vsque diem scripserit (quod sciam) adhuc consideratum fuit: cùm tamen ea res sit (meo iudicio) omnium notatu dignissima, quæ inibi cælatæ conspiciuntur. Cuius typum graphicè delineatum, pro eorum intelligentia, quæ ad ipsius declarationem dicenda sunt, hoc loco addere placuit.

Hieroglyphicum a nullo hactenus prolatum, mysteriis plenissimum.

B

C



D

Cernitur ibi sancta Crux ad eam prorsus formam efficta, qua nunc sancta Ecclesia vti solet, super altari quodam in vasis fastigio collocata; ex quo fontis cuiusdam instar copiosus humor defluit; ad sanguinem & aquam forsitan alludens, quæ ex Domini nostri Iesu Christi latere profluxit, cùm in sanctæ Crucis altari lancea apertum atque perfossum est. Qui quidem humor duobus catinis excipitur, in quibus duo cernuntur aspersoria, his pænè similia, quibus sacerdotes in Ecclesiis aquam sanctam in populos inspergere solent. Quasi innuere videantur, ex sanguine nimirum & aqua, quæ ex Christi latere profluxit, omnia sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta & Sacramentalia originem traxisse; quæ omnia per sanctæ Crucis signum exercentur, & sine eo exerceri non possunt. Ad quod diuus Cyprianus apposite: *Nos*, inquit, *in Cruce Domini gloria-*

Sanguinem & aquam è Christi latere manantem, omniumq; S. Ecclesiæ Sacramentorum quæ Crucis signo peraguntur, originem forte præsignauit.

De Bapti-ſmo Chri-ſti, circa principiũ. *gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta; ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum; & longè lateque plenitudo diffunditur gratiarum.* A

Sanctæ Crucis ſigno atque myſterio initiantur, & in his quæ fidei ſunt, erudiuntur catechumeni. Eodem ſigno fons regenerationis ſanctificatur. Hoc eodem ipſo, qui baptizati ſunt, per manuum impoſitionem gratiarum dona percipiunt. Crucis charactere Eccleſiæ & altaria conſecrantur. Signo eius, & verbis Domini, Euchariſtiæ Sacramentum conficitur. Per hoc ſacerdotes & diaconi ad ſacros Ordines promouentur. Et omnia denique Eccleſiaſtica Sacramenta, vt ſuperiùs dictum eſt, ſanctæ Crucis ſigni virtute perficiuntur.

De Tépore, Ser. 101 Quin etiam Moyſes ipſe, vt diuus teſtatur Auguſtinus, *nullum ſignum ſine ligni ſacramento peregit. Vt enim ſigna & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit à Domino; & ad ſigna quæque diuinitus audiebat, & dicebatur ei: Eleua virgam tuam. Non vtique Deus virgæ auxilio indigebat; ſed erigebatur, vt ſcire poſſemus, quantum eſſet illud futuri ligni myſterium, cuius fuerat vmbra figuratum virgæ illius ſacramentum.* B *Typi ligni Crucis pæne infiniti in veteri Teſtaméto.* *Fortè ſi Rubrum mare diuidendum eſt, iubetur Moyſes eleuare virgam; & mare cognoſcens venturi ligni figuram, mox iter populo pandit inſuetum. Si ad aquam Marrhæ amaram venitur, niſi lignum in ſe ſuſceperit, non dulceſcit. Quæ res erat indicio, amaritudinem Gentium, per lignum Crucis in vſum dulcedinis quandoque eſſe vertendam. Si autem non habet aquam populus vnde bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiam, quod non habuerat per naturam. Si Amalec ſæuus hoſtis occurrit, Ieſus filius Naue virgam tenere manu iubetur, & Moyſes brachia ſua in modum Crucis extendere, ac ſic per figuram Crucis vincitur inſuperabilis inimicus. Sed nec Eliſeus ligni huius myſtici virtutem penitus ignorauit, qui ſecurim de manubrio in gurgitem lapſam, miſſo in flumine ligno, de profundo euocauit: ſignificans vtique dura corda, & ferreas hominum ceruices de profundo emerſas errore, ligno Crucis eſſe in poſterum ſubiugandas.* C

In hieroglyphica ergo figura antedicta, Crux conſpicitur, ſuper vas ſiue fontem collocata. Quod quidem vas (ſi tamen hoc dicere fas eſt) Chriſtum Dominum crucifixum videtur præſignaſſe, qui verus eſt fons vitæ & ſalutis; de quo ait Propheta: *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Fons eſt Chriſtus, inquit diuus Ambroſius, à quo aquæ manant, & ſupereffluunt requirentibus, quibus vniuerſa carnis flagitia diluuntur, & omnia reſtinguuntur incendia. Et alibi ſubdit: *Fons eſt omnium vitæ Chriſtus.* Ex hoc igitur ſacratiſſimo & diuino fonte, cùm latus eius in Cruce lancea perfoſſum eſt, aqua & ſanguis manauit: aqua quidem pro culparum noſtrarum ablutione; ſanguis autem pro noſtra redemptione. *De latere tuo*, inquit diuus Cyprianus, ſermone ad Chriſtum conuerſo, *fons egreditur in vitam æternam proſiliens, & de eadem conſubſtantialique origine, diuiſis limitibus, aqua & ſanguis emanant, ad complementum perfectionemque totius iuſtitiæ, ſacramenta in perpetuum duratura; & fontis illius vbertas, perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam irrigat & fecundat. Ex hoc fonte non tantùm ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Chriſtum, vndas haurimus, ſed & compunctionum & lacrymarum perennes effluunt riui; miſericordiarum ſuauitas & totius pietatis effectus emanat.* D

In expoſitione tituli Pſalm. 45. De Iſaac, & anima cap 8. in fi. De paſſione Chriſti, circa finé.

Præfiguratus ſanguis Chriſti, in vitulorum & hircorũ ſanguine quo populum Moyſes aſperſit. Præfiguratus fuit ſanguis à Chriſto Domino profuſus, quo redempti atque mundati ſumus, in vitulorum & hircorum ſanguine, quem magnus ille Moyſes, poſtquam omnia Legis præcepta populo perlegiſſet, aqua & lana coccinea & hyſſopo miſcens, librum & omnem populum eo aſperſit; inquiens: Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod miſit vobis Deus. Eodemque, ipſum tabernaculum, & omnia vaſa ad ſacrificium ſpectantia, pariter inſperſit: illud ſanè præſignans,

A signans, nempe per Christi sanguinem, sanguinem inquam præfigurati ac noui Testamenti, omnia sacrificij & domus Domini vasa, id est, omnes fideles mundandos & recuperandos; & absque sanguine illo nullam humanis casibus redemptionem adesse. Quamobrem inquit Apostolus: *Lecto enim omni mandato Legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerij, sanguine similiter aspersit. Et omnia panè in sanguine secundùm Legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hebr. 9.

Perquirit diligenter Theophylactus in hunc locum, quidnam causæ esse potuerit, cur Moyses librum Legis, & vniuersum populum sanguine asperserit; & denique respondet: *Fortè*, inquit, *vt pretiosus Christi sanguis præfiguraretur, quo nos & corda nostra inspersa fuere; nam ipsa libri sunt.* Verùm omni dubitatione In Epist. ad Hebræos cap. 9.
B remota asserimus nos, sanguinis aspersionem illam, quam super librum, & super omnem populum fecit Moyses, nil aliud extitisse, quàm vmbram & figuram pretiosissimi Christi sanguinis, qui pro humani generis redemptione, & pro cordium nostrorum emundatione effusus est; quæ quidem libri sunt, in quibus diuinæ ac sanctæ Legis præcepta iugiter inscripta & annotata esse debent, & in quibus Deus omnes affectus ac desideria nostra apertè legit. Aqua autem, subdit idem Theophylactus, Baptismi symbolum fuit; & propterea ibi sanguinem & aquam assumpsit Moyses, ad sanguinem & aquam illam alludens, quæ ex Christi Domini latere effluere debebat: vel quia Baptismus, cuius aqua symbolum est, mortem Domini annuntiaret, cuius sanguis est indicium. Assumpta pariter est in hoc ingenti planè mysterio, inquit, & hyssopus, ob vim retinendi, propter densitatem. Lana verò similiter, & lana quidem purpurei coloris, ipsum Christum innuens, qui tamquam mitis ouis occisus *Aqua quâ populum Moyses aspersit, Baptismi est symbolum.*
C est, & proprio cruore purpureo tinctus. Sanguine pariter aspersit Moyses tabernaculum, & omnia vasa ministerij. Et hæc sanè vmbra & figura extitêre. Nos enim Dei tabernacula & templa ipsius sumus, in quibus, dum iustitiæ ac bonitati innitimur, Spiritus sanctus inhabitat; iuxta quod scriptum est: *Inhabitabo in ipsis, & inambulabo.* Quasi diceret: Inhabitare delectabor in cordibus eorum. Deus enim ambulare dicitur, non quia de loco ad locum moueatur & transeat, sed iter eius hoc loco intelligi debet pro delectatione quam habet inhabitandi in cordibus sanctorum & electorum suorum. Quamobrem diuus Hieronymus inquit: *Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere, sed ambulatio eius est in cordibus sanctorum delectatio.* Vasa quoque nos etiam dici possumus; & vasa magnæ Domus Domini, in qua non tantùm aurea & argentea, sed vt testatur Apostolus, lignea quoque atque fictilia sunt vasa; quædam autem in honorem, alia verò in contumeliam. Quòd De his, quæ in S. Scripturis Deo attribuuntur, Tó. 9. 2. Tim. 2.
D si quis ab iniquitatibus & à peccatis mundabitur, erit vas sanctificatum in honorem, vtile Domino, & ad omne opus bonum paratum atque dispositum. Nos ergo tabernacula & vasa, pretioso Christi sanguine aspersa, cum ipso sanctificati, & in morte eius baptizati sumus.

Ad quidnam causæ esse potuit, cur Apostolus dixit, quòd secundùm antiquam Legem omnia pænè in sanguine mundabantur; & absolutè non asseruit, omnia mundari, sed illud *pænè* apposuit? *Quia* (respondet Theophylactus) *illa non erat perfecta mundatio, neque perfecta remissio; cùm peccata non remitterentur.* Vnde meritò quidem subdit Apostolus, melioribus hostijs quàm illis opus esse. Tanto autem meliores sunt nostræ Iudaicis, quantum terra cælum altius est atque præstantius: ideoque terrestria bona illis pro retributione promittebantur; no- In Epist. ad Hebræos, cap. 9.

ſtra verò hereditas cęlum eſt. Iure igitur ad illud acquirendum & adipiſcendum A
excellentius atque magnificentius requirebatur ſacrificium, id eſt, ſanguis vnigeniti Filij Dei, qui nos perfectiùs mundauit.

Præfiguratus itē ſanguis Christi in antiquis ſacrificijs, & morte iuſtorum:

Præfiguratus etiam fuit pretioſiſſimus Chriſti ſanguis, quem in paſſione & morte ſua profudit, antiquis ſacrificijs, & in iuſtorum omnium morte, qui ante ipſum occiſi ſunt. *Sanguis hic*, inquit diuus Ioannes Chryſoſtomus, *orbis terrarum eſt pretium: hoc Chriſtus emit Eccleſiam, hoc eam omnem adornauit. Sicut enim homo ſeruos emens, aurum erogat, & rurſum eos ornare volens, id auro facit: ſic & Chriſtus & ſanguine nos emit, & ornauit ſanguine. Tenebantur homines*, inquit diuus Auguſtinus, *captiui ſub diabolo, & dæmonibus ſeruiebant; ſed redempti ſunt à captiuitate. Vendere enim ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium; fudit ſanguinem ſuum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & inuenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet? Quid, niſi totus orbis? Quid, niſi omnes Gentes?* B

Ad populū Antiochenū Hom. 61. Tom. 5.

In Pſal. 95.

Inſuper in vuæ botro, è Terra promiſſionis allato.

Præfiguratus pariter eſt Chriſti ſanguis, qui in ſancta Eccleſia Catholica cunctis fidelibus factus eſt potio ſalutaris, in ingenti illo vuæ botro, quem pendentem è ligno exploratores Iſraëlitarum è promiſſionis Terra euexerunt. Quemadmodum enim botrus ille in ligno appenſus delatus eſt, preſſuſque muſtum fudit; quò Iſraëliticus populus ex eo bibens, fructuum ſuauitatem terrę illius deguſtare poſſet, quam Deus ei promiſerat: ſic Chriſtus Dominus ligno ſanctæ Crucis appenſus atque confixus, quaſi vuæ botrus impijs ac truculentiſſimis crucifixorum manibus preſſus, ſacratiſſimi ſanguinis ſui pretioſum atque ſuaue muſtum è vulneribus profudit: non pro redemptionis noſtræ pretio tantùm, ſed vt fideles & electi eius, in ſancta Eccleſia Catholica ex eo bibentes ac deguſtantes, ad immortalitatis atque æternæ felicitatis ſuauiſſimos fructus percipiendos, in cæleſtem patriam demum peruenire valerent. Quod Moyſes proculdubiò innuere voluit, cùm dixit: *Et ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum. Quia quomodo*, inquit diuus Cyprianus, *ad potandum vinum veniri non poteſt, niſi botrus calcetur antè & prematur: ſic nec nos ſanguinem Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus priùs fuiſſet & preſſus; & calicem prior bibiſſet, quem credentibus propinaret.* Benè præuidit Propheta, quàm dulcis atque ſuauis huius calicis potio futura eſſet, ita vt multos hinc ebrios futuros proſpiceret, cùm dixit: *Et calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. Hoc iam calice*, inquit diuus Auguſtinus, *inebriati erant Martyres, quando ad paſſionem euntes, ſuos non agnoſcebant. Quid tam ebrium, quàm non agnoſcere vxorem flentem, non filios, non parentes? Non agnoſcebant, non eos ante oculos eſſe arbitrabantur. Nolite mirari, ebrij erant. Vnde ebrij erant? Videte: acceperunt calicem, vnde inebriarentur. Vnde & ille gratias Deo agit, dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Ergo fratres*, ſubdit idem Auguſtinus, *ſimus filij hominum, & ſperemus ſub tegmine alarum eius; & inebriemur ab vbertate domus eius*, D
vnà cum his, de quibus diuinus Pſaltes intellexit, cùm ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Torrens dicitur aqua veniens cum impetu. Impetus erit miſericordiæ Dei, ad irrigandos & inebriandos eos, qui modo ponunt ſpem ſub vmbraculo alarum eius. Voluptas illa quæ eſt? Quaſi torrens inebrians ſitientes. Modò ergo qui ſitit, ſpem ponat: qui ſitit, habeat ſpem, inebriatus habebit rem. Antequam habeat rem, ſitiat in ſpe. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur. Quo ergo fonte irrigaberis? Et vnde currit tantus torrens voluptatis eius? Quoniam apud te eſt, inquit, fons vitæ. Quis eſt fons vitæ, niſi Chriſtus? Venit ad te in carne, vt irrigaret fauces tuas ſitientes. Satiabit ergo ſperantem, qui irrigauit ſitientes.*

Deut. 32.

Ad Cæciliū epiſt. 63.

Pſalm. 22.

In Pſal. 35.

Sācta ebrietas Martyrū & aliorum piorū.

Pſalm. 115.

Si verò te (ô anima) *terram infecundam, aut ſpinoſam, vel ſiccam ſentis*, ſubdit idem diuus

A diuus Pater alibi, *recurre ad Creatorem tuum*; instanterque & humiliter pete, *vt innoueris, vt fecunderis, vt irrigeris ab illo, qui posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum; & habitare fecit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis, & seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum frumenti. Ex qua terra? ex illa sterili, spinosa, & inaquosa. Et tu vnaquæque anima, quæ accedis ad Christum, terra es spinosa & arida. Vnde probamus quia talis es? Recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti, & inuenies quid inde traxisti: Spinas, inquit, & tribulos germinabit tibi. An respondebis, non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo & tu talis es, spinarum multitudine, id est, peccatorum, prægrauata es. Ideò tibi talis cultura impenditur; propterea Crucis ligno exararis, propterea cælesti pluuia prępararis; vt cùm fecunda effecta fueris, non gratuleris de tuis, quæ nulla sunt, meritis; sed reddens bonos fructus, Christi prædices gratiam. Vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura, qualis te desuper perfundat gratia? Ecce agnosce, Christi Cruce exararis, quando eius signo in fronte signaris: eius sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris. Quotquot enim, ait Apostolus, in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Verumtamen *vide*, ô anima, subdit idem Pater, *quomodo accipias hunc sanguinem; quia qui eum benè accipit, accipit benedictionem: qui verò eum malè accipit, iudicium sibi bibendo acquirit. Hoc figuratum est in illo agro Iudæ, de quo dictum est quòd esset ager sanguinis: secutum est enim, vt diceretur: Fiat villa eius deserta. Si enim ad Iudam pertines, si facta eius imitaris, si sanguinem Christi non cum timore & tremore accipis; eris villa deserta, maledicta, reproba, & spinosa. Si autem sanguinem Christi tota cum reuerentia percipis, cognosces per illum tua tibi dimitti peccata; quoniam ager ille, quem comparauit Iudas, figuli dictus est. Habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam. O terra tanto irrigata sanguine, responde tanto sanguini, non sicut Cain & Iudas verba excusationis, sed sicut sancti Martyres verba confessionis. Responde sicut respondit beatus Stephanus, qui in isto agro Dominico vt bonus colonus plurimùm laborando, genu flexit; atque de terra petrosa vulneratus, ex ea lapides in suo corpore, tamquam in sinu suo collegit: & sudando in opere, terram sancto sanguine rigando, centenum fructum ex martyrio Domino præsentauit. Responde, sicut respondit Cyprianus, Laurentius, cæterique sancti pueri & puellæ, ætas omnis, & vterque sexus, qui percipientes sanguinem Christi, testimonium dicebant; & non negantes nomen Christi, pro sanguine, quem biberunt, sanguinem suum fundere non dubitauerunt, simulque cum Perpetua & Felicitate in æternum regnare meruerunt. Hoc in Apocalypsi reuelante Angelo, Ioannes vidit turbam multam, quam dinumerare nemo poterat. Hanc requirens, quænam esset, responsum tale accepit: Hi sunt, dictum est, qui lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Iam agnoscis, anima Christiana, quemadmodum & tu ex illo sanguine efficiaris candida; vt omnis & corpore & corde pulchra ascendas de fonte Christi consecrata in sanguine. Quid enim manauit ex illo latere Crucifixi? Sanguis & aqua: ex sanguine rubor, ex aqua splendor.* Hæc omnia Augustinus.

[Margin: De cultura agri Dominici, siue de Feria quarta, c. 2. T. 9. — *Ad Christũ anima infecunda accedat, vt ab eo irrigetur.* — B — Rom. 6. — Rom. 9. — C — *Sãcta agricultura Martyrũ imitanda.* — Apoc. 17. — D]

Ostensus est iterùm in Apocalypsi pariter eidem sancto Ioanni, sub aquarum Metaphora atque figura infinitus numerus populorum Gentilium, qui ab impiæ idololatriæ erroribus discedentes, ad Christianam veritatem, & ad sanctæ fidei lumen accessuri erant, quique Ecclesiæ sanctæ Catholicæ tamquam mystici corporis Christi membra sese coniungere debebant; tunc videlicet, cùm ei dictum fuit, quòd aquæ illæ quas viderat, & quibus meretrix illa insidebat, populi erant Gentium diuersarum nationum atque linguarum. Porrò hinc est, quod in Sacramento calicis, vinum & aqua infundi solet; non tantùm alludendo ad sanguinem & aquam, quæ ex Christi in Cruce pendentis latere profluxit;

[Margin: *Aqua & vini in calice Domini cõmistio, fideliũ populorũ cum Christo cõiunctionem significat.*]

fluxit; sed à fidelium quoque populorum in sancta Ecclesia Catholica cum capite ac Domino nostro Christo coniunctionem significandam. Quamobrem sanctus Cyprianus inquit: *Aquas namque populos significare, in Apocalypsi Scriptura diuina declarat, dicens: Aquæ quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes Ethnicorum sunt, & linguæ. Quod scilicet perspicimus & in Sacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat; videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt commistio illa non possit ab inuicem separari. Vnde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter & firmiter in eo quod credidit, perseuerantem, nulla res separare poterit à Christo, quò minùs hæreat semper & maneat indiuidua dilectio.* Hæc quidem omnia gloriosus Martyr, & Africæ Primas Cyprianus; quæ nos in sacratissimi sanguinis, quem Christus Dominus in Cruce profudit, venerationem, hoc loco retulimus. Ex cuius perfosso atque patenti latere, qui nobis fuit fons vitæ & salutis, sanguis ille pariter emanauit, qui in sancta Ecclesia Catholica fidelibus factus est potio salutaris. Ad quem non tantùm hieroglyphica figura anteposita alludere videtur, sed ad illum forsitan etiam, quem sancti Martyres pro Christi more, & in sanctæ fidei testimonium adeò copiosè profuderunt. quorum plurimi, cùm Baptismi gratiam adhuc non suscepissent, proprio cruore baptizati sunt. De quo Baptismate, quidam Christum Dominum intellexisse volunt, cùm dixit: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* Quasi diceret: Proprio sanguine denuò baptizandus sum: neque enim facilè credideritis, quantum salutis vestræ ardens desiderium, amorque infinitus in vos meus ad id me vrgeat atque assiduè impellat, donec re ipsa adimpletum sit.

Ad Cæciliũ epist. 63.

Forsitan etiam Baptismus sãguinis in hieroglyphico designatur.

Luc. 12.

De hoc Baptismate Origenes sic tradit: *Baptisma sanguinis solum est quod nos puriores reddat, quàm aqua Baptismus reddidit. Et hoc ego non præsumo, sed Scriptura refert, dicente Domino ad discipulos: Baptismo habeo baptizari, quod vos nescitis: & quomodo vrgeor, vt perficiatur? Vides ergo, quia profusionem sanguinis sui, Baptisma nominauit. Et ne ista dicens offendam, vereor ne istud Baptisma eminentius sit illo Baptismate, quod per aquam traditur. Illo enim accepto, valdè pauci sunt ita beati, qui id immaculatum vsque ad vitæ exitum seruare potuerint: hoc verò Baptismo qui baptizatus fuerit, peccare iam vltrà non potest. Et si temerarium non est in rebus talibus audere aliquid, possumus dicere, quòd per illud Baptisma, præterita peccata purgantur; per istud verò, etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hîc exclusa. Mihi si concederet Deus, vt proprio sanguine diluerer, vt Baptismum secundum morte pro Christo susceptum perciperem, securus ex isto sæculo discederem: vt veniens ad animam meam de hac vita exeuntem princeps huius mundi non inueniret quidquam; quin potiùs & sanguinis mei profusione sopiretur, nec auderet in aliquo criminari animam cruore suo dilutam, morte sua clarificatam, sanguine suo lotam. Post istud Baptisma nec Madianitæ vltrà irruerent ad disperdendos & exterminandos animæ fructus. Quis enim sequi possit animam Martyris, quæ supergressa omnes aëreas potestates, ad cæleste tendit altare?*

In Iudicum c.6. Hom. 7

Martyrij palmam quandoque optauit Origenes.

Beati planè sunt, quorum cor, cùm de sæculo recedunt, non trepidat pro peccato; quos pergentes ad Dominum, delictorum formido non terret. Beata illa anima, quæ occurrentes sibi aëreas dæmonum turmas, profusi in martyrio sanguinis cruore deturbat. Beatus est, de quo eunte ad cælum dicunt Angeli illam propheticam vocem: Quis est iste, qui ascendit ex Bosor, hoc est, qui de carne ad cælum ascendit? Quis est iste qui ascendit ex Bosor, rubor vestimentorum eius? in rubore vestimentorum, cruorem sanguinis designans. Beatæ sunt ergo animæ, quæ sic Christum sequuntur, quomodo eas Christus præcessit. Et

ideò

A *ideò quia sic sequuntur, vsque ad ipsum altare Dei perueniunt; vbi est ipse Dominus Iesus Christus Pontifex futurorum bonorum.* Hæc ille. Atque hæc hactenus de sanguine sacratissimo, quem Saluator noster pro redemptionis nostræ pretio tam liberaliter ac largè profudit, quemque non irrationabiliter forsitan opinor præsignatum fuisse in Ægyptiorum hieroglyphica figura siue imagine antedicta. Ex altera enim parte eiusdem vasis, quod sub Cruce ibi cælatum conspicitur, idem sanguis quodammodò profluere videtur: ex altera verò humor quidam promanare cernitur, ad aquam illam alludens, quæ ex eodem diuino & sacratissimo lateris Christi fonte pro peccatorum nostrorum ablutione & purgatione pariter effluxit. *Considerāda in hieroglyphico duplex scaturigo.*

Diuinus atque viuificus hic fons lateris Christi, qui pro culparum nostrarum ablutione, in sancta Cruce aperiendus erat, iam antè per plura sæcula à Propheta prospectus ac prænuntiatus est, cùm dixit: *In illa die erit fons patens* Zach. 13.
B *domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.* Super quibus verbis Rupertus Abbas diuinè propemodum inquit: *Quis enim est iste fons domus Dauid, nisi Baptismi sacramentum, quod emanauit de latere Filij Dauid, patefacto lancea militis? Exiuit enim sanguis & aqua: sanguis, vt redimeremur; aqua, vt renasceremur. Ex tunc, vsque ad consummationem sæculi, toto hoc tempore accepto, toto hoc die salutis, patens est fons ille domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, id est, Christianæ Religioni, & omnibus qui per fidem habitant intra sanctam Ecclesiam. In quo opus est illis fons patens? In ablutionem peccatoris & menstruatæ, id est, in remissionem peccatorum credentis ex Circumcisione, credentis ex Gentilitate, quæ sanguine fluxit idololatriæ. In omnium ablutionem fons patens est, nulli claudendus est. Et notandum, quòd tantummodò domui Dauid, & habitantibus Ierusalem fons patens dicitur, & est: nam his, qui contra domum Dauid & extra Ierusalem sunt, non* (In Zachariæ cap. 13.)
C *habendo fidem, hortus conclusus est, fons signatus est. Et benè continuò sequitur: In die illa, dicit Dominus exercituum; Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà. quia videlicet fluxus idololatriæ quæ est sanguis menstruatæ, fonte Baptismi abluitur; ita vt nomina idolorum omnia deleantur, nec vltrà in eum, in quem scripta fuerant, memorentur, cùm fuerit fonte illo fideliter ablutus. Hinc apud Ezechielem idem Dominus dicit: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos.* Ezech. 36.

Per supradictam ergo hieroglyphicam figuram, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta, quæ ex Redemptoris nostri latere effluxerunt, & inter ea præsertim Baptismus, nobis quodammodò repræsentari videntur: necnon & figuram eamdem prophetiam siue prædictionem quamdam tacitam fuisse, in qua non verbis, sed in imagine præsignaretur, veteres Ægyptios impiæ & ignominiosæ idololatriæ vanitatem ac superstitionem tandem deserentes, ad sanctæ fidei lumen, & ad
D sacrum Baptisma demum redigendos esse. Ac proinde in ipsa eadem hieroglyphica figura, Ægyptij cælati ac genuflexi sanctam Crucem adorantes conspiciuntur: illamque vnà cum vasis suis, manibus deferentes, ad sanctam Ecclesiam recurrere videntur, vt sacro fonte Baptismatis abluantur, & vt cordium suorum vasa fide sancta impleant, pro peculiari ipsorum captu, ac pro mensura, quam Deo vnicuique tribuere placuit. Iuxta quod inquit Apostolus: *Et vnicuique sicut Deus diuisit, mensuram fidei.* Quam fidem Spiritus sanctus vnicuique fideli per sanctam Ecclesiam infundit. Atque hinc est, quòd cùm quis baptizari vult, antequam ad tanti Sacramenti actum procedatur, baptizandus ipse statim à sacerdote interrogatur: *Quid petis ab Ecclesia?* Et ille respondet: *Fidem.* Quod apposite innuere videtur vasculum illud siue mensura, quam Ægyptij, qui ibidem cælati (*Genuflexio Ægyptiorum in hieroglyphico quid videatur significare.*) (Rom. 12.)

sunt,

sunt, manu deferunt, vt à sancta Ecclesia tanti thesauri dispensatrice, Fide sibi A
impleretur; quæ pro munificentissimi ac benignissimi largitoris Dei sancta voluntate atque arbitrio singulis tribuitur. Quamobrem Prosper Aquitanicus in suo De vocatione Gentium tractatu, qui à nonnullis diuo Ambrosio adscri-
Lib. 1 c. 8. edit. Ambr. bitur, prædictis Apostoli verbis ad institutum hoc vtens, ait: *Paulus verò Apostolus hanc ipsam fidem secundùm mensuram dari pro arbitrio largientis prædicat.*

Iam sanctus Isaias Propheta in spiritu præuiderat, Ægyptios, ceterosque Gentium populos, qui agnitione Dei omnique fidei lumine, & vera religione orbati, pauperes & mendici erant; & tamquam aridi ac deserti campi, omni sanctæ doctrinæ spiritualis pabulo, omnique Sacramentorum salubrium aquarum rigatione destituti; per Dei misericordiam sacro Baptismatis fonte irrigatos atque dilutos, fecundos tandem atque frugiferos redigendos esse, cùm di-
Isaiæ 41. xit: *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos. Aperiam in supinis collibus* B
flumina, & in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, & terram
In Isaiæ cap. 41. *inuiam in riuos aquarum.* Quæ verba diuus Hieronymus exponens, inquit: *Gentium populus pauper & tenuis, qui non habebat scientiam veritatis, quærit per diuersos magistros, & varia Philosophorum dogmata, aquas salubres, & non inuenit, quia non sunt: lingua eorum siti aruit, sine Lege & Prophetis. Omnem enim, iuxta Euangelij fidem, substantiam suam in medicos consumpserat; & à cruore idololatriæ, & sanguine victimarum non poterat liberari. Propterea Dominus Deus Israël, non eos penitus dereliquit, nec in æternum perire passus est: sed aperuit in supinis collibus, siue in montibus flumina, & in medio camporum fontes. Quæ flumina ex illo fluuio duxêre princi-*
Psal. 45. *pium, qui in Psalmis legitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et in alio loco:*
Psal. 64. *Flumen Dei repletum est aquis: quæ aquæ & fontes de illo fonte manarunt, qui per Ie-*
Ierem. 2. *remiam loquitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et suprà in hoc eodem Propheta*
dicitur: Bibent aquas de fontibus Saluatoris. De quibus & in Psalmis canitur: Bene- C
Psal. 67. *dicite Dominum Deum de fontibus Israël. Et posuit, inquit, desertum in stagnum aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. De quibus aquis & Saluator in Euangelio,*
Ioan. 4. *mystico sermone dicebat: Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et iterùm:*
Ioan 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Baptismus Gentilium, sub quibus Metaphoris dudũ prædictus. Et alibi Spiritus sanctus per os eiusdem magni Prophetæ Isaiæ, sub iisdem Metaphoris nouorum fontium ac fluuiorum, qui in deserto, & in aridis atque sterilibus campis ab ipso aperiendi erant, clarè prædixit, populos Gentiles & idololatras, ad sacrum Baptisma, & ad sanctæ fidei lumen abs se perducendos: ita vt hi, qui propter idololatriæ impietatem & abominationem, bestiæ agri, dracones ac struthiones dici poterant; per fidem posteà & per Sacramenta, populus Dei electus, qui eum dignè laudaturus & glorificaturus esset, efficeren- D
Isaiæ 43. tur: *Ponam,* inquit, *in deserto viam, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo; populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Super qui-
Ad Cæciliũ epist. 63. bus verbis, sanctus Cyprianus asserit, Deum illic per Prophetam prænuntiasse, effecturum se, vt apud Gentes in locis quæ inaquosa priùs fuissent, flumina postmodum redundarent; ita vt electi, qui per Baptismi regenerationem filij Dei effecti essent, affluenter bibere possent.

Sancti Baptismatis Sacramentum in Eliæ sacrificio adumbratũ Sancti Baptismatis Sacramentum in eo sacrificio præfiguratum fuit, quod Elias Propheta in impiorum Baal sacerdotum confusionem Deo obtulit; tunc nimirum cùm illis proposuit, quò clarum atque perspicuum appareret quisnam

A nam verus Deus esset, aram erigerent, lignaque ac bouem in frusta concisum 3.Reg. 18.
superponerent, ignem autem non supponerent: ipse verò idem se facturum spopondit. Is autem Deus, qui ad sacrificium illud comburendum ignem mitteret, ipse idem, vt verus Deus, ab omnibus coleretur. Quæ conditio, cùm omnibus placuisset, postquam sacerdotes idololatræ idolum suum Baal inuocantes, vt ad sacrificium illud absumendum ignem immitteret, frustrà defatigati essent; tunc ipse aram suam erexit, in cuius circuitu fodit aquæductum, quasi duas aratiunculas, lignisq; ac boue membratim diuiso superposito, præcepit vt tertiò super his affluenter aquam effunderent. Cumque totum præparatum sacrificium, altare, ac fossa in eius excauata circuitu, aqua inundarent, ipso ad Deum preces fundente, ignis è cælo decidit, qui non ligna tantùm ac bouem superimpositum vorauit, sed lapides ipsos absumpsit, & aquam qua fossa repleta erat, ipsumque lutum circumquaque lambit. Quam figuram diuus Am-
B brosius ad regenerationis nostræ Sacramenti significationem deducens, asserit Baptismum tamquam ignem quemdam peccata consumere; quia Christus in De Elia & igne & spiritu baptizat. *Tu es, inquit, ô homo, qui super altare aqua ablueris, cuius exuritur culpa, vt vita renouetur. lignum enim & stipulam consumit ignis. Noli timere ignem, per quem illuminaris. ideò tibi dicitur: Accedite ad eum, & illuminamini.* Ieiunio c.22.To.1. Psal.33.

Felix Sacramentum aquæ nostræ, inquit Tertullianus, de Baptismo differens, *quia ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.* Ibi *caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Et iure quidem Tertullianus Baptismum, felix Sacramentum appellauit; cùm ipsemet Christus Dominus baptizari voluerit; non quia ablutione egeret is, qui peccati maculam numquam contraxerat, sed vt diuino huic Sacramento singulare De Baptismo, cap. 1. & De resurrectione carnis, c. 1.
C quoddam priuilegium, & perpetuam auctoritatem impertiret. Quamobrem diuus Cyprianus ait: *Veniebat Christus ad Baptismum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat; sed vt Sacramento perennis daretur auctoritas.* Et paulo inferiùs subdit: *Baptizatur Christus, nec vltrà Jordanis retrorsum conuertitur. Aruerunt vnctiones Iudaicæ: cærimoniæ putruerunt: perpetuo lapsu Baptismi gratia emanat ad posteros, nec vlla vetustate siccatur.* Hæc ille. Baptismus fons ille est, per cuius felices ac beatos riuos tantùm sitiens anima ad suauissimum fontem illum accedere potest, ad quem diuinus Psaltes peruenire cupiebat, cùm dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum;* vel vt alij legendum putant, *fortem viuum.* Quæ verba diuus Hieronymus exponens, inquit: *Primùm enim intelligendum est, quare, vel qualiter desiderat ceruus ad fontes aquarum. mos est enim eius, vt inuentum serpentem naribus hauriat; & post hæc exardescens, extinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ,* De Baptismo Christi. Fons Baptismatis ad alium fontē perennem ducit. Psal. 41. In Psal. 41.
D *qui diu in actu venenoso degebat, vbi se perspicit cœno fornicationis, idololatriæ fœtore repletum, desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis; vt ablutus Baptismo, accipiat donum remissionis. Scit enim, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habebit vitam æternam. Sed & si quis hodie nostrùm extinctis vitiis, ignescat in desiderium Dominicæ contemplationis, potest & ipse dicere: Quia desiderat anima mea ad te Deus; hoc est, relicto sæculo ad te transire desidero.*

Diuus autem Augustinus, eumdem quoque Psalmum, ac præcipuè verba prædicta exponens, docet quomodo ceruum in desiderio & cursu ad fontem homo imitari debeat, & quisnam sit fons ille desiderabilis, inquiens: *Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ, & insiccabilis fons: in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen,* In Psal. 41.

quale non norunt oculi tui. Cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem: sed noli vtcumque, noli vt qualecumque animal currere: vt ceruus curre. Quid est, vt ceruus? Non sit tarditas in currendo, impigrè curre, impigrè desidera fontem. Inuenimus enim insigne velocitatis in ceruo. Sed fortè non hoc Scriptura solùm nos in ceruo considerare voluit; sed & aliud audi. Quid aliud est in ceruo? serpentes necat, & post serpentium interemptionem, maiore siti inardescit; peremptis serpentibus ad fontes acriùs currit. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc ampliùs desiderabis fontem veritatis. Et paulò pòst addit: *Dicuntur cerui, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se inuicem ponere, ita vt vnus præcedat, & sequantur qui supra eum capita ponant, & supra illos alij consequentes, & deinde alij, donec agmen finiatur. Ille autem vnus, qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus, redit ad posteriora, vt alius ei succedat, qui portet quod ille portabat, atque ille fatigationem suam recreet, posito capite sicut ceteri ponebant. Ita vicissim portando quod graue est, & viam peragunt, & inuicem se non deserunt. Nónne quosdam ceruos alloquitur Apostolus, dicens: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi?* Deinde subdit: *Quod dico, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; hoc dico, Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quid sitiuit? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Hoc est quod sitio; venire & apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu; satiabor in aduentu. Sed quando veniam? Quod enim citius est Deo, tardum est desiderio. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Ex hoc ardenti desiderio, illa verba pariter procedebant, quæ alibi idem Propheta clamans protulit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Sic ego quoque, dum hæc tota mentis deuotione conscribo, obsecro te Deus meus, Creator meus, & Redemptor meus benignissime atque sanctissime, singularis gratiæ dono mihi concede, vt ad pedes infimi electi tui qui in cælis adsit, ego etiam, licet indignus, in domo tua inhabitare valeam, ad te laudandum, benedicendum, adorandum, & magnificandum in sæcula sæculorum. Amen.

Vt ceruus serpētes necat, ita nobis vitiorū serpentes perimendi.

Insigne Emblema charitatis in ceruo.

Psal. 26.

A B C

CAPVT X.

De sanctæ Crucis hieroglyphicis figuris & imaginibus, quæ in antiquis Aegyptiorum obeliscis Romæ hodie conspiciuntur.

VETERES Ægyptij, vt superiùs iam diximus, super omnia idola solem, quem Osiridem appellabant, summo cultu & veneratione adorare consueuerant, illum omnium ceterorum cælestium deorum dignissimum existimantes. Quamobrem Lucius Apuleius, qui Osiridis & Isidis sacris initiatus erat, magnum deum, dominumque summum, & parentem inuictum eumdem appellauit. Illi verò in ipsius honorem, obeliscos construere & erigere solebant. quorum forma ad solares radios alludebant, qui à lucidissimo solis corpore sphærico iaculorum instar emissi, in figuram coni, oculorum nostrorum obtutibus sese ostendunt, à lata radice in acutum desinentes; ea pænè forma, quam hæc figura demonstrat.

Libro 11.

Obelisci in solis honorē ab Ægyptiis erecti.

D



Et

A Et quemadmodum prisci Ægyptij, vt solem honore prosequerentur, & radiorum eius imaginem repræsentarent, obeliscos construere consueuerant; sic etiam prisco gentis idiomate, eo nomine illos appellabãt, quod solares radios designabat. At postquam Ægypti regnum in Macedonum Regum, qui Ptolemæi dicebantur, potestatẽ deuenit; Græci qui prouinciam illam tunc frequentes incolere cœperunt, lingua sua obelos illos appellauêre: nomen ab eorum similitudine & imagine deductũ, quod nostro quidem idiomate idem sonat, ac si veru siue verua diceremus. Et quia in Ægypto ingens paruorum obelorum aderat copia, vt illos à procerioribus distinguerent, diminutiuo nomine obeliscos, quasi parua verua eos appellare cœperunt. Quod nomen posteà à populis adeò frequenter vsurpatum est, vt temporum progressu, obelorum nomine exolescente, obelisci omnes proceri æquè ac parui appellati sint. Nostrates autem è media plebe homines, vulgari nomine *Guglias* illos vocare consueuerunt; orta fortasse eos sic *Vnde Obelisci & Obeli nomen.*

B appellandi origine ab inscriptione illa prope radicem eius obelisci insculpta, qui in foro diui Petri nunc perstat, in qua Iulij nomen incisum est. Quod nomen cùm ab idiotis & imperitis legeretur, pro Iulio, Gulius pronuntiabatur; sicque à Gulio, obeliscum ipsum Guliam dixêre. Alij autem non Gulias, sed Agulias vulgari pariter sermone illos vocitant: eiusdem nominis originem ab acu deducentes, propter quamdam imaginis similitudinem quam cum illa obtinent; quandoquidem ab ipsorum basi sensim in excelsum consurgentes, ac paulatim gracilescentes, in angustum atque acutum verticem producuntur, vt Michaël Mercatus in suo de obeliscis Tractatu fusiùs tradit, ad quem, breuitatis ergô, id remittimus.

Primus obeliscorum inuentor, vt Plinio placet, fuit Mitres, quartus Ægyptiorum Rex, qui circa quinquagesimum & quadragesimum super ter millesimum ætatis mundi annum, Regni illius gubernacula suscepit, vt ex Eusebij Chroni- Lib. 36. c. 8.

C cis elicitur. Traditque Plinius, Mitrem Regem, sic in somniis admonitum, obeliscos construere cœpisse. Causam tamen, cur sic ei iniunctum sit, minimè prodit. Verùm sanctus Isidorus illam aperire videtur. Tradit enim, quòd cùm Nilus quodam tempore nimia quadam inundatione Ægypto graue damnum intulisset, Mitres Rex, quem ipse Mespres appellat, grauiter indignatus, tamquam pœnas ab ipso flumine tali pacto exigere vellet, sagittam in vndas eius contorsit. Itaque non multò pòst, graui quadam valetudine correptus, oculorum lumine orbatus, cùm post cæcitatem visum recepisset, duos obeliscos soli consecrauit. Diodorus tamen Siculus, non Mestri siue Mespri, sed Sesostri huius nominis secundo Ægyptiorum Regi, magni illius primi Sesostris filio, id contigisse asseuerat. Cuius verba, quia curiosam planè historiam quamdam, siue quod ipse etiam suspicari videtur, fabulam continent, hîc addidisse placuit; Originum lib. 18. c. 31 *Quæ prima sit obeliscorum erigendorum causa & origo.*

sic enim tradit: *Defuncto Sesostre, eius filius regnum capiens, assumpto patris nomi-* Rerum antiquarum lib. 1.

D *ne, nulla in re gloriam paternam est imitatus, sed eodem quo pater casu afflictatus est. Oculis enim captus, siue propter communem patris naturam, siue (vt quidam fabulantur) propter impietatem erga Nilum, cuius cursum iaculatus, coactus est ad deorum auxilium confugere, ac plurimo tempore variis peractis sacris ad placanda numina, nulla ope adiutus est. Decimo pòst anno, responso ei reddito, vt placato deo qui Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi proprium nosset virum; ab vxore propria incipiens, cùm multas expertus esset, nullam reperit incorruptam, præter hortulani cuiusdam, quam visu restituto vxorem cepit, reliquas omnes in villa quadam viuas combussit. Quem locum posteà Ægyptij Sacram glebam vocarunt. Deo autem Heliopolis gratias secundùm oraculum acceptum reddens, duos erexit vnius lapidis obeliscos, latitudinis octo, altitudinis cubitorum centum.* Hæc ille. Atque tunc primùm obe-

liscos visos esse tradunt: licet idem Diodorus Siculus alibi litteris commendauerit, Semiramem Assyriorum Reginam Babyloniæ obeliscum erexisse; quæ trecentis & eo amplius annis, ipsius Mitres Ægypti Regis æuum antecessit. Quod tamen quantum veritati innitatur, Mercatus antedictus eodem De obeliscis tractatu fusius prosequitur. apud quem curiosus Lector sibi in hoc plenè satis facere poterit: mihi enim hîc, vt in his immorer, neque locus neque tempus suppetit. nam stilus ipse ad id rectà dirigendus est, quod ad institutum nostrum magis pertinet. A

Ægyptij ergo obeliscorum primi inuentores extitêre; eorumque præcipua mens, vt diximus, in illorum constructione fuit, vt solem iuxta patriam religionem honore afficerent; radios eius, eorumdem obeliscorum forma repræsentantes: quasi tali pacto gratè & religiosè ea beneficia tamquam ab ipso accepta agnoscere vellent, pro quibus iustiùs ac religiosiùs Deo optimo maximo eorum largitori (ipsis radiis solaribus administris) gratiam iustis honoribus & memori mente persoluere tenebantur. Solares enim radij hi sunt, qui huc inferiùs demissi, ad homines, ad animalia, atque ad terram ipsam perueniunt; quibus infinita Dei largitas & munificentia multa bona & commoda ad humanam vitam necessaria communicat. Is ergo honor, & hæc grati animi propensio, quæ omni iure atque officio exigente, summo ac vero Deo ipsius solis Creatori referenda est, insani idololatræ Ægyptij soli creaturæ tribuebant. Idque quandoque immediatè, quandoque verò mediatè facere consueuerant. Immediatè autem obeliscos soli dicare solebant, cùm ipsimet soli, voti sponsione, vel meræ etiam deuotionis instinctu offerebant, illos in locis eidem soli sacratis erigentes. Mediatè verò, honorem hunc soli tribuebant, cùm eos in Regis vel magni herois cuiuspiam memoriam erigebant: quos vt maiore honore afficerent, vel per summam assentationem, solis filios appellabant; atque vt reuerà tales, cærimoniis quibusdam consecrabant: illosque deinceps tamquam terrestres deos habebant. B C

Duplex ratio obeliscorum erigendorum.

Qui autem voti vel puræ religionis ergô soli obeliscos dicabant, illos plerumque læuigatos & expolitos, nullisque litteris aut characteribus insculptos, construi curabant; nefas esse existimantes, voto, quod deo suo dicauerant, aliquid insculpi, quod ad mundi huius rem vllam, vel ad ipsorum propriam gloriam pertineret; qualis ille est, quem Sixtus Papa huius nominis Quintus Romæ in forum diui Petri transferendum, ibique erigendum curauit; quemque Noncoreo Ægypti Rege ac Sesostris filio iubente excisum fuisse volunt. In ceteris verò obeliscis, qui directè & immediatè soli non dicabantur, res varias atque diuersas hieroglyphicis litteris & characteribus insculpere solebant. Et quemadmodum dictio hæc hieroglyphica, nil aliud quàm sacrarum rerum notas significat; sic circa ea temporis initia, quibus obelisci in Ægypto construi cœperunt, nil aliud ferè his insculpebatur, quàm quæ ad naturalem philosophiam, & ad religionis cærimonias ac mysteria spectabant. Quæ quidem nil aliud ad summum erant, quàm naturæ vniuersi quædam obsita mysteriis interpretatio, secretaque demonstratio; vt Clemens Alexandrinus, Iamblicus, Apuleius, Plutarchus, Porphyrius, alijque plures testantur. D

Sacerdotes Aegyptiorum Astrologiæ & Magiæ cultores.

Cùm autem inter ceteras scientias, quæ circa ea tempora in Ægypto florebant, Astrologia & Magia magno in pretio haberentur; hinc Ægyptiorum sacerdotes peculiari eas studio profitebantur, existimantes magnam sibi opinionem & auctoritatem his administris accessuram, cùm ambæ scientiæ istæ apud homines, maiore quàm ceteræ omnes sint in admiratione: arbitrati per harum alteram se longè plus scire, per alteram verò maiora facere posse, quàm

A quod homini ſit conceſſum. Quamobrem quanto magis iidem ſacerdotes in his duabus ſcientiis excellebant, tanto maiore admiratione & veneratione ſe dignos putabant; præſertim verò in Aſtrologia iudiciaria, quæ longè nobilior atque ſublimior ſcientia apud eos habebatur, ideoque tamquam vna ex inſignioribus eorum Theologiæ partibus, maximè veneranda ac ſuſpicienda. Cuius gratia, & propter ea quæ de futuris contingentibus prædicebant, iidem ſacerdotes (licet falsò) Prophetæ appellabantur; vt Clemens Alexandrinus locis quamplurimis teſtatur; præſertim verò vbi Thaletem Mileſium cum Ægyptiacis Prophetis diſputaſſe tradit: idemque feciſſe Pythagoram, qui non eoſdem Prophetas tantùm audire voluit, ſed etiam circumcidi paſſus eſt, vt eorum adyta ingredi poſſet, myſticamque ipſorum diſceret philoſophiam. Et alibi idem Clemens Alexandrinus de philoſophia diſſerens, teſtatur, illam à principio apud Barbaros floruiſſe, deinde verò ad Græcos etiam perueniſſe:

Prophetæ hinc appellati. Stromatũ lib.1.c.5.

B *Ei*, inquit, *præfuerunt & Ægyptiorum Prophetæ, & Aſſyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Semanæi Bactrorum, & Celtarum ij qui philoſophati ſunt, & Perſarum Magi; qui quidem Saluatoris quoque noſtri ortum cognouerunt, & ſtella eos præcedente venerunt in Iudæam; & Indorum Gymnoſophiſtæ, & alij Philoſophi barbari.*

Stromatũ lib.1.c.7.

Hi ſacerdotes igitur, quos ſtulti Gentiles Prophetas appellabant, quemadmodum futura ſe præuidere arbitrabantur, ſic poſteris prodeſſe opinati, obeliſcis & ſaxis ea inſculpi myſticis figuris atque abſtruſis imaginibus curabant; vt plebeiis ac profanis hominibus celata, ſolis eruditis viris ac tali præſcientia dignis panderentur. Quamobrem nobis mirum videri non deberet, ſi inter eorum prognoſtica & prophetias, qualeſcumque illæ fuerint, permiſiſſet Deus optimus maximus, ſacratiſſimum quoque Crucis myſterium, per quod tam admirabile facinus facere ſtatuerat, præſignatum eſſet: ſicque inter myſticos hieroglyphicos characteres, qui in obeliſcis aliiſque Ægyptiarum antiquita-

C tum monumentis cælati ſunt, eiuſdem ſanctæ Crucis ſignificationes, figuræ, atque etiam imagines comperirentur, vt iam iam dicturi ſumus.

Prognoſtica ſua obeliſcis inſculpebant.

Atque inter ea, Deo permittente, Crucis myſterium.

At poſtquam litteræ ac bonæ artes in Ægppto prolabi cœperunt, cum ipſis etiam pura philoſophia, pietas, ac boni mores deprauati ſunt: ita vt auaritia, ambitio, & aſſentatio ipſos quoque ſacerdotes inuadens, Reges ad inanem gloriam pellicere aggreſſi ſint. Quod Triſmegiſtus Mercurius iam prædixerat, cùm ab Aſclepio interrogatus, quales futuri eſſent homines poſt ipſos; reſpondit quòd ſacerdotum & Philoſophorum malitia decepti, à pura & ſancta philoſophia ſeducendi ac ſemouendi erant. Quamobrem Ægyptiorum Reges, tam immoderata atque ambitioſa inanis gloriæ cupiditate deinceps exarſerunt, vt non tam religionis ergô obeliſcos ſoli erigerent, quàm vt ſuam ipſorum memoriam per eoſdem ad poſteros tranſmitterent; atque vt progeniem ſuam illuſtrarent, ſpectandamque ac magnificentiſſimam redderent: ea immanium ſaxorum

D forma delectati, quam ad propriam memoriam & recordationem per multorum ſæculorum poſteritates propagandam, aptiſſimam cenſebant, non ſolùm propter excelſam magnitudinis & altitudinis eorum molem, ſed quia magna ſtabilitate ac firmitate perſtant. Quocircà ſub religionis prætextu illos ſoli dicantes, propriam potentiam, imperium, reportatas victorias, exercitus deuictos, hoſtes profligatos, prouincias in ditionem redactas, populos ſubactos ac tributarios effectos, annuos cenſus, redditus, vectigalia, tributa, & vt ſummatim dicam, id omne quod ipſorum famam, nominis celebritatem, & gloriam augere ac propagare poſſet, iiſdem obeliſcis inſculpi curabant. Quare Diodorus Siculus memoriæ prodidit, Seſoſtrem illum magnum Ægyptiorum Regem, cùm bellis finem impoſuiſſet, nominis ſui rerumque ab ipſo geſtarum

In Aſclepio cap. 7.

At poſtmodum ambitioni Regum ſeruierunt obeliſci.

Rerum antiquarũ lib. 1.

famam perpetuam post se relinquere cupientem, permultas fabricas admiratione ac memoratu dignas magnis ac profusis sumptibus construxisse; atque inter cetera, duos ingentes obeliscos ex solidissimo lapide excisos, vtrumque centum & viginti cubitorum altitudinis erexisse; hisque imperij sui magnitudinem, vectigalium multitudinem, & ab ipso subactas nationes, cælatis characteribus inscripsisse. A

Qui, subacta Ægypto, Romam aduecti sunt.

Hoc obeliscorum nomen in Italia obscurum ac pæne incognitum fuit, donec Ægypti Regnum Ptolomæis Macedonibus ereptum, ab Augusto subactum, & in prouinciæ formam redactum, in potestatem populi Romani deuenit: tunc enim & hoc nomen vna cum obeliscis ipsis in Italiam est introductum. Etenim ab ipso Augusto, à Caio Caligula, à Claudio, & ab alijs Romanorum Imperatoribus eorum successoribus Romam aducti sunt, ita vt Publius Victor sua in regionum Vrbis descriptione testatus sit, ad sui temporis diem obeliscos quadraginta nouem Romæ perstare, magnos nempe sex, minores verò duos & quadraginta: locorumque vbi magni erecti fuerant, & eorum altitudinis mentionem facit his verbis: *Obelisci magni sex: duo in Circo maximo: maior est pedum* CXXXII. *minor pedum* LXXXVIII. *&* *semis: vnus in Vaticano, pedum* LXXII. *vnus in campo Martio, pedum* LXXII. *Duo in Mausoleo Augusti pares, singuli pedum* XLII. *& semis. In insula Tiberis vnus. Obelisci parui quadraginta duo. In plerisque sunt notæ Ægyptiorum.* Hi autem nunc tandem obelisci, qui tam longa sæculorum reuolutione, inani Gentium superstitioni & impiæ idololatriæ inseruierant, iustum planè ac rationi consonum prorsus erat, vt summi & veri Dei cultui demum manciparentur. Quamobrem Spiritui sancto in temporum nostrorum fauorem præcipuum placuit, diuino afflatu suo, pij ac magnanimi Principis Sixti Quinti Pontificis maximi mentem impellere, vt præclarum facinus quoddam aggredi statueret, quod iam prædecessores eius fieri non posse iudicauerant; nimirum, vt obeliscum Vaticanum, quem è media plebe homines sancti Petri Aguliam vulgariter vocant, transferri, & in foro ante eiusdem Principis Apostolorum Basilicam erigi iuberet. Atque si id votis suis feliciter responderet, ceteros quoque obeliscos, qui perfracti, & ad terram prostrati Romæ comperiebantur, ante alias huius almæ Vrbis insigniores Basilicas erigendos decerneret: vt in eorum præexcelso vertice, sacrosanctum & venerabile Crucis signum exaltaret ac figeret: piam atque laudabilem priscorum patrum in hoc consuetudinem imitatus, qui in Ecclesiarum ædificatione & dedicatione, ante earum fores Crucem erigi curabant: quo innueretur, hoc Christi Domini victoriæ & redemptionis nostræ inuictum ac triumphale esse vexillum, sub quo pius populus Christianus congregandus est, vt contra inuisibiles hostes nostros militet atque decertet; & vt gloriosum ducem nostrum sequatur, qui sub huius inuicti signi clypeo, constantem ac firmam totius victoriæ nostræ spem constituit. B C D

De regionibus Vrbis.

Nostro verò æuo à Sixto V. sanctæ Cruci solemniter dicati.

Excelsa igitur & admirabili quadam magnarum trabium contignatione & confixione, eiusdem Pontificis iussu constructa mole, siue castello; obeliscus is, quem diximus, quadraginta earum machinarum vi, quas Græci Γεράνιον, Latini *Grus*, nos verò *Arganos* vulgariter appellamus, qui omnes vno eodemque tempore, circumactis equis reuoluebantur, concinnoque & coniuncto ordine ingentes funes trahebant, toto pæne spectante & admirante populo Romano, à basi sua leuatus & auulsus, in terram reclinatus est. Tum in diui Petri forum pertractus, alterius similis molis ad formam primæ constructæ, admirabili sanè artificio, ad nonum Kalendarum Octobris, reparatæ salutis anno quingentesimo octuagesimo sexto supra millesimum, eo loco, vbi nunc perstat, erectus est.

Sequenti

A Sequenti verò ab ipſius erectione Veneris die, ſolemni de ſancta Cruce à quodam Epiſcopo in diui Petri baſilica peracto ſacrificio, idem Præſul, pontificalibus infulis ornatus, ab eadem ſacra baſilica egreſſus, præcedente Clero, ſubſequentibuſque aulicis & Pontificiæ curiæ familiaribus, & ingenti populi multitudine longo ordine deductus, & ab haſtatis Heluetijs, qui ad prætorium excubant, hinc inde ſtipatus, ad obeliſcum ipſum delatus eſt: ad cuius crepidinem altare quoddam erectum erat, ſplendido apparatu inſtructum, Cruxque ærea ac deaurata, quæ in ipſius obeliſci ſummo vertice erigenda atque figenda erat, ſuperpoſita: quam cùm idem Epiſcopus benedixiſſet; obeliſcum quoque varijs exorciſmis, & aqua ſancta hyſſopo aſperſum expurgauit; cumque thure ſæpiùs adoleuiſſet, diuerſis orationibus benedixit, & ſanctæ Cruci conſecratum dicauit, Crucemque ſingulis quattuor lateribus eius cultro inſculpſit. Dumque Pręſul ipſe his peragendis diſtineretur, ſuauiſſimo muſicorum concentu & ſymphonia varij atque diuerſi hymni in Chriſti & ſanctæ Crucis honorem concinebantur. Expleta autem benedictione, Crux ad ſummum pertracta, à quodam diacono in obeliſci vertice collocata eſt. quam ſtatim, vt in culmine illo ſplendens apparuit, omnes qui circumſtabant & vniuerſus populus genuflectentes, pia veneratione adorarunt; demumque muſicorum vocibus, tubarum clangoribus, ac bellicorum tormentorum ictibus conſalutata eſt. Tunc autem illud Prophetæ vaticinium veritate ipſa denuò eſt comprobatum: *Eleuabit ſignum in nationibus.* Iſaiæ 5.

Cærimonia in cõſecratione obeliſci anno 1586. adhibita.

Obeliſcus hic vnus ex his fuit, quos Noncoreus Ægypti Rex, excidendos & conſtruendos mandauit: Romamque, Caio Caligula Imperatore iubente, delatus eſt, annô circiter Chriſti Domini quadrageſimo primo, qui fuit imperij eiuſdem Caij tertius. Is enim in Circo, quem ad Vaticani collis radices extruxerat, ſecus Viam triumphalem illum erigendum curauerat. Verùm quia neque hieroglyphicis litteris, neque characteribus vllis inſculptus eſt, qui ad ſanctæ Crucis ſignificationes atque figuras deduci poſſint, id nobis hoc loco dixiſſe ſat erit; nimirum, inter Crucem & obeliſcum, admirabilem quamdam ſympathiam intercedere. Quemadmodum enim obeliſci, ſolares radios repræſentabant, per quos omnia commoda ad corporalis vitæ huius neceſſaria Ægyptij ſe percipere arbitrabantur; ita ſacrum & venerabile Crucis ſignum, clarum & coruſcantem radium immenſæ charitatis veri Solis iuſtitiæ deſignat, qui humani generis redemptionem in illo operatus eſt; per quam omnis ſpiritualis vitæ gratiam ac donum percipimus, & vitam quoque æternam conſequi ſperamus.

Quamobrem ex hoc vno tantùm capite, licet nil aliud accederet, apertè patet, quàm prudens conſilium, & optimè excogitata generoſi atque magnanimi Pontificis antedicti ratio illa fuerit obeliſcos erigendi, illoſque ſanctæ Cruci dicandi. Verùm enimuerò ſi permultas figuras atque imagines, quæ in ceteris obeliſcis hieroglyphicis characteribus inſculptis conſpiciuntur, quos idem Pontifex poſt hunc erigi iuſſit, quæ (meo quidem iudicio) ſanctæ Crucis ſymbola & ſignificationes exiſtunt, diligenter conſiderabimus; piè loquendo aſſerere libebit, conſilium ac mentem eius Spiritus ſancti afflatu excitatam atque impulſam fuiſſe. Perſpicitur enim quodammodò, eoſdem obeliſcos ad id præcipuè conſtructos eſſe, quo ſancta Crux in ipſis quandoque exaltaretur; præſertim cùm certò ipſi exploratum eſſe non potuerit, antedictas Crucis imagines & figuras ijſdem inſculptas reperiri: terra enim altè obruti atq; cõtecti, iam per mille pęnè annos delituerant. Niſi tamen aſſerere voluerimus, huius rei aliquod exile indicium illum aſſequi potuiſſe ex Circi maximi graphide, quæ ad Tertulliani librum De ſpectaculis addita eſt; in qua obeliſci illi duo, qui in eodem Circo perſtabant,

Obeliſcus Cruci à Sixto V. meritò dicatus.

Deoque, vt videtur, prorſus impellente.

B, C, D (section letters in margin)

ſtabant, delineati conſpiciuntur; licet informiter, nec vllo pacto ad archetyporum ipſorum veritatem reſpondentes quoad hieroglyphicos characteres, qui in ipſis inſculpti ſunt. Inter quos etiam nullus ibi prorſus cernitur, qui ad ſanctæ Crucis ſignum aut figuram pertrahi poſſit. A

Vaticani autem obeliſci erectio, ad Sixti Quinti votum tam felici exitu producta, animos ei addidit ſtatuendi, vt ad ceterorum erectionem, qui perfracti & ad terram proſtrati Romæ comperiebantur, incumberetur. Ideoque ſtatim iuſſit, vt ad ſanctæ Mariæ maioris baſilicam pertraheretur alter ex duobus obeliſcis illis, qui olim in Auguſti Mauſoleo perſtabant, iam Romam aduecti, ibique (vt quibuſdam placet) erecti, Claudio Imperatore iubente; quos iam ante bis mille, centum & ſexaginta annos, Smarres & Ephres Ægyptiorum Reges excidendos ac perficiendos curauerant. Is autem obeliſcus iam à Gothis euerſus, in quattuor fruſta perfractus, iacebat in via, qua à porta Flaminia ante Auguſti Mauſoleum, ad lignorum emporium, quod Ripettam vocant, eſt iter, B iuxta diui Rochi ſacras ædes. Hunc igitur Pontifex poſt ſanctæ Mariæ maioris ædem erigi, & ad eam formam quæ nunc conſpicitur, interpolari iuſſit; ærea ac deaurata Cruce ijſdem ſolemnitatibus in ſummo eius vertice collocata. Cuius obeliſci, quia nullis hieroglyphicis characteribus eſt inſculptus, nihil eſt quòd vlteriùs hiſtoriam proſequamur. Cùm autem ex Plinij, Tertulliani, Ammiani, Marcellini, Publij Victoris, & Caſſiodori lectione, nec non & eruditorum virorum, quos rerum antiquarum ſtudium delectabat, relatione, idem Pontifex notitiam aſſecutus eſſet, duos ingentes obeliſcos hieroglyphicis characteribus inſculptos, in Circo maximo antiquis temporibus perſtitiſſe; quorum alter Auguſto, alter verò Conſtantio magni Conſtantini Imperatoris filio iubente, ibi erectus fuerat; eos in ipſo eodem loco, vbi Circus maximus olim extiterat, qui hodie in hortorum culturam redactus eſt, præmio inuentoribus propoſito, diligenti ſtudio perquirendos edixit. Atque re ipſa compertos, illos ſtatim pertrahi C atque erigi iuſſit: alterum quidem ante ſacroſanctam Lateranenſem baſilicam, in foro, quo ad benedictionum xyſtum eſt proſpectus: alterum verò prope ſacratiſſimæ virginis Mariæ de populo templum; in foro, quod obuium eſt ſtatim Romam ingredientibus, per eam portam, quæ olim Flaminia, nunc verò De populo nuncupatur.

Magno itē ſtudio & ſumptu duo obeliſci hieroglyphici eruti.

Is autem obeliſcus, qui ante ſiue ad latus Lateranenſis baſilicæ erectus eſt, plurimis veriſimilibus argumentis ille idem eſſe putatur, quem Ramſes ſiue Ramiſes, huius nominis ſextus Ægyptiorum Rex, qui trecentis decem & octo circiter ſuper mille annis ante Chriſti Domini aduentum regnare cœperat, conſtruendum curauerat. Cuius obeliſci meminit Plinius, aſſerens illum quadraginta cubitorum altitudinis, & viginti millium hominum opera exciſum & conſtructum fuiſſe; veritumque Regem, ne ponderis magnitudine erigi potuiſſet, quò maius periculum curæ artificum denuntiaret, proprium filium adligaſſe cacumini, vt ſalus pueri apud molientes prodeſſet lapidi. Additque idem Plinius, obeliſcum hunc ſubſequentibus poſteà ſæculis tantæ admirationis extitiſſe, vt Cambyſes Perſarum Rex, Thebarum vrbe expugnata atque incenſa, cùm incendio ventum eſſet ad crepidines obeliſci, ignem illicò extingui iuberet, tantæ molis reuerentia, qui vrbis nullam habuerat. D

E quibus vnus ad latus Lateranenſis baſilicæ erectus, Ramiſſæ Regis fuiſſe creditur.

Libro 36. cap. 8. & 9.

Obeliſcus is ergo, à Cambyſe intactus præſeruatus, ingenti ea non obſtante quam in Ægypto ediderat ruina, in eadem Thebarum vrbe erectus perſtitit vſque ad magni Conſtantini tempora: qui cùm vrbem Conſtantinopolitanam, quam nouam Romam appellauerat, omnium magnificentiarum ſplendore pro viribus exornare agitaret animo, eumdem obeliſcum illuc deferendum

Thebis Alexandriā Conſtantini Imp. iuſſu delatus.

A dum ſtatuerat. Quamobrem antiquis ſuis ſedibus auulſum, ac Nilo deuectum
Alexandriam deferri iuſſit: verùm, dum ratis ceteraque ad tantam molem
mari Conſtantinopolim vehendam præparabantur, Conſtantinus ipſe ex hac
ad meliorem vitam migraturus exceſſit; obeliſcuſque idem vſque ad Con-
ſtantij filij eius vigeſimum tertium Imperij annum Alexandriæ ſubſtitit. Is
enim deuicto Magnentio, pluribuſque aliis tyrannis è medio ſublatis, qui di-
uerſas Imperij partes ſibi vſurpauerant, & Romano Imperio ad priſtinam vni-
tatem redacto, Romam venit, vt tantarum victoriarum ſuarum triumphum
duceret. Cumque admirabiles fabricas, ceteraſque ingentes moles ac magnifi-
centiſſima ædificia, quæ Imperatores prædeceſſores eius extruenda curauerant,
conſpexiſſet; deſiderij igniculis exardeſcere cœpit, alicuius heroici & illuſtris
operis pariter moliendi extruendique, quo amplitudinis ſuæ memoria in futura
conſeruaretur ſæcula. Cùm ergo quid ſibi faciundum eſſet, conſuluiſſet, in
B recordationem & memoriam illi reductus eſt obeliſcus ille, quem pater eius
Alexandriam deferri iuſſerat; aſſeuerantibus ad voluntatemque titillantibus
aſſentatoribus, quòd ſi obeliſcum illum Romam vehendum, atque in Circo
maximo prope illum quem Auguſtus ibi excitauerat, erigendum decerneret,
non ſolùm illius gloriam in hoc ab eo æquandam, ſed etiam liquidò ſuperan-
dam; cùm ille molis magnitudine territus, loco ſuo mouere nec contrectare
quidem auſus eſſet. Quamquam reuerà Auguſtus, vt Ammianus Marcellinus *Lib.17.*
teſtatur, obeliſcum illum intactum præteriit, non vaſtitate aut pondere per-
territus; ſed quia veritus eſt illum dimoueri loco, vbi ſolemni voto ſoli dicatus
& conſecratus fuerat. Cuius ſuperſtitionis rationem nullam habuit Conſtanti-
nus Chriſtianus Princeps, qui illum inde auellendum, Conſtantinopolimque,
vt diximus, aſportandum ſtatuerat.

His ergo rationibus permotus Conſtantius, obeliſcum antedictum Romam *Deinde*
C omnino vehendum decreuit: ideoque ſtatim iniunxit, vt maiore qua fieri poſſet *ſub trecen-*
diligentia, Alexandriæ, admirabilis & ad illam vſque diem inſuetæ amplitudi- *tis remigi-*
nis conſtrueretur; nauis, ſub trecentis remigibus agitanda qua idem poſteà *bus Alexã-*
obeliſcus ad Portum Romanum vſque, indeque per Tiberis fluenta, ad villam *dria Romã,*
quamdam, cui vicus Alexandri nomen erat, tertio ab Vrbe lapide ſeiunctam, *mandante Conſtantio, aduectus.*
eſt vectus. Vbi è naui in terram proiectus, & chamulcis impoſitus, leniuſque
tractus, Romam per Oſtienſem portam, quæ ſancti Pauli nunc appellatur, in-
uectus, & prope piſcinam publicam pertranſiens, Circo illatus eſt maximo;
vbi machinarum apparatu & conatibus illis, quos idem Ammianus Marcelli-
nus refert, circa ſexageſimum tertium ſuper trecenteſimum ſalutis noſtræ an-
num erectus eſt. vbi ad Totilæ Gothorum Regis vſque tempora perſtitit.
Tunc enim Barbari illi, acerrimo inuidiæ & odij motu, in inſigniora quæque
Romana ædificia debacchantes, Vrbemque ipſam euertentes, eumdem obe-
D liſcum, vnà cum antedicto Auguſti, & ceteris omnibus, qui tunc Romæ per-
ſtabant, ad terram proſtrauêre; illo Caij tantùm excepto, qui intactus ſer-
uatus eſt, ob venerationem, quam apud eoſdem Barbaros, qui Chriſtia-
ni erant, diui Petri baſilica obtinuit, ad cuius latus erectus erat. Itaque hi
duo obeliſci euerſi, & Circi maximi ruinis obruti, mille & quadraginta
annorum circiter ſpatio permanſerunt; donec Sixtus Quintus, vt diximus, il-
los eruendos cenſuit. Hic autem Conſtantij obeliſcus, in tria fruſta perfractus *Demum à*
inuentus eſt. At interpolatus, & ad Lateranenſis Baſilicæ latus erectus, conſue- *Sixto V.*
tis ritibus & cærimoniis eſt conſecratus: illiuſque vertici, eadem pietate *inſtauratus, &*
& ſolemnitate quam de illo Caij retulimus, Crux illa ærea ac deaurata, quæ *Cruci con-*
nunc ibi conſpicitur, defixa fuit, quarto Idus Auguſti, quingenteſimo *ſecratus.*
octua-

octuagesimo octauo anno supra millesimum; qui dies diuo Laurentio martyri sacer erat. A

Alter obeliscus in foro diuæ Mariæ De populo erectus est dicatusque.

Post hæc autem, Pontifex alterum obeliscum Augusti, qui prope hunc in Circo maximo compertus fuerat, pertrahi iussit, & in foro diuæ Mariæ De populo erigendum censuit; vbi re ipsa excitatus & consecratus est ad octauum Kalendarum Aprilis, anno millesimo quingentesimo octuagesimo nono. Isque ab architecto eo loco ac situ accurata ea circumspectione collocatus atq; defixus est, vt non tantùm à tribus ipsius Vrbis regiis viis, quibus ad portam Flaminiam patet iter (nimirum ab ea, quæ Ripettæ, ab ea quæ Cursus, & ab ea quæ Trinitatis dicitur) conspiciatur, sed in medio cuiuslibet earum prospectu ad amussim constitutus esse videatur. Atque in ipsius summo vertice, piis cærimoniis & solemnitatibus, quas de ceteris diximus, Crux pariter ærea & deaurata quæ ibi cernitur, erecta est. Obeliscus hic, vt Plinius testatur, Semnesserteo Amasis Ægyptiorum Regis filio iubente, olim excisus & constructus est; B quo regnante, Pythagoram in Ægyptum profectum tradit, vt Ægyptiorum sacerdotum Theologiam disceret; quod circiter quingentesimum ac vigesimum quintum annum ante Christi Domini aduentum contigisse censetur; Romamque Octauiano Augusto Imperatore aduectus est. Is enim, cùm Ægyptum in populi Romani potestatem redegisset, cupiens insignis victoriæ suæ aliquo prouinciæ eiusdem spectabili ac permanente trophæo Romæ perpetuam memoriam asseruari; Imperij sui anni vigesimo, qui ante aduentum Christi Domini vigesimus secundus fuit, duos ex procerioribus atque integrioribus obeliscis, qui in Ægypto post Cambysis Persarum Regis ruinam superfuerant, ab Heliopolitana vrbe Romam vehendos statuit. Quorum alterum, quem Sesostres Ægyptiorum Rex construxerat, in Campo Martio; alterum verò, de quo nunc agimus, in Circo maximo erigendum curauit.

Li. 36. c. 9.

Olim ab Augusto Romam aduectus.

Est autem obeliscus hic, quemadmodum & ille, qui ante Lateranensem C basilicam perstat, hieroglyphicis characteribus totus insculptus; quorum sensus & significatio, magna ex parte apud Ammianum Marcellinum legitur in Græcum conuersa, & ex libro Hermapionis, vt ipse asserit, desumpta: eademque ex Græco à Petro Bargeo Latinitati donata legitur apud Michaëlem Mercatum in eius de obeliscis Tractatu. Quæ quidem ad summum, nihil aliud continet, quàm eiusdem obelisci dedicationem, quam soli fecerat Semnesserteus Rex, Sethis Ramsetis magni Ægyptiorum Regis nomine: nec non & titulos, qui eidem Ramseti attributi fuerant tunc, cùm solis filius declaratus & consecratus est. Quam dedicationem & inscriptionem eidem Semneserteus ea de causa faciendã curauerat; quia cùm filius esset Amasis Regis, qui ex ignobili familia ortus erat, hoc pacto ostendere voluit, se ab eodem antiquo & clarissimo Rege originem duxisse: sicque generis sui humilitatem & ignobilitatem obtegendam ratus, illud antiquissimum & illustrissimum fuisse ostentare nisus D est. In amborum autem obeliscorum horum erectione priscam Ægyptiorum consuetudinem Augustus secutus est, illos soli consecrans ac dicans; quod aperte ostendit inscriptio illa, quam in basi huius obelisci Semnesertei, duobus nimirum lateribus ipsius quadrati trunci, ex lapide quem veteres Syenitem, & Pyrrhopœcilon Græco vocabulo, nos verò Granitum rubeum vulgariter appellamus, insculpi iussit, quæ ad hunc vsque diem ibi conspicitur, & commodè adhuc perlegi potest. At magnanimus Pontifex Sixtus Quintus, cùm obeliscum hunc, & ceteros quos diximus, in digniorem & laudabiliorem vsum conuertisset, illosque sanctæ Cruci sanctiùs & iustiùs dicasset; inscriptiones alias, quæ ibi cernuntur, eorum truncis inferioribus incidi iussit: quas hîc addere prætermisimus,

Lib. 17.


A misimus, quoniam quicumque Romæ adest, illas ibidem cùm voluerit, perlegere potest; qui verò abest, easdem etiam in Michaëlis Mercati libro, aliorumque scriptionibus quæ typis impressæ circumferuntur, inspiciet.

Præter duos hos magnos ac præexcelsos obeliscos, hieroglyphicis characteribus insculptos, quos diximus, tres alij minores, figuris ac litteris hieroglyphicis pariter cęlati conspiciuntur. Quorum alter erectus perstat in foro, quod sancti Mauti vulgò appellatur: alter in regio & amœnissimo viridario felicis recordationis Serenissimi Ferdinandi Medicei Magni Ducis Hetruriæ: tertius verò in eo quod generosus vir Cyriacus Matthæius Romanus construxit. Atque in his omnibus manifestæ & admirabiles sanctæ Crucis figuræ atque imagines conspiciuntur. Neque enim in hoc est quod miremur: nam quemadmodum Ægypti Reges obeliscos excidi & construi iubebant, illosque religionis B ergo soli, quem vt Deum venerabantur, dicabant; sic etiam fieri potuit, vt diuina maiestas, quæ pro sua infinita bonitate & misericordia Gentium populos ad sui ipsius agnitionem & verum cultum perducendos decreuerat, eorum imprudentiam & cęcitatem miserata, in obeliscorum forma, erectione, & hieroglyphicis, sanctam Crucem præsignatam præfiguratamque esse voluerit; in qua verus Sol iustitiæ Christus Dominus exaltandus, humani generis redemptionem operaturus erat: idque pro sua ipsius gloria, & vtilitate nostra; quò fideles & electi, qui futuris posteà sæculis superuenturi erant, easdem figuras attenta mentis contemplatione perpendentes, cùm per tot sæcula ante Christi aduentum, sanctæ Crucis imaginem, redemptionisque & salutis nostræ mysteria tam clarè & apertè præsignata perspicerent, pias laudes ingentesque gratiarum actiones infinitæ ipsius bonitati & misericordiæ omni animi studio persoluerent, atque in sancta fide solidiùs firmarentur.

C Quamobrem in omnibus obeliscis hieroglyphicatis, immò in omnibus simulacris, & in omnibus Ægyptiorum lapidibus, qui hieroglyphicis characteribus insculpti sunt, inter cetera mystica signa, littera T, ansula superannexa, locis quamplurimis indifferenter cælata conspicitur. Quod sanè admiratus doctissimus Lipsius in suo De sancta Cruce tractatu, ingenuè fatetur, nescire se ad quid, & pro cuius rei significatione Aegyptij figuram hanc tam frequenter insculperent. Verùm Iacobus Gretserus ex Societate Iesu, vt eximij ingenij sui præstantiam in hoc, sicut & in ceteris omnibus ostenderet, eumdem Lipsium secutus (qui tamen in hoc deceptus est) asserit, annulum illum siue ansulam, quæ litteræ T superposita cernitur in obeliscis, qui ex Ægypto Romam aduecti sunt, nil aliud verè esse, quàm oculum. Ægyptij enim per oculum, solem significabant, quem Iouis oculum appellare consueuerant, illum modò Serapidis, modo Osiridis nomine censentes. Atque huius opinionis suæ rationem D prodens, asserit, Aegyptios, & ex eorum disciplina Arabes, censuisse Crucis figuram ceteris omnibus præstantiorem esse, quippe quam dicerent stellarum fortitudine effectam, & earumdem fortitudinis susceptaculum existere; ideoque habere summam in imaginibus potestatem, viresque & spiritus suscipere planetarum. Ex quo argumentum sumit, & infert, eosdem Aegyptios planetarum Regi Osiridi siue Serapidi, id est soli, Crucem attribuisse: ostenditque eos id non sine causa fecisse. Cùm enim, inquit, Crucis signum Aegyptiis esset inter hieraticas litteras, quo vita ventura designabatur; cui magis appositè Crucem adscriberent quàm soli; quem vitæ videbant auctorem? addens, quòd si quis nolit circulum illum, qui Cruci superpositus cernitur, esse oculum; is dicat, signum hieroglyphicum esse Osiridis siue solis: testimoniumque

Hieroglyphicũ præcipuũ Tau, cur annulum siue ansulam habeat superpositam.

niumque ad id affert Clementis Alexandrini; qui vt exemplo ostenderet allegoricum sensum, quem hieroglyphica Aegyptiorum symbola obtinebant, asserit, eos, qui solem scribere volebant, circulum facere consueuisse. Ac piè admodum idem Gretserus concludens, ait, iure Tau siue Cruci oculum, siue solem circulo designatum, adiunctum fuisse, cùm Cruci aliquando verus Sol iustitiæ, mundique oculus clarissimus Christus Dominus figendus esset. Ibique addit figuram Tau, cui oculus, siue solis hieroglyphicum est superimpositum, hac forma delineatum. A




Qua quidem figura, & quibus Gretseri verbis, apertè dignoscitur, neq; eum neq; doctissimum Lipsium, qué in hoc imitatus est, Aegyptiacos obeliscos Romæ, propriis oculis coràm re ipsa conspexisse: vel si illos quandoq; viderunt, figuram tamen hanc siue hieroglyphicum, diligenti ac seria animaduersione non obseruasse. Annulus enim siue circulus, vt ipse ait, qui Tau siue Cruci superstat, nullo pacto ea forma quam ipsi supponunt, exaratus est; sed eo modo, qui adiuncta hac graphide demonstratur, vbique cælatus atque insculptus comperitur, non in ipsis obeliscis tantùm, sed in omnibus lapidibus & Aegyptiarum antiquitatum fragmentis, quæ ad hanc vsque diem Romæ perstant. B



Quamobrem manifestè patet, illum non esse oculum, neque circulum, siue solis signum hieroglyphicum, vt Lipsius antedictus obiter innuere voluit, atque vt idem Gretserus autumat, sed re vera ansulam ibi additam & superpositam, qua ipsum Tau, id est, Crux manui vel collo appensa deferri queat: vt clarissimè ostendunt imagines illæ, quas superiùs sexto & septimo huius libri capite prodidimus; quæ non solùm ex vetustissima illa Serenissimi Ducis Mantuæ hieroglyphica tabula, sed ex Aegyptiaco obelisco, in foro diuæ Mariæ de populo Romæ defixo, fideliter etiam delineatæ atque desumptæ fuère. In cuius infima parte, prope ipsius basim, lateribus nimirum quæ ad Orientem & Occasum vergunt; è quibus hinc conuentus monachorum eiusdem sacratissimæ Virginis de populo, inde verò Tiberis amnis est prospectus; solis etiam imago humana specie cælata conspicitur, mitram capite gestans: qua forsitan ad ipsius solis nomen alluditur, qui à Persis, & ab aliis antiquissimis nationibus Mitras apellabatur. Sinistra autem manu Tau defert, digitis ansulæ, cui ipsum Tau est appensum, infixis, vt in ipsius vero typo, quem in veritatis firmissimum testimonium hîc addere placuit, clarè intueri licet. C D

Verus ansulæ illius typus atq; vsus.



Ex quo euidenter apparet, inter paradoxa computari posse, si quis pertinaci contentione sustinere ac defendere perseueraret, illam non esse ansulá, sed oculum

A lum vel circulum, solem designantem: non enim oculo vel solari globo, qui per circulum innuitur, manus infigitur. Quamobrem idem Gretserus sententiam suam prudenter postea moderatus, subdit, inficias tamen iri minime posse, oculum illum seu circulum, præter mysticam significationem, ansulæ quoque vice fungi, vt illa Ægyptiaca littera, vitæ venturæ significatrix, non modò è collo commodè ferri, sed & manibus gestari posset. Quem vsum, inquit, indicare videntur imagines illæ Ægyptiacæ, quas ex antiquis monumentis efformauit Becanus. Indifferenter etiam tam in Constantij obelisco, qui ad latus basilicæ Lateranensis nunc erectus perstat, quàm in illo Augusti, qui in foro sanctæ Mariæ de populo defixus est, inter ceteros hieroglyphicos characteres, Crux decussata, quam sancti Andreæ vulgò appellant, circulo hoc pacto redimita, locis quamplurimis insculpta cernitur.

De S. Cruce, Tom. 1. lib. 1. c. 51.



B Quamobrem cùm superiùs capite sexto, præsenti loco reseruauerimus tractationem illius alterius hieroglyphici, quod in Serenissimi Mantuæ Ducis Ægyptiaca tabula tot locis insculptum cernitur, in quo Crux recta circulo pariter est circumdata; cùm vtriusque significatio eadem sit, æquum non est vt id vlteriùs prorogetur. Circulus ergo æternitatis est hieroglyphicum, quippe qui principio ac fine caret, quique neque incrementum neque imminutionem admittit. vnde de eo quidam ex recentioribus Auctor noster iure optimo inquit: *Circulum esse æternitatis hieroglyphicum, neminem latere potest qui non prorsus sit rationis impos.* Quocircà hinc fieri potuit, vt Ægyptij Crucem circulo redimitam, ea ratione forsitan insculpserint, vt hac profunda & mystica significatione innuerent, ad æternitatem non aliter quàm per hoc Crucis signum perueniri posse; ideoque Crucem ipsam talem effinxerint, vt quattuor extremitatibus suis ad circulum pertingeret, qui, vt diximus, æternitatis hieroglyphicum & symbolum

Petrus Bongus, De numero ternario.

Circulus æternitatis symbolum, Crucem cur amplectatur.

C existit. Verùm enimuerò, hac admirabili figura longè sublimiora mysteria innui videntur, quàm humani ingenij imbecillitas, solo naturalis luminis auxilio adiuta, assequi possit. Artificiosus enim & planè admirabilis character est: in quo si quis contemplationis aciem attentè dirigat, quasi in speculo quodam excelsa illa & suspicienda facinora, quæ summus Architectus ille atque omnium admirabilium patrator Deus per hoc sacrosanctum Crucis signum operaturus erat, retegi quodammodò videntur. Quare fieri non potuisse opinor, vt prisci Philosophi ac Theologi illi Ægyptiaci, vtpote Ethnici & à Christi Domini aduentu per tot sæcula remoti, licet quauis etiam mundana scientia excellenter præditi, id omne plenè assequi & intellectu percipere potuissent, quod mystica hac figura præsignabatur.

Scribit Plato, circulum figuram esse omnium perfectissimam, Deoque simillimam. Quibus sanè verbis longè plura atque maiora attigit, quàm se dixisse

D crediderat. Quemadmodum enim Deus æternus est, principij ac finis expers, simplicissimus, capacissimus, ac perfectissimus; ita circulus, vt dictum est, æternitatis est symbolum. Est enim interminata figura, principio ac fine carens; & simplicissima, quæ vnica linea continetur, omniumque capacissima, cùm omni impedimento sit vacua & expedita; & quæ demum perfectissima est, cùm nulli prorsus incremento aut imminutioni subiiciatur. Quin etiam, quod admirabilius est, quemadmodum Deus trinus & vnus est, ita & in circulo trinitas atque vnitas quodammodò continetur. Circuli enim circumferentia, trina & vnica dimensione ad diametri sui longitudinis proportionem protenditur. vt exempli gratia, si diameter erit septem palmorum longitudinis, circumferentia eius ad ter septenos atque vnum palmum, id est ad vnum & viginti

Deus circulus intellectualis, cuius centrum vbique, & circũferentia nusquã. Aristot. in Quæstion. mechan.

palmos prorogabitur. At longè altiùs ac mirabiliùs, multoque ante ipsum Platonem Mercurius Trismegistus locutus est, cùm dixit, Deum circulum intellectualem esse, cuius centrum vbique est; circumferentia verò nusquam. Quamobrem non iniuria Aristotelem dixisse probatur; pleraque miraculorum in circuli motionibus accidere. Cuius profectò sententiæ maior sensus patet, quàm ipse quoque se protulisse crediderat. Tunc enim miraculorum omnium maximum miraculum circuli motionibus accidisse constat, cùm benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, miseriarum nostrarum misericordia motus, dilectum & vnicum Filium suum abs se in æterno atque beato sanctissimæ Trinitatis circulo ante omnia sæcula genitum, sibique diuinitate atque potentia æqualem misit: qui factus homo, vt miseram & ærumnosam humanam naturam, peccatorum profundo barathro demersam, mortis vinculis alligatam, & sub horribili dæmonum tyrannide prostratam atque obrutam erigeret ac subleuaret; Crucis arborem vitaleque & quadratum hoc lignum conscendit, quod quattuor extremitatibus suis ad circulum pertingit: significans Dei Filium, in mortis & sepulturæ suæ profunditate, infernum spoliaturum; gloriosæ resurrectionis & admirabilis ascensionis suæ sublimitate, cælum & æternitatis aditum nobis reseraturum; in immensæ charitatis latitudine, electos suos ab Oriente & Occidente, in fidei vnitate, & in sanctæ ac militantis Ecclesiæ ambitum congregaturum: demumque præsignans, eosdem Dei electos, postquam sub hoc sanctæ Crucis felicissimo vexillo, contra quattuor illos acerrimos hostes nostros, mundum videlicet, carnem, mortem, & diabolum, qui à quattuor cuspidibus huius quater acutæ ipsisque terribilis ac letiferæ hastæ iam debilitati atque prostrati fuerant, viriliter decertauerint, immortalitatis corona, & æternæ gloriæ serto, in paradisi felicissimo circulo redimiendos. A B

2.Tim.4. Hanc certè coronam intellexit Apostolus, cùm dixit: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* subdens non solùm sibi hanc iustitiæ coronam à Domino infallibiliter elargiendam; sed & omnibus, qui omni animi studio eum diligentes, præceptaque eius seruantes, & Crucem suam alacri animo ferentes, in periculoso atque terribili huius vitæ prœlio intrepidè & constanter eum secuti fuerint. Atque hinc fieri potest, vt quattuor Crucis extremitates, quæ in hac hieroglyphica figura circulo siue corona redimitæ cernuntur, illud forsitan significent; quòd quicumque sub sanctæ Crucis quadruplici clypeo legitimè certauerit, & hac quater acuta lancea ab inimicis se ipsum strenuè defenderit ac tutatus fuerit; eo nimirum eiusdem lanceæ mucrone, qui ad profundum vergens solidè in terram defigitur, diaboli tentationes propulsauerit & oppresserit, in sancta fide firmus ac constans; acumine autem eo quod in summitate versus cælum erigitur, ambitionem, superbiam, & sæculi huius vanitates spreuerit; cuspide verò quæ ad dexteram protenditur, proprios carnis affectus & appetitus cohibuerit atque domuerit; & acie illa quæ sinistram versus distenditur, pro Christi amore persecutiones & mortis intentatos terrores despexerit; is proculdubiò coronam consequetur: quæ propterea in anteposita figura hieroglyphica Crucem in se complectitur; innuens atque apertè indicans, sine Cruce ad immortalitatis & æternæ gloriæ coronam perueniri non posse: quia, vt idem Apostolus dixit, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. C D

Quattuor Crucis extremitates circulo in hieroglyphica figura redimitæ, quid significare videantur.

2.Tim.2.

Circulus præterea sæpè etiam pro mundi significatione depingi ac figurari consueuerat: summus ille enim architectus Deus, immensam vniuersi molem creans, figura circulari effinxit. Quamobrem illud etiam fieri potuit, vt prisci

A illi Philosophi ac Theologi Ægyptiaci præsenserint, Deum per hoc admirabile Crucis signum, mundum quandoque reformaturum ac redempturum esse; ideoque in circuli mundum designantis medio, illam insculpserint: hoc auspicatissimo hieroglyphico diuinantes, Crucem ipsam in vniuerso terrarum orbe prædicandam & adorandam. Quocircà venerabilis Beda, & post eum Rupertus Abbas, poëticè pieque colludentes, libris suis ad institutum hoc illa Sedulij carmina intexuerunt, qui de eadem sancta Cruce cunctis quattuor mundi partibus colenda, sic cecinit: In Lucæ cap. 23. In Ioannis cap. 19.

Néve quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans, ratione potenti;
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacræ labuntur sidere plantæ,
B *Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem.* Operis Paschalis li. 4.


Vel saltem id verisimiliùs contingere potuit, vt ab ipsa Crucis forma, & à numerorum potentia quibus illa formatur, diuina permissione intellexerint, Deum optimum maximum, in hoc admirabili signo maiora miracula & excelsiora patraturum facinora, quæ post mundi creationis miraculum operari statuisset. Ac propterea in ipso circulo, quasi in mundi medio id insculpserint; vt innuerent, mundum & Crucem maiora Dei esse miracula, quibus infinita eius potentia, incomparabilis bonitas & misericordia omnibus fit propalàm. Quorum miraculorum & admirabilitatum, quas Deus ipse per sanctam Crucem operatus est, partem aliquam diuus Ioannes Chrysostomus breuiter attigit, sic ferè tradens: Hoc Crucis lignum, signumque quod mortis erat symbolum, multæ benedictionis argumentum factum est, & omnigenæ securitatis murus; tempestiua diaboli plaga, dæmonum frænum, chamus contrariarum C virtutum: hoc mortem sustulit, hoc inferni æreas portas confregit, hoc vectes ferreos contriuit, diaboli arcem expugnauit, peccati neruos execuit, totum orbem condemnationi subiectum eripuit; plagam à Deo immissam aduersus naturam nostram remisit; & demum quæ non potuit mare cùm diuideretur, & petræ cùm scinderentur, & aër cùm mutaretur, & manna quod quadraginta annis tot millibus hominum satis fuit, & Lex, & alia signa tam in deserto quàm in Palæstina facta, ea potuit sancta Crux; non in vno populo tantùm, sed in omnibus gentibus quæ in toto orbe terrarum sub sole degunt. Crux cælorum ostia reclusit, & paradisi renouauit ingressum. Crux terrarum orbem conuertit atque sanauit. Hæc errorem abegit, & veritatem reduxit. Hæc terram in cælum posuit. Hæc ex hominibus Angelos effecit. Hac Cruce mors in somnum redacta est. Hac omnia quæ nobis aduersabantur, humi deiecta conculcantur. In Ser. quòd Christus sit Deus, To. 5 *Elogia sacratissimæ Crucis.* In Mat. c. 16 Homil. 55. Tom. 2.

Per hanc (subdit idem alibi) sæculum sanctificatum est, dæmones dispersi D sunt, mors subuersa est atque deuicta, diabolus vinctus, homo solutus, & Deus glorificatus est. Demum verò seipsum erigens ad contemplationem virtutum ac mirabilium eorum, quę Deus optimus maximus per hoc sacrosanctum Crucis signum, in profectum nostrum operari dignatus est; mentem sibi repentè tot conceptionibus turgidam grauidamque sensit, vt illas retinere nequiens, quasi rapidi cuiusdam torrentis instar, cuius cursus à superfluente materia quandoque retentus, finitimos campos omnes inundet, in rerum tandem ingentem profluentiam sic proruperit: *Crux spes* est *Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrenatio diuitum, destructio superborum, malè viuentium pœna, aduersus dæmones triumphus, deuictio diaboli, adolescentium pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, nauigan-* In Hom. 2. De Cruce & latrone, Tom. 3. In Homil. de Cruce Domini, eod. Tom.

gantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, pater orphanorum, defensor viduarum, iustorum consiliarius, tribulatorum requies, paruulorum custos, virorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas seruorum, Imperatorum philosophia, lex impiorum, Prophetarum præconium, annuntiatio Apostolorum, Martyrum gloriatio, monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, orbis terræ cautela, templorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Iudæorum, perditio impiorum, inualidorum virtus, ægrotantium medicus, emundatio leprosorum, paralyticorum requies, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio. A

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 12.

Sanctus autem Ioannes Damascenus his addens, inquit: *Crux nobis signum data est super frontem, quemadmodum Israëli circumcisio: per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus & discernimur. Ipsa est scutum, & arma, & trophæum aduersus diabolum. Ipsa signaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit Scriptura. Ipsa iacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum causa, peccati destructio, arbor resurrectionis, & lignum vitæ æternæ.* B



Verùm, quod notatu dignius in prædictis obeliscis consideratur, in his quæ ad institutum nostrum attinent, illud est; quòd Crux non solùm sub diuersorum characterum & hieroglyphicorum significatione ibi innuitur, sed in propria forma & imagine sua integrè insculpta conspicitur. Nam in Imperatoris Constantij obelisco, qui in foro palatij Lateranensis basilicæ nunc defixus est, in ea ipsius facie qua ad eamdem basilicam est prospectus, Crux cum quattuor brachiis, quattuorque extremitatibus suis hac forma cælata perspicitur.

Propria & vsitata Crucis forma in obeliscis clarè cernitur.



Immò in Augusti obelisco, qui in foro diuæ Mariæ de populo nunc perstat, pręcipuè verò in ipsius lateribus, quorum alterum ad Vrbem, alterum verò ad Occidentem & ad Tiberim respicit, Crux ea propria forma, qua nunc sancta Dei Ecclesia passim vtitur, insculpta conspicitur; vt clarè perspiciet quisquis oculorum aciem ibi feriis obtutibus direxerit. C

In eo autem qui sancti Ioannis Lateranensis nunc est, atque in ipsius facie quæ ad Orientem vergit, & ad Scalam sanctam prospectum habet, Crux eadem specie cælata cernitur super caput volucris cuiusdam, quam Græci nycticoracem, Latini bubonem, nos verò gufum vulgari sermone appellamus; ea prorsus forma, quæ hîc conspicitur.





Hieroglyphicum seu irrisi Christi, seu mortis meditandæ.

Videtur autem hæc figura, primo quidem intuitu, quædam ex his commentitiis ac ridiculis imaginibus esse, quas pictores quandoque pro ingenij impetu effingunt, quas Grottescos vulgariter nominamus; verùm si sedula & accurata contemplatione illam considerauerimus, non risum profectò, sed amaram potiùs hinc animi compunctionem, profundaque suspiria è cordibus nostris hauriet; inde verò spiritalem consolationem, quæ tepidas ac pias lacrymas ab oculis eliciet. Hoc enim admirabile quoddam hieroglyphicum, ac mysteriis plenissima significatio est probrorum & lu- D

A & ludibriorum, quæ in Cruce & passione sua Christus Dominus pro nobis miseris passurus erat; nec non & victoriæ ipsius & liberationis nostræ symbolica præsagitio. Auem hanc quandoque in bonam, quandoque verò in malam partem acceptam fuisse comperimus. In bonam accepit eam diuinus Psaltes, cùm in Redemptoris nostri persona locutus, eidem volucri eum comparauit, his verbis: *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psal.101. Et iure quidem. nam quemadmodum auis hæc hominibus ludibrio est, volucribus verò maximè inuisa; sic Christus Dominus Gentibus ludibrio, & Iudæis capitali odio fuit. Quare idem Psalmographus in eius persona alibi sic: *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psal.21.

Sæpè enim Christus Dominus à Gentibus irrisus est; tum verò præcipuè cùm Archisynagogi filiam à mortuis suscitaturus intrasset, astantesque turbas B recedere iussisset, dicens: *Recedite, non enim mortua est puella, sed dormit.* Matth.9. Subdit enim Euangelista: *Et deridebant eum.* Ac maiore ignominia ab Herode notatus est, cùm tamquam insanum ac stultum, alba veste indutum, ad Pilatum remisit: & longè maiori etiam opprobrio ab eiusdem Pilati militibus, in amarissimæ suæ passionis nocte irrisus atque ludificatus est; cùm purpura indutum ac spinis redimitum, Regem consalutabant, & colaphis cædebant. Apud Iudæos autem in tam acerbum atque mortale odium venit, vt calumniis illum persequi non destiterint, donec ipsis efflagitantibus in Crucem actus est; cùm mallent, pro Paschatis solemnitate, homicidam & latronem potiùs quàm ipsum liberum dimitti: & quamuis truculentissimis flagris cruentatum cernerent, effrænato tamen atque præcipiti furore impulsi, clamabant: *Crucifige, crucifige eum.* Ioan.19. Quamobrem iure planè tantam iniquitatem ac perfidiam benignissimus ac mansuetissimus Dominus per os Prophetæ conquestus ait: *Et odio iniquo oderunt me.* Psal.24. C Et alibi: *Multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.* Psal.37. Quin etiam ipsemet tantam ingratitudinem perfidis Iudæis ore proprio exprobrans, inquit: *Quia odio habuerunt me gratis.* Ioan.15.

Diuus Augustinus asserit, Christum Dominum similem fuisse pellicano, In Psal.101. nascendo; nycticoraci, moriendo; & passeri solitario, resurgendo. Quemadmodum enim pellicanus in solitudine nascitur, ac præcipuè in Nili ripa in Ægypto; sic Christum in solitudine natum fuisse dici potest, cùm ipse solus de virgine natus sit. Et quemadmodum nycticorax noctem ac tenebras diligit, & in parietinis atque ruinis inhabitat; sic Christus Dominus in tenebris & in nocte ignorantiæ Hebræorum, atque in ruinis præuaricationis eorum pati ac mori voluit, noctem diligens, id est, populum illum, qui in ignorantiæ nocte totus immergebatur & obruebatur. Quòd si illum non dilexisset, non vtique, dum in Cruce penderet, clamasset: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et D quemadmodum passer solitarius in altum euolans, in tectis habitat; ita Dominus ac Redemptor noster Christus, postquam resurrexit, quasi euolans cælos conscendit, ibique in sublimibus atque felicibus tectis habitat, ad dexteram Dei Patris sedens, vbi interpellat pro nobis. *Christus noctuæ cōparatus.* Idque est, quod diuinus Psaltes innuere voluit, cùm in eiusdem persona inquit: *Similis factus sum pellicano solitudinis; factus sum sicut nycticorax in domicilio: vigilaui*, id est, à morte; *& factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Psal.101. Quæ quidem verba exponens etiam venerabilis Beda, ait: *Nycticorax auis est, volans in tenebris; cui Christus comparatur, quia in tenebras,* In Psal.101. *id est in ignorantiam Iudæorum venit. Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Domicilium verò est destructum ædificium, vbi scilicet soli parietes sunt. Vnde alia translatio habet, In parietinis. Destructum autem ædificium Iudaicus*

populus erat, propter præuaricationem. In malam quoque partem auis antedicta plerumque accipiebatur; præsertim verò à priscis auguribus, qui cùm in augurijs illam apparere prospicerent, mali ominis nuntiam omnino esse credebant. Quare siue superstitione qua imbuti erant, siue obseruatione diuturna notandis rebus, seu ab euentibus qui quandoque contigerint, id acciderit, factum est, vt auis hæc deinceps feralis & funesta, calamitatumque ac mortium prænuntia communiter sit credita. Quod ob id forsitan etiam contigisse potuit, quia priscis temporibus, antequam mos sepeliendi mortuos in vrbibus atque in ipsis ecclesijs receptus esset; cùm extrà in prædijs & in agris humarentur, nycticoraces siue bubones hi in sepulchris plerumque degebant. Vnde de his agens sanctus Isidorus inquit: *Bubo à sono vocis compositum nomen habet: auis feralis, onusta quidem plumis, sed graui semper detenta pigritia: in sepulchris diu noctuque versatur, & semper commoratur in cauernis.* De qua Ouidius: A

Origin. l. 12. cap. 7.

Metamorphos. lib. 5.

Fœdaque fit volucris venturi nuntia luctus,
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen. B

Refert Ammianus Marcellinus in Valentiniani Imperatoris vita, quòd cùm idem Imperator Sabariæ moraretur, paulò antequam in infirmitatem illam incideret, ex qua posteà è vita excessit, bubo culminibus Regij lauacri consìdens apparuit, qui mœsta & lugubri voce funebria carmina occinere videbatur; & quamquam sagittis & lapidibus à multis certatim atque studiosè impetitus, nullo tamen pacto inde dimoueri potuit. Pierius Valerianus litteris commendauit, noctuam, quæ ominosarum harum auium species est, apud Ægyptios mortis symbolum & hieroglyphicum extitisse; traditque apud nos etiam, vulgatissimo & Oratorum & Poëtarum testimonio, noctuam letale aliquod aut inauspicatissimum infortunium afferre; licet id (mea quidem sententia) satis vanum ac superstitiosum habendum sit: causamque huiusmodi significationis duplicem se inuenisse asserit: alteram quidem, quòd cùm cornix vitæ longioris symbolum habeatur, compertum est, noctuam quadam naturæ antipathia seu repugnantia, nidis eius magis quàm aliarum auium insidiari; noctisque tenebris fretam, clanculùm irrepere, & pullos vel oua ipsius cornicis inuadere atque deperdere: alteram verò rationem esse, quòd mors furtim irrepit, & quia noctua nocturnum animal est, à quo Latini noctuæ nomen ei indidêre; nox verò sæpè à Poëtis pro morte ponitur. Vnde Virgilius Æneid. libro x. C

Mira de natura noctua.

——*In æternam clauduntur lumina noctem.*

& alibi:

Aeneidos l. 6. in fine.

Sed nox atra caput tristi circumuolat vmbra.

Ad probandum autem, noctuam funebris atque letalis præsagij esse prænuntiam, Pyrrhi Epirotarum Regis exemplum affert in medium, qui dum ad Argiuorum vrbis expugnationem ductaret exercitum, infelicissimæ mortis signum accepisse fertur à noctua, quæ lanceæ suæ cuspidi ex itinere insedit. Quod re ipsa illi posteà contigit. nam cùm eamdem vrbem ingressus esset, detracto insigni à galea ne internosceretur, cædemque in Argiuos ciues inceptasset, aniculæ cuiusdam filius eum hasta leuiter vulnerauit. At cùm Pyrrhus impetum in percussorem fecisset, Argiui mater, quæ id supernè ab alta specula spectabat, periculum intuita, tegulam ambabus manibus arreptam, super Regis galeam proiecit. quo ictu cùm exanimatus concidisset, Zopyrus quidam, qui sub Antigono militabat, Rege cognito occurrit, detractaque galea, ferrum gutturi admouit, quo ei caput abscinderet; sed toruis Pyrrhi oculis attonitus, os & mentum eius pro iugulo recidit. Subditque idem Pierius Valerianus, opinari se, no- D

Hieroglyphic lib. 20. De noctua.

A ſe, noctuam mortis ſignum illud fuiſſe, quod priſcis temporibus per lictoris manum mitti conſueuerat his qui publico iudicio morte damnabantur; præſertim verò apud Æthiopes, à quibus Ægyptios aiunt multa id genus rituum mutuatos. Eo verò ſigno viſo, reus ſponte ſibi mortem conſciſcebat; magno ſibi & patriæ dedecori futurus, niſi feciſſet. Talis tantaque erat reuerentia & honor, quo barbari illi Regem ſuum proſequebantur, quem vt numen quoddam venerabantur, vulgoque adorabant.

Cùm ergo, vt Valeriano placet, noctua mortis ſit ſymbolum & hieroglyphicum, fieri poteſt, vt figura hieroglyphica antedicta, in qua Crux noctuæ ſiue bubonis capiti infixa conſpicitur, Chriſti Domini victoria innuatur; qui per Crucem & mortem ſuam, mortem noſtram deuicit atque deſtruxit. In cuius feliciſſimæ victoriæ recordationem, ſancta Dei Eccleſia Catholica lętanti atque feſtiuo animo ad hanc vſq; diem ſic ſæpè concinit: ***Qui mortem noſtram moriendo*** *Christus mortem noſtram moriendo deſtruxit.*
B ***deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.*** Quamq; victoriam Propheta ille Spiritus ſancti lumine illuſtratus, iam prȩuiderat, cùm in ipſius Redemptoris noſtri perſona dixit: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors:* Oſeæ 13.
morſus tuus ero inferne. Super quibus verbis ſcribẽs Rupertus Abbas aſſerit, Chriſtum Dei Filium, qui mortis victor, & vitȩ auctor extitit, id in eius perſona magna voce & magna veritatis auctoritate dixiſſe. At quonam pretio nos liberauit ac redemit? Non auro vtique aut argento (inquit Gloſſa) ſed proprio ſanguine ac morte ſua, mortem noſtram perimens. Quaſi idem ipſe diceret: Moriar ego, vt ipſi viuant: deſcendam ad inferos ego, mortis & inferni deſtructor, vitæque ac mortis dominator. Chriſtus in reſurrectione ſua, inquit Nicolaus Lyranus, de manu mortis ſanctos Patres liberauit, qui in limbo detinebantur. & ideò hîc dicit: *De manu mortis liberabo eos.* quia in reſurrectione ſua, quoſdam peculiariter de poteſtate mortis eripuit: ſed in reſurrectione vniuerſali, cunctos fideles
C generatim liberabit. Cui expoſitioni, ſubdit idem Lyranus, concordat Gloſſa quædam Hebraica Rabbini Ioſue filij Leui, in Geneſis caput vigeſimumquartum; in qua dicitur: *Dicit Rabbi Joſue filius Leui: Jui cum Angelo vſque ad portas gehennæ, & iuit mecum Meſſias filius Dauid: & cùm viderunt captiui lucem Meſſiæ, lætantes dixerunt: Iſte educet nos de hac obſcuritate, ſicut ſcriptum eſt in Oſea: De manu inferni redimam eos.*

In Oſeæ cap. 13.

In Gloſſa ordin. ſuper Oſeȩ c. 13.

Bubo præterea ſiue noctua, vt diuus Ambroſius teſtatur, ſymbolum & figura hæreticorum atque Gentilium eſt. Quocirca cùm in hieroglyphico antedicto Crux ſuper bubonis caput inſculpta cernatur, piè etiam credi poteſt, idem hieroglyphicum, præſignificationem ac prænuntium quoddam extitiſſe, quo præſignabatur, Gentiles, ac præſertim Ægyptios ad ſanctæ Fidei lumen, ſub Crucis Chriſti ſuaui iugo quandoque acceſſuros. *Nolo te,* inquit Ambroſius, *imitatorem eſſe noctuæ, quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca eſt, quæ grandibus*
D *oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit. Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur. Iſtud animal hæreticorum figura eſt atque Gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Saluatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis cernunt vana, non reſpiciunt ſempiterna. De his ait Dominus per Prophetam: Oculos habent, & non videbunt. Et alibi: In tenebris ambulant. Sunt* Pſal. 113.
enim acuti ad ſuperſtitioſa, hebetes ad diuina: qui dum ſe putant ſubtilibus euolare ſermonibus, tamquam noctuæ, veri luminis ſplendore turbantur. Pſal. 51.

Ex verbis cap. 1. Malachiæ Prophet. Serm. cap. 1. To. 2. in fine eiuſdem Tomi.

Aliud verò admirabile hieroglyphicum proſpicitur in eodem Conſtantij obeliſco, atque in latere ipſius quod ad Occidentem vergit, xenodochiumque ſancti Ioannis Lateranenſis reſpicit. Nam ſi oculorum aciem ad altitudinis eius bis tertium ſignum quis direxerit; hominis cuiuſdam ſtantis imaginem

Aliud insigne hieroglyphicum Christi crucifixi. insculptam perſpiciet, qui panſis brachiis pænè ad Crucis ſimilitudinem, ſerpentem pedibus conculcat; eo modo ac forma, quæ appoſita hac graphide cernitur. A



Neminem ex Chriſti fidelibus vel mediocris etiam intelligentiæ reperiri poſſe crediderim, qui oculorum aciem in hanc hieroglyphicam imaginem dirigẽs, mentem non ſtatim erigat ad infinita ea beneficia contemplanda, pro quibus humanum genus, & vnuſquiſque noſtrûm Chriſto Domino gratiam referre debet, qui brachia ſua in Crucis ligno extendens, ibique pro nobis omnibus mortem oppetens, improbum atque fallacem B ſerpentem antiquum, humani generis hoſtem, deuicit & conculcauit; impia tyrannide ac truculentiſſimo dominatu illum expolians, quem in mundum ſibi arrogauerat. Chriſtus enim ipſe, grandis & fortis ille gladius Domini fuit, qui, Iſaiæ 27. vt iam Iſaias præuiderat, tortuoſum illum ſerpentem Leuiathan, qui aëris, terræ, ac maris tyrannidem inuaſerat, iugulaturus erat. De quo Iuſtinus Martyr ad ſerpentis illius inſtitutum, quem Moyſes in ſolitudine exaltauerat, inquit: *Non enim in ſerpentem nos credere per Moyſem docuit ſpiritus propheticus, quando illum à principio etiam maledictionis execratione à Deo mulctatum eſſe indicat: & in Iſaia per gladium magnum, qui Chriſtus eſt, iugulandum eſſe vt hoſtem, ſignificat.* (In Dialogo cum Tryphone Iudæo.)

Chriſtus homo ex virgine natus eſt, ſubdit idem Iuſtinus, vt qua via à ſerpente inobedientia initium ſumpſit, eâdem etiam exitium caperet. Quemadmodum enim Eua cùm virgo eſſet incorrupta, ſerpentis verbo concepto, inobedientiam & mortem peperit: ita & beatiſſima virgo Maria, fide & lætitia concepta, cùm nuntium ei lætum Gabriel Angelus attuliſſet, Spiritum videlicet C Domini in ipſam ſuperuenturum, & virtutem Altiſſimi ei obumbraturam; ſanctumque illum, qui ex ea naſciturus erat, Dei Filium appellandum eſſe; reſpondit: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Quapropter de ea natus eſt Chriſtus, per quem Deus ſerpentem & ſatellites eius angelos deſtruxit. Hæc ille.

Per ſerpentem autem in diuinis Scripturis ſæpè diabolum intelligi conſueuiſſe, adeò perſpicuum eſt, vt nullius probationis fulcro indigeat: tamen vt hieroglyphicæ huius imaginis expoſitioni maior accedat auctoritas, diuerſa ad id ſanctorum Patrum teſtimonia in medium afferemus. (*Teſtimonia veterũ Patrum, per ſerpentem diabolum intelligi.*) Inter quos primus idem Iuſtinus Martyr, in ſecunda Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum Pium Imperatorem, de eo ſic ferè tradit: Archidux & princeps malorum dæmonum, apud nos ſerpens vocatur, & ſatanas, & diabolus. Et alibi ſubdit, eumdem, leonem rugientem quandoque vocari, Moyſen verò ſerpentem illum appellaſſe: D apud Iobum verò & Zachariam, diabolum nominari, Chriſtumque Dominum, ſatanam illum vocaſſe: nomen, ſceleribus quæ fecit planè congruens: Sata enim Iudæorum & Syrorum voce, apoſtatam ac deſertorem deſignat: Nas verò ſerpentem ſignificat. (In Dialogo cum Tryphone Iudæo.) Origenes autem, draconem, ſerpentem, diabolum, & ſatanam, vniuerſum terrarum orbem decipientem appellat his verbis: *Iſte eſt enim draco, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas decipiens orbem terrarum vniuerſum.* (In Ezechielẽ Hom. 6.) Diuus verò Ambroſius de ſerpente, qui primos parentes noſtros ſeduxit, diſſerens, eum diabolum in ſerpentis forma extitiſſe aſſeuerat: *In ſerpentis autem figura*, inquit, *diabolus eſt.* (De paradiſo cap. 2.) Sanctus autem Auguſtinus, aduerſus Manichæos ſcribens, ſerpentem diabolum planè ſignificare dixit: *Serpens autem ſignificat* (De Geneſi cont. Manich. lib. 2. cap. 14.)

A *ficat diabolum.* Et in quæstionibus super veteri Testamento, quæ eidem Augustino tribuuntur, & inter cetera ipsius opera quarto Tomo impressa circumferuntur, ita legitur: *Diabolum fuisse, qui per serpentem mulierem circumuenit, dubium non est. Admiscens enim se serpenti, egit per illum quasi per organum, vt nec mulier occulti diaboli intelligeret dolum, sciens prudentem esse serpentem.* Sanctus verò Ioannes Chrysostomus de eodem sic tradit: *Erat autem serpens,* inquit, *prudentissima omnium bestiarum quæ super terram, quas fecit Dominus Deus. Eo quasi instrumento quodam vsus est diabolus, per quod mulierem, vtpote simplicius & infirmius vas, illius familiaritate in errorem & deceptionem prouocaret.* Et paulò inferiùs subdit: *Animali autem hoc, vt instrumento accommodato vtebatur diabolus, quo suarum fraudum esca deuorata, supplantare primùm posset mulierem, quæ faciliùs decipi poterat; & posteà per illam etiam protoplastum supplantauit.* Sanctus quoque Isidorus de hoc ipso inquit: *Serpens autem ille sapientior omnium bestiarum, indicat diabolum: qui inde serpens dici-* B *tur, quòd volubili versatur astutia.* Ac demum in Silua Allegoriarum asseritur, serpentem qui Euam decepit, diabolum repræsentasse & extitisse, qui inuidiæ liuore humanum genus interemit: subditurque ibidem, serpentem non solùm tortuosum, sed & lubricum esse; meritoque tortuosam ac lubricam bestiam induisse eum, qui in veritatis rectitudine non stetit.

Quæst. 31.

In cap Genes. 3. Homil. 16.

In Genesis cap. 4.

Serpens prætereà peccatum significat: idque naturali ac necessaria consequentia omnino probatur. Nam si peccati parens satanas, à Diuinis litteris serpens appellatur; peccatum, quod ab eo natum est, serpentem necessariò appellandum atque censendum esse patet. Quocircà diuus Gregorius Nyssenus ad institutum hoc inquit: *Nam cùm Diuinæ litteræ peccati patrem serpentem nominent; profectò quod à serpente natum est serpens est. Quamobrem peccatum parentis sui nomen meritò suscepit, serpensque iure appellatur.* Sanctus autem Cyrillus Alexandrinus de eodem sic quoque tradit: *Serpens enim peccatum,* inquit, *quod humanum* C *genus pascebatur, significat, quodque variis morsibus venenum hominibus infudit, quod effugere nullo alio pacto natura humana poterat, nisi auxilio atque ope diuina.* Et diuus Ioannes Chrysostomus ad hęc inquit: *Peccatum verò conceptum, coluber est; in præcordijs hominis parit mortem, nisi fuerit pœnitudine expiatum. Peccati conceptio serpens est in præcordijs latens. Consummatum, venenum spirat, & letiferum generat morbum.*

De vita Moysis.

In Euang. Ioan. lib. 2. cap. 50.

De potẽtia Serm. To. 5.

Cùm serpens igitur peccatum significet, forsitan verisimiliter etiam asseuerari poterit, per hieroglyphicam figuram antedictam, in qua homo apertis atque extensis brachijs conspicitur, qui serpentem pessumdat, Christum Dominum præsignatum fuisse, qui brachia in Cruce extendens, morte sua peccatum peremit, quod humano generi mortem intulerat. Vnde diuus Ambrosius: *Crux enim non Saluatoris mors est, sed peccati.* Serpens æneus, inquit sanctus Augustinus, quem Moyses exaltauit in ligno, viuorum serpentium venenum superauit: & D Christus in ligno Crucis suspensus & mortuus, antiqua venena mortiferi serpentis diaboli extinxit, omnesque ab eo percussos liberauit.

In epist. ad Coloss. c. 2.

De Tempore Serm. 101

Et hæc quidem, quoad Ægyptiacos obeliscos qui Romæ nunc publicè perstant, nec non quoad sanctæ Crucis symbola atque figuras quæ in ipsis conspiciuntur, hactenus dixisse sufficiat. In quorum obeliscorum vertice, nostris hisce temporibus, eiusdem sanctæ Crucis signum, diuino afflante Spiritu, exaltatum est; vt quicumque oculorum aciem in illud intenderit, mentemque vera fide & cordis contritione vallatam ad Christum direxerit, in cuius figura serpens iam à Moyse in deserto exaltatus fuit, à letiferi serpentis morsibus liberetur. A cuius veneno atque insidijs, pro sua pietate & misericordia nos semper liberet ac defendat is, qui sacratissimis pedibus suis Crucis ligno confixis, scelestissi-

lestissimum illius caput iam contriuit. Cuius excelso & glorioso nomini sit A laus, triumphus, imperium, & gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XI.

De impia Aegyptiorum idololatria destructione; & de sancta Crucis figuris quæ in templi Serapidis euersione repertæ sunt.

GLORIABATVR impius ac nequissimus humani generis hostis, in eo non tantùm quòd se impellente in peccatum inobedientiæ humanum genus prolapsum esset, quodque duram atque horribilem mortis in illud inuexisset sententiam: sed etiam in eo, quòd impiæ idololatriæ obscurissimis tenebris & cæcitate obruisset, à veríque Domini ac Dei Creatoris eius agnitione & cultu abalienasset: & quasi pro duplici victoria de hominibus triumphum B ducens, grandi supercilio, intolerabilique superbia tumens, iam planè sibi persuasum habebat, posse se contra nos omnes illud semper occinere, quod de

Psalm. 48. idololatris & infidelibus Propheta posteà cecinit: *Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos.* At tantam insolentiam & iniquitatem vlteriùs tolerare nolens iustus atque benignus mundi Saluator, vbi primùm pro impiæ & crudelis eiusdem tyrannidis destructione humanam carnem assumpsisset, primo itinere, quod corporaliter in hoc mundo habere voluit, in Ægyptum profectus est; vt idololatriæ pestiferum semen, quod inimicus homo in ea prouincia primitus superseminauerat, radicitus euelleret. Cuius infernalium germinum radices, non in Græciam tantùm, in Italiam, atque in ipsam Vrbem Romam inde irrepserant; sed longiùs latiusque serpentes, vniuersas pænè orbis terrarum partes occupauerant.

Cur Christus puerulus in Ægyptum potissimùm fugere voluerit.

Hoc benedicti Iesu in Aegyptum iter, iam à magno Isaia Propheta prædi- C ctum fuerat. Nam Spiritus sancti lumine illustratus, per tot ante sæcula, ad illius appulsum atque conspectum, Ægyptiorum idolorum simulacra, in quibus praui dæmones habitabant, commouenda, & in præceps ruitura prospexe-

Isaiæ 19. rat; sic enim inquit: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti, & cor Ægypti tabescet in medio eius.* Quam prophetiam sancti Patres ad Christi tempora communi pænè sententia referendam volunt, tuncque præcipuè adimpletam, cùm sanctus Ioseph ab Angelo admonitus, cum puero IESV & Virgine sacratissima in Aegyptum

In Ecclesiastici cap. 24. perrexit, Herodis iram atque insidias declinans. Quamobrem Rabbanus de eadem Prophetia disserens, illam ad Saluatoris nostri tempora referendam asseruerat; cùm ille humano corpore quasi leui nube à gloriosa Virgine assumpto, nullo virili sexus pondere seu commistione prægrauato, in Aegyptum profectus est; ad cuius aduentum omnia idola atque dæmonia contremuêre. D

De demõstrat. Euág. lib. 6. c. 20. *Praui vitiosique dæmones*, inquit Eusebius Cæsariensis, *per multa sæcula in simulacris latitantes, animasque Ægyptiorum omni superstitionis errori addicentes ac subijcientes; cùm sensissent nouam quamdam diuinamque virtutem ad se accessisse, illicò commoti sunt, & fluctuationem ac perturbationem in se ipsis pertulerunt; corque ipsorum & vis intelligendi intrinsecus in ipsis conuicta sunt atque cesserunt, dum sunt fugata ab ea virtute, quæ visum effugiens illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adurebat. Et tunc quidem inuisibiliter dæmones talia passi sunt, cùm Saluator noster Jesus Christus in Aegyptum cum visibili corpore peruenit.* Sanctus verò

De Incarnatione Verbi Dei. Athanasius de hoc itinere Redemptoris nostri in Aegyptum, inquit: *Quis instorum aut Regum in Ægyptum descendit, & eius descensu idola in Ægypto conciderunt?*

A *runt? Abraham descendit, nihilo tamen minùs idololatria vbique viguit: natus est ibi Moyses, æquè tamen illic hæsit Religionis error.* Et paulò inferiùs concludens subdit, Aegyptiorum superstitionem numquam quieturam fuisse, nisi Dominus omnium, in corpore, quasi in nube vectus, eò descendisset, & idolorum errores compescuisset.

Quòd autem ad Christi Domini aduentum in Aegyptum idolorum simulacra corruerint, apertiùs etiam in suis Homiliis innuit Origenes; qui exponens & amplificans verba illa quæ Angelus sancto Iosepho protulit, iubens vt vnà cum benedicto puero IESV ac Matre eius in Aegyptum profugeret, inquit: *Fuge in Aegyptum propterea, vt destruantur manufacta eorum, vt confringantur & pereant idola ipsorum: propterea vt dæmones turbentur, & Regum fabricæ in idolis destruantur: vt fiat in aduentu Domini fugitiuorum seruorum atque malorum interitus.* Hæc ille, aliique sancti Patres complures idem affirmant, diuersaque B alia similia circa id superaddunt, quæ breuitatis causa prætermittimus. Illud tamen animaduertendum est, ea nimirum quæ de Aegyptiorum idolorum simulacris, eorumque casu & ruina, hactenus dicta sunt, non sic accipienda esse, ac si omnia corruerint & confracta fuerint, sed de quibusdam dumtaxat; quo signaretur illuc illum appulisse, qui impiam idololatriam à mundo eliminaturus erat.

Idola Aegypti ad ingressum Christi collapsa.

In Diuersos, Ho. 3.

Impiæ ergo ac scelestissimæ Aegyptiorum idololatriæ destructio initium sumpsit ab eo tempore, quo Saluator noster in Aegyptum profectus est. Quæ prouincia hoc præcipuo fauore & gratia dignata est, vt prima, & non solùm prima, sed etiam inter ceteras externas Barbaras ac Gentiles prouincias sola extiterit, quæ Deum carne indutum inter homines versantem conspexerit. Quamobrem magnus ille Pater Anastasius Synaita Patriarcha Antiochenus expendens quàm ingens ille peculiaris ac singularis fauor fuerit, inquit: *Prima omnium* C *regionum Gentilium, terra Nili vidit Deum in carne apud se versantem: & nulla regio Barbarorum alienigenarum in mundo Christi faciem vidit in carne, nisi sola Aegyptus.* Ceterùm quòd sanctus Isaias Propheta impiæ idololatriæ Aegypticæ euersionem prædixerit, non est cur miremur: Spiritus enim sanctus, cui omne futurum præsens est, id ei reuelarat: at mirum planè fuit, quòd eamdem prȩuidens Mercurius Trismegistus, illam quoque prædixerit; & prædicendo, illi quasi illacrymans indoluerit: nam in suo Asclepio apertè admodum prȩnuntiauit, venturum quandoq; tempus, in quo Aegyptiorum idololatria, quam Diuinitatis sedulam religionem appellat, illorumque stulta & vana superstitio, quam sanctam venerationem vocat, ruitura & ad nihilum redigenda esset, inquiens: *Futurum tempus est, cùm appareat Aegyptios incassum pia mente diuinitati sedulam religionem seruasse; & omnis eorum sancta veneratio in irritum casura frustrabitur.* Atque in toto capite illo multas prædictiones addere pergit, quibus Ae- D gyptiorum idololatriam & superstitionem non tantùm tollendam atque delendam prænuntiat, sed etiam innuere videtur, venturum quoque tempus, in quo Christiana religio, quam tamen apertè non nominat, veritate ac sanctitate sua omnes diaboli fallacias & illusiones illas euersura, cunctosque Aegypti populos, Saluatoris nostri cooperante gratia, ad sanctæ fidei lumen reductura esset: ita vt à dæmonum & inanium deorum illorum, qui opera manuum hominum erant, seruitute liberati, vero Deo hominum plasmatori deseruirent.

Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron lib. 8.

Destructio idolorum etiam ab idololatra prædicta.

Nec tamen tam admirandum est, quòd ille hæc prædicere potuerit, quàm quòd vir sapiens ac doctus, qui stultissimarum superstitionum illarum ridiculam vanitatem apertè cognouit, earum nihilominùs euersionem ac ruinam deplorauerit. Quod meritò planè beatus Augustinus carpsit, his verbis: *Hæc*

vana,

S. August. De Ciuitate Dei, lib. 8. c. 23.

vana, deceptoria, perniciosa, sacrilega Hermes Aegyptius, quia tempus quo auferrentur venturum sciebat, dolebat: sed tam impudenter dolebat, quàm imprudenter sciebat. Non enim hoc ei reuelauerat Spiritus sanctus, sicut Prophetis sanctus, qui hæc præuidentes cum exultatione dicebant: Si faciet homo deos, & ecce ipsi non sunt dij. Et in alio loco: Erit in die illa, dicit Dominus, Exterminabo nomina simulacrorum à terra, & non erit eorum memoria. Gaudebant sancti, subdit sanctus Augustinus, aduenisse id quod iam venturum præuiderant; vt fecere Simeon & Anna, cùm puerulum IESVM iam natum esse cognouerunt; vt fecit Elisabeth, quæ illum iam in vtero Virginis conceptum in spiritu agnouit; & vt Apostolorum Princeps Petrus etiam fecit, cùm cælesti Patre reuelante dixit: Tu es Christus filius Dei viui. At huic Ægyptio, futura tempora perditionis suæ illi spiritus indicauerant, qui etiam præsenti in carne Domino trementes dixerunt: *Quid venisti ante tempus perdere nos?* (Matthæi 8.) Siue quia subitum illis fuit, quod venturum quidem sed tardiùs opinabantur: siue quòd perditionem suam hanc ipsam dicebant, qua fiebat vt cogniti spernerentur. Ante tempus dixêre, id est, ante Iudicij diem, in quo æterna damnatione punientur vnà cum omnibus hominibus qui in eorum societate detinentur, vt locutus est ille qui nec fallit nec falli potest: non sicut iste, qui omni vento doctrinæ hinc atque inde perflatus, & falsis vera permiscens, dolet quasi perituram religionem, quam posteà confitetur errorem.

Idololatriã in Aegypto Theodosius extirpauit.

Impia tamen idololatria ab Ægypto penitus auulsa non fuit, vsque ad Theodosij Primi Imperatoris Christianissimi & planè Catholici tempora. Is enim de Maximi tyranni extinctione Romæ triumpho ducto, & Occidentis Imperio Valentiniano restituto, cùm in Orientem reuersus esset, & illius Imperij sui gubernacula resumpsisset; omnem conatum omnemque cogitationem suam ad idololatriæ omnimodam extirpationem conuertit. Ideoque ad hunc finem, omnia idolorum templa in vniuersa Imperij sui ditione consistentia solo æquari, expressa lege sanciuit. Nam Magnus Constantinus Imperator, qui veri Dei cultu Imperium primus exornandum curauit, cùm vniuersum pænè orbem terrarum in cæcum idololatriæ errorem immersum inuenisset, licet idolis sacrificari expresse prohibuisset, eorum tamen fana non diruenda, sed tantùm claudenda, & à nemine frequentanda decreuit: perdifficile ac periculosum facinus esse arbitratus, tantam nouitatem ac rerum mutationem, in his quæ religionis erant, tam citò atque repentè moliri. Cùm enim difficilia factu longi temporis indigeant, satius esse existimauit, id in tempus traducere; sperans fore, vt hac lenitate & indulgentia homines paulatim, ratione ipsa cooperante, quietis consiliis ad veram pertraheret religionem. Quod etiam filij eius paternis vestigiis inhærentes fecêre.

Cur Constantinus non destrui idola, sed claudi tantùm fana iusserit.

At impius Iulianus Apostata idololatriam atque impietatem, quæ iam iam extincta erat, denuò reuiuiscere fecit, magnamque erroris & seductionis flammam ob id in mundo excitauit. Iouinianus autem econtrà, cùm Imperij gubernacula suscepisset, eiusdem Iuliani constitutionibus abrogatis, idolorum cultum penitus suppressit; quod & Valentinianus, qui Europæ Imperij clauum tenebat, effecit. Sed Valens frater eius, ceteris omnibus potestate facta, vt eam quam mallent religionem profiterentur, & quoscumque vellent deos colerent, solos Christi fideles Catholicos infestissimè persecutus est. Quamobrem toto Imperij sui tempore non destitêre Gentiles, ignem in aris accendere, victimarumque sacrificia ac libationes idolis offerre, & publicas epulationes in foro peragere. Et qui Bacchi mysteriis initiati erant, cum scutis per Vrbem discurrentes, & choreas ducentes, sua Bacchanalia fœdaque ac turpia deliramenta publicè concelebrabant.

Quæ

A Quæ ſanè omnia adhuc celebrari ſolita, cùm religioſiſſimus Imperator Theodoſius comperiſſet, radicitus euelli, & funditus aboleri mandauit. Cum enim, vt dictum eſt, omnia idolorum templa diruenda expreſſa cauiſſet lege, hanc prouinciam, quoad Ægyptiorum templorum demolitionem, eorumque præſertim quæ erant Alexandriæ, Theophilo eiuſdem vrbis Epiſcopo, ſummæ prudentiæ viro & animi magnitudine prædito, demandauit; cuius opera & induſtria Alexandria, & tota illa pænè regio ab impio idololatriæ errore liberata eſt. Non enim idolorum fana tantùm euertit, ſed impiorum ſacerdotum illorum fraudes, quibus vt populos erroribus illis irretitos tenerent, vtebantur, detectas, publicè conſpiciendas oſtendit. Nam idolorum ſimulacra, quorum ærea quædam, quædam verò lignea erant, pleraque omnia intus caua deprehenſa ſunt, quorum terga templorum parietibus adaptauerant, occultis quibuſdam cuniculis in terra atque in muro deductis, quibus à templorum adytis, cùm vole-
B bant, ſtatuas illas ingrediebantur; indeque quaſi per eorumdem ſimulacrorum os, reſponſa edebant, & quidquid ipſis placitum eſſet præcipiebant; quorum fraudem & impoſturam cùm ignari populi non intelligerent, ſtatim tamquam Deo iubente, quæ imperata erant faciebant. Quæ quidem omnibus & ſingulis eò confluentibus palàm perſpicienda atque palpanda exhibita, cauſa fuêre vt Gentilium plerique, cùm doloſas fallacias illas atque errores ſuos agnouiſſent, ad ſanctam Chriſti fidem ſint conuerſi.

Fraudes, quibus in idolis homines ludificabantur.

Sed cùm idem poſteà Theophilus Epiſcopus, ad formam Eccleſiæ pro Chriſtianis inſtaurare vellet quoddam peruetuſtum Ethnicorum templum, Mithrium appellatum, & ſoli dicatum, quem antiqui Perſę Mithras nuncupabant; quodque Conſtantius Imperator Arianis Epiſcopis iam conceſſerat, vt ſuas hæreſes ibi prædicarent, & longa incuria nihil validum præter parietes tunc habebat; dum ad loci expurgationem incumberet, reperta ſunt ſubterranea antra
C quædam latentia, latrociniis atque ſceleribus magis quàm religioni congrua, quæ à Gentilibus adyta dicebantur, in quibus ridicula ac portentoſa inſtrumenta deprehenſa ſunt, quibus conſecrari dicebantur hi qui eiuſdem idoli Mithræ myſteriis initiabantur. Atque ingenti cum horrore & admiratione eorum Chriſtianorum qui adyta illa ingreſſi fuerant, multa infantum maſculorum ac feminarum deſecta capita inauratis labiis ibi inuenta; & in parietibus horribiles cædes tot miſerorum hominum, qui dæmoni illi tamquam victimæ ſacrificio oblati atque mactati fuerant, depictę apparuerunt. Quæ iubente Epiſcopo Theophilo in lucem publicè prolata, cauſa fuêre vt confuſione & pudore nimio affecti Gentiles, cùm ſua deliramenta ac ſcelera, quæ tot ſæculis abdita fuerant, tunc propalàm efferri per ſummam ignominiam atque ludibrium tolerare nequirent, in rabiem ac furorem acti, arma confeſtim arripuerint; multiſque Græcis, qui philoſophiæ ſtudiis tunc Alexandriæ operam nauabant, ſibi
D ſociis adiunctis, cum Chriſtianis manus conferentes, in foro & in viis crebros conflictus, & multas ediderint cædes; ita vt aperto tandem Marte, inſtructis pænè hinc inde aciebus, ſæpiùs prœlio decertatum ſit.

Sanguinei tumultus Alexãdriæ, ob deſtructionem idolorum.

At noſtri, licet numero & potentia longè ſuperiores exiſterent, bonitate tamen ac religionis modeſtia multo minùs feroces erant: quo factum eſt, vt Gentiles multis Chriſtianis vulneribus affectis atque obtruncatis, templum Serapidis occupauerint, ibique communiti, ſæpè tamquam ab arce quadam repentè erumpentes, multos ex noſtris comprehenſos, illucque pertractos, truculentiſſimis tormentis excruciatos, idolis ſacrificare coëgerint. Siqui verò id conſtantiùs atque vehementiùs detrectarent, eos in ſanctiſſimæ Religionis noſtræ opprobrium, in crucem agebant; ſuffractiſque cruribus, in ſecreta adyta il-

la præcipitabant, aliosque crudelissimis cruciatibus necabant. Cùm autem ea seditio diebus iam plurimis perdurasset, Romanus qui militarium cohortium Dux erat in Ægypto, & Euagrius Hiparcus Alexandriæ Præfectus, prudenter ac mitiùs in hoc negotio agere volentes, seditiosos illos monitos curarunt, vt à cædibus & incursionibus tandem abstinentes, arma deponerent, & Serapidis templum desererent. Sed cùm nihil se proficere viderent, considerarentque illos ob loci munitionem quem occupauerant, nisi maiore vi ageretur, neque inde expelli, neque puniri posse, rem totam quàm celerrimè ad Imperatorem per tabellarios detulêre. A

Seditiosi illi intereà rapto ac præda viuentes, audaciores & insolentiores indies euadebant, tum quia patratorum scelerum conscientia in veniæ desperationem eos induxerat, tum etiam quia temeritatis & audaciæ suæ ducem sibi delegerant Olympium quemdam, nomine & habitu philosophum, qui ad patrios mores & ritus ad necem vsque fortiter defendendos, eos hortabatur, suadebatque pro illis mortem oppetere gloriosum esse. Cumque quosdam ex suis animo consternatos cerneret, quòd idolorum simulacra à Christianis comminuta, dij vlti non essent, neq; iniuriæ sibi illatæ pœnas exegissent, vt eos erigeret & confirmaret, suadebat ne ob id animos desponderent, néve religionem suam derelinquerent; asserens statuas atque imagines nil aliud quàm materiam corruptioni obnoxiam existere, ideoque non mirandum quòd Christianis illas comminuere ac dissipare licuisset; sed deos qui in illis domicilium sibi ad tempus quandoque delegerant, eis confractis, ad cælos euolasse. Atque his ac similibus persuasionibus, in eadem peruicacia atque perfidia illos confirmauit, & in potestate sua continuit; ita vt in eo templo sese tutantes, ferociores & ad omne facinus promptiores quàm anteà sint effecti. B

Imperator intereà, his quæ apud Alexandriam contigerant cognitis, ingenita naturæ clementia leniùs ac mitiùs in eo negotio agendum ratus, rescripsit, Christi fideles, qui in eo tumultu occubuerunt, non vlciscendos; sed eorum mortem festiuis ac lætis honoribus potiùs celebrandam, cùm sanguine & vita pro sancta fide veraque religione profusa, martyrij palmam adeptos, gloriosa & immortali corona in cælis redimitos, ambigendum non esset. Percussores autem & homicidas illos, ab omni ea, qua pro patrati facinoris pœna iure plectendi essent, liberos & absolutos fore benignè & gratiosè decernebat, vt in tanti accepti beneficij memoriam, & Principis clementiæ venerationem, ad sanctam Christi Domini fidem amplectendam alacriùs conuolarent. Ceterùm idolorum templa, quæ tantæ seditioni causam dederant, omnino dirui, soloque æquari iubebat. Recitatis publicè Imperatoris litteris Alexandriæ, Christiani magna lætitia perfusi, ingenti acclamatione rem comprobarunt; tum quòd in ipsarum exordio, illius tumultus culpam in idololatras coniicientes, eos grauiter coarguebant; tum etiam quia profana illa templa (quod ipsi diu optauerant, & vehementer gaudebant) prorsus euertenda mandabant. Gentiles econtrà, magno stupore & pauore correpti, paulatim secedentes, scelerum conscientia & solicitudine diuexati, angustos latebrarum & fugæ calles rimabantur: & qui Serapidis ædem occupauerant, intempesta nocte illam deserentes, aufugerunt. quod cùm Christiani accepissent, eamdem confestim receperunt. Tradit Sozomenus, Olympium illum, qui seditiosorum & idololatrarum horum dux erat, in ea nocte quæ illum, in quo hæc facta fuêre, diem præcesserat, Serapidis foribus diligenter ac firmiter obfirmatis, quosdam Alleluia Alleluia psallentes audiuisse: vnde animo consternatus, Christianos templum illud occupasse suspicatus est. Sed cùm ianuas posteà haudquaquam effractas aut reuulsas,

Mira Theodosij Imp. clementia simul & prudentia. C

D

Hist. Eccl. lib. 7. c. 15.

A ſas, ſed probè clauſas, neminemque in delubro adeſſe comperiſſet, & nihilominùs voce illa eadem verba repeti audiuiſſet, quid ſibi ea res vellet, intellexit. Quamobrem inde clàm egreſſus, ad portum incognitus deſcendit, ibique fortuitò nauem illicò ſoluendam nactus, in Italiam nauigauit.

Serapidis templum, ædificium erat omnium Orientalium inſigni pulchritudine & amplitudine celeberrimum. nam, vt Ruffinus Aquileienſis tradit, ſitus eius non natura, ſed arte in tumulum ea ſublimitate & eminentia erectus erat, vt per centum & eò ampliùs gradus à quattuor lateribus ad pauimentum eius aſcenderetur. Fundatores enim molis huius, montem, vt ita dicam, ingentibus teſtudinibus immani conuexitate in altum ſe extollentibus, conſtruxerant, vt totius fabricæ pauimentum & corpus ſuſtineret: ſub quo varij fornices erant & occulta adyta, quæ diuerſis miniſteriis ipſius templi clandeſtinis officiis vſum exhibebant. Vbi verò ad pauimenti faſtigium perueniebatur, clau-
B ſtra amplitudine & magnificentia planè conſpicua cernebantur, & porticus, in quibus multa marmorea ſedilia variis locis erant diſpoſita, domuſque in excelſum porrectæ, quas æditui, & hi quos ἁγνεύοντας vocabant, id eſt, caſtitatem ſeruantes, incolere ſolebant. In medio totius ſpatij, ampla quadam platea, ſitum erat templum, ſplendidis editum columnis, & pretioſis marmoribus extrinſecus conſtructum. In quo Serapidis adeò vaſtum atque immane ſimulacrum erat, vt dextera alterum parietem, alterum læua perſtringeret. Quod monſtrum ex omnibus generibus metallorum lignorumque compoſitum ferebatur. Interiores autem ipſius delubri parietes, primò aureis laminis, & ſuper has argenteis, poſtremò verò æreis veſtiebantur, quæ munimento pretioſioribus metallis eſſent.

Hiſt. Eccl. li. 2. cap. 23.
Serapidis templi deſcriptio.

Quædam etiam in eodem fano aderant dolis & arte compoſita, vt populo admirationem ac ſtuporem incuterent: præcipuè verò feneſtra quædam per-
C exigua Orientem verſus, eo artificio adaptata erat, vt qua die ſolis ſtatuam ad Serapidem ſalutandum in templum illud introducere conſueuerant, æditui tempus & horam diligenter atque exactè obſeruarent, in qua ſolis radij per ſpeculam illam ingredientes, ipſius Serapidis os & labia directè illuſtrabant. Tunc enim ſolis ſtatuam introducentes, paruamque ſpeculam illam eodem temporis momento clanculùm reſerantes, magna inſpectantis populi admiratione, Serapis à ſole oſculo ſalutatus appoſitè videbatur. Hinc autem aliud fraudis ac deceptionis genus addebatur: in ipſius templi fornice ſeu laquearibus deſuper ingens magnetis lapis infixus erat, cui à natura ea inſita & nota vis eſt, vt ferrum ad ſe attrahat: ſub quo magnetis lapide, Serapidis ſimulacrum perpendiculariter collocatum erat. Cùm autem ad Serapidem ipſum ſolis ſtatuam admouebant (quæ ad finem hunc, ferro ſubtiliſſimo ac leuis ponderis fabrefacta erat) confeſtim magnetis vi in altum efferebatur, dumque ſimplex &
D credulus populus id proſpiciens, tamquam de miraculi nouitate conſternatus, magnaque admiratione correptus, acclamaret; æditui fallaciæ illius miniſtri, veriti ne eiuſdem ſtatuæ lapſu præcipiti dolus proderetur, ſtatim manibus ſuppoſitis illam ad ſe trahebant, dicentes: *Surrexit ſol venerabundus vt valedicens Serapidi, reuertatur ad propria.* Multaque alia in eodem templo, veterum ſacerdotum malitia, doloſo & callido artificio, ad ignaram plebem eludendam, erant accommodata, quæ breuitatis cauſa omittimus.

Fraudulenta in Serapidis tẽplo artificia quibus ludificabãtur idololatra.

Cùm ergo Chriſtiani templum Serapidis, poſt ſeditioſorum eorum Gentilium qui illud occupauerant fugam, recepiſſent, Alexandriæ Epiſcopus Theophilus, magna vrbis illius fidelis populi parte conſtipatus, ad delubrum illud aſcendit, vt Imperatoris decretum exequeretur. Statim verò in eorum ingreſſu,

cùm monſtroſum & immane ſimulacrum illud conſpexiſſent, ingenti admiratione atque horrore correpti, primùm conſtitêre; præſertim cùm inter Gentiles communis quædam credulitas & conſtans opinio, antiquorum ſuorum traditioni innixa, irrepſiſſet, quòd ſi humana manus auſu temerario ſimulacrum illud contigiſſet, illicò dehiſcente terra, & in præceps ruente cælo, totus mundus in antiquum ſolueretur chaos. At prudens & magnanimus Epiſcopus Theophilus, fucoſum & inſanum ignaræ plebis commentum, & anilia ſuperſtitioſarum mulierculárum deliramenta, quæ ædituorum illorum malitia diſſeminauerat, hæc omnia eſſe ſciens; cuidam ex aſtantibus Chriſtianis militibus, qui bipennem manu tenebat, imperauit, vt immanis illius idoli collum audacter atque impauidè percuteret. Quod cùm ille feciſſet, ad primum quem intulit ictum, plebs ingentem & acutiſſimum clamorem edidit, ſine dubio ſe in abyſſum illicò ruituram arbitrata; neque tamen aut cælum ruit, aut terra deſcendit. Quamobrem cùm populus Serapidem vulnere accepto non ingemuiſſe, quia ligneus erat; neque exclamaſſe, quia vitam non habebat, conſpexiſſet; animo confirmatus eſt, & acquieuit. Miles autem ille, magna vi ictus iterùm atque iterùm repetens, caput ei abſcidit; quo reuulſo, ſtatim ex cauo veteratoris illius corpore, ingens grex magnorum præ ſenectute caneſcentium murium repentè emerſit. Quod ridentes Chriſtiani, Gentilium deum, murium aſylum & receptaculum eſſe dixerunt. Capite ergo Serapidi abſciſſo, truncus corporis ipſius in minuta fruſta ſecuribus diſſectus, publicè in foro crematus eſt. Sacrum autem & ſtultiſſimis idololatris venerandum caput illud, inſpectantibus his qui illud tamquam numen magna veneratione coluerant, quique errorem ſuum tunc agnoſcentes, dei ſui imbecillitatem atque impotentiam indolebant, funibus à pueris per vniuerſam vrbem raptatum eſt. A B

Simulacrũ & templũ Serapidis tandem destructum.

Poſt hæc inſigne templum illud euerſum fuit. quod tamen non ita multò poſteà Arcadij Imperatoris Theodoſij filij temporibus eſt inſtauratum, & in Chriſtianorum Eccleſiæ formam redactum. Sicque cetera omnia idolorum fana, quæ Alexandriæ & per vniuerſam Ægyptum conſiſtebant, diruta & ſolo æquata fuêre. Aurum autem, argentum, & æs tam Serapidis templi, quàm omnium idolorum, à Theodoſio Imperatore Eccleſiis Chriſtianorum in lebetes & vaſa alia in eorum vſum transformandum, & in pauperum ſumptus & alimenta erogandum conceſſum eſt. Theophilus tamen Alexandriæ Epiſcopus, ceteris omnibus idolorum ſtatuis comminutis, & in cinerem redactis, vnum tantùm idolum ſimiæ ſimulacrum integrum ſeruandum duxit, quod publico & eminenti Alexandriæ vrbis loco, in Gentilium idololatrarum maiorem confuſionem atque opprobrium ſtatuendum duxit; ne futuris poſteà temporibus, talibus dijs cultum quandoque exhibuiſſe, inficiari poſſent. Quod ipſi poſteà grauiter admodum pertulerunt, atque de eo acerbè nimiùm conqueſti ſunt: præſertim verò inter eos Ammonius Grammaticus, eiuſdem idoli ſimiæ olim ſacerdos; qui, vt Socrates in ſua Eccleſiaſtica refert hiſtoria, magno animi angore diſcruciabatur, aſſerens Gentilium religioni grauiſſimam irrogatam fuiſſe iniuriam, quòd ſimulacrum illud vnà cum ceteris igne crematum non fuiſſet, ſed in maiorem religionis ſuæ contumeliam atque ludibrium integrum ſeruatum. C D

Idolum ſimiæ, oſtētui relictum.

Hanc autem hiſtoriam Ruffinus Aquileienſis [a], Sozomenus [b], Theodoretus [c], Socrates [d], Nicephorus [e], & alij plerique referunt, & omnes vno ore affirmant, in Serapidis templi parietum demolitione multas Crucis figuras lapidibus inſculptas fuiſſe compertas, quæ cauſa fuêre, vt infideles complures ad ſanctam

[a] Hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 22. 23. 29
[b] Lib. 7. c. 15
[c] Lib. 5. c. 22
[d] Lib. 5. c. 16
[e] Lib. 12. c. 25. & 26.

Chriſti

A Christi fidem sint conuersi. Quamobrem, vt idem Ruffinus Aquileiensis præcipuè testatur, omnes thoraces atque imagines Serapidis, quæ in singularum quarumcumque Alexandriæ domorum parietibus, ingressibus, postibus ac fenestris etiam depictæ seu insculptæ asseruabantur, ita comminutæ, abscissæ, atque abrasæ sunt omnes, vnà cum ipsius Serapidis & cuiuscumque alterius idoli nomine, vt ne minimum quidem vestigium vsquam remaneret; sed pro his, Crucis Dominicæ signum vnusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, & in columnis depingeret aut insculperet. Quod cùm factum vidissent hi qui Alexandriæ ex paganis superfuerant, in magnæ cuiusdam rei recordationem redierunt, quam maiorum suorum traditione iam acceperant; priscos videlicet Ægyptios, hoc nostrum Dominicæ Crucis signum, inter litteras illas habuisse, quas hieraticas, siue sacerdotales appellabant, tamquam elementum & characterem vnum alphabeti illius; cuius litteræ seu vo- *Figura*
B cabuli hanc esse interpretationem asserunt: VITA VENTVRA. Dicebant *Crucis ipsis* ergo (subdit idem Ruffinus) hi qui tunc rerum gestarum admiratione permoti, *Ægyptiis* ad Christi Domini fidem conuertebantur, hoc insuper peruetusta antiquorum *vitam venturam si-* traditione audiuisse, Gentilium nimirum religionis ritus duraturos, donec *gnabat.* signum istud venisse viderent, in quo esset vita. Ex quo factum est, vt æditui ac templorum ministri ad sanctam fidem faciliùs conuerterentur, quàm è media plebe homines, quos errorum illorum præstigiæ & deceptionum versutiæ delectabant.

Sozomenus quoque asserit, dum Serapidis templum expurgaretur, in lapidibus eiusdem delubri parietum quasdam insculptas apparuisse litteras, ex his quas hieroglyphicas appellant, quæ Crucis similitudinem habebant; quarum significationem hi qui litterarum illarum peritissimi erant, vitam superuenturam esse dicebant: quod plerisque ex paganis Christianismum amplectendi
C causam dedit, præsertim cùm inter eos aliæ quoque peruetustæ scripturæ circumferrentur, quibus apertè prænuntiabatur, templum hoc tunc finem habiturum, cùm signum hoc apparuisset. Socrates etiam de Crucis characteribus & figuris, quæ in Serapidis templo inuentæ sunt, & de earum significatione eadem pænè refert; licet in reliquis cum Ruffino ac Sozomeno in omnibus non conueniat; sic enim inquit: *In delubro Serapidis iam diruto, & fundamentis conuulso, litteræ repertæ fuerunt lapidibus incisæ, quas hieroglyphicas appellant. Erant formæ insculptæ, quæ Crucis habebant effigiem. quas & Christiani & Gentiles oculis intuentes, vtrique eas ad suam ipsorum religionem accommodarunt. Nam Christiani Crucem salutaris Christi passionis signum esse dixerunt, propriamque suæ religionis notam censuerunt: Gentiles aliquid in ea commune esse Christo & Serapidi affirmarunt. nam effigiem Crucis aliud Gentilibus, Christianis aliud significare. Dum isti inter se de hac re digladiantur, Gentiles quidam ad fidem Christianam conuersi, qui litteras hieroglyphicas accuratè* Li. 5. c. 17.
D *nouerant, formam Crucis quid sibi vellet interpretantur:* VITAM VENTVRAM *significare docent. Quod quidem Christiani, vtpote pro sua Religione maximè faciens, cupidè arripere, & de eo animos efferre cœperunt. Posteaquam etiam per alias litteras hieroglyphicas significatum erat, Serapidis delubrum tum dirutum fore, cùm Crucis effigies appareret (id enim esse vitam venturam) multo plures ad religionem Christianam se transtulerunt, peccataque confitentes, baptizati sunt. Hęc de Crucis effigie ipse equidem accepi.*

Ceterùm ego quidem (subdit idem Socrates) sacerdotes Ægyptios litteras eas sub Crucis forma, tamquam earum rerum præscios, quæ Christo obuenturæ erant, lapidibus haud quaquam insculpsisse puto. Si enim mysterium aduentus Christi, vt inquit Apostolus, absconditum fuit à sæculis & generationibus,

ipsumque nequitiæ principem latuit; multo magis censendum est, id Ægyptiacis quoque sacerdotibus ministris eius occultum fuisse. Ac potiùs arbitror, in Crucis figurarum illarum significatione elicienda, diuina prouidentia idem factum esse, quod per Apostolum Paulum antè factum fuerat. ille enim sancti Spiritus largitate sapientiam consecutus, simili via Athenienses aggressus est, multosque illorum tum ad fidem attraxit, cùm ea quæ in ara illa scripta erant perlegisset (cuius hæc erat inscriptio, IGNOTO DEO) ad institutum suum sermonem accommodans. Nisi quis fortè diceret, Dei Spiritum eamdem vim in Ægyptiorum sacerdotibus exercuisse, quam olim in Balaam & in Caipha. Nam illi quoque vel inuiti de rebus bonis vaticinati sunt. Hæc Socrates; quæ ad verbum penè Nicephorus Callistus[a] etiam refert. Ipsaque eadem in Tripartita historia[b] sub eiusdē Socratis nomine recitantur. Cęlius autem Rhodiginus[c] suis in antiquis lectionibus de ea vi & virtute agens, quàm antiqui Crucis figuræ atque imagini inesse putabant, asserit, opinionem hanc ab Ægyptijs originem duxisse; inter quorum characteres, Crux erat insignis, vitam (eorum more) futuram significans; ideoque figuram eiusmodi Serapidis pectori eos insculpere consueuisse. Hæc ille, quæ tamen in his quæ ad Serapidem attinent, nescio à quo auctore decerpserit. A B

[a] Libro 12. cap. 26.
[b] Tripartita Hist. lib. 9. cap. 29.
[c] Lib. 10. c. 8

Hist. Eccles. lib. 2. c. 30.

Mos erat apud Ægyptios, vt Ruffinus Aquileiensis memoriæ prodidit, mensuram incrementi Nili, à quo regionis illius fertilitas pendet, ad templum Serapidis, quasi voti ergò, & velut trophæi quoddam insigne, quotannis deferre; cùm existimarent Serapidem inundationis ac beneficij illius erga Ægyptum auctorem esse.

Verùm templo à Christianis euerso, simulacroque eius publicè ignibus tradito, omnes pagani vno ore asseuerabant, Serapin iniuriæ memorem, aquas ea qua consueuerat affluentia Ægypto deinceps non largiturum: sed Deus omnipotens, vt ostenderet non Serapin, qui Nilo multò posterior erat, sed se solum esse, qui aquas fluminis temporibus suis excrescere iuberet; effecit vt eo anno atque deinceps tanta fuerit inundatio, quantam fuisse post hominum memoriam Ægyptij non recordarentur. Quamobrem vlna ipsa, id est, aquæ mensura, quam πῆχυν Græci appellabant, ad aquarum Dominum in Cathedrali Ecclesia posteà cœpta est deferri. At cùm ea quæ Alexandriæ gesta erant, pio ac religioso Imperatori Theodosio singillatim nuntiata fuère, tradunt eum extensis ad cælum palmis, ingentique lætitia perfusum dixisse: Maximas gratias tibi Domine Iesu Christe refero, quòd sine graui magnæ vrbis illius clade tam vetustus error extinctus sit. C

Quod prius Serapidi, nunc defertur Christo

Quis autem is magnus deus fuerit, qui tanta veneratione, siue vt veriùs dicam, impia atque inani superstitione Alexandriæ colebatur, haud facilis est demonstrationis: adeò enim variæ atque diuersæ auctorum qui de ea re scripserunt, sunt opiniones, vt si hîc singulas referre velimus, in nimiam prolixitatem, cuius Lectores meritò tæderet, sermo noster extenderetur. Verùm Clemens Alexandrinus de hoc idolo sic ferè tradit: Ægyptium Serapidem non esse manufactum, Gentiles ausi sunt dicere. Quidam enim scribunt eum fuisse munus missum à Sinopensibus ad Ptolemæum Philadelphum, qui eos fame laborantes, transmisso ex Ægypto frumento, recreauit. Alij autem eumdem Serapidem Ponticam statuam esse dicunt, Alexandriam à frequenti hominum concursu translatam. Solus Isidorus, à Seleucensibus qui sunt præter Antiochiam, simulacrum illud Alexandriam traductum fuisse dixit; qui ipsi quoque frumenti penuria laborantes, ab ipso Ptolemæo enutriti fuerant. Ceterùm Athenodorus Sandonis filius, dum Serapidis antiquitatem vellet ostendere, nescio quomodo eò lapsus, D

In Adhortatoria ad Gentes.

De Serapide variæ opiniones ex Clemente Alexandr.

A eò lapsus, vt eam statuam manu fabricatam esse fassus sit. Ait enim Sesostrim Ægyptiorum Regem, cùm plurimas Græcorum gentes sibi subiecisset, in Ægyptum reuersum, multos artifices adduxisse, à quibus multa Regiâ magnificentiâ digna opera construi iussit: & inter ea Osiridis simulacrum, à quo genus duxerat, affabrè effingi curauit; eiusque constructionis opus Bryaxi statuario demandauit; non Atheniensi illi quidem, sed alij cuidam, qui eodem nomine quo Bryaxes ille appellabatur. Is autem ad simulacrum construendum mista & varia vsus est materia: habebat enim ramenta auri, & argenti, & æris, & ferri, & plumbi: nec ei vllus lapis Ægyptius deerat; sed nec sapphiri & hæmatitis fragmenta, neque smaragdi & topazij. Hæc ergo omnia læuigata, tritaque & commista illinit colore cæruleo. qua de causa nigrior est color imaginis. Cumque hæc omnia pharmaco relicto ex sepultura Osiridis & Apis permiscuisset, finxit Serapim; cuius nomen quoque significat & funeris societatem, & opus B quod factum est ex sepultura: vt quod compositum ex Osiride & Api, factum sit Osirapis. Hæc omnia de Serapide Clemens Alexandrinus.

Alij Serapidem hunc, Apim Argiuorum & Sicyonum Regem, Ioue & Niobe Phoronei filiâ natum fuisse volunt; à quo Græcia Apis & Apia quandoque appellata est. Hunc Abrahami temporibus floruisse, & Egialeo fratre Argiuorum Rege constituto, ipsum nauibus in Ægyptum transuectum, Isideque in matrimonium ducta, Ægypti Regem consalutatum fuisse tradunt. Vbi quia frumenti vinique vsum docuerat, multaque alia beneficia in Ægyptios contulerat, post mortem eius, tamquam deus sub bouis effigie, quem ab eius nomine Apim appellauère, magna veneratione cultus est, tali pacto ad agriculturam, quam homines docuerat, alludentes. Causam verò ob quam Apis ipse postquam fato functus est, Serapis sit vocitatus, Varro tradit, eamdemque diuus Augustinus refert, dum agit de tempore, in quo Isaac Abrahæ filius mortuus C est. Sic enim ait: *His temporibus Rex Argiuorum Apis nauibus transuectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum deus. Nominis autem huius cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit: Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam Sarcophagum vocant, Σορὸς dicitur Grçcè; & ibi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam templum eius esset extructum; velut Sorosapis vel Sorapis primò, deinde vna littera, vt fieri solet, commutata, Serapis dictus est.* De ciuitate Dei, lib. 18. cap. 5.

Ruffinus quoque Aquileiensis de huius celeberrimi idoli Serapidis origine, in hunc ferè modum tradit: Varia atque diuersa, inquit, paganorum circa Serapidis originem fertur opinio. Quidam enim Iouem eum esse putant; cuius capiti modius superpositus erat; innuentes eum cum mensura modoque omnia moderari, vel vitam mortalibus frumenti & frugum largitate præbere. Alij virtutem Nili fluminis fuisse autumant, cuius Ægyptus opibus & fecunditate D pascatur. Quidam in honorem Iosephi filij Iacob simulacrum illud effictum perhibent; ob frumenti distributionem, qua famis tempore subuenit Ægyptijs. Alij in veteribus Græcarum historiarum monumentis memoriæ proditum tradunt, quemdam patremfamilias siue Regem Apin nomine, in Ægyptum se contulisse, vrbemque Memphim incoluisse; & cùm famis tempore frumenta apud Alexandriam defecissent, ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuisse. Quo defuncto in honorem eius templum Memphis ædificatum esse tradunt, in quo bos quasi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam coloris insignia; qui ex nomine eius Apis appellatur. Sepulchrum autem eius, quod Græci Soron vocant, deuotionis ergò Alexandriam deductum; atque ex Soros & Apis nomine composito, Sorapin primò, deinde verò, corrupto vocabulo,

Hist. Eccles. lib. 2. c. 23. *Opinationes item variæ de eodē Serapide, ex Ruffino.*

Serapin nominatum. Quod an verum sit, aut nihil omnino, de his Deus viderit. Hæc Ruffinus. A

Verùm Iulius Firmicus Maternus, grauissimus atque Christianus auctor, qui eo tempore floruit, quo Serapidis templum magno adhuc paganorum concursu frequentabatur, idolumque illud Alexandriæ colebatur, huic sententiæ firmiter se inhæsisse ostendit, idolum antedictum ad summum nihil aliud fuisse, quàm simulacrum, quod Ægyptij in Iosephi Iacobi Patriarchæ filij honorem, & grati animi monumentum erexère, eò quòd septem annorum spatio illos pauisset, & à fame ac morte ipsa liberasset. Putatque idem Firmicus, Aegyptios post Iosephi obitum, patrio gentis more, templa in honorem eius extruxisse, illumque tamquam deum coluisse: & vt innuerent iusta mensura frumentum eis distribuisse, eumdem modium simulacri eius capiti imposuisse, quo frumenta populis metiri atque elargiri fecerat. Serapidemque appellatum autumat à Sara Abrahami vxore, cuius pronepos erat, & sic Græco vocabulo *Sarasapo*, id est, à Sara; deinde verò corrupto vocabulo Serapin nuncupatum. Quamobrem idem Firmicus ad Constantium & Constantem magni Constantini Imperatoris filios scribens, vt de origine illius idoli, qui tunc adeò celebris erat, eos certiores redderet, inquit: B

Opinatio Iulij Firmici, Iosephum Iacobi Patriarchæ filium esse Serapidē.

De errore profan. Relig. c. 14

Discite etiam, Sacrosancti Imperatores, venerandum Alexandriæ numen vnde sumpserit exordium, ac à communi nostra fragilitate detecta, ad veritatis exordium mortalitatis nostræ sermo reuocetur. Cùm ingrueret arescentibus frugibus malitiosa fames, Iacobi religiosi Patriarchæ semine procreatus iuuenis Ioseph, interpretatusque somnium Regis, totum quidquid innuebat ostendit. Ioseph est Iacobi filius, qui ob pudicitiam in carcerem missus: ereptus, post somnij interpretationem fuit particeps Regni. Nam septem annorum collectis & seruatis frugibus, alterius septennij egestatem diuinæ manus prouidentia mitigauit. Huic post mortem Aegyptij patrio gentis suæ instituto templa fecerunt. Et vt iustam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus & ementibus frumenta diuiserat, capiti is superpositus est. Nomen etiam, vt sanctiùs coleretur, ex primo generis auctore accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham, indulgentia Dei susceperat filium, Serapis dictus est, Græco sermone, hoc est Σαρᾶς ἀπό. *Sed hoc inuito Ioseph accidit, immò mortuo. neque enim ad hoc facinus, religiosus animus & Deo summo dicatus adduci potuisset, vt erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet: præsertim cùm sciret hæc esse in Dei sacrosanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret. Hic in Aegypto colitur, hic adoratur, huius simulacrum Neocororum turba custodit, & ad memoriam vetustatis errans populus ordinem sacrorum in honorem integerrimi ac prudentissimi hominis constitutum, contentiosa hodie animositate custodit. Sed & in ipso simulacro, sicut in ceteris, ex assiduis sacrificiis immundi dæmonum spiritus colliguntur.* Hæc ille. C

Ethnicorum tamen auctorum plerique autumant, Serapidem hunc, qui Alexandriæ colebatur, illum eumdem existere, quem Osiridem Ægyptij appellabant; & hunc atque illum ad summum nil aliud esse, quàm solem. Quamobrem Macrobius, qui profitetur probare se, omnem cultum quem Ægyptij sub diuersorum idolorum nomine diis exhibebant, ad solem referendum esse, de Serapide differens, inquit: *Eidem Aegypto adiacens ciuitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Serapin atque Isim cultu penè attonitæ venerationis obseruat; omnem tamen illam venerationem, soli se sub illius nomine testatur impendere.* Quòd autem sub Serapidis nomine Alexandrini solem venerarentur, Macrobius probari dicit, tum ex calatho quem capiti eius insigunt, tum etiam ex tricipitis animantis cuiusdam signo, quod penes simulacrum eius statuunt; cuius medium D

Saturnaliū lib. 1. c. 20.

Serapis idē qui sol Macrobio.

A medium caput, quod ceteris maius eſt, leonis effigiem refert; quod verò ad dexteram ſtatuitur, blandientis canis manſuetam ſpeciem reddit; & quod ad læuam ceruicis poſitum eſt, rapacis lupi rictum oſtendit. Hæc autem tria beſtiæ huius capita, ſerpens quidam voluminibus ſuis connectit, cuius caput ad dexteram dei Serapidis vertitur, vbi hoc monſtrum collocatum eſt. Leonis ergo caput præſens tempus deſignat, cuius conditio inter præteritum & futurum conſtituta, actu præſenti valida feruenſque eſt. Sed præteritum tempus, lupi capite ſignatur, quia rerum tranſactarum memoria rapitur & aufertur. At canis blandientis effigies futuri temporis euentum oſtendit, cuius ſpes nobis, licet incerta, blanditur. *Tempora autem*, inquit Macrobius, *cui, niſi proprio famularentur auctori? Cuius vertex inſignitus calatho & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum calore ab eo immiſſo rapiuntur.* Hæc ille. Qui vt apertiùs probet Serapidem fuiſſe ſolem, ad-
B dit ibi reſponſum, quòd Serapis, ſeu, vt veriùs dicatur, dæmon qui idoli illius ſimulacro inſederat, Nicocreonti Cypriorum Regi dedit; cùm rogatus ab eo, quiſnam deorum eſſet, quattuor Græcis carminibus reſpondit, quæ Latinitati reddita, hunc ſenſum retulêre:

Sum deus, talem autem ſcito, qualem ego dicam.
Cæleſtis ornatus, caput: venter autem mare:
Terra mihi pedes ſunt: aures in æthere iacent;
Oculus emicans, clarum lumen ſolis.

Ex quibus patere vult idem Macrobius, Serapidis & ſolis vnam eſſe & indiuiduam naturam. Oſtendit ipſe tamen alibi, ſe huic opinioni inſidere, Serapidem nimirum hunc peculiare ac proprium Alexandrinorum idolum quoddam ab Ægyptiacis alienum & aduenam extitiſſe. Aſſerit enim, Saturni atque Serapidis cultum & ritus in Ægyptiorum templis non fuiſſe admiſſos, vſque ad
C Alexandri Macedonis obitum: tunc enim Ptolemæorum tyrannide preſſi Ægyptij, cùm hos quoque deos in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipuè colebantur, coacti fuiſſent, paruerunt quidem imperio, ſed eo tamen modo, vt propriæ religionis priſca inſtituta & ritus non omnino confunderent. Cùm enim anteà numquam fas eſſet Ægyptiis, pecudibus aut ſanguine, ſed precibus tantùm ac thure placare deos; his autem duobus diis aduenis, animantium morte & ſanguine, iuxta Alexandrinorum ritus, ſacrificandum eſſet; fana eorum extra vrbium pomœria locauerunt, vt ibi illis hoſtiæ quidem mactarentur, nec tamen vrbana templa pecudum morte & ſanguine pollueręntur. Nullum itaque Ægypti oppidum intra murorum ſuorum ambitum aut Saturni aut Serapidis templum recepit. Hæc Macrobius, qui etſi idolum hoc Serapidem, ſolem deſignaſſe putat; tamen neque ex ipſius, neque aliorum auctorum qui de eodem tam variè ſcripſerunt lectione, quiſnam illud re-
D uerà fuerit, clarè ac ſolidè videtur elici poſſe. Vnum tantùm pro huius rei concluſione, nos Chriſti fideles tutè credere poſſumus, idolum ac ſimulacrum illud Serapidis, nequiſſimi dæmonis nidum & receptaculum extitiſſe: qui quemadmodum cùm inter beatos Angelos in cælis eſſet, tanta ſuperbia ac temeritate efferbuit, vt ſe ſummo Deo æquiparare nefaria cupiditate ſit auſus, ita poſtquam meritò inde præcipitatus fuit, honorem & latriæ cultum, qui eidem Deo optimo maximo ſoli debetur, ſemper ſibi arrogare eſt enixus: ideoque ſub illius ſimulacri velo adorari, cultu Deo debito, & ab ignaris hominibus ſibi præſtito, ambitioſus delectabatur. At quemadmodum ab eodem & à ceteris omnibus Ægypti idolis per virtutem ſanctæ Crucis, magni Theodoſij Imperatoris temporibus, vnà cum impia idololatria, cuius ipſe inuentor & magiſter fuerat,

At quis tandem Serapis, incertum.

Dæmonis tamen receptaculũ, ſimulacrũ eius fuiſſe, nimis certum.

fuerat, probrose expulsus fuit; sic nobis etiam sperandum est, nostris quoque A temporibus, impiam Mahometanorum sectam, cuius ipse etiam diabolus auctor extitit, ab Ægypto, & à ceteris omnibus Orientis regionibus expellendam; sanctoque Christi Domini sepulchro, & cunctis Regnis illis à crudeli eius tyrannide liberatis, sanctæ Crucis vexillum tutò ac liberè vbique explicandum & erigendum: nec non & vniuersis populis illis, in fidei vnitate ad sanctæ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ gremium denuò reductis, veraque pace ac libertate lætè perfruentibus, laudes perennes ab eis tibi Deo nostro concinendas, tibique debitum seruitutis obsequium tranquillo cordis affectu præstandum, qui pretioso sanguine tuo in Crucis ligno profuso, nobis tam piè redemptis, cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Votū Auctoris vt fiat Mahometo, quod factum est Serapidi.

CAPVT XII. B

Quòd antiqui Ethnici nescientes quid facerent, Crucis figura & imagine in multis vtebantur.

CVM de Crucis symbolis, figuris & imaginibus, quæ in Ægyptiorum hieroglyphicis atque in eorum idolorum simulacris & sculpturis ad hanc etiam vsque diem conspiciuntur, hactenus egerimus; pro huius quinti libri conclusione ostendendum nunc superest, alios quoque priscorum Ethnicorum populos, nescientes tamen quid facerent, Crucis imagine & effigie manifestè in multis vsos fuisse. Quod etsi ab aliis quibusdam qui nos præcesserunt auctoribus iam animaduersum & notatum sit, tamen quia instituto nostro est conuenientissimum argumentum, nullo pacto est silentio prætereundum, cùm locus hic id appositè efflagitare videatur, ne ab accuratioribus Lectoribus C negligentiæ insimulemur; præsertim cùm multa hìc addi possint, vel ab aliis prætermissa, vel ad scriptionum eorum intelligentiam nonnihil lucis allatura.

Gentiles in idolorum suorū materia & forma, Crucis potissimùm figura vsi.

In primis ergo Crucis figura atque imagine antiqui Ethnici in idolorum suorum materia & forma præcipuè vtebantur. In materia, cùm illa ex ligno construebant; in forma verò, cùm in primam graphidem siue futuræ picturæ aut sculpturæ delineationem eadem redigebant. Atque in vtraque, id est, materia simul ac forma, Crucis figuram imitabantur, cùm ex argilla siue ex luto illa effingebant. Caput enim & truncum eorum recto ligno impactum formabant, altero verò transuersali ligno, illis addebant brachia. At Crucis formam priscorum Ethnicorum villici crebriùs etiam ac magis assiduè repræsentabant. nam cùm pro rudi ipsorum more, duodecim rusticanorum deorum suorum imagines, quorum nomina Varro libro primo de Re rustica recenset, formare siue potiùs innuere studerent; rectum palum terræ D infigere solebant, vt illorum caput truncum cruraque indicarent, cui aliud transuersale lignum alligabant, vt eorum brachia innuerent: quo integram ipsam Crucem proculdubiò repræsentabant. Vel solo etiam erecto palo quandoque contenti erant: quo simplicem & acutam Crucem figurabant. Quam Crucis speciem etiam referebat omne lignum, quod circum exercitus ad statiua antiquorum castra munienda terræ infigebatur.

Dij rustici Gentilium nihil aliud quàm Cruces ligneæ.

In deuictorum quoque hostium trophæis erigendis Crucem formabant: præalto enim ligno humi defixo, alteroque transuersali immisso, seu alligato, thoraces, loricas, galeas, brachialia, scuta, ceteraque inimicorum arma, opimaque spolia illis detracta appendebant; hisque ligna ea sic vestiebant, vt tro-

A trophæa illa, non tantùm Crucis, sed etiam hominis in Crucem acti formam atque imaginem quodammodò præ se ferrent. Crucis quoque forma & imagine pleræque Ethnicorum nationes, in suis signis militaribus atque vexillis quæ in bello deferebant, vtebantur; atque inter eas præcipuè Romani, qui præ omnibus populis, licet mysterium non aduerterent nec intelligerent, hoc inuictum ac triumphale signum inter bellica insignia deferre consueuerant; præsertim verò in his hastis, quibus Imperatorum viuentium ac prædecessorum imagines affixas ferebant, vt apertiùs infrà demonstrabimus. Idque magis notabiliter repræsentabant ac figurabant in labaro omnium vexillorum primario ac magis insigni, quod tunc præsertim in bello deferre solebant, cùm Imperatores ipsi in exercitus progrediebantur, statimque & immediatè ante illos gestabatur; non secùs ac hodie paruum vexillum illud, quod vulgò Cornettam dicunt, ferri consuetum est. Vexillum autem hoc oblongo, recto aureoque hastili, & altero B transuersali sustinebatur, à quo purpureus pendebat pannus, aureo phrygio, gemmisque intermicantibus splendidissimè intertextus, & aurea fimbria circumdatus; de cuius forma fusiùs in sequentibus agemus. Et quod notatu planè dignius est, in eodem vexillo non tantùm Crucis signum atque imaginem repræsentabant, sed quodammodò etiam adorabant: eo enim apparente ac pertranseunte, milites genuflectentes illud adorabant.

De his autem modis omnibus, quibus antiqui Ethnici Crucis forma atque imagine vtebantur, meminit Tertullianus; licet paucis admodum & aliquantulùm subobscuris his verbis: *Sed & qui Crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cùm lignum aliquod propitiatur. Viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit: viderit forma, cùm id ipsum Dei corpus sit; & tamen quanto distinguitur à Crucis stipite Pallas Attica, & Ceres farrea, quæ sine effigie rudi palo & informi ligno prostant? Pars Crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur; nos si fortè* C *integrum & totum Deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum à plastis de Cruce induci. Sed & victorias adoratis, cùm in trophæis, Cruces intestina sint trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia Crucium sunt. Sypara illa vexillorum & cantabrorum, stolæ Crucium sunt. Laudo diligentiam, noluistis nudas & incultas Cruces consecrare.* Quibus sanè verbis, occurrere pergit Tertullianus calumniis ac dicteriis, quibus Gentiles Christianos proscindere consueuerant; quasi diceret: Si quis vestrûm nos criminetur, quòd Crucem veneremur, vtpote quam vos turpissimam omnique infamiæ nota aspersam existimatis; huic ego respondeo, quòd consecraneus noster erit, id est, vnius eiusdemque rei nobiscum erit consecrator (vel vt Franciscus Zephyrus in sua Paraphrasi ait, erit noster consectaneus, videlicet, ipse etiam sectæ nostræ erit) quandoquidem & vos in idolorum vestrorum simulacris lignum consecratis D & adoratis: quæ etsi diuersæ formæ atque figuræ existunt, id nihil refert, cùm eiusdem materiæ illa esse constet, cuius sancta Crux, quam nos adoramus, constructa fuit; à cuius forma atque effigie parum differunt Palladis Atheniensis, ac Cereris farris inuentricis, ceterorumque vestrorum rusticanorum deorum signa, quæ rudi palo & informi ligno, nulla effigie aut imagine adumbrata, in agris possessionum vestrarum confinia exposita terræq; infixa perstant.

[In Apologetico aduersus Gẽtes, c. 16.]

[*Gẽtiles suo ipsorum gladio à Tertulliano iugulati.*]

Pars etiam Crucis, addit Tertullianus, est omne lignum quod circum militaria castra defigitur; in quo nos sanè meliùs vobis facimus, qui integram Crucem, integrumq; Deum nostrum crucifixum adoramus. Idolorum pariter quæ vos ex argilla effingitis origo, vt alibi diximus, è Cruce deducitur. nam super Crucem ipsam, lutum siue argillam, qua illa effingitis, extenditis. Crucem

quoque

quoque in victoriarum vestrarum trophæis veneramini; nam trophæorum ipsorum intestina nihil aliud quàm Cruces sunt. Tota exercituum Romanorum militaris religio in eo consistit, vt signa atque Imperatorum imagines veneretur, per quas milites sanctè ac religiosè magis, quàm per Iouem ipsum, ceterosque deos, iurare solent; & nihilominùs omnes imaginum illarum picturæ, scutula, laureæ, coronæ ac serta, nil aliud quàm Crucis monilia atque ornamenta existunt. Sypara illa vexillorum & cantabrorum, vel, vt in aliis quibusdam impressionibus legitur, labarorum, id est velamina illa quæ à vexillis labarisque vestris pendent, Crucium stolæ & ornamenta sunt. Quamobrem diligentiam vestram apprimè laudo, quæ in hoc longè nobis est accuratior: vt enim nos nudas incultasque Cruces in altaribus statuimus, vos econtrà magnifico ac splendido ornatu comptas atque exsculptas circumquaque defertis. A

Rusticanorum autem deorum imaginum, quarum Tertullianus meminit, notatu satis dignum exemplar vidisse testatur se Iacobus Gretserus è Societate IESV, in Saloninæ Augustæ veteris cuiusdam numismatis posteriore parte, in qua cusa erat imago, quæ extensis brachiis, pube tenus in truncum desinebat; ita vt Crucis formam atque imaginem referret, cum hac inscriptione: DEAE SEGETIAE. Cuius deæ meminit Plinius, asserens sic eam à segetibus appellatam, simulacrumque eius temporibus suis in Circo conspici. De eadem etiam locis quamplurimis agit diuus Augustinus in suo de Ciuitate Dei libro; præsertim verò vbi Romanorum superstitionem irridens, qui singulis quibusque rebus deum suum peculiarem adscribebant, asserit, eos non contentos segetibus vnicam deam tutelarem tribuisse, duas assignare voluisse; nempe Seiam, quam satorum frumentorum curam gerere putabant, quoad è terra germinarent; & Segetiam, quam iisdem præesse, donec ad maturitatem perducerentur, lætasque segetes facere opinabantur. B

De S. Cruce, Tom. I. lib. I. c. 52.

De Ciuit. Dei, lib. 4. cap. 8.

At eorumdem rusticanorum deorum, paucis abhinc transactis diebus, antiquissimum monumentum quoddam & graphidem notatu planè digniorem ego conspexi, antiqua incisione cælatam, in gemma quadam, quam Aquam marinam vulgò appellant, satis honestæ amplitudinis, in qua imago quædam apertis extensisque brachiis cernitur, quæ pube tenus pariter in truncum desinit, Crucisque formam refert, hac inscriptione circumdata: BONVS EVENTVS. Quæ quidem gemma, aureo annulo inclusa, à magno quodam huius Romanę curiæ viro, in digito quandoque defertur, magnoque eam habet in pretio, tum propter eius antiquitatem, tum etiam quia sibi insinuatum fuerat ab eo viro à quo dono illam acceperat, eamdem vnum ex sigillis illis existere, quæ veteres sub certis siderum punctis & constellationibus construebant, existimantes vim atque virtutem obtinere humanos actus fortunandi, & ad prosperos ac felices euentus dirigendi. Verùm si in hoc aliqua illi forsitan insederat superstitio, illam ego radicitus ex animo eius euulsi, clarè atq; perspicuè illi ostendens, hanc nihil aliud esse, quàm vnius ex rusticanis diis imaginem; qualem priscorum Ethnicorum villici, in possessionibus, post illarũ cultionem atq; sationem, defigebant, existimantes idolum hoc labores ipsorum ad vberis atque copiosæ messis bonum euentum perducturum. Quamobrem falsam illam persuasionem quam induerat, statim affatimque exuit, cùm Varronis textum illi inspiciendum exhibui, vbi in principio tractatus sui de Re rustica, duodecim hos rusticanos deos inuocat, quorum hæc sunt nomina: *Iupiter & Tellus, Sol & Luna, Ceres & Liber, Robigus & Flora, Minerua & Venus, Lympha & Bonus euentus.* Et post eorum inuocationem, subdit: *Necnon etiam precor Lympham, ac Bonum euen-* C D

Bonus euentus, deus rusticanus.


De re rustica, lib. I. cap. I.

A *euentum, quoniam ſine aqua, omnis arida ac miſera agricultura; ſine ſucceſſu ac Bono euentu, fruſtratio eſt, non cultura.* Hæc Varro. Ex quibus patet, peruetuſtam imaginem illam in gemma antedicta exſculptam, nulla alia de cauſa magni faciendam eſſe, niſi quatenus infinitæ Dei ſapientiæ monimentum quoddam eſſe videtur, quæ impios ſceleſtiſſimoſque dæmones, qui homines eludentes, deoſque ſe eſſe iactantes, in eorumdem idolorum ſimulacris adorari gaudebant, in ſuis captionibus ac fraudibus captos atque deluſos eſſe voluit. Nam idolum hoc, quod antiqui BONVM EVENTVM appellabant, Chriſti Domini Crucem ac paſſionem, nomine & forma forſitan præſignaſſe potuit, quæ humano generi meliorem fortunatioremque euentum, quàm imaginatione comprehendi aut capi deſiderio poſſet, attulit; ab æterna nimirum morte, & à diaboli ſeruitute liberationem; illi verò exitium intulit atque ruinam.

Poſt ruſticana idola, in quibus priſci Gentiles, non intelligentes tamen quid
B agerent, Crucem adorabant, aſſerit Tertullianus, eos Crucem eamdem quoque venerari ſolitos in trophæis, quæ poſt partas victorias erigere conſueuerant; deuictorum hoſtium arma his appendentes, atque in Imperatorum imaginibus quas haſtis affixas in exercitibus deferebant. Quod iam annis circiter quinquaginta ante eum diuus Iuſtinus Martyr ſuis ad Antoninum Pium Imperatorem pro Chriſtianis Apologiis, ſcripto commendauerat his verbis: *Sed & apud vos notæ huius ſigni potentiam declarant: * cùm aliqua quædam, tum trophæa, ob quæ progreſſus & expeditiones vbique vobis fiunt, imperij & potentiæ ſigna in iſtis præferentes, etſi ignorantes id facitis. Et Imperatorum qui apud vos mortui ſunt imagines in hac figura ponitis, & deos per litteras appellatis.* Verùm doctiſſimus Lipſius, in Notis ad librum primum ſuum de Cruce aſſerit, eiuſdem diui Iuſtini textum Græcum, in eo loco quem ſuperiùs aſteriſco notauimus, mutilum ac mancum
C eſſe; quem etſi ceteri paſſim ad trophæa aptant, ipſe tamen cùm in verba intendit, ambigit; & neſcio quid potiùs de faſcibus, quos lictores ante Conſules & Imperatores in iuriſdictionis ac poteſtatis ſignum deferebant, eadem verba ſibi videntur ſubolere. Qui faſces, cùm ſecures illis alligatæ eſſent, quibus delinquentes verberari, ac poſteà capite plecti conſueuerant, Crucem proculdubiò repræſentabant, vt hîc intueri libet.

In Apologia 2. pro Chriſtianis ad Antoninum Pium.

In Notis ad cap. 9 lib. 1. de Cruce.



Marcus Minutius Felix, in Dialogo ſuo cui titulus eſt Octauius, apertè aſſerit Gentilium victricia trophæa non Crucis tantùm, ſed etiam hominis illis appenſi & affixi formam retuliſſe. *Trophæa*, inquit, *veſtra victricia, non tantùm ſimplicis Crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur.*

In trophæis Gentilium manifeſta Crucis forma.

D Quamobrem Iacobus Pamelius in ſuis ad prędictum Tertulliani textum Notis, ad demonſtrandum quantum reuerà Ethnicorum illa priſca trophæa, non tantùm Crucis, ſed crucifixi etiam formam præ ſe ferrent; addit ibi antiquum numiſma quoddam Lucij Septimij Seueri Imperatoris, cuius graphidem, vt Lectoribus in hoc etiam ſatis ſit factum, hîc addere curauimus.



Adeoque verum eſt, trophæa hominis ad Crucem affixi imaginem ac ſimilitudinem

Antiquitatum Iudaicarū lib. 15. cap. 11. referre, vt cùm Herodes Iudæorum Rex, vt Flauius Iosephus memoriæ prodidit, athletica & quinquennalia certamina, quæ in Augusti Cæsaris honorem instituerat, celebrare vellet, cumque pro ludorum ipsorum maiore magnificentia in eo theatro, in quo ludi ipsi celebrandi erant, multa trophæa deuictarum à Cæsare nationum auro atque argento collucentia per circuitum erigi iussisset, Iudæi id adeò molestè tulerunt, tantaque iracundia exarserunt, vt apertam pęnè ab eo defectionem molirentur; existimantes trophæa illa, armis contextas extensisque brachiis esse imagines siue statuas, quarum vsus patriis legibus interdictus erat: nec quieuit eorum tumultus, donec Rex, accersitis ad se primariis ex his qui in seditionem versi fuerant, blandè eos allocutus in theatrum perduxit, atque ipsis cernentibus, arma à trophæis detrahi iussit: quo facto, re ipsa viderunt sub iisdem nil aliud quàm lignum vnum erectum, aliudq; transuersale in Crucis formam existere. Rationem autem erigendorum trophæorum ab antiquis obseruatam describit Virgilius, dum agit de illo trophæo, B quod Æneas erexit post deuictum atque interemptum ab eo in singulari certamine Mezentium Tyrrhenorum Regem, his carminibus:

Æneid. l. 11

Ingentem quercum decisis vndique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Imò ipsa trophæa, ornatæ quædam Cruces. Trophæa autem non tantùm nudarum, sed etiam ornatarum Crucium formam atque imaginem retulisse, testatur quoque Origenes his verbis: *Sed & trophæa ipsa, & victoriæ triumphorum, ornatæ Cruces sunt: quas non solùm in* In Diuersos Hom. 8. *frontibus, sed & in animabus quoque nostris habere debemus, vt cùm sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum, in Christo Iesu.* At non trophæa tan- C tùm Crucium formam ac similitudinem retulêre, sed & ipsa Christi Domini Crux sancta deuicti hostis trophæum extitit. Vnde quemadmodum antiqui post superatos hostes præexcelsis atque editis locis trophæa erigere solebant, illorumque arma ibi appendebant, vt ab omnibus conspicerentur; sic Redemptor noster (vt quidam ex Patribus memoriæ prodidêre) sanctam Crucem suam in Caluariæ monte, vbi primus parens noster Adam sepultus fuit, defigi voluit; vt in eodem loco, vbi diabolus & mors de ærumnoso humano genere triumphum duxisse videbantur, ibi etiam victoriæ atque triumphi trophæum, quod de ipsis retulit, figeretur. Quamobrem diuus Ioannes Chrysostomus inquit:

Et ipsa Crux Christi verum trophæum, id est, deuicti hostis indicium.


In cap. 19. Ioan. Homil. 29. *Vbi quidam dicunt Adam & mortuum & sepultum esse: & Iesum, vbi mors dominata est, ibidem trophæum erexisse, hoc est Crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem. Et quemadmodum victores, ita Iesus victoriæ signa humeris tulit.* Hæc Chrysosto- D mus. Ruffinus quoque Aquileiensis ad institutum hoc apposite subdit: *Crux* In exposit. Symb. *ista*, inquit, *triumphus erat: triumphi enim insigne est trophæum, trophæum autem* In Epist. ad Coloss. c. 2. *deuicti hostis indicium est.* Theophylactus verò ait, Christum Dominum nostrum, trophæo suo in Crucis ligno constituto, tamquam in publico Græcorum, Romanorum, & Iudæorum theatro, ibi de diabolo ac satellitibus eius triumphum duxisse.

Præter trophæa ipsa, quibus prisci Gentiles, nescientes tamen quid facerent, Crucem effingebant & colebant, eamdem quoque in signis militaribus formabant, atque adeò, vt diximus, venerabantur & adorabant. Præsertim verò in labaris, atque in his hastis, quibus Imperatorum suorum imagines affixas in exer-

A exercitibus deferebant. Quocircà præter id quod Tertullianus ait, Marcus etiam Minutius Felix in ſuo Octauio ita ſcriptum reliquit: *Vos, qui ligneos deos conſecratis, Cruces ligneas, vt deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. nam & ſigna ipſa, & cantabra & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inauratæ Cruces ſunt & ornatæ?* Pro cuius demonſtratione, Iacobus Pamelius in ſuis ad Tertulliani Apologeticum Annotationibus, ac pro Auctoris, quem modò citauimus, verborum declaratione, addit ibi duo numiſmata; alterum quidem Hadriani Imperatoris, in quo Imperatoria quinqueremis Romanæ claſſis dux cuſa conſpicitur, labaro in medio eius pro arbore defixo atque erecto, quod Crucis imaginem ad amuſſim refert: alterum verò Marci Antonij, in cuius medio labarum eodem modo exſculptum cernitur; atque hinc inde duæ haſtę, ſiue militaria ſigna, in quorum cuſpidibus, Crucis pariter imago quodammodò impreſſa conſpicitur. Sunt autem eiuſmodi:

Figura itē Crucis in vexillis militaribus Gentilium.

B



Ex quibus numiſmatibus, aliiſque compluribus, quæ penes diuerſos nobiles atque inſignes viros Romæ comperiuntur, quos res antiquaria delectat; atque
C ex his quæ in variis libris typis excuſa cernuntur, apertiſſimè colligitur, iam inde à multis ſæculis ante Conſtantinum Magnum Imperatorem, omnia pænè militaria Romanorum ſigna, quamdam Crucis imaginem atque figuram non tantùm habuiſſe, ſed etiam velamina illa, quæ ab eiſdem dependebant, & ornamenta quæ eiſdem affixa deferebant, præſignificationes quodammodò fuiſſe ornatarum Crucium earum, quibus hodie in ſolemnibus Supplicationibus ſancta Dei vtitur Eccleſia. Quamobrem idem Pamelius in eiſdem ad Tertulliani Apologeticum Notis appoſitè inquit: *Ex quibus videre licet Lectori, quomodo non tantùm tempore Conſtantini, ſed etiam longè anteà, omnia ſigna militaria formam quamdam Crucis habuerint: & vela illa ſiue ſypara ab antenna dependentia, ſtolæ ſeu ornamenta quædam Crucium fuerint; prorſus eadem forma, qua hodie vexillis Cruces ornantur in Eccleſia, præſertim à Paſcha in Pentecoſten.* Hæc ille. Quæ quidem ante ipſum Pamelium diligenter etiam animaduerterat ſolertiſſimus antiquitatum
D obſeruator & indagator Onuphrius Panuinus, qui de eo velo quod ab Imperatorio Romanorum labaro pendebat, differens, ſecundo Faſtorum ſuorum Conſularium libro ſic tradit: *Itaque velum hoc vexilli forma de cornu pendens, moderatam quamdam habebat tam longitudinis quàm latitudinis circumſcriptionem; quod commodiſſimè comparari poterit his religioſorum hominum vexillis, quæ vulgò Confalones vel Cruces appellantur, atque ad ſupplicationes ante ſingula ſodalitia efferuntur.*

Verùm pro clariore Crucis demonſtratione, quam veteres Romani licet tunc Ethnici ac Gentiles in labaris deferebant, addemus hoc loco genuinam graphidem cuiuſdam antiquiſſimæ ac marmoreæ baſis, quæ habetur in Viridario ſereniſſimi Ferdinandi Medicei olim Magni Ducis Hetruriæ, Romę in colle Pincio ſito; in qua antiqui quidam Romani milites inſculpti cernuntur, qui laba-

Præpositus labarorum quis?

rum manu deferunt. Hi autem labarorum gestatores, priscis temporibus Præpositi laborum siue labarorum appellabantur, vt in antiquis Theodosij atque Iustiniani Codicibus perspicitur; in quibus præcipuus titulus habetur, De Præpositis laborum, in quo continentur tituli, dignitates, ac prærogatiuæ, quæ his labarorum gestatoribus tribuebantur. Quibus locis ab vtroque Imperatore Clarissimi appellantur, declarantes velle eos ex Consularibus esse, nomineque & immunitate Senatoria dignos censeri, vt ex Theodosiani Codicis verbis clarè perspicitur, quæ hæc sunt: *Qui ex deuotissimis domesticorum scholis Præpositi laborum nostro iudicio, & stipendiorum sudoribus promouentur, ad similitudinem decem primorum domesticorum, clarissimi sint inter Allectos; ita vt ex Consularibus habeantur: nam Senatorio nomine & immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* Eodem quoque Codice mentio fit de Cantabrariis, id est, de his qui cantabra gestabant: sic enim labara quandoque forsitan appellata fuêre, à Cantabris, Hispaniæ Tarraconensis efferis, indomitis atque armigeris populis, qui labores, famem, sitimque admirabili, inuicta, & pertinacissima patientia sustinebant. De quibus ita Silius Italicus:

Lib. 6. titulo 25.

Ibidem, De collegiatis, tit. 7. li. 14.

De bello Punico li. 3

Cantaber ante omneis hiemisque, æstusque, famisque
Inuictus, palmamque ex omni ferre labore.

Vnde non sine magno labore, post multam temporis longinquitatem, ab Augusto subacti atque perdomiti fuêre. De Præpositis verò labarorum alibi forsitan fusiùs agemus. At verus typus intereà eius antiquæ basis, quam superiùs diximus, fideli delineatione exaratus, talis est:

Verus labari eiusq; Præpositi typus.



Aderant

A Aderant postea hi qui Imperatorum imagines in exercitibus gestabant, qui Imaginiferi vocabantur, quique in his hastis, quibus Principum imagines affixę erant, Crucis quoque signum deferebant; vt videre est in eorum typo, quem hîc addere studuimus ex vetustissimis quibusdam marmoribus quæ Romæ & alibi extant, ad germanam effigiem delineatum. Quorum etiam imago typis excusa circumfertur in libro Guilielmi Choul De antiqua Romanorum religione, ad hunc modum.

Imaginiferi qui Imperatorũ imagines, & Crucis in hastis signum deferebant.

B




C

D

Similes quoque eorumdem labarorum præpositorum atque imaginiferorum species & simulacra Romæ insculpta cernuntur in arcu triumphali Constantini, præsertim verò in ea eiusdem arcus facie, quæ Amphitheatrum respicit, ad lęuam quà flectit via, per quam ad arcum Titi est iter. At in hoc illud notatu & admiratione planè dignius est, omnes pænè Romanorum legiones, in militarium signorum cuspidibus, Crucis signum & figuram gestasse; vt clarè perspicitur in Marci Antonij antiquis numismatibus, cuius legionum numerus apud Auctores admodum varius atque diuersus esse comperitur. Scribit enim Dio, eas vigintiquatuor fuisse. Appianus octo supra triginta commemorat;

Militarium signorũ cuspides Crucibus insignitas fuisse, veteres testantur nummi.

rat; & ab ea quam Galba ad Ciceronem ſcripſit epiſtola, quinque & triginta A
extitiſſe colligimus: ibi enim de ſecunda & de trigeſima quinta mentionem facit. Fuluius verò Vrſinus, ſuo De familiis Romanorum tractatu, de Antoniorum familia differens, teſtatur ſe inter antiqua numiſmata, vſque ad vigintiquinque, continuato ordine & cohærenti numero vidiſſe atque notaſſe: interrupto autem numero, ſupra triginta & tres ad ſuam vſque diem videre ſibi non licuiſſe. Quædam autem Marci Antonij argentea numiſmata penes me habeo, in quorum aduerſa facie militaria ſigna legionum eius inſculpta ſunt. Multaque mihi inſpicienda exhibuit inſignis vir Horatius à Valle nobilis Romanus, Iureconſultus eximius, rerumque antiquarum ſtudioſiſſimus, paulò antequam publica iactura atque mœſtitia ex hac vita diſcederet, in quorum ferè omnium directa facie, cuſa eſt ipſius Marci Antonij nauis Prætoria, cuius mali ſummo vertice ſignum Crucis, ea prorſus forma qua ſancta Eccleſia nunc vtitur, exſculptum cernitur; & à tergo aquilas habent & militaria ſigna. in quorum pænè omnium B
cuſpidibus Crucis imago apertiſſimè inſculpta conſpicitur. Quorum numiſmatum pars magna, in eodem quoque Fuluij Vrſini libro, in Huberti Goltzij & aliorum codicibus, qui de antiquis numiſmatibus agunt, typis excuſa conſpicitur. Suntque omnes ferè his tribus prorſus ſimillima, quæ demonſtrationis cauſa, & in generoſorum Lectorum gratiam hîc ſubijcienda curauimus.







C

Aliud quoque numiſma in eodem Fuluij Vrſini libro typis cuſum cernitur: in cuius aduerſa facie, Quinti Naſidij claſſis Sexti Pompei ductoris nauis Prætoria cuſa eſt, in cuius mali acumine, Crucis ſignum euidentiſſimè inſculptum eſt, vt hîc oſtenditur.



Haud miranda eſt Romanorũ felicitas, qui triumphale Crucis ſignũ in vexillis prætulerint, atque in hoc vicerint.

In quorum numiſmatum conſideratione, Chriſtiano more argumentari libet, non eſſe cur miremur, quòd Romanus populus tot mari terraque victorias adeptus ſit, atque orbem terrarum pænè D
vniuerſum ſuo ſubegerit Imperio; cùm in exercituum & claſſium ſuarum vexillis, inuictum ac triumphale Crucis ſignum deferret. Quod & fauſto ac feliciſſimo ſibi quoque præſagio exinde fuit; ſignificans eum illius electi, felicis, ac Deo apprimè dilecti populi caput primarium quandoque futurum, qui ſacroſanctum hoc ſignum adoraturus erat. Quod myſterium cùm Plutarchus intelligentia non aſſequeretur, cauſa fuit, vt mentis ſuæ aciem diu in illam peruestigationem circumduceret, an Virtus potiùs quàm Fortuna, vel Fortuna magis quàm Virtus ipſa tantam potentiam, tantumq; Romanis pepererit Imperium. In cuius quæſtionis iudicio, varias ac ſibi inuicem pugnãtes hominum comperit eſſe ſententias. Aſſeuerabãt enim quidam, Virtutem pulchram ſanè, ſed tamen inutilem eſſe

De fortuna Romanorum.

A eſſe. Alij autem affirmabát,Fortunam,quamuis bona ſit,inſtabilem tamen plerumque comprobari. Addebant illi, Virtutis labores fructu præmioque vacuos eſſe; iſti verò,Fortunæ dona iudicio & fide carere. Quæ quidem calumniæ & inſimulationes(vt ipſe fingit)cùm ad Virtutis ac Fortunæ aures perueniſſent,effecerunt vt illę ſe ad ſingulare certamen inuicem prouocauerint,ipſamque vrbem Romam,vt contentionis campus atque ſpectatrix eſſet,delegerint. Ipſe verò perinde ac in eminenti quapiam ſpecula conſtitutus, vnde certamen eminus proſpiceret, deſcribit quibus armis tecta, quibúſve ſatellitibus conſtipata vtraque æmulatrix & inimica ad contentionem acceſſerit. Ingreſſa eſt, inquit, Virtus graui inceſſu, placido aſpectu, conſtantique vultu, nonnihil ruboris in malis habens; quo planè dignoſcebatur,grauiter eam indignari,quòd in immeritiſſimæ Fortunæ comparationem deſcendere cogeretur. Conijciebatur etiam ardens eius deſiderium,contentionis illius victoriam conſequendi. Ducebat autem at-

Iucunda fictio altercantis Virtutis cum Fortuna, vtra Romanos magis iuuerit.

B que ſtipabat eam inſtructa & armata fortiſſimorum bellatorum acies, qui ſuis laboribus,profuſo ſanguine, præclariſque pro patria oppetitis mortibus Romanæ Reipublicæ viam aperuerant, qua ad tantam rerum amplitudinem aſcendiſſe videbatur. Hi aduerſorum vulnerum pleni, cruore ſtillantes, ſudore permiſto, hoſtiumque ſemifractis ſpoliis onuſti, intrepidè atque impauidè illam ſequebantur: rogatique quinam eſſent, reſponderunt: Fabricij ſumus,& Camilli, & Lucij, & Cincinnati, & Maximi Fabij, & Claudij, & Marcelli, & Scipiones. Internoſcebatur inter eos Caius Marius,Fortunæ vehementer iratus. Aderat Mutius Scæuola, qui vſtulatam manum oſtentans,vociferabatur: Num & forſitan hoc quoque Fortunæ tribuetis? Progrediebatur cum eis Horatius,qui cùm pontem ſolus contra Hetruſcorum exercitum tutatus eſſet, hoſtium telis ac ſagittis onuſtus, oculo obcæcatus, & pede claudus, è profundo fluminis gurgite egreſſus, clamabat: Num & ego fortuito caſu mutilatus ſum? Talis erat, inquit

C Plutarchus,magnanima Virtutis cohors,ad contentionem proficiſcentis.

Fortuna verò econtrà,longo itineris interuallo poſt ſe Virtute relicta,incitato greſſu,feroci aſpectu, & arroganti audacia ad certamen approperabat. Non ea tunc leuibus alis ſeſe librans, neque qualis, veſtigiis ſummis globo impoſitis, præceps & ambigua fertur accedere: ſed ſicut Spartani Venerem perhibent, vbi Eurotam fluuium tranſiſſet, ſpeculis,ornatu laſciuo cæſtoque depoſitis, in Lycurgi gratiam ſumpta haſta & ſcuto ſe ornare conſueuerat; ita Fortuna, Perſis & Aſſyriis derelictis,cùm leuiter Macedoniam peruolaſſet,celeriterque Alexandrum portaſſet, & abiecisſet; Ægyptum deinde ac Syriam peragrans, cùm per aliquod temporis ſpatium Regna illa diſtuliſſet, & ſæpè conuerſa,Carthaginenſes ſuſtinuiſſet; ſtatim poſtquam tranſmiſſo Tiberi ad Palatium appropinquauit,alas depoſuit, talaria exuit, infidoque & verſatili globo illo dimiſſo, ita Romam tamquam domum pænè propriam ingreſſa eſt,diu permanſura. Illud ve-

D rò omnium ſermonibus celebratum copiæ cornu manu deferebat, non frugibus ſemper recentibus atque florentibus refertiſſimum, ſed largiſſimè omnia deſiderabiliora & pretioſiora profundens; quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, omnes fodinæ, omnia metalla, omneſque portus ferunt. Comitabantur autem eam præclari atque illuſtres viri permulti, inter quos primi conſpiciebantur Numa Pompilius & Tarquinius Priſcus, qui aduenæ & peregrini, paupere & obſcura terra nati, ad Romuli ſolium à Fortuna euecti fuerant. Hos Seruius Tullus ſequebatur, qui matre ſerua atque ancilla natus, Fortunæ admirabili fauore Rex effectus eſt. Inter hos Paulus Æmilius conſpiciebatur,Fortunam magnificans ac ſummis laudibus efferens, quòd nullo accepto vulnere, ac pænè ſine vlla exercitus ſui ſanguinis effuſione, Perſeum prælio deuicerat,

Macedoniæ Regnum acquisierat, Regemque ipsum captum ac vinculis reuinctum ante rhedam in triumphum duxerat. Nec minori præconio illam ad cælum extollebat Cęcilius Metellus Macedonicus senex ille, à quattuor filiis Consularibus elatus, à duobus item generis Consularibus, duobusque nepotibus, qui rebus præclarè gestis, ac multis magistratibus obitis, in Romana Republica illustres atque spectabiles habebantur. Non longo interuallo hos sequebatur Æmilius Scaurus, qui ex ignobili ortus familia, nouus homo, abiectamque vitam ducens, à Fortuna eò euectum se vidit, vt Princeps Senatus legeretur. Cernebatur inter hos Cornelius Sylla, quem è gremio Nicopolis scorti Fortuna sublatum, supra Cimbricos Marij triumphos, & septem eius Consulatus extulit; ac demum Romanæ reipublicæ Dictatorem effecit: cui eadem Fortuna ita semper fauit, vt ipse sibi titulum Felicis tribueret, ac se Fortunæ filium esse iactaret. A

Romani prius Fortunæ quàm Virtuti tēpla dedicarunt.

Non curauit igitur Virtus contentionem suam cum Fortuna vlterius prosequi; quandoquidem illa in iuris sui testes, Romanos ipsos adhibebat, qui Fortunæ magis quàm Virtuti debere se atque obnoxios esse ostenderant; cùm nullum Virtutis fanum, nisi serò, & longo ab Vrbe condita tempore, ædificauerint. Primus enim Scipio Numantinus Virtuti templum dedicauit, & post eum Marcellus, Virtutis & Honoris delubrum extruxit. At Fortunæ econtrà, multa splendida templa & antiqua in Vrbe extabant, iam inde ab ipsis ferè primis Romæ fundamentis posita. Inter quæ præcipuum fuit Fortunæ virilis templum, ab Anco Martio quarto Romanorum Rege ædificatum. Quod cognomen Fortunæ Romani ipsi tribuerant, quia putabant Fortunam non parum virilitatis & roboris, ad victorias feliciter adipiscendas, ipsorum fortitudini conferre. Hæc omnia non abs re facta digressione diximus, vt ostenderemus, Romanos inter ceteros falsos atque mendaces deos Fortunam coluisse, eidemque templa ædificare, altaria erigere, & simulacra dicare consueuisse; quibus diuersimodè, nescientes tamen quid agerent, Crucis signum & imaginem adaptabant; vt multis eorum antiquis aureis argenteisque & æreis numismatibus clarè perspicitur, quæ in Discursu Antonij Augustini olim Romanæ Rotæ auditoris, deinde verò Illerdensis Episcopi, itemq; in libro De antiqua Romanorum religione Guilielmi Choul, atque aliorum qui de priscis numismatibus agunt, typis excusa conspiciuntur; quorum aliquorum typos in Lectorum gratiam hîc addendos curauimus. B C

Fortunæ verò simulacra Crucis imagine illustrarunt.







D

Horum numismatum primum in ordine est Traiani. Et præterquam quòd libris prædictis impressum est, illud quoque argento cusum vidi in manibus cuiusdam magni huius Romanæ curiæ viri; penes quem multa alia Hadriani, Antonini Pij aliorumque Romanorum Imperatorum extant, quibus Fortuna exsculpta conspicitur, nauis gubernaculum manu vna, altera verò copiæ cornu ge-

A nu gestans, quod quanam de causa Romani facerent, inferius dicemus. Secundum verò, antiquissimum numisma quoddam consulare est, quod inter præclara sua antiquitatis monumenta asseruabat vir multarum virtutum Horatius à Valle nobilis Romanus, cuius superius meminimus; in quo hæ Græcæ litteræ insculptæ sunt: ΚΑΛΛΙ ΤΙΧΗ, id est, Bona fortuna. Cernitur ibi Fortuna puteo quodam insidens, nauigijque velum manu gestans; quo hieroglyphico bonam, prosperam, ac stabilem, omniumque bonorum affluentissimam, & numquam defuturam fortunam (non secus ac in puteo aquæ semper affluunt & numquam deficiunt) significari puto.

Tertium verò inter numismata prædicta exemplum positum, quædam antiqua Corneola est, cuius incisæ typus cusus cernitur in libro Guilielmi Choul De antiqua Romanorum religione, in quo Fortuna insculpta conspicitur, altera manu nauis gubernaculum, altera verò copiæ cornu, laurique ramum gestans; quo significatur (vt prisci Ethnici putabant) Fortunam quoscumque velit, ad rerum magnitudinem, ad diuitias, & ad triumphum euehere solitam. In quibus numismatibus omnibus, Crucis signum euidentissimè insculptum conspicitur. Et quamquam mihi fortè obijcere quispiam posset, Crucem ibi effictam esse, ad nauium gubernaculorum formam, malumque & antennam cui velum suspenditur repræsentandam: respondebo tamen, id nihil referre; cùm satis sit mihi, neminem inficiari posse, Crucis effigiem ibi quomodocumque insculptam conspici, quam Deus permisit antiquos idololatras nescientes quid facerent, in Fortunæ manibus collocasse, vt inde perdisceremus nos, ac reuerà agnosceremus, fortunatiorem fortunam nullam homini in hoc mundo contingere posse, quàm vt Crucis tutissimo gubernaculo firmiter innitatur; quamque vt Crucem ipsam libenti animo ferens, in sæculi huius calamitatibus & ærumnis, Ducem ac Redemptorem nostrum alacriter sequatur, qui C sub hoc glorioso & inuicto vexillo ad pugnam & ad certam victoriam benignè & amanter nos inuitat; constantissimè pro comperto habentes quidquid prosperi siue aduersi hîc nobis accidat, non à fortuna, quæ nulla est, sed Dei voluntate atque iudicio euenire. Ad quod appositè diuus Hieronymus: *Ego autem mecum diligenter retractans, inuenio, non vt quidam æstimant malè, omnia fortuitò geri, & variam in rebus humanis fortunam ludere, sed cuncta Dei iudicio fieri.*

Crux in manu Fortunæ effecta quid signet.

In Ecclesiast. cap. 9.

Deus ipse is est, & non fortuna, qui liberalitate ac benignitate sua felicitates, prosperitates, & exaltationes hominibus impertitur. Atque is etiam ipse est, qui infelicitates, tribulationes, ac depressiones erogat, quibus aut malos puniat, vel bonos exerceat; omnia summa sapientia, infinita bonitate, ac rectissima iustitia in numero perfecto, in iusto pondere, ac recta mensura disponens, ordinans, & gubernans; in quibus iudicium eius nullo pacto falli potest, vt idem sanctus Hieronymus alibi subdit in hunc modum: *Domini enim iudicium nullo modo errabit; nec aliquid fit in terra sine causa. Neminem iniustè damnat, neminem spernit, neminemq; indebitè derelinquit, quia omnia in numero, mensura, & pondere disponit, ordinat, atque gubernat.* Quamobrem neq; superbia insolentes efferre se debent fortunati atq; felices in prosperitatibus ac secundis rebus, quasi pro meritis eorũ illis Deus faueat; neq; omnem planè spem abijcere debent pauperes & afflicti, quasi à Deo destituti sint: sed potius timeant illi, & gaudeant isti: paueant illi Dei iustitiæ, & speret isti in eius misericordia: caueat illi ne deprimantur, isti verò per sanctam patientiam demum se exaltandos sperent. Summatim verò, isti atque illi simul, aurei illius Platonis præcepti meminerint, qui aureis armis aduersus Fortunam pugnandum esse dixit; id est, sanctitate, prudentia, & iustitia: sanctitate quidem, qua Deo inseruiamus, illiusque iram placemus: prudentia, qua nos erga mundum

In Lamentat. Ieremiæ, cap. 3.

B, D (margin letters)

dum geramus: iuſtitiæ autem, qua dum inter homines verſamur, vnicuique quod ſuum eſt tribuamus. ſic enim agendo, omnis fortuna ſuperatur. Ad quod appoſitè Cælius Rhodiginus: *Exinde porrò*, inquit, *promitur aureum Platonis præceptum: armis aduerſus Fortunam aureis pugnandum, id eſt, prudentia, iuſtitia, ſanctitate: ſiquidem quid Deo, quid mundo debeamus, rimatur prudentia. Mundo quod ſuum eſt impertitur iuſtitia, Deo autem ſanctitas.*

Antiquarũ lectionum lib. 10. c. 20.

Fortunæ imago planè admirabilis, & myſterijs referta.

Verùm, quod ad Fortunæ imagines attinet, myſterijs longè magis referta eſt, & ad inſtitutum noſtrum congruens & accommodata, parua quædam antiquiſſima & planè rara Fortunæ ærea ſtatua, quam meritò inter cetera antiquitatum ſuarum monumenta, vt ſibi chariſſimam aſſeruabat inſignis vir, de quo ſuperiùs meminimus, Horatius à Valle; cuius germanum typum, vt mihi ipſi ac Lectoribus ſatisfaciam, hoc loco addendum curaui. Eſt autem præcisè qualis hîc conſpicitur.



Accurata eiuſdẽ imaginis explicatio.

Habet hoc rarum ac planè curioſum ſimulacrum ſub pedibus globum, quo antiqui iuxta leuem & vanam credulitatem ſuam, non tantùm innuere volebant, Fortunam mundi abſolutam eſſe dominam, ſed & eamdem eſſe inſtabilem, malè tutam, ac prolapſioni obnoxiam; non ſecùs ac inſtabilis, inquietus, ac lubricus eſſet quicumque ſuper rotunda & globoſa pila ſtare atque incedere auderet. Dextera manu nauis gubernaculum, ſiniſtra verò copiæ cornu geſtat.

Altero

A Altero enim innuere volebant antiqui, in Fortunæ poteſtate ſitum eſſe, humanæ vitæ humanarumque actionum curſum quò mallet dirigere & gubernare, non ſecùs ac gubernaculum vim habet vertendi nauem quocumque mouens gubernator intendit: altero verò ſignificari volebant, diuitiarum copiam, honorumque & dignitatum, ac omnium temporalium bonorum affluentiam in manibus eſſe Fortunæ, quæ illa, quibus fauet & vult, elargitur. Quamobrem Lactantius Firmianus inquit: *Nam ſimulacrum Fortunæ cum copia & gubernaculo fingunt; tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Habet ſimulacrum iſtud prætereà quattuor pennarum criſtam in capite, qua Fortunæ volubilitatem, leuitatem atque inconſtantiam non tantùm ſignificare volebant, cùm pennæ ipſæ omni ventorum exili flatu moueantur; ſed & ipſius quoque Fortunæ diuinitatem innuere nitebantur, quam ſtultè atque inaniter tamquam deam colebant: ad Porphyrij opinionem, quam ſuperiùs huius quinti

De falſa ſapientia, l. 3. cap. 28.

B libri capite ſexto retulimus, alludentes; qui aſſeruit, Ægyptios in capite dei illius, quem ipſi Eneph, id eſt, vniuerſorum creatorem appellabant, pennam depingere ſiue inſculpere conſueuiſſe, vt innuerent, Deum difficilem inuentu, neminique eſſe viſibilem.

Inter pennas prætereà, quas ſimulacrum hoc in capite geſtat, circulus ſiue globus conſpicitur, in quo adeſt Crux quædam, duabus effecta lineis, quæ in ipſius globi centro interſecantur. Quo charactere equidem exiſtimo, antiquos Ethnicos, qui Dei vniuerſi Creatoris ac rectoris veram agnitionem non aſſequebantur, cuius ſacroſancto atque tremendo nutui omnes creaturæ præſtò ſunt, innuere voluiſſe, Fortunæ vim ac potentiam ab ipſius mundi centro vſque ad extremas quattuor eius partes protendi, atque ab Oriente in Occaſum, & à Meridie ad Septemtrionem pertingere. Vel forſitan circulo, ſiue pila illa quæ inter pennas in ipſius Fortunę capite conſpicitur, mundum ſignificare voluerunt,

C vt iuxta ipſorum ſtultam credulitatẽ demonſtrarent, Fortunæ adeò in promptu eſſe, mundi regimen & dominium cuicumque ſibi placuerit tribuendi, illudque auferendi, nulla meriti ſeu demeriti alicuius ratione habita, ſed pro animi ſui impetu tantùm atque libidine; perinde ac facilis motus ad omnem ventorum flatum eſſet leuis pila, quæ inter pennas ſuſtineretur. Quod antedictus Seruius Tullus Romanorum Rex fortaſſe innuere voluit, cùm inter cetera templa, quæ in Fortunæ honorem extruxit, vnum præcipuum ædificandum curauit ſub hac inuocatione, *Fortis Fortunæ*; vt ingentem ipſius Fortunæ vim atque potentiam ſignificaret, quam ſtultiſſimè illam fuiſſe opinabatur, quæ ex homine humili & obſcuro, matreque ſerua nato, vt dictum eſt, ad Regium culmen eum euexiſſet. Vnde non eſt cur miremur, quòd is, qui Deum penitus ignorabat, à cuius ſancta voluntate omnis felicitas promanat & exaltatio, tamquam vir gratus & acceptorum beneficiorum memor, tantam diuinitatem & honorem For-

D tunæ tribuerit, vt omnes ſecundas res ac proſperas actiones ſuas eidem Fortunæ adſcripſerit. Quocircà de eo ſic tradit Plutarchus: *Omnium maximè*, inquit, *videtur Seruius Fortunæ vim diuinam extuliſſe, omnibusque eam inſcripſiſſe actionibus.* De templo autem fortis Fortunæ à Seruio Tullo, atque ab alijs poſteà ædificato, Varro[a], Plutarchus, Donatus[b], & alij veteres ſcriptores meminère: ex quorum lectione colligitur, illud extra Vrbem in Tiberis ripa ſitum, in hortis his quos Cæſar poſteà populo Romano legauit. Cuius feſtum ab his præcipuè celebrabatur, qui nulla arte victitabãt, ad octauum Kalendarum Iulij, vt antiquis Faſtis notatum reperitur. Quamobrem de inani illa ſolemnitate ſic canit Ouidius:

In Quæſtionibus Romanis, quæſt. 74.

a De lingua Latina.

b In Phormione Terentij.

Quàm citò venerunt Fortunæ fortis honores,
Poſt ſeptem luces Junius actus erit.

Faſtorum lib. 6.

Ite,

Ite, deam læti fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera Regis habet. A

Ad Seruij autem Tulli exemplum, in ceterorum Romanorum Regum atque Imperatorum animos vana & superstitiosa illa passim adeò irrepsit firmiterque insedit credulitas, Fortunam nimirum illam ipsam reuerà esse, quæ Reges & Imperatores faceret, factosque in Regno & Imperio conseruaret, vt in secretioribus intimisque cubiculis, eius Fortunæ simulacrum, quam Auream & Regiam appellabant, magna veneratione asseruare consueuerint. Quod simulacrum, cùm Imperatores morti se proximos agnoscerent, ad filios suos, vel ad eos qui Imperij gubernacula post ipsos suscepturi erant, transferendum curabant. Sic enim Antoninus Pius fecisse traditur, qui eodem die quo vita functus est, cùm Rempublicam propriamque filiam Marco Aurelio successori commendasset, aureæ Fortunæ siue regiæ statuam, quam diximus, eidem deferri iussit. Cuius facti memoriam Iulius Capitolinus his verbis prosequitur: *Tertia die cùm se grauari videret, Marco Antonino Rempublicam & filiam præsentibus Præfectis commendauit: Fortunamque auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum iussit.* Eiusdemque facti idem quoque meminit, in ipsius Marci Aurelij vita. Id etiam Seuerus Imperator fecit; qui vt Spartianus testatur, duos filios habens sibi in Imperio successuros, cùm viuendi curriculum iam confecisse agnosceret, alterum aureæ siue regiæ Fortunæ simulacrum perficere meditabatur, quo vtrique filio vnum transmitteret. Sed cùm morbo se perurgeri sentiret, neque id efficiendi tempus suppeteret, id ipsum Fortunæ aureæ simulacrum, quod in cubiculo suo asseruari consueuerat, apud filios vicissim alternatis diebus esse iussit. B

Quid veteribus Fortuna aurea & regia.

In Antonino Pio.

In Seuero.

His superstitionibus conflictabantur Gentiles, qui veri Dei agnitionem non assequebantur. At nos Christiani, qui diuina nobis fauente gratia & misericordia, in tantæ lucis æuo nati sumus, pro comperto habemus, nullam qualem antiqui putabant, esse Fortunam; illamque hominum ingenio excogitatam deam, quam cæcutientes idololatræ Fortunam appellabant, nil aliud quàm Dei optimi maximi voluntatem ac prouidentiam existere, qui omnia, vt superiùs diximus, pro infinita sua sapientia, sanctoque arbitrio moderatur. Quamobrem non sine ratione, quæ à verosimili non abhorret, existimari potest, Crucis illam imaginem, in circuli siue globi medio, super antedictæ Fortunæ caput collocatam, & à Gentilibus nescientibus quid facerent effictam, altissimum redemptionis mundi præsignasse mysterium, quod Deus ipse in Crucis instrumento operaturus erat. Idque in maiorem diaboli confusionem; vt ipsa videlicet idolorum Fortunæ & Fati simulacra, ceteraque huius generis deliramenta, & inanes chimæræ, quas in hominum exitium excogitauerat, in suum ipsius dedecus & ignominiam eodem signo deprehenderentur insculpta, per quod ea quam sibi in mundum arrogauerat tyrannide exuendus erat. Nullam autem esse Fortunam, ipsamque mentis errore conceptam, & inanem hominum superstitionem extitisse, complures prudentes viri, etiam Ethnici perspexerunt & fassi sunt: licet errore decepti econtrà putauerint, humanam prudentiam per seipsam sine Dei gratia sufficere, ad actus nostros verè feliciter dirigendos. Quamobrem sic ille Poëta: C D

Christiani non Fortunam deam, sed Dei voluntatem & prouidentiam agnoscimus.

Nullum numen abest, si sit prudentia; sed te
Nos facimus Fortuna deam, cæloque locamus.

Iuuenalis, Satyra 10. in fine.

Adeò constanter ac firmiter priscis temporibus, non solùm in vulgarium, sed etiam in grauitate ac nobilitate insignium virorum mentibus insederat opinio, reuerà Fortunam existere, ipsamque pro impetu & libidine sua, cuncta huius mundi

Stulta Gentilium de Fortuna opiniones.

A mundi negotia moderari, vt de omnibus euentibus, siue ad voluntatem fluentibus siue aduersis, & de cunctis humanis actionibus, vel laudibus efferrent vel incusarent Fortunam. Quamobrem toto pæne orbe terrarum, omni loco, singulis horis, ad momentum omne, ad omnem progressum, & ad omnem vocem, nil ferè aliud audiebatur, quàm laudibus efferri, vel contumeliis proscindi, improbari, insimulari, argui, atque incusari Fortunam. Quod pæne ad nauseam vsque stomachatus Plinius, inquit: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur: vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur; volubilis, à plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix.* Naturalis historiæ lib.2.c.7.

Lucianus autem, qui licet Ethnicus esset, falsos tamen & inanes deos illos, ac stultam illius temporis hominum credulitatem per iocum irridebat; mundum B hunc theatrum quoddam siue scenam, humanos verò actus comœdiam esse confingit, ad Fortunæ voluntatis arbitrium & libidinem compositam ac repræsentatam, quæ hominibus tamquam histrionibus vtatur; iubens illos in eo habitu comparere, eamque quam mauult gerere personam: ideoque sic ferè tradit: Fortuna, quem diligit, regiis ornat insignibus, sceptrum manibus imponit, caput diademate coronat, satellitesque ad corporis custodiam addit; alium serui rursus ornatum induit: hunc formosum effingit, alium verò deformem ac deridiculum fingit. comœdiam enim hanc omnigenum vult esse spectaculum. Quin etiam habitus quorumdam plerumque in medio ipsius actus, mediaque pompa demutat, neque perpetuò eodem finit ordine cultuque progredi, quo prodierant, sed ornatu commutato. Crœsum quidem cogit serui captiuique vestes induere: Menandrium autem olim inter seruos incedentem, Polycratis ornat tyrannide; & aliquantisper quidem eo cultu vti permittit, at C vbi iam pompæ ac repræsentationis tempus præteriit, apparatum quisque restituens, amictu & corpore ipso exutus, qualis anteà fuerat efficitur. Et alibi fingit idem Lucianus, Momum in deorum concilio iustitiam sibi administrari, remediumque à Ioue adhiberi efflagitasse aduersus inertium hominum ineptias, qui sub Philosophiæ ac Religionis prætextu, intoleranda & vana Naturæ & Fati atq; Fortunæ vocabula excogitauerant: quæ quamquam ipsorum commenta essent, sic tamen simplicium mentes animosque peruaserant, vt nemo ampliùs ceteris diis sacrificare dignaretur. Hæc ille. Ex quibus patet, etiam inter ipsos Ethnicos non defuisse prudentia & sapientia insignes viros, qui quàm vana atque inania sint Fati & Fortunæ nomina, quæ diaboli versutia in hominum opinionem & credulitatem irrepserant, apertè cognouerant. Vnde Lactantius Firmianus Ciceronis testimonio innixus, testatur, stultitiam, errorem, cæcitatem, & rerum ignorationem atque causarum, Naturæ ac Fortunæ nomina D induxisse.

In Menippo siue Necyomãtia, Tom. 2.

In deorum Concilio, Tom. 2.

De falsa sapientia, lib. 3. c. 28.

Quamobrem eo sanè admirabilior, omnique excusatione indigna, & seuerissimæ animaduersionis rea censenda est Hebræorum impietas, qui licet veram Dei agnitionem haberent, nihilominùs paulò antè quàm captiui in Babyloniam abducerentur, in idololatriæ iniquitatem adeò prolapsi erant, vt ipsi quoque Fortunam adorarent, eidemque sacrificia offerrent. Quod meritò indignè ferens Deus, Ierosolymorum vrbem Nabuchodonosori Babyloniorum Regi capiendam, diripiendam, & vnà cum templo ipso euertendam, magnamque populi illius partem trucidandam, reliquam verò in miseram seruitutem pertrahendam permisit: cùm eos tamen anteà per sanctos Prophetas suos acriter monuisset vt à scelestissimis impietatibus illis abstinerent;

Iudæi ob Fortunæ cultum à Deo puniti.

Isaiæ 65. præsertim verò per Isaiam, qui sic eos affatus est: *Et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam: numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.* Quocircà tanto maiori officio nos Deo deuinctos esse agnoscere debemus, qui pro infinita sua misericordia, & per vnigeniti Filij sui sanctam doctrinam, ipsiusque Crucem & mortem, à tantis erroribus, tantisque diaboli fraudibus atque tyrannide nos liberauit. A

Illud sanè valdè admirandum fuit, antiquos videlicet populos Ethnicos, præsertim verò Romanos, nescientes quid facerent, in multis (vt perspeximus) signum Crucis vsurpasse. At in longè maiorem admirationem proculdubiò traducimur, dum consideramus, eosdem etiam in ipsa idolorum atque inanium deorum suorum adoratione eamdem Crucis imaginem & effigiem adhibuisse. Etenim licet Crucem abominarentur, ac stultitiam reputarent; in dæmonum tamen adoratione, Crucis osculo tamquam deuotionis cultu, ac venerationis argumento vtebantur. Sanè quidem cùm idola sua consalutabant & adorabant, propriam manum ori admouere atque exosculari solebant. Ex cuius actionis gestu, putant aliqui Latinum verbum illud *Adoro* deductum fuisse; quasi manum ori admoueo. Huius namque consuetudinis plerique antiqui & auctoritate graues Scriptores meminêre. inter quos Lucianus de eo Indorum ritu differens, qui statim postquam manè è lecto surrexerunt, ad Orientem conuersi, saltantes solem consalutabant & adorabant, inquit: *Indi quoque posteaquam manè è strato surrexerint, solem precibus venerati fuerint, non quemadmodum nos deosculata manu, perfectam precationem esse arbitramur: verùm illi ad Orientem conuersi, saltatione solem consalutabant.* Et alibi idem Lucianus de sacrificiis agens, ac de variis victimis & hostiis quæ eisdem diis immolabantur, subdit: *Tum autem constitutis aris, designatis sacrorum septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt, bouem aratorem agricola, agnum opilio, capram caprarius. Est qui thus, est qui placentulam offerat. Ac si quis pauper, is ita deo litat, vt dexteram dumtaxat suam ipsius exosculetur.* Demum verò idem Lucianus alibi de generosa quidem, sed iure à nobis Christianis improbata atque damnata Demosthenis morte loquens, qui ne viuus in Antipatris Macedonum Regis manus deueniret, cùm Archiam ad eum comprehendendum ad Brutios vsque misisset, ad quos ipse cum permultis aliis Atheniensibus extorribus profugerat; fingens se manum ori admouere velle, vt Saturnum adoraret, in cuius templo ab Archia deprehensus fuerat, venenum sibi ipsi propinauit. Introducit itaque idem Lucianus Archiam ipsum, qui eiusdem Demosthenis mortem Antipatri narrans, ait: *Cùm hæc dixisset, Age, inquit, ne afferas mihi violentas manus; non enim profanabo templum, quantum in me est; salutato deo, sponte sequar. Ego sic sperabam facturum, cùm ille manum ori admouet: neque ego suspicabar eum aliud facere, quàm orare deos.*

Gentiles in idolorum adoratione, Crucis osculo vsi. B

De saltatione, To. 4

De sacrificiis, To. 3. C

In Demost. encomio. D

Eiusdem etiam antiquæ consuetudinis clarum indicium elicitur ex verbis Marci Minutij Felicis, qui in Dialogo suo, cui titulus est Octauius, sic habet: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labiis pressit.* Ipsius quoque ritus clarum testimonium affert Plinius his verbis: *In adorando, dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus.* Quin etiam eiusdem rei indubitatam fidem astruunt ipsæ Sacræ litteræ. Sanctus enim Iob summum Iudicem in innocentiæ ceterarumque virtutum suarum testem aduocans, præsertim verò quòd idololatriæ impietate se numquam inquinasset, ait: *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo;*

Li. 28. c. 2.

Iob 31.

A *quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Et quod longè maioris ponderis est, id ipsum quoque Deus ipse dixit, ostendens quantum illorum auersaretur impiam ac scelestissimam idololatriam, qui suam ipsorum exosculantes manum, idolum Baal adorabant; prænuntians Eliæ seuerissimam animaduersionem, qua illud flagitium vindicaturus erat; immunes ab ea illos reseruans, qui in ea impietate sese non immerserant. *Et derelinquam mihi, ait, in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal; & omne os quod non adorauit eum, osculans manum.* Ex quibus verbis Domini apertè coniicitur, ritum illum, manum ad os admouendi, illamque in ipso adorationis actu deosculandi, apud ipsos etiam Hebræos receptum fuisse; & quidem sic vsibus frequentatum, vt iuxta sui idiomatis proprietatem, deosculationem pro veneratione ponere consueuerint. Quamobrem ita diuus Hieronymus: *Quia enim,* inquit, *qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere; quod se* B *beatus Job elementis & idolis fecisse negat. Et Hebræi, iuxta linguæ suæ proprietatem, deosculationem pro veneratione ponunt.*

3. Reg. 19.

Ritus adorationis per osculum manus;

In Apologia aduersus Ruffinum, lib. 1. cap. 5.

Antiquos autem non tantùm Ethnicos & idololatras, sed etiam Hebræos ipsos in adoratione manum ori admouere, eamdemque deosculari solitos fuisse, non est quòd miremur: at illud admiratione planè dignum censeri debet, quòd in eo ipso adorationis actu, propriis manuum digitis effingerent, effictamque oscularentur Crucem. Qui ritus sanè admirabilis apertè admodum coniicitur ex Lucij Apuleij verbis, qui in sua Metamorphosi sic habet: *Multi denique ciuium, & aduenæ copiosi, quos eximij spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inaccessæ formositatis admiratione stupidi, & admouentes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Ex cuius C antiquissimi ritus exemplo atque imitatione, illa fortasse deducta esse potuit consuetudo, à quibusdam Christi fidelibus ad hanc vsque diem vsitata, qui cùm aliquid tamquam verissimum religioso iureiurando asserere conantur, indice sub pollice complicato Crucis signum & imaginem formant, formatamque ori admouentes, & deuotè osculantes, sic ferè dicere solent; Ita est, per hoc sanctum Crucis signum; digitos suos ad summum in hanc formam coaptantes.

Idque digitus ad formã Crucis coaptatis.

Metamor. siue de Asino aureo.



Ad quam Crucis imaginem digitos suos pariformiter aptare veteres solebant, D cùm decem, & centum, ceterosque numeros perfectos, quos diuinos appellabant, innuere atque ostendere volebant. Plerumque enim numerare, & numeros ipsos digitis exprimere consueuerant; illos pro numerorum qualitate ac specie pluriformiter adaptantes & immutantes: vt, exempli gratia, cùm decem innuere volebant, sinistram manum pollice & indice in Crucis effigiem coaptatis ostendebant, ea prorsus forma, quæ antepostia graphide conspicitur: cùm verò centum exprimere erat in animo, dexteram pollice & indice in eamdem Crucis figuram complicatis ostentabant. Quam numerandi praxim expresè docet venerabilis Beda, in paruo illo tractatu suo De indigitatione, vbi pro his præsertim quæ diximus corroborandis, in hunc modum docuit: *Cùm dicis decem, vnguem indicis in medio figes artu pollicis: centum verò, dextera,*

De indig. Tom. 1.

tera, quemadmodum decem in læua facies. Ad hanc priſcorum numerandi conſue- A
In Apologetico c. 19 tudinem alludere voluit Tertullianus, cùm dixit: *Cùm digitorum ſupputariis geſticulis aſſidendum eſt.* Quæ quidem pauciſſima & ſubobſcura verba declarans Iacobus Pamelius, ait: *Veteres, auctore Donato, plicatis aut ſubductis digitis numerabant: hic eſt digitorum geſtus, quos geſticulos Tertullianus nuncupat.*

At demum verò, cum hac myſteriis refertiſſima numeratione, qua veteres propriis digitis Crucem ſæpè effingere conſueuerant, debitas ingenteſque gratias Spiritui ſancto referentes, huic quinto libro finem imponemus; piè & humiliter ipſum deprecantes, qui dexteræ Dei eſt digitus, vt Crucem ſanctam cordibus noſtris ſic imprimere dignetur, vt cùm anima noſtra mortale hoc pallium exuerit, ſalutari & viuifico hoc ſigno induta atque armata, inter inſtructas acies beati exercitus illorum centum & quadraginta quattuor millium ſignatorum, id eſt, in ſeruorum & electorum Dei vniuerſitate, ſeſe feliciter conſcriptam inueniat: ibique cum eis ſine vlla vmquam ceſſatione in æternum concinens, dicat: Benedicto, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo viuenti in ſæcula ſæculorum. Amen. B



IACO-

IACOBI BOSII DE TRIVMPHANTE ET GLORIOSA CRVCE LIBER SEXTVS.

Quòd post Christi Domini nostri passionem & resurrectionem, Crucis infamia, ignominia, opprobrium & horror, in honorem, in gloriam, in triumphum, & in summam venerationem mirabiliter conuersa
C sunt.

CAPVT PRIMVM.

Non temerè hos libros inscriptos esse titulo Triumphantis & gloriosæ Crucis.

Dignissima elogia sacratissimæ Crucis.

Aduersus Gentiles Demonstratio, quòd Christus sit Deus. To. 5



CVM huius tractatus nostri locis plerisque antiquum Crucis opprobrium, ignominiam atque horrorem, operis necessitate impellente, hactenus detexerimus; rationi sanè congruum nunc est, vt de triumpho eius, & gloria, in quam præterita eius dedecora diuinitus
D commutata sunt, posteaquam cælesti dispensatione, cunctis obtupescentibus spiritibus, sacrum ac venerabile Redemptionis nostræ instrumentum effecta est, tandem agamus, vt excelsa & planè sublimis hæc materia Triumphantis & Gloriosæ Crucis titulo, quo eam insigniuimus, dignè respondere comprobetur. In Crucis mysterio, inquit sanctus Ioannes Chrysostomus, res ipsæ contrarium prorsus atque diuersum ab humanis actionibus consecutæ exitum sunt. Nam hîc cùm potentes, & qui in magna gloria rebusque florentibus degunt moriuntur, eorum omnia simul cum ipsis pereunt: quod sanè non solùm in diuite, sed & in Principe, atque adeò in Regibus ipsis videre licet, quorum leges abrogantur, statuæ euertuntur, deiiciuntur insignia, memoria extinguitur,

 fama

fama obſcuratur, nomen obliuione obruitur. Et licet olim armorum vi & exercituum potentia vrbes expugnauerint, prouincias in ditionem redegerint, Reges tributarios effecerint, tyrannos domuerint, exules & proſcriptos reſtituerint; hæc omnia licet præclara & glorioſa quandoque fuerint, temporis tamen iniuria & edacitate ab hominum recordatione & memoria extruduntur, atque in tenebris demerguntur. A

Verùm res Crucis diuerſo planè atque contrario euentu cònſtitère. Antequam enim Chriſtus Dominus mortem in Cruce oppeteret, diſcipulorum & ſectatorum eius res omnes anguſtiis, afflictionibus, luctuque ac lacrymis obruebantur: Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt; Ieſus ſolus inter amicos comprehenſus eſt, & multi qui in eum crediderant, retrorſum abierunt. Verùm vbi occiſus eſt, non ſolùm res eius non interciderunt, ſed multò clariores, illuſtrioresque & ſublimiores euaſerunt: orbis enim terrarum ſanctam eius fidem amplexatus eſt: infiniti martyrum populi & exercitus pro eius amore propriam vitam profuderunt, mille ludibria perpeti, mille tormentorum atrociſſima genera ſuſtinere, ac demum mortem ipſam oppetere, quàm eum abnuere malebant. In omni regione, in omni prouincia, in omni ciuitate, & in omni orbis terrarum parte habitabili crucifixus prædicatur: Regesque, Imperatores, ac Principes, & milites, & præſides, & ſerui, & liberi, & idiotæ, & ſapientes, & inſipientes, & barbari, & omnes nationes, & cuncta hominum genera quę ſub ſole ſunt, ad hoc nomen adorandum auidè confluunt. B

Crux omni loco, & ab omni hominum genere adoratur.

Crux ſanè ipſa, quæ anteà maledictæ mortis erat ſymbolum, ſignumque mortis atrociſſimæ, mortis ignominioſæ & abominandæ, mortis inquam inter omnia moriendi genera turpiſſimæ ac maximè deteſtabilis; tantum honorem, ſplendorem & gloriam adepta eſt, vt ſuper omnia diademata & coronas clarior atque illuſtrior habeatur; vt non ſic regia corona ornetur caput, quantum Cruce ipſa, quæ omni ornatu dignior exiſtimatur. Itaque quemadmodum eam priùs omnes abhorrebant, nunc omnes eam auidiſſimè perquirunt. Vnde nunc vbique comperitur apud Reges, apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, & apud liberos: atque adeò omnes nunc ea ſe ſignant, & in nobiliſſimo membro eam inſcribunt, id eſt fronte, in qua quaſi in columna quadam quotidie figuratur. C

Sic in ſacra menſa, ſic in ſacerdotum ordinationibus, ſicque cum Chriſti corpore in myſticis cœnis Crux fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis, in inſulis, in lectis, in veſtibus, in armis, in ſympoſiis, in vaſis argenteis & aureis, in margaritis, in picturis, in parietibus, in corporibus à dæmonibus obſeſſis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in feſtis, in ludis, in delicatorum choreis, & in monachorum ordinibus; adeò certatim hoc donum admirabile omnes arripiunt. Mira ſanè eſt gratia hæc: nullus confunditur, nemo erubeſcit, cogitans quòd maledictæ mortis ſymbolum fuerit; ſed omnes ipſo libentiùs quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus exornantur. Neque ſolùm non declinatur, ſed etiam deſideratur atque diligitur; omneſque de ea ſolliciti ſunt: ac propterea vbique refulget, vbique inſculpta conſpicitur, in parietibus domorum, in tectorum culminibus, in libris, in ciuitatibus, in vicis & ruribus, & in locis quæ habitantur & quæ non habitantur. D

Huius enim ſacroſancti & venerabilis ligni, cui ſanctum Domini corpus confixum eſt, totus orbis habere partem ita contendit, vt qui paruulum fruſtum ex illo conſequi poſſint, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres; eodem-

A demque caput, collum & pectus ornent; existimantes se hinc valdè honestatos, magnificè decoratos atque protectos existere. Certè sacrum lignum hoc, licet condemnationis instrumentum, hocq; sacrosanctum signum maledictæ mortis symbolum fuerit, multæ tamen benedictionis argumentum factum est, & omnigenæ securitatis murus, tempestiua diaboli plaga, dæmonum frænum, & chamus contrariarum partium. Hoc mortem sustulit, hoc inferni æreas portas confregit, hoc ferreos vectes contriuit, diaboli aciem expugnauit, peccati neruos execuit, totum orbem condemnationi subiectum eripuit, plagam à Deo contra naturam nostram immissam sustulit; & vt summatim dicam, quod non potuit mare cùm diuideretur, non petræ cùm scinderentur, non aër cùm mutaretur, non manna quod quadraginta annorum spatio pro tot millium sustentatione è cælo defluxit, non lex, aliaque signa tam in eremo quàm in Palæstina facta, id omne Crux ipsa potuit; non in vna gente tantùm, sed in vniuer-
B so terrarum orbe, & in cunctis quæ sub sole sunt nationibus. Crux ergo sancta, quæ maledictionis symbolum erat, quam omnes fugiebant, auersabantur, abominabantur tamquam funestum, horribile, ignominiosum & execrabile instrumentum, tale ac tantum robur, tale ac tantum honoris decus, talemque ac tantam gloriam post Crucifixi mortem diuinitus & cunctis creaturis obstupescentibus assecuta est.

Minimum frustum sacri ligni Crucis, maximum momentum nile.

Hæc pænè omnia diuus Ioannes Chrysostomus fusiùs prosecutus est; qui quidem alibi sanctæ Crucis laudes & gloriam concelebrans, inquit: *Hodierna die, fratres charissimi, Dominus noster pependit in Cruce. Quocircà festiuitatem eius magna lætitia celebremus, vt discamus, Crucem totius spiritalis gratulationis esse substantiam. Etenim anteà ipsum Crucis vocabulum pœna fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur. Anteà condemnationis ferebat horrorem, nunc salutis indicium est. Crux enim nobis totius beatitudinis causa est. Hæc nos à cæcitate liberauit erroris, hæc è tenebris*
C *reddidit luci, hæc nos debellatos atque prostratos erexit, quietique & paci restituit: hæc alienatos Deo coniunxit, hæc longè constitutos Deo proximos præsentauit, hæc peregrinantes ciues effecit, hæc discordiæ amputatio est, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio.*

De Cruce & latrone, Homil. 1. Tom. 3.

Itemque alibi ipse idem Pater sanctæ Crucis laudes, gloriam atque triumphum prosecutus testatur, quòd per illustris vitalisque Christi Crucis virtutem dæmones fugantur, morbi profligantur, caliginosæ & obscuræ tenebræ pelluntur, omnesque terræ fines illuminantur. Additque, Crucem Domini arma esse victricia, quibus gloriosum & immortale trophæum Christus reportauit, quæ Regum armis ac bello nullo pacto vinci possunt. Ipsamque Crucem, Ecclesiæ sanctæ cornu & gloriam, hostium expugnatricem, & fidelium salutem esse dixit. Et alio quodam in loco, eamdem sanctam Crucem, gloriam nostram, caput & originem beatitudinis nostræ, libertatemque & coronam
D nostram appellauit. Atque iterùm alibi de passione Domini verba faciens; Hodie, inquit, Crux fixa est, & sæculum sanctificatum est, ac dæmones dispersi sunt, & mors subuersa, diabolus vinctus, homo solutus, ac Deus glorificatus. Demum verò Crucem ipsam quouis diademate gloriosiorem esse testatur, quandoquidem Reges positis diadematibus Crucem suscipiunt; ita vt in purpuris Crux, in coronis Crux, in precibus Crux, in armis Crux, in mensa sacra Crux, in toto orbe Crux, & super solem fulgeat Crux.

In pretiosæ Crucis venerationem media hebdomada ieiuniorum Ser. To. 1. in fine.

In cap. Matthæi 13. Homil. 55. Tomo 2.

De Cruce & latrone, Homil. 2. Tomo 3.

In demonstratione quòd Christus sit Deus Tom. 5.

Verùm in propriis atque præcipuis terminis eius tituli, quo hunc tractatum nostrum insigniuimus, Triumphantis nimirum & gloriosæ Crucis, Doctor Gentium Paulus Apostolus apertè innuit, Crucem quasi triumphalem currum quemdam extitisse, in quo inuictus & gloriosus Triumphator ac Redem-

Titulus Triũphãtis Crucis diui Pauli & veterũ Patrum verbis cõprobatur. Coloss. 2.

demptor noster Christus de diabolo ac desertoribus angelis impiis satellitibus eius triumphum duxit; cùm testatus est deleuisse eum ac de medio tulisse chirographum decreti quod erat contrarium nobis, affigens illud Cruci, subdens: *Expolians principatus & potestates, traducit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Quasi diceret: Expoliauit ac deuinxit Christus Dominus principatus & potestates, id est, dæmones; sicque expoliatos nudos, & Crucis triũphali currui alligatos, magna confidentia palàm ac publicè traxit, nimirum in conspectu Ierosolymorum vrbis; triumphumque de illis ducens in semetipso, siue in ligno Crucis, vt locum hunc legit Origenes, inquiens: *Audi ergo de ijs quid ipse Apostolus pronuntiat. Quod erat, inquit, contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens Cruci suæ; exuens principatus & potestates, traduxit liberè triumphans eas in ligno Crucis.* Quibus Origenis verbis interpres eius addit, quòd licet in Vulgata editione nostra dicatur: *Triumphans illos in semetipso*; textus tamen Græcus habet, *In ligno.* A

In Iesu Naue cap. 8. Hom. 8.

Magnus autem pater Ambrosius eamdem Crucem ipsam triumphum appellat, hoc modo: *Qui Crucem scandalum putat, Iudæus est, Ecclesiæ filius non est: qui Crucem stultitiam putat, Græcus est ille. Est autem Ecclesiæ filius, qui Crucem triumphum putat, qui Crucem Christi triumphantis agnoscit.* Triumphum quoque atque vexillum nostrum contra diabolum illam appellauit sanctus Augustinus his verbis: *Crux illa fidelibus non est opprobrium, sed triumphus; Crux illa vexillum nostrum est contra aduersarium nostrum diabolum.* Triumphum pariter Crucem ipsam vocauit sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm inter ceteras eiusdem sanctæ Crucis laudes dixit: *Crux aduersus dæmones triumphus.* Denique verò triumphum etiam illam appellauit Marius Victorinus Africanus vir Consularis, aduersus Arrium scribens, cùm ait: *Mysterio Crucis omnes aduersæ Christo, ab eodem Christo triumphatæ sunt potestates.* B

In Euang. Luc. lib. 7. cap. 9.

De Symbol. ad Catechum. l. 4. cap. 5.

Aduers. Arrium, in Biblioth. SS. Patr. To. 4.

Itẽ Gloriosa Crux dicta non tantùm Patribus, sed Apostolis, Angelis, atque adeò ipsi Christo. Catech. 13. Illuminat.

Gloriosa præterea appellata est sancta Crux non solùm à priscis Patribus, sacrisque Doctoribus Ecclesiasticis; sed ab Apostolis, ab Angelis, & ab ipso Christo Domino. Gloriosam namque inter ceteros Patres non solùm vocauit eam sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, sed gloriationem omnium gloriationum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ eam esse dixit: *Gloriatio sanè*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio: gloriatio verò gloriationum est Crux.* Gloriosamque inter ceteros sanctos Apostolos Crucem esse, innuit sanctus Iacobus frater Domini in sua diuina Missa, cùm illam cornu, id est gloriam, ornamentum, & robur Christianorum esse dixit, in hunc modum: *Extolle cornu Christianorum pretiosæ & viuificæ Crucis potentiam, Domine multùm misericors: te supplices oramus, exaudi nos te rogantes, & miserere.* Apertiùs autem, gloriosam esse Crucem sanctam, ostendit Doctor Gentium Paulus Apostolus, cùm dixit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quasi diceret: Gloriantur Hebræi in circumcisione, re abolita & antiquata; mihi autem in vlla alia re gloriari non contingat, præterquam in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Ex quibus verbis colligitur, inquit Theophylactus, gloriam Pauli & cuiuscumque fidelis, Crucem esse. Quin etiam alibi idem Theophylactus Crucem inter omnia, maximam Christi gloriam esse asseruit. At longè etiam clariùs atque apertiùs idem Apostolus per consequentiam quamdam, Crucem gloriosam esse ostendit, cùm dixit, Christum Dominum per mortem eius in Cruce, gloria & honore coronatum fuisse: *Videmus*, inquit, *Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Quæ verba exponens Ambrosius, ait: *Hîc ostendit, quia gloria & honor Crux est Christi.* C D

In Biblioth. SS. Patrum, Tom. 6.

In Epist. ad Galat. cap. 6

In Lucæ Euang. cap. 23.

Hebr. 2.

In epist. ad Heb. cap. 2.

Gloriosam quoque Crucem esse innuerunt Angeli; tum verò præsertim, cùm vnus ex ipsis in veste candida apparuit mulieribus, quæ in sepulchro Dominum

A num quærebant, & dixit eis: *Nolite timere vos, scio enim quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis.* Ad quod apposité Cyrillus Ierosolymitanus: *Non pudeat*, inquit, *Crucem Christi confiteri; Angeli enim gloriantur, dicentes: Iesum quæritis crucifixum. Non potuisti dicere, ô Angele: Scio quem quæritis, meum Dominum. Sed confidenter dicis: Scio quòd crucifixum. Gloria enim & honor est Crux, non ignominia.* Gloriosam denique præcipuamque suam ipsius gloriam Dominus noster ipsemet sanctam Crucem appellauit, tunc præsertim cùm præuidens aduenisse horam, in qua pro vniuersorum salute Cruci suffigendus erat, ait: *Venit hora vt glorificetur Filius hominis.* Ad quod apposité idem sanctus Cyrillus: *Vides*, inquit, *quomodo gloriam propriam sciebat esse Crucem?* Diuus verò Ambrosius super verbis illis Apostoli, quæ modò superiùs in medium adduximus, scribens, hæc insuper addidit: *Hic*, inquit, *ostendit Apostolus, quia gloria & honor Crux est Christi; pro qua modicum minoratus est ab Angelis, sicut ipse Dominus eam semper vocat, dicens: Vt glorificetur Filius hominis. Si ille ea quæ pro seruis passus est, gloriam vocat; multo ampliùs tu homo, quæ pro Dominò pateris, tibi ad gloriam pertinere sempiternam dubitare non debes.* [Catech. 13. Illuminat.] [Ibidem.] [Ad Hebr. cap. 2.]

B

Admirabilem ergo sortita Crux est permutationem, cùm pro ineffabili Dei charitatis & misericordiæ immensitate, fieri meruit sacrosanctum & adorandum altare illius diuini sacrificij, quod humanum genus Deo reconciliandi vim atque virtutem solum obtinuit; horribilem illam æternæ mortis sententiam, cui erat addictum, obliterandi; durum illud exilium, quo è cælo proscribebatur, reuocandi, grauissimas culpas nostras delendi, letalia vulnera nostra consolidandi, æternas ærumnas nostras terminandi, iram Domini in dulcedinem, odium in dilectionem, & vindictam in misericordiam conuertendi. Tunc enim Crucis infamia in honorem, ignominia in gloriam, abiectio in maiestatem, opprobrium in triumphum, horror in venerationem, execratio in dilectionem commutata est: & proinde agnoscentes homines cælestes ac diuinas gra-
C tias, incomparabiliaque beneficia quæ per ipsam sanctam Crucem acceperant, illam amare, desiderare, amplecti, laudare, celebrare, extollere & colere cœperunt. Quamobrem ipsa eadem tandem sancta Crux, quauis inæstimabili gemma pretiosior, quouis ingenti thesauro acceptior, quouis Regio diademate illustrior, quauis Imperatoria corona excelsior, quauis stella clarior, ipsoque sole ac luna splendidor atque fulgentior effecta est. Ideoque meritò deinceps sancta Dei Ecclesia cecinit, & ad hanc vsque diem piissimè concinit: *O Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multùm amabilis, sanctior vniuersis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi.* dulce lignum, dulcesque clauos appellans, qui Saluatoris nostri sacratissimi corporis pondus sustinuerunt.

Ad quod sic alludit Bernardus: *Ergo Crux pretiosa est, & Crux amari potest, & Crux habet exultationem? Ita est, fratres mei: si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat*
D *spiritualium charismatum. Non est siluestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam: arbor fructifera, arbor salutifera est.* Et post nonnulla, hæc etiam quæ summatim collegimus, addit: Fructus, inquit, arbor ista, istudque lignum pretiosissimum in se continet, omnibus tribus fidelium gradibus vtiles ac salutiferos: habet enim in radicibus timorem Dei, pro incipientibus; in medio spem pro proficientibus; & in summitate charitatem, pro perfectis. Ideoque qui initiatur à timore, Crucem Christi sustinet patienter: qui profecit in spe, portat libenter: qui verò in charitate perficitur, ardenter eam amplectitur. [De S. Andrea, Ser. 1.] [*Crux arbor maximè fructifera & salutifera.*]

Quamobrem non est cur miremur, quòd sancti Martyres, qui charitate & Christi amore flagrabant, Crucem ipsam non tantùm libenter amplexi sint, sed ardenti etiam desiderio quæsiuerint; vt gloriosus Apostolus Andreas præcipuè,
qui

Idé de S. Andrea, Ser. 2. qui cùm ad locum perueniſſet vbi Crux ei parata erat, confortatus in Domino, A
per eius Spiritus virtutem, quem cum ceteris Apoſtolis in igneis linguis acceperat, verba verè ignea protulit. Videns enim paratam eminùs Crucem, nequaquam vt erigere ſolet mortalis infirmitas (inquit Bernardus) facies eius expalluit, nequaquã ſanguis eius gelatus eſt, non ſtetêre comæ, aut vox faucibus hæſit, non contremuit corpus, nec mens turbata eſt; non receſſit, vt aſſolet, intellectus; ſed abundantia cordis os locutum eſt, & charitas quę feruebat in corde, quaſi ſcintillas quaſdam ardentiſſimas emiſit in voce. ſtatim ergo, vt paratam ſibi eminùs Crucem proſpexit, O bona Crux, inquit, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo; vt per te me recipiat, qui per te me redemit.

Talis igitur ac tantus eſt triumphus, taliſque ac tanta eſt gloria triumphantis & glorioſæ Crucis, poſteaquam ſalutis, vitæ, & reſurrectionis noſtræ inſtrumentum effecta. Ideoque ſancta Eccleſia Catholica id commemorans, tota feſtiua, lætabunda & gaudens, cunctos nos Chriſti fideles inuitat, vt vnà ſecum B
In Introitu Miſſæ Feriæ 5. in Cœna Domini. in Cruce gloriemur, cùm per ipſam ſeruati & liberati ſimus; inquit enim: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra; per quem ſaluati, & liberati ſumus.*

Verùm quia de ſanctæ Crucis triumpho & gloria differere, tam alta atque ſublimis materia eſt, quæque tanta rerum mole & amplitudine patet, vt in vnius tantùm capituli breuitate & anguſtia nullo pacto coarctari queat, idcircò reliqua de ea tractatio, toto hoc ſexto libro conſcribenda mihi reſeruatur, agemuſque de ea diſtinctè, vt occaſio ſeſe obtulerit: præſertim verò cùm de temporibus illis erit nobis ſermo, quibus magnus Conſtantinus Imperator, Cruce ipſa ſibi è cælo oſtenſa, ad eiuſdem ſacroſancti ſigni formam cuncta primaria exercitus ſui militaria ſigna coaptari iuſſit: deuictoque ab eo per eiuſdem ſanctæ Crucis virtutem Maxentio, & Romana Vrbe ab eius tyrannide in libertatem C
aſſerta, ſanctam Chriſti Domini fidem amplexus eſt; ipſaque Crux ſacroſancta deinceps ab ipſo, à filiis, & à ceteris Imperatoribus eius ſucceſſoribus, qui in Chriſtum credidêre, nec non à Regibus ac Principibus Chriſtianis, tamquam cæleſtis & inæſtimabilis gemma quædam, in ſuis ipſorum diadematibus, in coronis, in ſceptris, in galeis, in thoracibus, in loricis, in clypeis, in lanceis, in torquibus, in monilibus, in veſtimentis, & in ceteris pretioſioribus ſplendidioribuſque ornamentis magna veneratione geſtata eſt. Quod diuus Auguſtinus
In Pſal. 32. concione 2. innuere voluit, cùm dixit: *Crediderunt & ipſi Reges; ſignum Crucis Chriſti in fronte iam portant, pretioſius ſignum quàm qualibet gemma diadematis.* Et ad hoc forſitan
Signũ Crucis pretioſius qualibet gemma diadematis. etiam tunc alludere voluit, cùm de Crucis ſupplicio, quod ob Chriſti reuerentiam & honorem ab Imperatoribus ſublatum fuerat, inquit: *Crux honorata eſt & finita; finita eſt in pœna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes Imperatorum.* Idipſum quoque alibi innuit his verbis: *Nam in fronte Regum* D
In Pſal. 36. concione 2. *Crux illa fixa eſt, cui inimici inſultauerunt.*

In Pſal. 54. Et quamuis aliquis dicere forſitan poſſet, Auguſtinum hoc loco intelligere maluiſſe de eo Crucis ſigno, quod priſci Chriſti fideles, non populares tantùm, ſed Reges atque Imperatores ipſi propriis manibus frontibus inſcribere conſueuerunt, vt paulò pòſt dicemus, Hieronymus tamen de Crucibus, quas Imperatores in ſignis militaribus, & in regiis coronis, auro gemmiſque rutilanti-
In epiſt. ad Lætam. bus, geſtare cœperant, apertiùs inquit: *Vexilla militum, Crucis inſignia ſunt: Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli pictura condecorat.* Demum libertate, tranquillitate, & pace ſanctæ Eccleſiæ conceſſa, templaque in Chriſti honorem extruendi poteſtate facta, ab ipſo Conſtantino, deinde verò ab aliis pleriſque

A plerisque templa & altaria sub sanctæ Crucis præcipuo titulo & inuocatione ædificata sunt; ipsaque sancta Crux à cunctis Christi fidelibus digna veneratione culta est, vt Deo fauente inferiùs dicemus.

CAPVT II.

De sancta & pia consuetudine apud priscos Christi fideles primitiuæ Ecclesiæ recepta, seipsos ac res quas benedicere volebant, Crucis signo proprijs manibus consignandi.

ILLVD sanè ingenti admiratione prorsus dignum est, & quo omnes pij ac sublimiores intellectus iure optimo obstupescunt, dum mentis aciem in illam considerationem intendunt; Dei nimirum infinitam bonitatem ac sapien-
B tiam tolerando voluisse, vt sancta Ecclesia Catholica, iam inde ex quo in primis rerum suarum primordiis germinare cœpit, diris semper persecutionibus impetita, oppugnata, & conflictata fuerit: nec solùm à persecutoribus ac tyrannis, qui aperta vi ac potentia illius sancta germina insectando, carceribus mancipando, torquendo, & infinitis propemodum truculentissimorum tormentorum, atrocissimarumque mortium generibus euellentes & extirpantes, magnis conatibus enixi sunt, vt illam opprimerent, prosternerent, ac penitus exstinguerent; verùm etiam à perfidis ac scelestissimis hæreticis, qui dæmone seducente & concitante, Orthodoxæ ac sanctæ eius doctrinæ veritatem peruersis ac falsis dogmatibus impugnare conati sunt, & ad hanc vsque diem obscuras illi tenebras offundere totis viribus enituntur. At illud econtrà longè etiam maiori admiratione dignum profectò censeri debet, dum cernitur, ac re ipsa comprobatur, quòd quanto maiores conatus illi, maioraque artificia isti moliti sunt, vt illam oppri-
C merent, tanto maiores rerum accessiones planeque mirabiles diuinitus semper fecerit, magnæ cuiusdam incensæ ac generosæ flammæ instar, quæ quò vehementiori ventorum impetu atque furore exagitatur, eò sese altiùs erigens, maiorem vim & vigorem acquirit: idemque semper, dum mundus hic stabit, efficiet. *Ecclesia quò magis premitur, eò magis fulget.* Nam sancta Ecclesia Catholica, inuictus quidam exercitus est, qui Deo militans debellari nequit; de qua Spiritus sanctus: *Terribilis est vt castrorum acies ordinata.* Cant.6. aduersus quam frustrà armatur atque instruitur omnis terrestris & inferna nequitia. Habet enim tutissimum fideiussorem, certissimamque sponsionem illius qui mentiri non potest; quique de ipsa eadem disserens, inquit: *Et portæ inferni non præualebunt aduersus eam.*

Verùm enimuerò in mirabilium horum consideratione, omnis nostra conquiescet admiratio: quin etiam admirabilitas ipsa in diuinas gratiarum actiones & laudes conuertetur, si à rerum euentibus, & ab his qui consecuti sunt ef-
D fectibus, animaduertemus, infinitam Dei optimi maximi bonitatem & sapientiam (quæ sola è malo bonum nouit elicere) tolerauisse, & ad hanc vsque tolerare diem, vt sancta Ecclesia Catholica à scelestissimis hominibus, à tyrannis, ab hæreticis & à schismaticis dilaceretur & impugnetur, pro maiore ipsius profectu, exaltatione, & gloria: quò electi ac fideles, persecutiones æquo animo perferentes, hæreses solicitè fugientes, schismata deuitantes, fidei candorem seruantes, vnitatemque Ecclesiæ sequentes, insigniorum meritorum ornentur cumulo, ac demum maiori præmio ac splendidiore corona digni efficiantur. Ad quod alludens inquit Apostolus: *Nã oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* 1.Cor.11. Super quibus verbis, ad institutum nostrũ in Glossa ordinaria apposite dixit Sedulius: *Omnes inimici Ecclesiæ, vel errore excæcati, vel malitia deprauati, prosunt*

profunt Ecclesiæ: quia si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam; si verò malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam. A

Primi olim hæretici, Christum crucifixum negarunt.

Propterea igitur in primis sanctæ Ecclesiæ exordiis, præter dirissimas persecutiones, quæ aduersus eam motæ sunt, statim scelestissimi quidam & impij insurrexerunt hæretici, qui callida & nefaria diaboli suggestione inducti, negabant Christum reuera crucifixum fuisse; asserentes, solam eius imaginem siue effigiem pati visam esse, ipsum verò se à passione & Cruce subtraxisse. Huius autem impiæ hæresis Simonem illum magum auctorem fuisse, sancti Irenæus[a] & Epiphanius[b] aliique plerique testantur. quæ posteà in discipulos eius infeliciter propagata & dilatata est; inter quos impius quidam Basilides, excogitatione ac publicatione cuiusdam commentitæ & diabolicæ fabulæ plurimos homines simplices seduxit atque decepit; asserens, Christum Dominum non illum reuera extitisse qui crucifixus est, sed pro eo Simonem Cyrenæum in Crucem actum. Dum enim IESVS ad Caluariæ montem crucifigendus deduceretur, militesque Simonem quemdam Cyrenæum obuiàm factum, & angariatum coëgissent, vt Crucem eius tolleret; IESVS, inquit, illum in suam ipsius effigiem, seipsum verò in eiusdem Cyrenæi speciem commutauit, qui propterea loco ipsius IESV Cruci confixus est; cùm autem ille crucifigeretur, Iesus ibi inuisibilis stabat, deridens eos qui Cyrenæum in Crucem agebant. Post hæc autem IESVM ipsum ad cælum euolasse asseuerabat, vbi Virtutes omnes supergressus, æterno Patri suo restitutus est. Persimiles etiam scelestissimas, insanas ac portentosas chimæras disseminare atque edocere posteà aggressus est Cerinthus quidam, à quo Cerinthiani hæretici traxêre originem. Is enim, vt prædicti sancti Irenæus[c] & Epiphanius[d], Theodoretusque[e], & alij scripserunt, IESVM à Christo diuidens, asseuerabat, IESVM illum extitisse, qui passus est, & resurrexit: Christum autem impassibilem permansisse, & passionis tempore à IESV discessisse. Quæ scelestissimæ atque insanæ hæreses, impiissimi ac nefarij dæmonis proculdubiò extitêre commenta: pænè enim supra fidem esse videtur, vt quis credat, quantum is semper omni conatu enixus sit, vt Crucis Christi mysterio tenebras offunderet, illudque ab hominum eliminaret atque deleret memoria: tum verò præsertim ex quo eiusdem Crucis potentiam & virtutem, ingenti suo probro ac ruina, contra se ipsum expertus est; quo fit vt supra modum gaudeat, si quando miserum & infelicem inuenerit, qui dolis ac nequitia ipsius se passus decipi ac seduci, Crucem Christi abneget: sciens profectò, Crucis confessionem, suam esse confusionem atque exitium. Quamobrem sanctus martyr Ignatius inquit: *Princeps enim mundi huius gaudet cùm quis Crucem negarit; cognoscit enim Crucis confessionem, suum esse exitium. Id enim trophæum est contra ipsius potentiam; quod vbi viderit, horret, & audiens timet.* Mirabile verò dictu est, quod testatur idem Sanctus, quantum omnis nequitiæ auctor ille sit varius, multiformis, sibi ipsi contrarius, atque inconstans; alia prætexens, alia faciens; quantisque falsis suasionibus mentes fallat humanas. Antequam enim Crux fabricaretur, constructionem eius totis nisibus accelerabat: atque in eo negotio, Iudæ, Pharisæorum, Sadducæorum, Sacerdotum, Principum, & Hebræorum populi opera vsus est. Cùm autem paranda esset Crux, tumultum excitare, omniaque sursum atque deorsum inuertere cœpit: pœnitentiæ stimulum immisit proditori, laqueum illi commonstrauit & suspendium, quo strangularetur: Pilati vxorem in somniis perterrefaciens, impulit vt marito suaderet ne in Christi nece sese immisceret; enixusque est efficere ne crucifigeretur; non pœnitentia ductus quòd Crucem ei procurasset, sed quia præsagire tum cœperat, Crucem suam ipsius perni-

Marginal notes: a Lib. 1. cap. 20. & 23. b Hæresi 21. & 24. — c Lib. 1. cap. 25. d Hæresi 28. e Hæretic. fab lib. 2. cap. 4. — *Incitati à dæmone, infestissimo Crucis hoste.* — Ad Philippenses epist. 5. — B, C, D

A perniciem ac ruinam futuram. Quamobrem in quibusdam id effecit, (subdit idem sanctus Ignatius, suam de hæreticis huiusmodi sententiam declarans) vt Crucem negarent, Christi passionis illos puderet, & mortem opinione tantùm illum gustasse asseuerarent; partum Virginis circumciderent & mutilarent: ad id alludens quod impius ac sceleſtissimus Cerinthus effutire consueuerat; qui IESVM à Christo diuidens, asserebat, Mariam Virginem sacratissimam IESV tantùm, non autem Christi matrem extitisse.

Ab horum impia & diabolica doctrina, Apostolus admonens Philippenses vt præcauerent, innuensque hæreticos prædictos quasi nefarios ac mordaces canes suis rabiosis latratibus Christum à IESV proscindere, Crucemque à Christo alienare enixos fuisse, inquit: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Et paulò inferiùs, ab eorum pessimis moribus apertiùs illos describens, Crucisque Christi inimicos illos appellans, subdit: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Cernens præterea, impias hæreses antedictas ab eisdem sceleſtissimis hominibus, ab aliisque satellitibus eorum, non in Philippensibus tantùm in Macedonia, sed etiam in Ægypto, vbi impius degebat Basilides, in Asia, in Græcia, atque in ceteris prouinciis omnibus, vbi Christiani aderant, passim disseminari ac diuulgari; idem sanctus Apostolus in omnibus epistolis, quas ad diuersas scripsit Ecclesias, plurimas Crucis testificationes inserere studuit, sæpè ac sæpiùs protestatus, se nihil aliud quàm Christũ, & hunc quidem crucifixum prædicare; nil aliud profiteri se, nihilque aliud agnoscere, quàm Christum, & hunc crucifixũ; ostendens omnes suos in hoc præsertim eniti conatus, vt Crucis prędicatio numquã deficeret, nec vnquam ab hominum euelleretur memoria.

Primi hæretici ab Apostolo Paulo dicti canes, & Crucis inimici.

Philipp. 3.

B

Contra hos igitur impios ac sceleſtissimos hæreticos, quos pro piorum & verè Catholicorum exercitio, in nascentis Ecclesiæ primordiis insurrexisse Deus permiserat; quique Crucis memoriam obliterare ac penitus extinguere totis viribus nitebantur; ipsa eadem sancta Ecclesia Catholica, dum viriliter enitebatur, vt eos conuinceret & confunderet, non satis sibi fecisse visa est, cùm Crucem verbis confiteretur & prædicaret, sed signis ac factis ea vti, illamque figurare atque formare cœpit. Tunc etiam illa primitus inoleuit pia & laudabilis inter fideles Catholicos consuetudo, qua Cruces ligneas vel æreas, siue argenteas aut aureas, vel ex quacumque alia materia, ad illius imaginem ac similitudinem in qua Christus Dominus passus est, sibi depingi, insculpi, & fabrefieri curabant, vt illas tenerent & venerarentur in domibus, in priuatis oratoriis, & secum deferrent, tum pro sua ipsorum deuotione ac tutela, tum etiam, vt ab hæreticis se differentes ostenderent. Tuncque in sancta Ecclesia mos ille pariter introductus est, præaltas ac magnas Cruces ligneas ad sanctæ illius Christi similitudinem erigendi, in locis quos ad diuinum cultum in titulum dedicabant; vt fideles illas venerarentur, & diabolus illas perhorresceret, tamquam trophæum contra ipsius potentiam erectum; iuxta quod diuus Ignatius inquit: *Quod vbi viderit, horret, & audiens timet.* Tunc etiam ex sanctorum Apostolorum dogmate, indubitataque & fideli Apostolica traditione, non scripto quidem, sed frequentissimis vsibus in sancta Ecclesia deriuata, cœperunt fideles non frontem tantùm & pectus, totumque corpus, sed etiam omnia quæ benedicere volebant Crucis consignare signo. Quod quidem sanctè ac diuinitus edocti sunt, vt hoc perutili & salutari remedio ad expellendos dæmones præcipuè vterentur. De qua consuetudine differens Tertullianus non tamquam de re quapiam temporibus suis nuper introducta, sed tamquam de anti-

C

Materiales Cruces antiquissimæ ab ipsis Apostolorum temporibus.

D

Loco citato.

Cruce se signandi consuetudo pariter antiquissima, atque ab Apostolis tradita.

quissimo instituto, de cuius origine memoria non extaret, quodque vnà cum ipsis sanctæ Ecclesiæ primis germinibus excreuisset, inquit: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina & cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Et perinde ac si ad insolentem & imperitam cuiusdam ex recentioribus hæreticis interrogationem respondere vellet, qui huius sanctæ & laudabilis consuetudinis antiquitatem in Ecclesia inficiari non verentur, quique illam tamquam magicum ac superstitiosum quemdam ritum impiè criminantur, garrientes id nullo pacto faciendum esse, cùm nusquam in Sacris litteris scriptum reperiatur, Christum aut Apostolos quid tale præcepisse; subdit: *Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum, si legem expostules, Scripturarum nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* A

De corona militis, c. 3. in fine.

Idem ibidé cap. 4. in principio.

In omnibus ergo sanctis, honestis, ac piis exercitationibus, antiquos primitiuæ Ecclesiæ Christianos Crucis signum adhibere solitos Tertullianus affirmat: verùm pro fidelium Catholicorum ædificatione & solatio, ac pro hæreticorum correctione vel confusione, ab hoc instituto haud alienum, quin etiam peropportunum atque proficuum fore censemus, si ostenderimus ac probauerimus in quibus præcipuè rebus eodem sacro signo vti consueuissent. In primis ergo illud adhibebant, cùm Catechumenos ante Baptismum catechizabant, id est in his quæ fidei sunt erudiebant. Crucis enim signo in fronte illos signabant; quasi in arrham ac testimonium, quòd in sanctæ matris Ecclesiæ gremio iam concepti erant, mox per Baptismi Sacramentum renascituri. Qui quidem ritus ex sancti Augustini verbis apertè colligitur, qui Catechumenos allocutus, inquit: *Accipite vos, qui fidem desideratis, verbum Dei, tamquam competentem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nondum quidem adhuc per sanctum Baptismum renati estis, sed per Crucis signum, in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam concepti estis.* B C

Catechumenos Cruce signandi solemnis ritus.

Et quidem non semel tantùm Catechumenos Crucis signo in fronte signabant, sed quotiescumque illos examini subiiciebant, ac de rebus ad fidem spectantibus, quas iam edocti fuerant, interrogabant. Qui ritus etiam ex ipsius Augustini verbis clarè colligitur, qui Catechumenum affatus, in prima ipsa die qua erudiendus erat, ait: *Cuius passionis & Crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur.* Per hoc ergo sacrosanctum Crucis signum iidem Catechumeni iam de fidelium numero quodammodò censebantur, licet per annos aliquot posteà Baptismi Sacramentum suscipere differrent; vt idem Augustinus his verbis affirmat: *Quòd signum Crucis habent in fronte Catechumeni, iam de domo magna sunt: sed fiant ex seruis filij.* Quocircà sanctus Martinus Turonensis Episcopus, ob suam humilitatem, ac tanti Sacramenti reuerentiam, antequam baptizaretur, in Catechumenorum numero per decennium permanere voluit. quod sanctus Paulinus Nolanus Episcopus innuit, cùm de eo sic cecinit: D

De catechizandis rudibus.

Tractat. in Ioanné 11. cap. 3.

Vix etenim decimo senior iam moribus anno
Transiit ad sacram constanti pectore legem,
Signauitque Crucis sanctam munimine frontem.

Lib. 1. Vitæ S. Martini, c. 1. in prin.

At verum & germanum ritum, qui in Ecclesia obseruabatur cùm Catechumeni recipiebantur, ac prima vice introducebantur vt catechizarentur, & de his quæ ad fidem spectant erudirentur, apertè ostendit & docet Gregorius, cùm inquit: *Gentilem hominem cùm susceperis, primò catechizes eum diuinis sermonibus, & des ei monita quemadmodum post cognitam veritatem viuere debeat. Post hæc facias*

In libro Sacramétorum, in ordine Baptisterij Tom. 5.

A *cias eum Catechumenum, & exsuffles in faciem eius, & facias ei Crucem in fronte, & ponas manum super caput eius, his verbis: Accipe signum Crucis, tam in fronte quàm in corde: sume fidem cælestium præceptorum: talis esto moribus, vt templum Dei esse iam possis, & ingressus Ecclesiam Dei, euasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Horresce idola, respue simulacra; cole Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum filium eius, qui viuit cum Patre & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen.*

In Baptismi quoque Sacramento Crucis signum pariter adhibebant. Et antequam ad tanti Sacramenti actum deuenirent, aquam qua Catechumenus baptizandus erat, Crucis signo benedicere & consecrare solebant, vt plerique sancti Patres affirmant, & inter eos præsertim diuus Augustinus, qui de hac re inquit: *Vbi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodò in mentibus Angelorum; vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiauerit; cuius signo Crucis consecratur vnda Baptismatis, vt ea diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus, in notitia spiritalium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum?* Super quo loco, in Annotationibus quæ in ipsius Augustini operibus Tomo septimo in fine impressæ sunt, magna prudentia hæc addita fuêre verba: *Vides hîc antiquissimam Ecclesiæ cærimoniam, qua consecratur vnda Baptismatis, idque signo Crucis; quod quidam hodie magicum esse volunt.* Verùm idem Augustinus hoc ipsum alibi clariùs expressit, cùm dixit: *Per mare transitus Baptismus est: sed quia Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, Cruce ipsius aqua signatur.*

Ritus Crucis signum adhibendi in Baptismate:

Contra Iulianum Pelagianum, lib. 6. c. 19. Tomo 7.

B

In lib. 50. Homiliarũ, Ho. 27. Tom. 10.

In ipso etiam actu Sacramenti Baptismatis Crucis signum adhibebant, baptizatos eodem signo in fronte consignantes. Ad cuius ritus obseruationem alludere voluit sanctus Cyprianus, cùm inquit: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur.* Super quibus verbis, in suis Annotationibus Iacobus Pamelius: *Alludit haud dubiè, ad signum Crucis quod in Baptismo frontibus infigitur; præsertim cùm alicubi dicat, signaculo Dominico consummari, qui in Ecclesia baptizatur.* Cuius ritus meminêre etiam Basilius in libro de Spiritu sancto, Tertullianus de resurrectione carnis, Chrysostomus in libro contra Gentiles, Cyrillus Ierosolymitanus in Catechesi quarta, Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, aliique permulti. Ipseque idem Cyprianus, super eodem alibi sese apertiùs explicans, subdit: *Denique quicumque sint Sacramentorum ministri, qualescumque sint manus, vel mergunt accedentes ad Baptismum, vel vngunt; qualecumque pectus, de quo sacra exeunt verba, operationis auctoritas in figura Crucis omnibus Sacramentis largitur effectum.*

In epist. ad plebem Tibari cõsistentem.

C

De passione Christi.

Crucis signo pariter vtebantur Christiani in ipso actu conferendi sacros Ordines; idque iam inde à sanctorum Apostolorum temporibus: nam sanctus Dionysius Areopagita illorum contemporaneus, de cærimoniis quæ tunc in hoc Sacramento adhibebantur, ita inquit: *Minister verò genu altero flexo ante altare, dextram manum Pontificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eoque consecratur, iis precationibus & inuocationibus, quibus ministri consecrari solent. Vnicuique autem eorum signum Crucis à consecrante Pontifice imprimitur. Et singulis sancta prædicatio, perficiensque salutatio adhibetur, omnibus Ecclesiastici ordinis consalutantibus.* Et paulò interiùs, in prædictarum cærimoniarum contemplationem sese diffundens, subdit: *Communia quidem sunt & Pontificibus, & Sacerdotibus, & ministris cùm cooptantur & consecrantur, accessus ad diuinum altare, inflexio genuum, Pontificis manus admotio, signum Crucis, prædicatio, siue laudatio, perficiens salutatio.* Deinde verò vt ostenderet quid-

In ordinationibus Sacerdotum:

D

De Ecclesiastica Hierarchia, c. 9. par. 1.

Ibidem part. 2.

De Ecclef. Hierarchia, cap. 9. part. 3. quidnam significarent cærimoniæ, quæ tunc adhibebantur in eorum consecratione qui ad sacros Ordines promouebantur, præcipuè autem super Crucis signo sic ait: *Signum figura Crucis impressum, significat omnium simul corporis cupiditatum cessationem, diuinæque vitæ imitationem, quæ constanter humanam Iesu diuinamque vitam intueatur, qui ad Crucem vsque & mortem cum diuina non peccandi priuatione venerit, eosque qui ita viuant, vt similes imagine similitudineque suæ à peccato libertatis, quæ Crucis speciem præ se fert, insigniat.* Posteà verò de monachorum professione & consecratione agens, hæc addit: *Quæ vbi omnia is qui initiatur, continenter professus est se esse facturum: sacerdos signo Crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ Beatitudinis.* (A; De Ecclesiastica Hierarchia, c. 10. part. 2)

Atque in reliquis sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. Et non in Baptismate tantùm, & in sacrorum Ordinum initiatione, sed in ceteris omnibus Ecclesiasticis Sacramentis, sancti illi primitiuæ Ecclesiæ Christi fideles Crucis vtebantur signo; firmiter credentes, absque hoc sacrosancto signo nihil sanctificari posse; atque ab eiusdem sacratissimi Crucis signi sublimitate, profunditate, ac latitudine, omnium gratiarum plenitudinem sursum B deorsum, hincque & inde latissimè diffundi. Quamobrem diuus Cyprianus: *Sed in Cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta; sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exsurgit sublimitas & profundum, & longè latèque plenitudo diffunditur gratiarum.* Quem Cypriani locum iam in antecedentibus ad institutum aliud citauimus. Quod autem in Sacramentis omnibus prisci Christi fideles Crucis signum adhibere consuerint, credentes, vt re ipsa verissimum esse constat, nullum sine ipso ritè peragi posse Sacramentum, luculentissimum testimonium perhibet diuus Augustinus his verbis: *Quod Crucis signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue in sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Et alibi de eodem differens, apertiùs subdit: *Mors Christi signum est nostræ salutis. Hoc* C *enim signo Crucis consecratur Corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici; & omnia quæcumque sanctificantur, hoc signo Dominicæ Crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur.* Idem quoque affirmat sanctus Ioannes Chrysostomus, dum inquit: *Omnia quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam Crucem consummantur. Nam cùm regeneramur, Crux Domini adest; cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique & semper id victoriæ insigne nobis assistit.*

(De Baptismo Christi; Suprà li. 5. cap. 9.; In Ioannem, tractatu 118. in fine.; In Appendice, To. 10. Serm. 59.; In Matth. cap. 16. Hom. 55.)

Ritus signandi se Cruce ante orationem. Crucis quoque signo se consignare veteres Christiani consueuerant cùm orabant, vt ex Tertulliani verbis in suo ad vxorem libro colligitur, cuius sententiam inferiùs in medium adducemus. Quin etiam eodem Crucis signo non tantùm sese munire solebant antequam orarent; sed dum orabant, brachia in Crucis formam extendebant: quod superiùs libri secundi capite quarto satis fusè prosecuti sumus, ritum hunc variis Patrum auctoritatibus comprobantes; D præcipuè verò ipsius Tertulliani, cuius verba hîc denuò in medium proferre superuacaneum ducimus. Quinimò in quibusdam Ecclesiis id moris erat, vt Crucis signo in frontibus se consignarent, dum Apostolorum Symbolum recitantes, articulum illum, *Carnis resurrectionem*, pronuntiabant. Quod in Aquileiensi Ecclesia præcipuè fieri consueuerat, etiam ipsius Ruffini Aquileiensis temporibus, vt ipsemet testatur his verbis: *Eo ideò satis cautè Ecclesia nostra fidem Symboli docet, quæ in eo quod à ceteris traditur, Carnis resurrectionem, vno addito Pronomine tradit, Huius carnis resurrectionem. Huius sine dubio, quam habet is qui profitetur, signaculo Crucis fronti imposito; quo sciat vnusquisque fidelium, carnem suam si mundam seruauerit à peccato, futurum esse vas honoris, vtile* (In Symboli expositione.)

Domino

A *Domino ad omne opus bonum paratum: si verò contaminatam in peccatis, futurum esse vas iræ ad interitum.* Qui ritus in illa & in quibusdam aliis Ecclesiis obseruabatur, propter quasdam hæreses quæ inibi insurrexerant: quod tamen in Romana Ecclesia minimè factum fuisse reperitur; in qua, vt idem Ruffinus testatur, nulla vmquam hæresis sumpsit exordium. Priuilegium planè singulare, & huius sacrosanctæ Ecclesiæ gratia præcipua; quæ cùm ceterarum Ecclesiarum omnium sit caput & magistra, Christo Domino placitum est, illam tamquam charam ac dilectam sibi sponsam, sine macula & sine ruga custodire: idque iuxta certissimam sponsionem ab ipso factam solidæ illi petræ, super quam ædificata est, cùm dixit: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Lucæ 22.

Ritus cibũ & potum Cruce signandi. Cibos quoque, panem verò præcipuè quem edebant, vinumque & aquam quam bibebant, Crucis signo consignabant. Cuius piæ & laudabilis consuetu-
B dinis antiqui Patres complures luculentissimum dant testimonium, atque inter eos præsertim Origenes, qui fideles non tantùm adhortatus est, vt quæ esuri ac bibituri essent, Crucis signo consignarent, sed breuem ac piam oratiunculam eos quoque docuit, antequam cibos sumerent dicendam, in hunc modum: *Est videlicet hoc verum cùm manducamus vel bibimus, si Dei memores fuerimus; si terribile nomen eius inuocauerimus, si nosmetipsos, vel cibum & potum nostrum signo venerabilis Crucis Christi signauerimus; si ad cælum oculos nostros leuantes, dicamus: Qui das escam omni carni, da etiam nobis cum omni benedictione hunc cibum sumere: si dixerimus cum sinceritate ad Dominum nostrum: Tu dixisti Domine, quia si aliquid mortiferum biberimus, tuum inuocantes nomen, non erit nobis molestum; tu itaque Domine virtutis & gloriæ, auerte veneficam & iniquam operationem à nobis & ab omnibus cibis nostris.* In Iob lib. I

Qui sanctus ac planè laudabilis mos à verè piis antiquis Christianis illis
C adeò inuiolabiliter obseruabatur, vt quidam Christiani milites, impij Iuliani Apostatæ temporibus, cùm ipsius ac ministrorum eius suasionibus, non intelligentes quid facerent, sed aliorum exemplum secuti, thus ad ignem adoleuissent, donatiui occasione quod exercitui elargiebatur, quasi in signum quòd Christo nuntium remisissent; cumque domum se recepissent, discubuissentque, & vnà cum quibusdam aliis commilitonibus lætè epularentur, cùm bibere vellent, nihilominùs sumpto poculo, tamquam si nihil grauius perpetrassent, Christianorum more Crucis signum adhibebant. Quod cùm ceteri conspexissent, dixerunt eis: Quonam pacto Crucis signum designatis, Christumque inuocatis, postquam illum abnegastis? Quo sermone obstupefacti, & animo deterriti, statim sciscitati sunt: Quando & quonam modo Christo vmquam renuntiauimus? Vos, inquiunt illi, Imperatore iubente thus in ignem iniecistis, quod perinde est, ac Christum Christianamque fidem abiecisse. Ad verba hæc verè Chri- *Miserabile simul & illustre quoddã facinus.*
D stiani milites illi è triclinio protinus erumpentes, per vniuersamque ciuitatem cursitantes, magnis vocibus exclamabant: Christiani, Christiani sumus, & pro Christo intrepidè atque alacriter moriemur, Christo nullo pacto renuntiauimus, sed Imperatoris fraude circumuenti fuimus. Sicque ingentibus vociferationibus declamantes, ad Regiam citatis gressibus approperabant, & Iulianum conuenientes, aurum, quod Imperatoria largitione receperant, ad pedes eius generoso animo proiiciebant; fraudemque, qua eos deceperat, intrepidè exprobrantes, instabant, vt nummos suos sibi reciperet, quandoquidem nullo prorsus pacto Christo se renuntiasse confirmabant. Quòd licet manus ipsorum in adolendo thure imprudenter errauerat, mens nihilominùs numquam prolapsa, cum Christo semper coniuncta erat; pro cuius fide sanguinem profundere, &

mortem oppetere parati erant. Ad quorum liberiora verba totus indignatione A & ira excandescens impius Apostata, statim capita eorum ceruicibus abscindi imperat. At vbi ad locum supplicij abducti sunt, sententiam mutans, illos interfici vetuit, sed exilio mulctandos edixit: quod sanè non commiseratione motus, sed nefaria potiùs inuidia percitus fieri iussit, ne martyrij coronam consequerentur.

Aduersus Iulianum Imp. inuectiua oratione 1.

Quod notatu planè dignum atque insigne facinus sanctus Gregorius Nazianzenus verbis hisce summatim prosequitur: *Hîc, inquit, narratiunculam quamdam admiscebo, superioribus tristiorem & miserabiliorem. Ferunt, quosdam eorum qui ad hoc nefas errore atque ignorantia prolapsi fuerant, postquam eo admisso domum se recepissent, sodales conuictoresque suos mensæ participes habuisse: deinde conuiuio ad consuetam frigidæ potationem progresso, non secùs ac si nihil grauiùs ipsis accidisset, ad aquæ poculum, sublatis oculis, Christum cum Crucis signo appellasse. Ibi tum quemdam conuictorum admiratione correptum dixisse: Quid hoc rei est? Christum post abiurationem* B *inuocatis? Illos verò his verbis exanimatos, respondisse: Quo tandem modo abiurauimus? & quinam nouus sermo aures nostras ferit? Quo subiungente: Quoniam ad ignem thus adoleuistis; quod idem omnino est ac Christum inficiari. Protinus illos è conuiuio exilientes, veluti lymphatos & furiosos, ac zelo & iracundia inflammatos, per forum cucurrisse, atque in hæc verba exclamasse: Christiani, Christiani animo sumus; audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & viuimus & moriemur.* Hanc quoque historiam Theodoretus in sua Ecclesiastica historia fusiùs prosequitur.

Hist. Eccl. lib. 3. c. 16.

Panes olim non solùm signati, sed etiam insculpti Crucibus.

Et non in ipso actu tantùm comedendi atque bibendi, prisci Christiani Crucis signo epulas signabant, sed etiam cùm panem ipsum conficiebant, singulis panibus sanctæ Crucis signum & imaginem imprimebant: cuius piæ consuetudinis luculentissimum testimonium ad hanc vsque diem perhibent picturæ illæ antiquissimæ, quæ habentur in sanctorum Martyrum cœmeteriis extra Romanæ vrbis mœnia defossis; inter quas calathi panibus pleni locis compluribus conspiciuntur; in quibus singulis panibus Crucis imago insculpta est. C

Morem hunc priscorum Christi fidelium planè laudabilem, diui etiam Gregorij Papæ temporibus in Italia viguisse constat; præsertim verò apud Marsos, & in prouincia Valeria. Is enim magnus Præsul Dialogorum suorum libro primo, capite vndecimo, insigne miraculum à monacho quodam, qui Martyrius appellabatur, per Crucis signum editum refert his verbis: *Quidam namque in eadem prouincia Martyrius nomine, deuotus valdè omnipotentis Dei famulus existit, qui hoc de virtutibus suis testimonij signum dedit. Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent Crucis signum imprimere, sicut in hac prouincia crudi panes signo signari solent, vt per quadras quattuor partiti videantur; idem Dei famulus affuit, eisque referentibus, signatum non fuisse cognouit. Cumque panis ille prunis esset & cineribus coopertus, dixit: Quare hunc minimè signastis? Qui hoc dicens, signum Crucis digito contra prunas fecit. Quo signante, protinus immensum crepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset. qui dum coctus postmodum fuisset, ab igne subtractus, ea Cruce signatus inuentus est, quam non contactus, sed fides fecit.* D

Spectaculo aliquo perterriti Christiani, Cruce se muniebant.

Crucis quoque signo confestim signare ac munire se prisci Christiani consueuerant, cùm aliquid cernerent quod eis terrorem incuteret. Hoc enim magnum Antonium fecisse constat, qui dum ad sanctum Paulum primum Eremitam inquirendum proficisceretur, monstrum illud semihominem ac semiequum, his persimilem quos Poëtæ Centauros appellant, in deserto conspexit: ad cuius repentinum aspectum Sanctus ille perterritus, statim Crucis signum sibi impressit. Quamobrem diuus Hieronymus hanc referens historiam, inquit:

A quit: *Quo viso, salutaris impressione signi armat frontem.* Idem quoque Zozimam Abbatem fecisse legimus, cùm sanctam Mariam Ægyptiacam de improuiso eminùs prospexit, quæ propter nimios solis ardores, frigidosque algores, ac ieiunij inediam, adeò extenuata & immutata erat, vt is obstupefactus atque perterritus, phantasma siue spectrum quoddam fuisse ratus, Crucis signo protinus se communiuerit, vt habetur in eiusdem Sancti vita, quam Episcopus Lipomanus [a] in Sanctorum vitis, Tomo secundo, & Laurentius Surius [b] Tomo sexto edidêre.

In vita sancti Pauli primi Eremitæ, To. 1.

[a] Tomo 2. fol. 387.

[b] Tom. 6. sub die 11. Nouemb.

Eodem quoque signo Crucis se præmunire veteres Christiani milites consueuerant, cùm prœlium ingressuri erant. Quocircà sanctus Martinus, qui posteà fuit Turonensis Episcopus, impio Iuliano Apostatæ, ignauiæ adscribenti, quòd militiæ missionem, vt Christo deseruiret, postulasset, dixit: *Si hoc ignauiæ adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo; & in nomine Domini Iesu,*
B *signo Crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Huius autem veterum illorum reuerà Christianorum militum planè laudabilis ac piæ consuetudinis clarior fides astruitur in vita sancti Austregisili Bituricensis Archiepiscopi, qui Heraclij Imperatoris temporibus floruit. Is enim dum adhuc laicus esset, iubente Rege, singulari certamine pugnaturus aduersus Betellinum quemdam, qui rerum quarumdam quas ipsemet regio fisco temerè vsurpauerat, falsò illum insimulabat, antequam in arenam descenderet, & locum ad certamen præparatum ingrederetur, Crucis signo se præmuniuit: dumque ibi Rege & vniuerso populo spectante, aduersarium præstolaretur, repentè nuntius affuit, qui Betellinum iusto Dei iudicio ab equo violenter excussum, atque in terram præcipitem datum, collum sibi perfregisse, equumque ipsum pedibus caput ei obtriuisse, cunctis obstupescentibus affirmauit. Huius sancti viri res gestas refert Surius in Sanctorum historiis, Tomo tertio, sub die vigesima
C Maij, ac de eo sub eodem die in Romano & Vsuardi Martyrologio præcipua fit commemoratio. Vincentius Bellouacensis in Historiali speculo, & Sigebertus in Chronicis, de ipso pariter meminêre, afferentes, illum circa salutis nostræ sexcentesimum & vigesimum septimum annum floruisse.

Item milites prœlium ingressuri.

In vita sancti Martini, per Seuerũ Sulp. conscripta, li. 1.

Mos etiam priscis Christianis artificibus erat, quotiescumque manus ad opus admouere vellent, seipsos ac res in quibus operabantur, Crucis signo consignandi. Cuius piæ & planè sanctæ consuetudinis ceteris antiquis exemplis, quę in medium afferri possent, breuitatis causa prætermissis, illud pro tempore sufficiat; sanctorum videlicet martyrum Semproniani siue Symphoriani, Claudij, Castoris atque Nicostrati insignium sculptorum, qui cùm Diocletiani Imperatoris iussu quasdam ex porphyretico marmore conchas exsculperent, quotiescumque ad opus earum manus admouebant, seipsos ac porphyritem Crucis signo consignabant. Quod facientes, quidquid volebant, admirabili fa-
D cilitate in solidissimo illo lapide insculpebant. Quod tamen Ethnicis sculptoribus factu tam facile non erat, præsertim verò Simplicio, cui ad omnem mallei ictum, quidquid insculpere conabatur, in rudus & frusta excussum decidebat. Quo ingenti mœrore affectus, facilitatemque quam Christiani sculptores prædicti in solidissimo lapide illo cælando habebant, vehementer admiratus, cùm ab eis admonitus esset, totam ipsorũ in operando facilitatem ex sacrosancti Crucis signi virtute per Christi Domini gratiam promanare, Christianismum amplecti statuit: & postquam à sancto Cyrillo Episcopo Baptismi gratiam suscepit, eamdem quoque in operando facilitatem per sanctæ Crucis signi virtutem expertus est; præsertim verò circa porphyreticas columnas, quas eodem Diocletiano Imperatore iubente, ipse vnà cum prædictis sanctis sculptoribus excî-

Artifices se & sua opera Cruce signabant.

Admirandum moris istius exemplum.

dit. Cui operi quotiescumque in nomine Domini nostri Iesv Christi manus admouebant, Crucis signo se muniebant; illud salutare Apostoli admonitum semper memoria retinentes: *Omne quod facitis in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini nostri* Iesv *Christi facite.* Qui quidem Simplicius martyrij postea coronam vna cum eisdem sanctis martyribus Symphoriano, Claudio, Castorio, & Nicostrato adeptus est: quorum in Romano Martyrologio sub die octaua Nouembris fit commemoratio; de ipsisque meminêre etiam Beda, Vsuardus, Ado, & ceteri. Acta eorum prosecutus est Mombritius Tomo primo, & Surius Tomo sexto. Sed germana horum Sanctorum gesta habentur in Actis sanctorum Quattuor coronatorum, in peruetusto codice manuscripto, siue Sanctorali Ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Martyres, quam antiqui Pantheon, recentiores verò Rotundam vulgariter appellant; quem tam crebrò in suis operibus citat Cardinalis Baronius. Ex quo codice excerpsimus quæ hîc breuiter perstrinximus, ad laudabilem illum priscorum artificum Christianorum morem comprobandum; Crucis nimirum signo consignandi sese, & materias in quibus operabantur, quotiescumque ad opus manus admouebant. A B

Coloss. 3.

Hanc quoque veteres Christiani piam ac sanctam consuetudinem in mores receperant, vt cùm irent cubitum, seipsos ac lectulum Crucis signo communirent. Idem quoque faciebant, cùm intempesta nocte ad orationem exsurgerent, & cùm aliquid immundum fortè exspuerent.

Cubitũ ituri Christiani se & lectum Cruce muniebant.

Quamobrem cùm viderent Ethnici nostros tam crebrò sese Crucis consignare signo, vehementer suspicabantur, quin etiam certò arbitrabantur, illos eodem signo aliquid magicum operari. Atque hinc est, quòd Tertullianus ad vxorem scribens, ait: *Margarita vestra, sunt quotidiana conuersationis insignia. Quanto curaueris ea occultare, tanto suspectiora feceris, & magis cauenda Gentili curiositati. Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas; cùm aliquid immundum flatu expuis, cùm etiam per noctem exsurgis oratum; & non magiæ aliquid videberis operari?* A quibus mente obcæcatis Gentilibus impij recentiores hæretici videntur didicisse, qui sanctum ac salutarem hunc morem in Dei Ecclesia iam inde à suis primis exordiis tam sanctè & vtiliter semper adhibitum improbare audent. C

Lib. 2. c. 5.

Hæretici Crucis signationẽ improbantes, discipuli Ethnicorũ.

Verumtamen non sic veteres sancti Patres, sacrique Doctores Ecclesiastici effecerunt; qui Spiritus sancti lumine illustrati, huius sacrosancti signi virtutem, huiusque piissimi ac proficui moris vtilitatem agnoscentes, non solùm illum laudauerunt & approbauerunt, sed summa contentione Christi fideles monitos voluerunt, hisque efficaciter suaserunt, vt piè & religiosè eo sæpissimè vterentur, vesanos ac peruersos hæreticos vehementer coarguentes, qui hoc cælesti clypeo & hac impenetrabili lorica contra humanas calamitates, nefariis etiam spiritibus formidabili, sese permunire non curant, sed miseri & infelices diabolicis execrationibus hoc improbare non verentur. Aduersus quos Ioannes Chrysostomus inquit: *Audiant quicumque passionis Christi Crucem verecundantur. Nam si Apostolorum vertex, etiam antequam Crucis mysterium apertè cognouisset, satanas vocatus; quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prædicatam Christi Crucem negare audent? Nam si qui à Deo beatificatus fuerat Petrus, qui ex reuelatione fuerat veritatem confessus, si acriter increpatur, quo supplicio cruciabuntur, qui Crucis mysterium post ista non suscipiunt?* Crucis ergo signo magna sanè ratione prisci Christiani sese munire consueuerant in his omnibus actibus, quos superiùs recensuimus; præsertim verò cùm cubitum irent. Ad quod efficacissimè inter ceteros illos adhortatus est Prudentius Christianus Poëta piissimus, docens eos, vt non frontem tantùm, sed etiam cordis locum sibi signarent; innuens quantum D

In Matthæi c. 16. Homil. 55.

A tum hoc sacrosanctum signum fidelibus sit salutare, dæmonibus verò horrendum ac formidabile; sic enim cecinit:

Fac cùm vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Hymno ante somnum.

Et paulò pòst subdit:

Discede, Christus hîc est,
Hic Christus est, liquesce;
B *Signum quod ipse nosti,*
Damnat tuam cateruam.

Demumque Crucis signo prisci Christi fideles sese munire consueuerant, cùm mortis articulum sibi de proximo instare intelligerent. Sic enim se consignauit ac præmuniuit sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista, cùm ad paradisum euolaturus (vt quidam scripsere) in sepulchrum descedit; vt paulò pòst fusiùs dicemus, cùm nobis oblata erit occasio probandi, hunc morem Crucis signo se consignandi ab Apostolis sanctis originem duxisse. Sic signauit se sancta Paula vidua, quæ animam efflatura os suum sanctæ Crucis signo propriis manibus obsignabat, vt diuus Hieronymus testatur his verbis: *Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, vsque ad exspirationem animæ eosdem repetebat versiculos; vt quod dicebat, vix audire possemus: digitumque ad os tenens, Crucis signum pingebat in labiis.* Sic etiam Crucis signo se muniuit sanctus C Ioannes Chrysostomus, cùm spiritum Deo redditurus esset, vt tradit Simeon Metaphrastes in eius vita, quæ typis mandata est inter ceteras, quas collegit Lipomanus Tomo quinto, & Surius Tomo primo; vbi quamplurima alia similia exempla leguntur, quæ breuitatis causa prætermittimus.

Vsus antiquus vt moribundi se signent Cruce.

Ad Eustochium virginem Epitaphiũ Paulæ matris, epistola 27. cap. 13.

In fronte porrò communiter prisci Christiani signare se consueuerant. Qui ritus non solùm in Ecclesia Catholica statim introductus est, cùm primùm illa nasci cœpit, vt diximus; sed iam per multa quoque sæcula ante Christi Domini aduentum locis quamplurimis præfiguratus & prophetatus fuit. Cuius vtriusque rei, prisci sancti Patres & antiqui scriptores Ecclesiastici amplam fidem astruunt. inter quos Lactantius Firmianus constanter affirmat, signum sanguinis agni, quo Hebræi postes domorum suarum liniuerunt, cùm ab Ægyptiaca seruitute egressuri erant, Crucis signi imaginem & figuram extitisse, illiusque sanguinis immaculati, Agni Christi Saluatoris nostri, quem fideles Catholici D frontibus inscripturi erant: *Hebræi soli,* inquit, *signo sanguinis tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tantam in se vim gerebat, vt hominibus saluti esset: sed imago fuerat rerum futurarum. Nam Agnus candidus sine macula, Christus fuit, id est innocens, & iustus, & sanctus; qui ab iisdem Iudæis immolatus, saluti est omnibus qui signum sanguinis, id est Crucis, qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserunt.*

Crucis in frõte signatio, olim ante Christi aduentum præfigurata & prædicta.

De vera sapientia, li. 4 cap. 26.

Et de vtroque pariter, id est priscos Christi fideles primitiuæ Ecclesiæ Crucis signo in frontibus se consignare solitos, atque hunc pium ac laudabilem morem iam antè per sæcula prophetatum fuisse, fidem astruit Tertullianus, qui asserit signum illud Tau, quod apud Ezechielem Prophetam, Deo iubente, signatum fuit in frontibus gementium & dolentium super iniquitatibus quæ fiebant in Ierusalem, Crucis illius imaginem & figuram extitisse, quæ in vera & Catholica

Ezech. 9.

Ieru-

Aduersus Marcionem, lib. 3. cap. 22.

Ierusalem, id est in sancta Ecclesia super fidelium frontes signanda erat: *Ipsa est enim*, inquit, *littera Græcorum Tau, nostra autem* T *species Crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Ierusalem.* Idem quoque super hunc Ezechielis Prophetæ locum tradunt sancti Cyprianus & Hieronymus, quorum verba hîc in medium non afferemus, cùm illa eadem in superioribus, primo nimirum huius tractatus nostri libro, capite quarto, ad aliud institutum citauerimus. A

Vix antiquus Scriptor quin meminerit Crucis signationis.

Et quamquam consuetudo hæc apud antiquos Christianos vsu recepta, Crucis nimirum signo sese in frontibus muniendi, res adeò perspicua sit, vt ad illam probandam multis sanctorum Patrum coaceruatis auctoritatibus haudquaquam opus esse videatur, cùm antiquus scriptor Ecclesiasticus vllus vix inueniri potuerit, qui illius non meminerit: tamen vt curiosioribus satisfiat, tres hîc in medium auctoritates afferre non omittemus; vnam Origenis, alteram sancti Cypriani, tertiam verò diui Augustini, qui antiquissimi atque piissimi moris B huius à Catholicis Christi fidelibus semper adhibiti luculentissimum perhibent testimonium. Ait igitur Origenes: *Vt ergo non exprobremur ab insipiente diabolo, conuertamus nos ab omnibus iniquitatibus nostris; ne deprehendens in nobis maculas peccatorum, id est, suæ voluntatis insignia, exprobret, & dicat: Ecce hic Christianus dicebatur, & signo Christi signabatur in fronte, meas autem voluntates, & mea chirographa gerebat in corde.* Et sanctus Cyprianus de Christo ad institutum hoc, & contra Iudæos scribens, sic ait: *Hic est lapis, quo David frontem Goliæ percussit, & occidit: significans diabolum & seruos eius inde prosterni; victa scilicet ea capitis parte, quam signatam non habent. Quo signo nos & tuti semper sumus, & viuimus.* At diuus Augustinus de hac ipsa re longè apertiùs inquit: *Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo Crucis Christi armasti?* Pium autem hunc & planè salutarem ritum irridere, & Christi fidelibus improperare consueuerat (quod & miseri hæretici exemplum C eius secuti faciunt) impius Iulianus Apostata, cuius verba refert Cyrillus Alexandrinus in hunc modum: *Et interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pingentes.* Et tamen damnatus ille, ac miser Christi rebellis, hoc sacrosancto signo pro incolumitate sua se ipsum munire, necessitate impellente, posteà coactus est, vt inferiùs dicemus.

In Psal. 38. Homil. 2. circa medium.

Aduersus Iudæos, li. 2. c. 16.

In Psal. 68.

Contra Iulianum, lib. 6.

At non frontem tantùm, sed & pectus, & cordis locum, oculosque & os, ac sæpè etiam totum corpus, pij reuerà illi & sancti antiqui Christiani, Crucis signo signare consueuerant. Sic enim præcipuè se ipsam consignare solebat sancta Maria Ægyptiaca, vt colligitur ex ipsius vita, quam Paulus Diaconus litteris commendauit, Lipomanusque & Surius referunt; in qua hæc verba leguntur: *Hæc dicens, signo Crucis signat frontem suam, oculosque, & labia, simulque & pectori vexillum Crucis infigens.* Sicque sancti Christi Martyres pariter consignare se consueuerant, cùm in idolorum templa traherentur, vt thus illis adolerent, & D sacrificia offerrent, cùm mortis sententiam expectabant, cùm torquebantur, & denique cùm martyrium ac necem ipsam subituri erant.

Lipomanus To. 2. Surius Tom. 2.

Crucis signo in frontibus communiuêre sese sancti martyres Theodolus & Agathopus, cùm Iudici sistendi essent; vt habetur in ipsorum vita, quam Simeon Metaphrastes litteris commendauit, & Surius refert. Crucis quoque signo se præmuniuit sancta Martina, cùm Alexandro Seuero Imperatore iubente Apollinis templum ingressura esset; cuius Acta habentur in peruetusto Codice, siue Sanctorali manuscripto basilicæ Vaticanæ, & in illo qui in Ecclesia sanctæ Mariæ ad Martyres asseruatur: cuius stupore planè digna miracula, quæ per Crucis signi virtutem operata est, paulò pòst recensebimus. Sicque signauit se sanctus

Surius Tom. 2. sub die 4. Aprilis.

Illustria exempla Martyrũ, qui se Cruce signârunt.

A ſanctus Iulianus, cuius Acta habentur apud Epiſcopum Lipomanum Tomo ſeptimo,& apud Surium Tomo primo; vbi pariter, id eſt ſeptimo Lipomani Tomo, & Surij ſecundo, habentur Acta beatiſſimorum martyrum Terentij, Africani, & Pompeij:in quibus & aliis quamplurimis legitur, quòd Martyres ſancti, cùm profana Paganorum templa ingrederentur, & Crucis ſignum ſibi in frontibus deſignarent, idola, contra quæ reflabant, repentè in terram corruebant. Crucis quoque ſigno muniuère ſeſe quadraginta duo Chriſtiani & ſancti Chriſti Martyres, expectantes ſe neci tradendos, cùm Alexandri Seueri temporibus, à crudeli Almachio Vrbis præfecto ſcirent ſe deprehenſos fuiſſe ſimul congregatos: quorum martyrium deſcribitur in Actis ſanctæ Marmeniæ, quæ fuit Vxor Carpaſij percuſſoris ſancti Vrbani Papæ, in peruetuſto codice manuſcripto ſiue Sanctorali Lateranenſi, vbi hæc habentur: *Denique impijſſimus Almachius, non ſufferens animo, cœpit dona promittere plurima, ſi quis inueſtigator*
B *Chriſtianorum extitiſſet per qualecumque ingenium aut calliditatem, & ad eius intimaret aures. Vnde factum eſt, vt poſt tertium diem ei nuntiatum fuiſſet, Chriſtianorum quoſdam inuentos fuiſſe numero quadraginta duos. Juſſit Almachius cuidam Aniſio, vt illucuſque adiret, & ſine interrogatione eos morti indiceret. Qui mox perrexit alacriter, vt impleret facinus quod iuſſum à Præfectorio extitit Tribunali. Quas res ſancti præſcientes, armauerunt ſe ſigno Crucis, expectantes intrepidi mortem. Et orantibus ſanctis vnanimiter, ecce miniſtri diaboli acceſſerunt, & capita eorum abſque hæſitatione ſecare non diſtulerunt.*

Cùm tormentis & cruciatibus pariter addicendi erant, ac dum torquebantur ſancti Martyres, Crucis ſigno ſe muniebant. Sic enim Pontianus martyr, cùm Antonini Imperatoris temporibus apud Spoletum, ſuper ardentes carbones nudis pedibus incedere cogeretur, Crucis ſigno ſeſe in fronte præmuniens, id intrepidè citra omnem læſionem executus eſt. Cuius Acta habentur apud Su-
C rium Tomo primo. Sicque nudis etiam plantis ſuper igneos carbones, iniquo Iudice Fabiano iubente, in Diocletiani perſecutione, nil læſus ambulauit ſanctus Tiburtius: cuius martyrium deſcribitur in Actis ſancti Sebaſtiani, in antiquiſſimo codice manuſcripto, ſiue Sanctorali Lateranenſi. Sic denique ſub eadem quoque Diocletiani perſecutione, cùm ſanctus Georgius in foueam calcis recèns extinctæ inijciendus eſſet, totum corpus ſuum Crucis ſigno obſignauit, atque inde nullo affectus detrimento, incolumis exiuit; vt traditur in ipſius vita à Simeone Metaphraſte deſcripta, quam refert Surius Tomo ſecundo.

Demum verò inuicti Chriſti Martyres Crucis ſigno ſe muniebant, cùm ob ſanctæ Fidei teſtimonium martyrio & morte afficiendi erant. Sic namque ſanctæ Martinæ tortores decem & ſeptem numero, Crucis ſignum in frontibus ſibi deſignarunt, cùm ab eadem Virgine & Martyre perſuaſi, incredibilemque eius in cruciatibus conſtantiam, & miracula quæ in ipſius paſſione Deus
D operatus eſt, admirati, ad fidem conuerſi, capite obtruncati ſunt. Cuius ſanctæ Martyris Acta leguntur in codice Vaticanæ baſilicæ, & in antiquiſſimo Sanctorali ſanctæ Mariæ ad Martyres, referunturque à Surio Tomo primo. Crucis ſigno pariter in fronte conſignauit ſe ſanctus Vrbanus Papa & martyr; ídque exemplum eius ſecuti fecerunt ſocij eius, Ioannes, Chromatius, Dionyſius & Martialis, in eo temporis puncto, cùm propter Chriſti fidem capite plectendi eſſent; quorum Acta deſcripta ſunt in peruetuſto codice manuſcripto, ſiue Sanctorali Lateranenſi, vbi hæc leguntur: *Tunc beatiſſimus Papa Vrbanus extenſis vlnis, erectiſque ad cælum oculis, talia dixit: Rex Angelorum, Deus qui es omnium Sanctorum, ſuſcipe in hac hora animas noſtras, & ne confundamur, dum ad te properamus; ſed annumera has inter Sanctorum animas tibi placentium in vitam æternam. Et cùm*

hæc

hæc dixiſſet, reſpondentibus cunctis, Amen, & dicentibus, Fiat Domine ſecundùm verba Patris noſtri Urbani, vt laudemus nomen tuum in ſæcula ſæculorum; tunc ſancti inuicem ſibi dantes oſculum pacis, & munientes frontes ſuas vexillo Crucis, flectentes genua, & gratias Deo referentes, aiebant ad carnifices: Quid agitis? ſurſum extendite manus ad opus, perficite cœptum. Et paulò pòſt ſubditur: Hæc vbi dicta dederunt Sancti, decollati ſunt pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, octauo Kalendas Iunij. A

Infinita propemodum ſimilia, atque etiam maiora eſſent, quæ in hanc ſententiam adduci poſſent exempla: ſed quod hactenus breuiter dictum eſt, ſatis ſuperque ſufficere poterit ad pium ac laudabilem morem probandum qui apud antiquos primitiuæ Eccleſiæ Chriſti fideles receptus erat, ſanctæ nimirum Crucis ſigno ſe conſignandi; idque pro fidelium Catholicorum ſolatio & ædificatione, & pro miſerorum hæreticorum emendatione, eorum videlicet qui corrigibiles erunt: nam de ceteris, qui in ſua cæcitate & errorum ſuorum peruerſitate pertinaces eſſe voluerint (quorum, dum tales erunt, deſperata eſt ſalus) B nil aliud nobis agendum ſupereſt, quàm vt toto cordis affectu Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precemur; vt per pretioſi ſanguinis ſui in Cruce profuſi infinita merita, horum Crucis inimicorum mentis oculos ſic aperire dignetur, vt innumerabilia beneficia quæ per Crucem accepimus, agnoſcentes in fidei vnitate, vnà cum ſancta Eccleſia Catholica, Crucem piè venerentur, honorem & gloriam illi referentes, qui per ſanctam Crucem ſuam ab æterna morte nos ſeruauit ac liberauit. Amen.

CAPVT III.

Morem hunc, quo Crucis ſigno nos conſignamus, ſanctorum Apoſtolorum documentum extitiſſe, qui hoc ſacroſancto ſigno ſe ipſos ac ceteros ſignare conſueuerant; idque à Domino noſtro Ieſu Chriſto illos didiciſſe. C

NON ſatis ſanè mihi feciſſe videor, ad miſerorum ac infelicium hæreticorum illorum iniquitatem ac cæcam peruicaciam penitus expugnandam & conuincendam, qui pium ac laudabilem hunc morem quem fideles Catholici vſu receperunt, Crucis ſigno ſe conſignandi, impijs irriſionibus horribilibuſque blaſphemijs improbare non verentur, quòd præcedenti capite ſufficienter atque apertè probauerimus, perutilem ac ſanctam hanc conſuetudinem ſtatim vnà cum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ primis germinibus ortam eſſe; piosque ac ſanctos illos primitiuæ Eccleſiæ Chriſti fideles, magna cum vtilitate ſpirituali & corporali, in cunctis honeſtis ac piis actionibus piè ea vſos fuiſſe; niſi etiam id ſanctorum Apoſtolorum documentum extitiſſe, qui in D ſuam ipſorum & proximi vtilitatem eo vſi ſunt, illosque à Domino noſtro Ieſu Chriſto illud didiciſſe probauerimus.

Conſtit. ſanctorum Apoſtolorũ, lib. 8. cap. 16. *En antiquiſſimam benedictionẽ, etiamnũ in Eccleſia vſitatam.*

Id autem ſanctorum Apoſtolorum documentum extitiſſe, apertè colligitur atque probatur ex Conſtitutionibus Apoſtolicis à ſancto Clemente Romano conſcriptis, in quibus inter cetera quæ ad inſtitutum noſtrum facere videntur, hæc leguntur: *Orans igitur per ſe Pontifex vnà cum ſacerdotibus, induenſque veſtem ſplendidam, & ſtans ad altare, trophæo Crucis ſe conſignans in fronte dicat: Gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Et omnes vna voce reſpondeant: Et cum ſpiritu tuo.* Quæ quidem Conſtitutiones, licet inter Canonicos libros non recipiantur, magnæ

A magnæ tamen auctoritatis semper in Ecclesia extiterunt, nec omnino inter apocrypha deputari possunt: imò in Canonibus Apostolicis, qui perpetuo constantique omnium pænè Græcorum Patrum, & multorum Latinorum consensu & approbatione sunt recepti, Constitutiones prædictæ numerantur inter libros venerandos & sacros, qui in Ecclesiis à clericis & laicis legendi erant: licet ibi dicatur, non omnibus passim peruulgandas esse, propter mystica quædam atque secreta quæ in eis continentur, vt cuique videre licet octuagesimo quarto & vltimo capite eorumdem Canonum, qui à Sexta Synodo, Canone ad id expresè edito, approbati fuere; cuius verba refert etiam Gratianus in Decreto, asserens, eamdem Synodum Hadriani Papæ auctoritate confirmatam fuisse, licet viri docti non pauci aliter sentiant. *De Constitutionum Apostolicarum auctoritate dissertatio.* Distinct. 16 cap. Placuit, & cap. Sextam, eadem distinctione

At si quis adeò scrupulis irretitus esset, cui eorumdem quoque sacrorum Canonum non probaretur auctoritas, qui ab eodem sancto Clemente Romano B collecti fuere, sub eo prætextu quòd à Gelasio Papa inter apocrypha adnumerati fuerint; is sancti Ignatij martyris, tertij post diuum Petrum Antiochiæ Episcopi (vt tradit S. Hieronymus) epistolas perlegat, quas, dum Romam ad supplicium duceretur, in itinere ad diuersas scripsit Ecclesias; quę omnium sanctorum Patrum & sacrorum Canonum auctoritate approbatæ sunt; illasque cum prædictis Constitutionibus diligenter conferat: perspiciet enim eas locis plerisque non iisdem mentis conceptionibus tantùm, iisdemque integris sententiis, sed etiam iisdemmet verbis, quæ in prædictis Constitutionibus continentur, refertissimas esse. Ex quo argumentari necesse est, vel sanctum Ignatium antedictum easdem Constitutiones vidisse & approbasse, ad earumque imitationem epistolas suas dictasse; vel ipsum met earumdem auctorem extitisse; quippe qui à sanctis Apostolis illas acceperat, easdemque sub Clementis nomine posteà, quo maiori auctoritati inniterentur, tamquam summi Pontificis, euulC gatas. At quomodocumque res se habeat, sufficit nobis hinc apertissimè probari, nec nuper hos Constitutionum libros scriptos esse, neque in apocryphis omnino numerandos, quos primæua illa habuit Ecclesia, & Apostolici viri cognitos probatosque in suas scriptiones transtulerunt. De Viris illustrib. vel De Scriptorib. Ecclesiasticis.

Verùm quando hæc non sufficiant, benè sanè ad omnia satis esse poterit multorum sanctorum Patrum auctoritas, quorum testimonium omnino grauissimum esse debet, qui de Constitutionibus Apostolicis prædictis honorificè sentiunt; inter quos sanctus Athanasius, in epistola ad Ammum monachum, in qua libros Canonicos recensuit, his aggregat doctrinam Apostolorum (sic enim Constitutiones prædictas appellat) eas inter libros illos annumerans, qui licet in Canone non sint recepti, ab his tamen spernendi non sunt, qui pietatis & veri cultus normam assequi cupiunt. Cuius verba ex Grecis Latinitati donata hæc sunt: *Ceterùm maioris & exactioris disciplinæ causa, addo, & illud scribens necessa*D *riò, præter superiores, libros esse alios non Canone quidem probatos, sed veterum auctoritate, illis qui pietatis Clementis imbuendi essent propositos: Sapientiam nempe Salomonis, Sapientiam Sirach, Esther, Judith, & Tobiam (videtur intelligere Apostolorum Constitutiones, quæ nomine Clementis nunc habentur, doctrinam etiam Apostolorum nomine nuncupatam) ipsum denique Pastorem.* *Veterum iudicia, de Constitutionibus Apostolicis.* De S. Trinit. Epist. ad Ammum monach.

Eusebius verò Cæsariensis, S. Athanasij sententiam secutus, Constitutiones prædictas neque inter eos libros qui pro Canonicis ab omnibus Ecclesiis recepti erant adnumerauit, neque inter apocryphos; sed inter illos, quos non omnes Ecclesiæ agnoscebant. Quòd si ad quorumdam dubitationem non respexisset, illas inter Canonicas scripturas proculdubiò aggregasset. His addatur auctoritas sanctorum Ioannis Chrysostomi, Damasceni & Epiphanij, qui Audiano hæ- Eccl Hist. lib. 3. c. 19.

reticos refellens, ad Constitutionum prædictarum auctoritatem falsò deflectere volentes, quasi canoni illi respondere vellet, qui Sextæ Synodi illegitimè posteà attributus est, inquit: *Ceterùm ad hoc asserunt falsò iidem Audiani Apostolorum Constitutionem, quæ apud multos in ambiguo est, sed non reprobata: omnis enim regularis ordo in ipsa habetur, & nihil à fide adulteratum, neque à confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione ac regula.* A

Lib. 3. To. 1 contra Audianorum sectam.

Totam hanc digressionem ad Apostolicarum Constitutionum prædictarum veritatem ac sinceritatem ostendendam fecimus, arbitrati illarum auctoritate abundè probasse, sanctum ritum illum ab antiquis primitiuæ Ecclesiæ Christianis vsu receptum, & à nobis quoque ad hanc vsque diem piè adhibitum, Crucis videlicet signo nos consignandi sanctorum Apostolorum documentum extitisse. Quod etsi pro fidelibus Catholicis satis superque sit firma probatio, tamen pro illorum ædificatione, & pro eorum curatione qui in sanctæ Ecclesiæ Catholicæ ritibus deprauatum atque corruptum gustum habent, nisi tamen eorum infirmitas omnino incurabilis sit, abundè atque amplissimè probabimus, eosdem sanctos Apostolos ritum hunc ad suam & proximi vtilitatem piè adhibuisse, se ipsos ac ea quibus benedicere volebant Crucis signo consignantes: idque apertè probabimus, non sanctorum Patrum testimonio tantùm, quorum auctoritati grauissimæ, nemini qui Christiani nomen retinere velit, contradicere licet; verùm etiam ex Actorum vitarumque illorum historiis, à grauissimis scriptoribus Ecclesiasticis, quos communis probat auctoritas, conscriptis. B

Crucis signationē ab Apostolis vsitatam, SS. Patrū testimonia confirmant.

Et quidem quoad Patres, sanè pro multis satis magni ponderis esse poterit clarissimi Ecclesiæ luminis diui Augustini auctoritas, qui apertè testatur, gloriosos Apostolorum Principes Petrum & Paulum, dum orbem terrarum peragrarent Euangelium prædicantes, & verbi Dei semen in Gentium populos ferentes, Crucis signo eos qui ad fidem conuertebantur consignasse; sic enim inquit: *Mittit Petrus in sæculum retiaculum, circumfert Paulus Dominicum in mundo vexillum: & iste piscator hominum, & ille titulat signo Crucis Gentiles.* Quin etiam idem Augustinus asserit, ipsum Paulum Apostolum Crucis signo ab Anania tunc signatum fuisse, cùm equo præceps delapsus, & ad Christi Domini cōspectum, qui in itinere illi apparuerat, cæcitate percussus, in Damascum ad manus ductus est; vbi postquam Ananias Domino iubente imposuisset illi manus, ceciderunt ab oculis eius quasi squamæ, & visum recepit, ac baptizatus est: *Dicitur*, inquit, *Ananiæ à Domino Iesu Christo: Vade ad eum, & signa eum charactere meo: multa enim patietur pro nomine meo.* Et non solùm hoc dixit idem S. Augustinus in Sermone quem habuit de gloriosi Protomartyris Stephani martyrio, sed in Sermone suo in sanctorum Principum Apostolorum festiuitate, id quoque iisdem verbis replicauit hoc modo: *Accede ad eum, & signa eum charactere meo.* C

De Sanctis, Serm 28. Tomo 10.

De Sanctis, Ser. 1. & 25

D

1. Tim. 4.

Et sanctus Ioannes Chrysostomus, in verba illa Apostoli scribens, *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem*; affirmat sanctificationem hanc, iuxta Pauli doctrinam & mentem, tunc fieri, semperque signo Crucis adhibito faciendam: *Duo capita*, inquit, *ponit Apostolus, vnum quidem, quòd creatura nulla communis est: secundò, quòd etsi communis sit, medicamentum in promptu est. Signum illi Crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer; & protinus immunditia omnis abscessit.* Et paulò pòst subdit: *Num si vlla caro immunda est? Non, si cum gratiarum actione percipitur, Crucisque signaculo; nec aliud quidquam immundum est.* Idem quoque scripsit Theophylactus, licet breuiter magis & subobscurè, in hūc modum:

In Epist. 1. ad Tim. Homil. 12. Tom. 4.

A modum: *Nam primùm per instantiam dicit nihil esse immundum: deinde per concessionem, Demus, inquit, quòd quiddam sit immundum, sed habes medicinam; signa, gratias age, glorifica Deum, ac deficit immunditia.* Ex quibus verbis colligitur, duos hosce Patres opinatos, quòd Pauli temporibus Christiani qui ab ipso edocti erant, cibos ab eis edendos signo Crucis signare consueuissent. Quin etiam diuus Augustinus id pro constanti ac firmo se tenere innuit; nam aduersus Pelagianos scribens, in hanc sententiam inquit: *Verùm & ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ huius vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit per verbum Dei, & orationem qua oramus, vtique nostra corpuscula refecturi.* In cap. 4. ep. 1. ad Timoth. De peccat. merit. & remis. contra Pelag. li. 2. c. 26. To. 7.

At vbi facti euidentiam tenemus, per coniecturas incedere non est opus. Idem enim Augustinus, de omnibus duodecim Apostolis in vniuersum loquens, aperte ostendit eosdem, dum Euangelium prædicantes per orbem terrarum progrederentur, credentes Crucis signo consignare solitos fuisse, & vnà B cum ipso Crucis signo, Crucis fidem eos docuisse; sic enim tradit: *Duodecim misit, & tamen per eos sic omni genere piscium impleuit Ecclesias, vt plurimi etiam ex ipsis sapientibus sæculi, quibus videbatur ignominiosa Crux Christi, ea in frontibus signentur: & de qua erubescendum putabant, nobisque insultabant, eam in pudoris arce constituunt.* Quæ verba refert etiam Beda, sua in primi capitis Epistolæ primæ ad Corinthios expositione. Præterea idem S. Augustinus affirmat, Protomartyrem Stephanum Crucis signo in fronte fuisse consignatum; inquit enim: *Dominus, qui cinxerat, qui probauerat, qui ei characterem non in manu, sed in fronte posuerat, spectabat desuper militem suum.* Et alibi de eodem sancto Stephano verba faciens, subdit: *Quid agitis ô Iudæi? non timetis ouem Christi pedissequam, quæ habet in fronte sua nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti? Ipsum est signum, quod vobis in Stephani fronte lucebat: hoc signum viderunt cæli, & patefacti sunt; & tamquam ostenso signaculo in specie Angelorum, patefactæ sunt portæ cælorum.* Et hæc de C sanctorum Patrum auctoritatibus, quæ testimonium perhibent, sanctos Apostolos Crucis signum adhibere solitos fuisse, breuiter hactenus dixisse sufficiat. Accedamus nunc ad historias. In octauo fragmento Sermonis in Quinquag. Resurrect. Domini, Tom. 10. Ser. 92. De diuersis, in Nat. S. Stephani, c. 4. De diuersis Ser. 99. De S. Protomart. Stephano, c. 3.

Sanè si mentis aciem in considerationem illam intenderimus, celebriores nimirum Historicos, ac temporum illorum Scriptores, in quibus sancti Apostoli in humanis agebant, Ethnicos fuisse, & cùm sanctã ac tunc exorientem religionem nostrã odio haberent, non solùm in Christianorum rebus præclare gestis conscribendis studium ac diligentiam non adhibuisse, sed potiùs maleuolo animo illas tacuisse, & vt easdem obliuionis tenebris obruerent, totis viribus curauisse. Atque insuper si ad memoriam reuocare velimus calamitates, miserias ac persecutiones, quas temporibus illis nostri passi sunt, qui angustiati, afflicti, pauperes, mendici, & fugitiui, nec etiam in ipsis terræ cauernis tuti erant; ita vt licet inter ipsos multi docti ac præstanti ingenio viri extiterint, qui de ipD sorum gestis illustres ac memorabiles historias texere potuissent, tamen non tantum otij, commodiue, aut temporis ad id faciendum suppetebat, sed ne respirandi quidem locus erat iis qui in summis calamitatibus & ærumnis vitam traducebant; non erit profectò cur miremur, quòd de prædictorum sanctorum Apostolorum gestis tam tenuis ad nos peruenerit notitia. Quin etiam magna admiratione adhuc meritò dignum existimabimus exile hoc lumen, quod Dei optimi maximi misericordia in tam obscuris tenebris nobis affulget, idque in nequissimi dæmonis confusionem, qui totis conatibus semper enixus est vt rerum ab eis gestarum memoriam extingueret; non secùs ac per hæreticos ministros suos conatus est, & ad hanc vsque diem conatur, vt Crucis signi vsum sibi adeò inuisum atque molestum auferat. *Causa, cur tam pauca habeamus de gestis Apostolorum.*

Qui quidem vsus, quemadmodum à sanctis Apostolis in Dei Ecclesia sanctè introductus est, atque ab ipsis vtiliter adhibitus, sic etiam proculdubiò credendum est, à diuo Petro, tamquam Principe & Apostolici ordinis capite, cui vnà cum primatu, maiorum etiam miraculorum patrandi auctoritas & prærogatiua à Christo Domino tradita fuit, ita vt sola corporis sui vmbra sanaret infirmos, crebriùs quoque atque frequentiùs pro fidelium eruditione ac profectu adhibitum fuisse. Cuius tamen rei, ob diaboli nequitiam, atque ob eas quas retulimus causas, tenuissimum monimentum ad temporum nostrorum memoriam propagatum est. Quamobrem contentos nos hîc esse oportet duarum tantummodò actionum commemoratione, quas per Crucis signum operatus est. Quarum prima litteris commendata est in actis, quæ inter ipsum ac Simonem Magum Romæ intercesserunt; cùm idem Simon post magicarum artium suarum extrema molimina, Romano populo conspiciente, defunctum adolescentem illum, quem aliqui Neronis Imperatoris consanguineum fuisse scribunt, reuocare in vitam nequisset: cumque illum Petrus à mortuis excitasset, viuumque & incolumem parentibus reddidisset, populus Magum lapidibus obruere volebat, iuxta pactum quod ipsemet proposuerat; sed Petrus id non tulit, liberumque & illæsum abire permisit. Is verò confusus, & magna iracundia ob vlciscendi libidinem incitatus, ad domus Marcelli, eiusdem diui Petri discipuli postes, ingentem canem, siue dæmonem sub canis forma, alligauit, vt venientem Petrum dilaniaret. At ipse illuc accedens, facto Crucis signo canem exsoluit; qui posteà nemini ferus aut molestus, Magum ipsum solum aggressus, omnia vestimenta eius dilacerauit, nullo alio tamen ei illato detrimento, vt ipsi diuus Petrus præceperat. Quem actum refert Episcopus Petrus de Natalibus in Catalogo his verbis: *Tunc Simon ad domum Marcelli, discipuli Petri, canem maximum alligauit, vt Petrum ad discipulum ex more venientem laceraret. Post modicum Petrus venit, & facto signo Crucis canem exsoluit; canis autem omnibus blandiens, solum Simonem persecutus, in ipsum insiluit; & vt sibi Apostolus iusserat, corpus quidem eius non læsit, sed vestes totaliter lacerauit.*

S. Petrus de Simone Mago per signũ Crucis triumphauit:

In Catalog. lib 6, c. 22.

Secundus verò actus, quem authenticè scriptum inuenimus, in quo Apostolorum Princeps Petrus Crucis signum adhibuit, ille fuit, cùm ipse vnà cum Coapostolo suo Paulo Romæ in carcere illo detineretur, quem Mamertini custodiam tunc appellabant, vbi nunc est ecclesia sancti Petri in carcere: nam Processus & Martinianus carceris illius custodum Præfecti, qui Christi posteà gloriosi martyres extitêre, cùm multa cernerent miracula quæ iidem sancti Apostoli faciebant, baptizari efflagitabant. Sed cùm ibi non adesset aqua, beatissimus Apostolorum Princeps Petrus Crucis signum rupi impressit, & fons illicò emanauit, qui ad hanc vsque diem ibi conspicitur; ex cuius aqua Processus & Martinianus prædicti, & post eos cuncti qui carceribus mancipati, ad septem & quadraginta numerum ibidẽ detinebantur, Baptismi lauacro regenerati sunt. Sic enim habetur in eorumdem sanctorum Martyrum Actis, quæ refert Surius Tomo quarto, sub die secunda Iulij: sicque litteris consignatum est in peruetusto codice manuscripto, siue Sanctorali vel Passionario ecclesiæ sanctæ Cæciliæ de Vrbe, in hæc verba: *Tum omnes se abiecerunt ad pedes Apostolorum, rogantes vt Baptismum ab eis perciperent. At verò beatissimi Apostoli orauerunt Deum, orationeque expleta, beatus Petrus in monte Tarpeio signum Crucis expressit, in eadem custodia Mamertini, atque eadem hora emanarunt aquæ è monte; baptizatique sunt beati Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo. Hoc vt viderunt cuncti qui erant in custodia, prostrauerunt se ad pedes beati Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexus & diuersæ ætatis numero quadraginta septem.*

Et fontem Processo & Martiniano aliisque baptizandis excitauit.

De

A De glorioso Gentium Doctore pariter legitur, quòd ad sui ipsius ac proximi beneficium Crucis signum adhibere consueuerat. Hilduinus enim Abbas monasterij sancti Dionysij in Galliis prope Parisiorum Lutetiam, qui Ludouico Pio Imperatore efflagitante S. Dionysij Areopagitæ Act: ex antiquissimis Græcorum ac Latinorum monimentis excerpta conscripsit, & Areopagitica appellauit, refert, eumdem sanctum Apostolum, dum Athenis ageret, cæcum à natiuitate Crucis signo illuminasse, præcepisseque ei, vt Dionysium Areopagitam adiret, diceretque, quòd Paulus Iesu Christi seruus illum ad eum ablegauerat, vt memor sponsionis suę, ad se venire vlteriùs non cunctaretur, vt Baptismi gratiam perciperet, qua à peccatorum vinculis absolueretur. Cuius miraculi admiratione obstupefactus atque impulsus idem sanctus Dionysius, ad Baptismum illuc approperauit. Quæ Acta Areopagitica nuncupata, habentur apud Surium Tomo quinto, sub die nona Octobris, vbi hæc leguntur: *Postero autem die cùm* B *Paulus ageret iter, cæcus quidam cœpit eum obsecrationis vocibus compellare. Sanctus autem Apostolus Crucis signum clausis à natiuitate eius oculis imposuit, dicens: Christus Dominus & Magister noster, qui oculis lutum imposuit cæci nati, & lumen restituit ei, ipse te potentia sua illuminet. Quem mox videntem, his est verbis affatus: Vade, inquiens, ad Dionysium, & dic ei, Quia Paulus seruus Iesu Christi ad te me misit, vt memor sponsionis tuæ, ad eum venire non differas, quo Baptismum salutis accipiens, ab omnibus possis absolui nexibus delictorum. Is autem qui lumen recepit, obedienter verba iubentis impleuit, & ad Dionysium properans, Pauli ei verba per ordinem nuntiauit.* Hæc ibi. Huius autem miraculi meminit etiam Augustinus, obiter tamen ac breuiter, ad vlteriora pertransiens, cùm dixit: *Petrus tenebras & vitia pellit ex oculis, Paulus reddit oculos à natiuitate cæcatis.*

S. Paulus cæcum Crucis signo illuminauit.

De Sanctis, Serm. 29. Tomo 10.

Semetipsum quoque idem Apostolus in mortis suæ articulo Crucis signo communiuit. Ad locum enim cùm peruenisset, vbi capite obtruncatus est, ad C Orientem conuersus, prolixiùs orauit; deinde verò dato pacis osculo his Christi fidelibus qui ipsum secuti fuerant, genuflectit; & Crucis signo sibi impresso, collum carnifici vltrò extendit. Sic enim litteris commendatum est in libro, qui sub Abdiæ Babyloniorum Episcopi nomine, ab Apostolis constituti, circumfertur, his verbis: *Paulus verò cùm venisset ad locum supplicij, conuertit se contra Orientem; & eleuatis manibus & oculis suis ad cælum, deuotissimè orauit: & completa oratione, dedit pacem fratribus qui eum secuti fuerant, & valefaciens eis, flexis genibus, Crucisque signo se muniens, ceruicem præbuit percussori.* Qui liber licet à quibusdam inter apocryphos connumeretur, ego tamen censerem, illum in eo quod est ædificationis, dum sanctorum Apostolorum virtutes & miracula recenset, & cum aliis Scriptoribus Ecclesiasticis qui communiter recepti sunt, concordare cernimus, non solùm non reiiciendum, sed omni potiùs veneratione recipiendum, & pergrato animo amplectendum. Eadem quoque refe- D runt Iacobus de Voragine, Ioachimus Perionius, & alij plerique qui eiusdem Apostoli vitam pio stilo prosecuti sunt.

Idem Apostolus, morti subiturus, Crucis signo se munuit.

Apostolicæ historiæ lib. 2.

Memoriæ quoque proditum est in eodem libro, sanctum Andream Apostolum Crucis signum adhibuisse, eiusque virtute admiranda planè miracula patrasse. Dum enim Thraciæ prouinciam peragraret, discipulis suis, aliisque Christi fidelibus eum comitantibus, occurrit eis ingens armatorum hominum manus, qui strictis ensibus, hastatisque armis eos inuadere contendebant: quod eminùs prospiciens beatus Andreas, Crucis signum in illos intorsit, & confestim semimortui deciderunt; ipse verò cum suis illæsus pertransiit. Quod miraculum hisce verbis ibidem relatum est: *Inde progressi, vt transirent Thracias, occurrit eis multitudo hominum à longè cum euaginatis gladiis, lanceas manu gestantium,*

S. Andreas illustria miracula Crucis signo operatus.

qui volebant in illos irruere; quod cùm vidiſſet Andreas Apoſtolus, faciens Crucis ſignum contra eos, ait: Oro Domine, vt decidat pater eorum qui hæc eos agere inſtigauit: conturbentur virtute diuina, ne lædant ſperantes in te. Hæc eo dicente, Angelus Domini cum magno ſplendore præteriens, tetigit gladios eorum; & mox corruerunt proni omnes in terram; & ita beatus Andreas Apoſtolus cum ſuis ſine detrimento præteriuit. A

Iterùm quoque, vt in eodem libro memoriæ proditum eſt, beatus Andreas Crucis ſignum valdè opportunè adhibuit. Dum enim apud Patras Achaiæ moraretur, ipſum conuenit quadam die Maximilla Ægeæ proconſulis vxor, vnà cum aliis permultis familiaribus ſuis in eiuſdem Proconſulis prætorio, vt illum audirent; ac repentè nuntiatum eſt aduentare Proconſulem, qui ſi ſuos ibi congregatos deprehendiſſet, omnes proculdubiò vnà cum ipſo Apoſtolo perdidiſſet. Sed Sancto orante ad Dominum, quædam naturalis corporis neceſſitas Ægeam occupauit, quę illum diſtinuit: Apoſtolus autem, cùm ſingulis manum impoſuiſſet, Cruciſque ſigno conſignaſſet, illos ſecuros dimiſit; domumque, B cùm ſe ipſum quoque eodem ſacroſancto ſigno muniuiſſet, non deprehenſus, inde diſceſſit. Abdiæ iſta ſunt verba: *Quod cùm feciſſet, antequam Proconſul prætorium fuiſſet ingreſſus, ſanctus Apoſtolus manus ſingulis imponens, & conſignans Cruce, eos abire permiſit: nouiſſimè autem ſe ſignans, & ipſe diſceſſit.* Hoc autem diui Andreæ inſigne facinus refert etiam Vincentius Bellouacenſis, in ſuo Hiſtoriali ſpeculo.

Idē Abdias ibidem inferiùs.

Lib.10.c.71.

Item S. Iacobus Apoſtolus ſolēniter ſigno Crucis vſus eſt:

Ex eiuſdem pariter libri lectione percipitur, ſanctum Apoſtolum Iacobum maiorem, Crucis ſignum adhibere ſolitum. Ibi enim legitur, quòd Ioſia Leuita Hebræus, qui ſancti Apoſtoli collo funem iniecerat, cùm vidiſſet paralyticum ab eo mirabiliter ſanatum, dum Herodis iuſſu ad ſupplicium traheretur, ad pedes eius prouolutus humiliter veniam deprecatus eſt, ſummiſque precibus, vt Chriſtianum eum faceret, efflagitabat. Quod cùm Abiathar, qui anni illius Pontifex erat, accepiſſet, re confeſtim de illo per nuntium ad C Herodem perlata, obtinuit vt ſimul cum Apoſtolo capite plecteretur. Cumque ambo ad ſupplicij locum ducti eſſent, Iacobus, antequam morte afficeretur, aquam ſibi afferri à miniſtris impetrauit; qua ſibi allata, illum baptizauit, & dato ei pacis oſculo, fronteque eius Crucis ſigno communita, ceruicem protinus exhibuit percuſſori.

Et S. Ioannes Apoſtolus & Euāgeliſta.

De ſancto verò Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, eiuſdemque Iacobi fratre, etiam maiora ad memoriam noſtram propagata ſunt teſtimonia, quàm de quouis alio Chriſti Apoſtolo, qui Crucis ſignum adhibere conſueuiſſet. Legimus enim in ipſius vita, quam Simeon Metaphraſtes conſcripſit, quemdam Chriſtianum, qui quandoque diues erat & facultatibus abundabat, cùm ad ſummam rerum redactus eſſet inopiam, nimióque ære alieno grauaretur, ita vt creditores illum opprimerent, neſcientémque quod aliud remedium deſperatis rebus ſuis adhibere poſſet, mori omnino decreuiſſe; ideóque Hebręum quem- D dam maleficum, & veneni parandi peritiſſimum conueniſſe, ingentíque anguſtia & calamitate qua premebatur illi expoſita, & conſilio quo mori ſtatuerat, vt ſeſe tantis ærumnis eriperet, communicato, rogauit illum vt potionem aliquam exhibere vellet, quæ compendio, & minore qua fieri poſſet moleſtia vitam ſibi auferret. Quo audito Hebræus ille præſtigiator, lucri percupidus, & ad omne patrandum facinus promptiſſimus, mortiferum quemdam liquorem in vaſe protinus illi exhibuit, ſuadens, vt illum intrepidè deglutiret; affirmans quòd præter omnem dolorem atque moleſtiam, vitam illi erepturus erat. Miſer autem Chriſtianus ille, accepto vaſe domum redijt, ibique internis anxietatibus colluctatus, hinc naturali moriendi repugnantia, illinc

A linc verò miſeriarum ſuarum odio, diu anxius, & inextricabilibus moleſtiis conflictatus eſt: demum verò moriendum omnino ſibi ſtatuens, pauidus ac tremens vas in manibus accepit, & Crucis ſigno illud conſignans, vt mos Chriſtianorum erat, clauſis oculis venenum hauſit: quod omnino innocuum illi fuit, quia ſacroſanctum Crucis ſignum vim & vitium omne illi abſtulerat.

Admirabile beneficiũ, virtute Crucis homini deſperato conceſſum.

Quamobrem cùm ille incolumem ſe perſiſtere ſentiret, venenum illud non ſatis efficax extitiſſe arbitratus eſt; cúmque à creditoribus magis magíſque obſideretur & opprimeretur; ideóque omnino ſibi moriendum eſſe iterùm ſtatuiſſet, denuò ad veneficum Hebræum reuertitur, ab eóque maiore oblata pecunia, aliquod aliud pharmacum adeò potens & efficax ſibi dari efflagitat, vt corporis ſui robuſtam valetudinem opprimens, mortem protinus inferret. Hebræus autem obſtupefactus, quòd viuum & incolumem illum con-
B ſpexiſſet, potionem aliam tot letalibus venenis refertam illi miſcuit, vt leones & vrſos ad primum hauſtum interimere valuiſſet. Verùm miſellus ille, mortifera potione accepta, domúmque ſecum allata, cùm non ſatis haberet animi ad illam protinus intrepidè bibendam; poſtquam diu anxius, duplicibus curis inextricabiliter ſecum decertaſſet, demum vaſe in manibus accepto, & Crucis ſigno conſignato, languidus ac tremens, & præ anguſtia totus ſudore manans, clauſis oculis illud ori admouit, & iterùm venenum ebibit, quod non ſecùs ac primum, iterùm illi fuit innocuum. Quamobrem ingenti admiratione correptus, planè obſtupeſcebat, non intelligens Crucis ſignum veneni vim & vitium hebetaſſe atque obtudiſſe. Itaque rerum ſuarum maiore quàm anteà deſperatione impulſus, tertiò Hebræum veneficum conuenit; & ſeſe ab eo deluſum ratus, de ea re grauiter conqueſtus eſt. Hebræus autem optimè ſibi conſcius, quam potionem illi tradidiſſet, pro certo ſibi
C perſuaſum habuit, non ſatis animi homini adfuiſſe ad venenum illud ebibendum. At cùm Chriſtianus ille iteratis vicibus iureiurando affirmaſſet, ſe illud totum reuerà bibiſſe; præ admiratione ac ſtupore nimio in delirium pænè prolapſus eſt: cumque animo ad id planè non acquieſceret, enucleatim & per ſingula illum interrogare cœpit, quid antè, quídve in ipſo actu bibendi venenum illud egiſſet; & cùm nihil aliud eum feciſſe cognouiſſet, quàm Crucis ſigno illud conſignaſſe, protinus intellexit, ſignum illud proculdubiò à veneno ſuo mortiferam vim abſtuliſſe: tamen vt Chriſtianum illum certiorem faceret, fidelem ſe operam in eo negotio illi præſtitiſſe, vtque ſe ipſum prorſus certiorem faceret, nonnihil potionis illius cuidam cani ſuo propinauit, qui confeſtim mortuus corruit.

Quamobrem nullam aliam demonſtrationem requirens, maliſq; artibus ſuis nuntium remittens, & Iudaicam perfidiam exuens, Chriſtianiſmum amplecti
D ſtatuit. Ac proinde ad dilectum Chriſti diſcipulum ſtatim contendit, illíque admirandum factum illud, & ſpiritum quo afflatus erat, ac ſanctum conſilium quod ceperat exponés, humiliter ab eo baptizari efflagitauit. Qua in re benignè à ſancto Apoſtolo confirmatus eſt. Qui cauſa cognita, qua pauper Chriſtianus ille ſibi ipſi mortem conſciſcere ſtatuiſſet (quo in facinore animam ſimul cum corpore perdidiſſet) accerſitum ad ſe, cùm de deſperata & diabolica deliberatione illa acriter coarguiſſet, blandis poſteà atque benignis verbis illum confirmare atque ſolari cœpit. At cùm cerneret miſellum ipſum ingenti adeò ære alieno oppreſſum, totque ærumnis & calamitatibus vexatum, vt longè alio quàm verborum leuamine leniendus eſſet, cúmque nihil aliud haberet, quod illi elargiri poſſet, herbæ, quę in proximo erat, tantum è terra excerpere iuſſit, quantum am-

Quo veneficus quidã Hebræus incitatus Chriſtianiſmum amplectitur.

Herbæ, virtute Crucis, à S. Ioanne Apostolo in aurũ commutatæ. babus posset manibus comprehendere, factáq; oratione, & herba illa signo Crucis cõsignata, in aurum purissimum mirabiliter conuersa est: cuius ex parte cùm bonus Christianus ille æs alienum contractum dissoluisset, ex reliquo deinceps modestam ac sanctam vitam duxit. Hæc omnia, quæ hîc summatim perstrinximus, fusiùs eiusdem Ioannis Euangelistæ vita continentur, quam à Simeone Metaphraste conscriptam, vt diximus, Episcopus Lipomanus posteà inter Sanctorum vitas collegit, ab Oecumenij deceptam libro, vbi typis excusa & Latinitati reddita, post Apocalypsis versionem reperitur: demum verò à Surio, suis in Sanctorum quoque vitis translata est. De aliis autem huic similibus ab eodem Ioanne Euangelista editis miraculis, meminit & sanctus Isidorus his verbis: *Cuius quidem Apostoli & Euangelistæ Ioannis, inter alias virtutes, magnitudo signorum hæc fuit: mutauit in aurum siluestres frondium virgas, littoreaque saxa in gemmas: item gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam.* A

Tomo 1.

Tom. 6. sub die 17. Dec.

De vita & morte Sanctorum.

Crucis quoque signum ad sui ipsius effugium, & ad circumstantium documentum, idem Ioannes Apostolus & Euangelista tunc adhibuit, cùm calix veneno plenus illi porrectus est ab Aristodemo sacerdote templi Dianæ Ephesiæ, qui de Christi diuinitate atque potentia cùm experimentum hoc pacto capere volebat, postquam duo alij qui venenum idem ebiberant, defuncti essent, ipse sanctus Apostolus, cùm Crucis signo seipsum munijuisset, non solùm illud citra omnem læsionem intrepidè bibit, verùm etiam illos duos viros propter eamdem veneni potionem mortuos ad vitam reuocauit. Quæ quidem historia diligentissimè proditur in eo quem superiùs citauimus libro Abdiæ primi Babyloniorum Episcopi, vbi pro eiusdem miraculi narrationis epilogo hæc habentur: B

Lib. 5. f. 67. *Tunc beatus Ioannes Apostolus, iacentibus mortuis his qui venenum biberant, vt intrepidus & constans, accepit calicem, & signaculum Crucis faciens, ita locutus est.* Et paulò pòst subdit: *Et cùm hæc dixisset, os suum, & totum semetipsum armauit signo Crucis, & bibit quod erat in calice.* Cuius miraculi sic meminit etiam sanctus Isidorus: *Bibens letiferum haustum, non solùm euasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitæ reparauit statum.* Hoc etiam admirandum beati Ioannis facinus refert Petrus Natalis in sanctorum Catalogo: affirmatque, eumdem Apostolum, antequam venenum biberet, Crucis signo illud consignasse. C

De vita & morte Sanctorum. Lib. 3. c. 7.

Denique Crucis signo se ipsum communiuit idem sanctus Apostolus & Euangelista, cùm ex hac ad alteram planè meliorem vitam migraturus esset, vt

Lib. 2. c. 42 refert Nicephorus Callistus in sua historia Ecclesiastica, dum inquit: *Cùm dudum transitionem suam ad Deum, diemque & horam eius præuidisset Ioannes; Presbyteris ministrisque Ecclesiæ, & prætereà quicumque flagranti essent fide, fratribus assumptis, extra Ephesiorum vrbem progreditur: & cum eis in vicinum quemdam tumulum, quò frequenter ire precationi operam daturus solebat, conscendit. Ibi vehementiùs orans, ecclesias Deo commendat. Mox sarculis quibusdam & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit; deinde eos qui tum aderant, arcanis de Deo verbis, & præceptis optimis de fide, spe, & potissimùm dilectione (quippe dilectus ipse) erudit, & corda eorum confirmans, Seruatori verbo commendat. Postremoque illis in Domino saluere & valere iussis, vbi se Crucis signo communisset, in monumentum descendit.* Idem quoque asseritur in ipsius vita, quam edidit Simeon Metaphrastes, iam pridem ab Episcopo Lipomano[a], demum verò à Surio[b] collecta, in qua hæc præcipuè inter cetera leguntur: *Hîc*, inquit, *filij mihi fodite. Deinde vbi se totum consignasset, ac dixisset, Pax vobis, fratres, in foueam demisit pallium, & ipse quoque in eam descendit.* D

Idem Apostolus ingressurus sepulchrum se Cruce cõmunniuit.

[a] Tom. 1.
[b] To. 6. sub die 27. Dec.

Beatus Petrus Damiani Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, in quodam Sermone suo ad posterorum memoriam litteris commendauit, eumdem Apostolum & Euangelistam quadratam sibi foueam in Ecclesia fodi iussisse, cumque in eam

A in eam descendisset, & brachia in Crucis formam extendisset, prolixiusque
orasset, demum ex hac vita migrasse: confestim verò immensam lucem è cælo
emissam illum obtexisse, tanto splendore effulgentem, vt nullius eam ferret
aspectus: demum luce illa euanescente, nihil aliud in fouea inuentum fuisse,
præter manna quoddam, quod ad suam vsque diem scaturire dicebatur. Addit-
que ibi causam, cur idem Christi Domini dilectus ad Crucis formam in sepul-
chro iacere voluerit, inquiens: *In sepultura in Crucis modum iacere voluit, quia Cru-*
cem in suo corpore piè viuendo semper portauit: & sicut Petrus magistrum secutus, est
à persecutoribus crucifixus; ita quodammodò & Joannes in ecclesiastica pace sepultus.

B.Petri Damiani Ser. 2 de S. Ioan. Euãgelista, apud Suriũ Tom. 6. sub die 27. Dec.

De beato quoque Thoma Apostolo memoriæ proditum est, quòd Crucis
signo vti solitus esset. Legimus enim in ea Apostolica historia, quæ sub Abdiæ
primi Babyloniæ Episcopi nomine circumfertur, quam sæpè iam in medium
adduximus, quòd Rex vlterioris Indiæ indignatus contra eumdem Aposto-
B lum, quòd pauperibus elargitus esset pecuniam quam ab eo acceperat, vt pala-
tium ipsi Regi ædificaret, vt pollicitus erat (quod tamen in cælis, non autem in
terris ædificandum intelligebat Apostolus) in carcerem illum detrudi iussit.
Quod eiusdem quoque Regis frater iniquè ferens, tantam nimirum pecuniæ
vim adeò infructuosè, vt putabat, absumptam, instabat apud Regem, vt Tho-
mas capite plecteretur: cumque ob grauiorem hinc iracundiam & commo-
tam bilem in morbum decidisset, triduo oculis clausis decubuit, non mandu-
cans, non bibens, non verbum faciens, neque respirans, ita vt omnes eum iam
obijsse putarent. Denique cùm ad se tamquam è graui somno experrectus re-
diisset, rogauit Regem, vt in ditionem suam transferre vellet palatium, quod vir
ille peregrinus (Thomam intelligens) ipsi Regi ædificauerat. Quo sermone ob-
stupescente Rege, cùm sciret Apostolum nullum palatium construxisse; ait illi
frater: Scito, ô Rex, me à duobus viris ductum, ostensumque mihi fuisse pala-
C tium tanta magnificentia, tanto splendore, tanta maiestate, tanta amplitudine,
tàmque excelso ac planè regio immò diuino cultu ornatum, vt nulla hominum
lingua explicari queat. Quare obstupescente me, sciscitantéque à duobus viris
illis, cuiusnam præexcelsum ac planè admirabile palatium illud esset, responde-
runt: Hæc est domus, quam Thomas Iesu Christi seruus Regi fratri tuo ædifi-
cauit. Quamobrem iterùm atque iterùm abs te, ô Rex, humiliter peto, vt pala-
tium illud gratiæ tuæ dono mihi elargiri digneris. Quod cùm audisset Rex, fra-
tri respondit: Si ædificium illud tantopere tibi gratum est, tantumdem pecuniæ
Apostolo dinumera, vt alterum persimile tibi construat. Ego enim domum mi-
hi ipsi extructam, multísque laboribus quæsitam, nemini dabo. Et his dictis, ad
carcerem rectà contendit, & Apostolum liberum dimitti iubens, humiliter
eum precatus est, vt illatam sibi iniuriam ignosceret. Cumque efflagitaret Cru-
cis signum, & inter Christi fideles adscribi; beatissimus Apostolus septem die-
D rum illi indicto ieiunio, cùm de his quæ ad fidem pertinent catechizasset, septi-
mo die illum vnà cum fratre baptizauit.

S. Thomas Apostolus Crucis signo frequẽter quoque vsus.

Abdias Babyloniæ Episc. Apost. hist. lib. 9.

Quinetiam post non multa in eadem traditur historia, quod cùm beatus
Apostolus antedictus mulierem quamdam in adulterio deprehensam, & à
marito peremptam, à mortuis excitasset, percrebrescente miraculorum ab eo
editorum fama, multi è vicinis ciuitatibus properabant, vt eum viderent;
infirmosque, debiles & mancos secum ducentes, illos in plateis ac viis, quà
transiturus erat Apostolus, collocabant, vt eo veniente curarentur. Ipse verò
singulis manus imponens, & Crucis signo consignans, omnes curabat. Ite-
rumque post pauca in eadem ipsa proditur historia, quòd postquam idem san-
ctus Apostolus Thomas quamdam illustrem matronam, nomine Migdo-
niam

Idem Abdias, ibid.

niam Carisij Mesdei Indiarum Regis consanguinei vxorem, de his quæ fidei sunt, per diem integrum erudisset, demum Crucis signo consignatam, domum dimisit. A

Aliud quoque præclarum atque authenticum testimonium habetur de Crucis signo ab eodem sancto Apostolo Thoma adhibito. In historia enim Maffeij rerum Indicarum scriptum comperimus, quòd Indiæ populi in Cranganore, Coromandele, aliisque Indiæ locis à sancto Thoma Apostolo ad Christi fidem olim conuersi, Lusitanis diligenter sciscitantibus retulerunt, non solùm constanti fama, sed veterum annalium suorum monumentis accepisse, quòd cùm idem Apostolus Ecclesiam quamdam extruere cœpisset, & ab idolorum sacrificulis, atque ab ipso Rege Sagamo prohiberetur, accidit vt mare, quod decem ferè leucis ab vrbe tunc distabat, ingentis magnitudinis truncum siue arboris stipitem, vt fit, in littus eijceret. Cumque Rex eamdem materiam in ædificij cuiusdam sui vsus vehementer expeteret, robustos in primis homines illuc destinauit, qui funibus aliisque machinis ad præfixum locum pertrahere conati, non potuêre immanem trabem illam loco dimouere, licet multos etiam elephantos adhibuissent. Quod cùm diuus Thomas accepisset, Regi conditionem obtulit, nimirum si ad templum Deo vero exædificandum, ingentem truncum illum vellet concedere, nullis machinis, nulloque mortalium adiumento, sese protinus ad vrbem attracturum. Cùm autem Rex insanire hominem ratus, per ludibrium annuisset, tum zona, qua Apostolus erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramusculum annexa, Crucis signo tantùm facto, immanis ille stipes diuinæ voluntati obsecutus, protinus è loco se se dimouere cœpit; & ductu sanè perfacili, vniuersa ad spectaculum effusa ciuitate, à sancto Apostolo pertractus est in pomarium, vbi Ecclesiam extruendam statuerat: ibidemque defixa lapidea Cruce, vaticinatus est, cùm ad eum lapidem vsque pertingeret mare, tum nutu diuino è remotissimis Orbis terrarum partibus, candidos homines ad sacrum opus, quod ipse cœperat, perficiendum aduenturos. Neque fefellit prædictio: nam sub Lusitanorum appulsum, loci illius oræ Oceano tum demum allui cœptæ.

Lib. 2. hist. Indicarũ.

B

Vaticiniũ S. Thomæ, defixa Cruce, de Lusitanorum in Indiam aduentu.

C

De sancto Bartholomæo Apostolo pariter legitur, quòd Crucis signum non tantùm adhibere solitus esset, sed temporibus eius memoriæ proditum est, Angelum Dei hominibus præcepisse, vt Crucis signum frontibus suis imprimerent. Dum enim idem Apostolus in quadam Indiarum ciuitate esset, in Regis cuiusdam ditione sita, cui nomen erat Polymius, vbi in amplo templo quodam insignis architecturę idolum Astaroth nuncupatum venerabatur, sanctus Apostolus concionibus, adhortationibus atque miraculis suis Regem ipsum & cunctum populum illum ad Christi Domini fidem amplectendam induxit: cumque imperasset dæmoni, qui in idolo illo habitabat, vt ipsemet eiusdem Astarothis simulacrum confringeret, protinus iussioni eius obtemperans, non statuam illam tantùm, in qua ipse morabatur, in puluerem redegit; sed cetera omnia idolorum simulacra quæ in templo illo erant, comminuit. Porrò cùm idem diuus Bartholomæus templum illud vero Deo dicare atque sacrare cuperet, Angelus Domini visibiliter apparuit, qui per templum idem circumuolans, in quattuor angulis eius digito suo Crucis signum lapidibus insculpsit; populumque allocutus, Dei nomine præcepit, vt idem signum frontibus imprimerent, quod ipse lapidibus insculpserat. Quæ quidem historia, in eo quem diximus Abdiæ Babyloniorum Episcopi libro, luculenter admodum his verbis pertractatur: *Cumque omnes dixissent, Amen, apparuit Angelus Domini splendidus sicut sol, habens alas; & per quattuor angulos templi*

D

Angelus Crucis in frõte signationem homines docuit ipso D. Bartholomæi æuo.

Lib. 8. fol. 100. 2.

A *templi circumuolans, digito suo quadratis saxis sculpsit signum Crucis, & dixit: Hæc dicit Dominus qui misit me: Sicut omnes vos ab infirmitate vestra mundamini, ita mundaui templum hoc ab omni sorde & habitatore eius, quem iussit Apostolus Dei ire in desertum ab hominibus. Prætereà me iussit Dominus, (quem videntes nolite expauescere,) vt priùs ostendam vobis, vt quale signum ego sculpsi in his saxis, tale vos digito facite in frontibus vestris, & omnia mala fugient à vobis.* Eamdem quoque historiam referunt, Episcopus Petrus de Natalibus in Sanctorum Catalogo, & Vincentius Bellouacensis in Historiali speculo.

Nec minùs quàm ceteri omnes Apostoli, sanctus Matthæus Crucis signum adhibere consueuerat. Legitur enim, quòd dum in ciuitate quadam Æthiopiæ moraretur, Naddauer dicta, in qua Rex Æglippus regnabat, quòd ibi duo magi aderant Zaroës & Arphaxat nuncupati, qui incantationibus ac præstigiis Regē ipsum atque vniuersam vrbem illam decipientes, sese tamquam deos venerari B faciebant. Hominum enim gressus ad omne libitum sistebant, & tamdiu illos immobiles quādiu illis collibuisset, defigebant; similiter hominum visum atquè auditum à consueto officio refrænabant; serpentibus imperabant, vt quos volebant percuterent, percussosq; incantationibus sanabant. Itaq; ipse idem sanctus Apostolus in Christi nomine, quos illi figebant, soluebat; quos excæcabant, illuminabat; quibus surditatem intulerant, auditum reddebat; percussosque à serpentibus, Crucis signo persanabat. Quæ Matthæi sancta atque præclara facinora, in antedicta Abdiæ primi Babyloniæ Episcopi historia Apostolica, ad posterorum memoriam diligenti stilo litteris sunt commendata, eademque refert etiam Vincentius Bellouacensis, x. Historialis speculi libro, cap. LXXIV.

Idem Abdias lib. 7. fol. 80.
Miracula [illegible] te Crucis patrata.

Beatissimi quoq; Apostoli Simon & Iudas Crucis signo passim vti consueuerant. De ipsis enim legitur, quòd cùm in Persidē profecti essent, ibi duos magos illos, Zaroës nimirum & Arphaxat, deprehenderunt: qui cùm ex Æthiopia à C sancti Matthæi facie aufugissent, ibi solitis incantationibus ac præstigiis populos fallentes ac dementantes, adorari se tamquam deos à regionis illius hominibus affectabant. Cumque in conspectu Regis, cunctos Aduocatos & Oratores ad magorum ipsorum potentiam experiendam accersitos, adeò mutos effecissent, vt nec nutibus quidem quod mente conceperant indicare valerent, & ob id iidem Aduocati & Oratores à facie Regis confusi & mœrore confecti discessissent; sancti Apostoli Simon & Iudas eis dixerunt: Si ab idolorum cultu vos recessuros, & in Dominum nostrum Iesum Christum credituros nobis promittere volueritis, Crucis signum frontibus vestris imprimemus; & nisi tum magos istos confutaueritis, tunc doctrinam nostram mendacem esse credite. Cumque omnia facturos spopondissent, sancti Apostoli imponentes capitibus eorum manus, Crucis signum frontibus illorum impresserunt. Quo peracto, Aduocati & Oratores abeuntes, de magis illis insignem victoriam D reportarunt. Quæ omnia, prædicta Apostolica historia Abdiæ Babylonici Episcopi fusiùs continentur. Ipsaque eadem Petrus Natalis [a] in Sanctorum Catalogo, & Vincentius Bellouacensis [b] in speculo Historiali prosequuntur.

Itē alia à SS. Simone & Iuda.

Lib. 6. fol. 81.
[a] In Catal. lib. 9. c. 115
[b] In Speculo lib. 10. c. 79

Memoriæ etiam proditum est, sanctum Titum Pauli Apostoli discipulum, & Lucam Euangelistam eiusdem Apostoli socium, Crucis signum adhibere solitos. Legitur enim in ea sanctorum Apostolorum Petri & Pauli passionis historia, quæ sub beati Lini Papæ nomine ad Orientales Ecclesias conscripta reperitur; quòd cùm post eiusdem diui Pauli decollationem duo carnificinæ Præfecti, Longinus nimirum & Megistus, vnaque cum eis Acestus Centurio, qui necis eiusdem sancti Apostoli ministri extiterant, diuino Spiritu afflati, Christianam fidem amplecti decreuissent, ad Titum & Lucam, qui tunc

B.Lini Rõ. Pont. De pass. SS. Petri & Pauli, in Biblioth. SS. Patrum Tom. 7.

SS. Titus & Lucas Crucis signo pariter vsi.

tunc latitantes orationi instantes erant, vt baptizarentur, accesserunt. Quid verò ibi actum sit, hisce verbis in eadem historia proditur: *Titus autem & Lucas ab extasi orationis in se reuersi, videntes Præfectos atque Centurionem, qui ministri necis Pauli fuerant, ad se properantes; humano terrore correpti, in fugam conuersi sunt. Illi verò post eos clamauerunt, dicentes: Non vt suspicamini, beati Dei homines, ideò venimus, vt vos prosequamur ad mortem; sed vt credentes, nos per aquam Baptismatis ad vitam transferatis æternam. Hæc autem audientes ab eis Titus & Lucas, steterunt cum multa lætitia & spirituali gaudio, imponentes eis mox manus, & dantes signaculum sanctificationis perpetuæ: sicque ieiunio vsque ad vesperam præcurrente, baptizati sunt.* Hæc autem, quæ ab eadem Historia excerpta huc transtulimus, refert etiam Vincentius Bellouacensis, libro decimo, capite vigesimo sui Historialis speculi. A

Apocalyp. cap. 2.

Itē S. Antipas martyr.

His addatur sanctus Antipas testis fidelis, cuius diuus Ioannes Euangelista in Apocalypsi meminit, qui sub Domitiano Imperatore Pergami in Asia martyrio coronatus est. Hic enim dum ardenti zelo Euangelium prædicaret, profanumque idolorum cultum vehementiùs insectaretur, cùm dæmones iisdem idolis insidentes præsentiam eius ferre nequirent, publicè obtestabantur se, Antipam exhorrescentes, ciuitatem Pergami derelicturos, neque ciuium illius sacrificia deinceps recepturos. Quamobrem à furente & idololatra plebe correptus, in ardentem æneum taurum iniicitur; quem Crucis signo sese præmuniens, intrepidè ingressus, martyrij gloriosam palmam adeptus est. Cuius agonis stadium stilo prosecutus Simeon Metaphrastes, inquit: *Hæc atque alia multa loquentem, virum iustum corripiunt homines impij; & ad Dianæ templum trahunt, vbi erat statua bouis ænei, quem igne succenso, multo antè inflammarant. In hunc beatum Martyrem coniecerunt. At ille, cùm se Christi signo muniisset; dum huiusmodi cruciatu diu torqueretur, ad hunc modum precabatur.* B

Itaque satis superque sufficienter probatum est, sanctos Apostolos ipsos Crucis signum adhibuisse. Quòd si quispiam nobis obijcere voluerit, Abdiæ Babylonici Apostolicam historiam, quam superiùs adduximus, inter apocrypha deputari, ceteris auctoritatibus, quas coaceruauimus, quæ authentica magis approbatione inniti videntur, quæque pro instituti nostri ratione abundanter sufficiunt, adhærere poterit, Pauli Apostoli in hoc secutus consilium, dicentis: C

1. Thes. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Nos enim contra eorum sententiam, qui eamdem historiam huiusmodi esse autumant, pertinaciter eam defendere non audemus; neque illi adhærere mens est, præterquam in his, in quibus cum aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, quos communis probat auctoritas, concordare comperimus; quod in omnibus ferè locis, quos superiùs adduximus, planè facere conspeximus.

Ritus Cruce signandi ab ipso Christo Apostolis traditus.

Superest nunc vt probemus, sanctos Apostolos Crucis signum à Christo Domino recepisse, & sanctum hunc ritum eodem signo nos consignandi, ab ipso Domino didicisse: cuius probationis onere multorum sanctorum Patrum nullo negotio nos leuat auctoritas. Ipsi enim affirmant eumdem Saluatorem nostrum electis suis Crucis signum tamquam regale sigillum siue tesseram quamdam reliquisse, qua milites sui in frontibus obsignarentur. Inter quos Patres, sanctus Cyrillus Ierosolymitanus, verba illa Zachariæ Prophetæ in persona tunc venturi Messiæ prolata declarans, *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus; & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum;* inquit: *Israëlitæ, salutem quæ facta est per me, reiecerunt. Veniam omnes gentes congregare, & relinquam super illos signum. Ex meo enim certamine, quod habui in Cruce, sigillum regale cuilibet meorum militum dabo, vt ferat in fronte.* Et sanctus D

Zachar. 2.

Catechesi 12. Illuminatorū Ierosolymis.

A ſanctus Cyprianus paucis innuit, immò apertè etiam aſſeruit, Chriſtum Dominum Crucis ſignum in Eccleſia ſua reliquiſſe; ſic enim ait: *Tu Domine Sacerdos ſancte, conſtituiſti nobis inconſumptibiliter potum viuificum, Crucis ſignum, & mortificationis exemplum.* Diuus verò Auguſtinus id etiam apertiùs affirmat hoc modo: *Signum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit.* At ſanctus Hieronymus id ipſum quoque longè clariùs teſtatur, his verbis: *Hoc ſignum Crucis nobis ad Patrem aſcendens Dominus dereliquit, ſiue in noſtris frontibus poſuit, vt liberè diceremus: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Arnobius autem, iure ad Crucis ſignum referens verſiculum illum Pſalmi octuageſimi quinti, *Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine audiuiſti me, & conſolatus es me*; in Chriſti Apoſtolorum perſona ait: *Chriſto aſcendente in cælum, nos Apoſtoli & Diſcipuli eius habebimus ſignum Crucis eius in bono, cum vniuerſis qui credimus; ita vt videant in frontibus noſtris ſignum* B *tuum, & confundantur ſiue viſibiles ſiue inuiſibiles inimici. In ipſo enim ſigno adiuuas, & in ipſo conſolaris nos.* In Serm. de paſs. Domini. In Pſal. 30. prope fin. In Iſaiæ cap. 66.

At quorſum enitimur tot ſanctorum Patrum auctoritates afferre, vt probemus Chriſtum Dominum Crucis ſignum ſanctis Apoſtolis ſuis dediſſe ac reliquiſſe, cùm diabolus etiam ipſe diuina compulſus potentia, id ipſum apertè faſſus ſit? Legimus enim in Actis ſancti Bartholomæi Apoſtoli, dæmonem quemdam qui in idoli Aſtaroth nuncupati, cuius ſuprà meminimus, ſimulacro nidum ſibi parauerat, ab eodem Apoſtolo adiuratum; cùm multa alia de Chriſto Domino, tum hoc etiam liberè faſſum eſſe. Cuius dæmonis verba inter ceteros refert Vincentius Bellouacenſis, in ſuo Hiſtoriali ſpeculo, in hunc modum: *Chriſtus*, inquit, *mortem captiuauit, & principem noſtrum mortis vinculis igneis vinxit, & tertia die victor mortis & diaboli reſurrexit. Et dedit ſignum Crucis ſuæ Apoſtolis, quos per vniuerſas ſæculi partes miſit;* C *ex quibus eſt vnus hic qui me vinctum tenet.* Sic igitur Saluatoris noſtri infinitæ potentiæ ac bonitati vtinam ſit placitum, impium & dirum hoſtem hunc, iam ab ipſo in Cruce deuictum, arctioribus vinculis adeò compeſcere, vt nemini Chriſti fidelium vmquam nocere poſſit; his verò præſertim, qui recta & firma fide, Crucis ſigno piè ſeſe armantes, ab inſidioſis atque letiferis inuaſionibus eius præcauere ac ſe cuſtodire nituntur. Amen. *Ipſe dæmō, licet inuitus, ſigni Crucis à Chriſto traditi teſtis.* Lib. 10. cap. 84. ex Theodoro.

CAPVT IV.

Quòd quemadmodum ſanctus hic ritus Crucis ſigno nos conſignandi, ſanctorum Apoſtolorum dogma fuit, ſic traditione eorum non ſcripta, in ſancta Eccleſia Catholica perſtitit: nam ſancti D *Patres, ac ſacri Doctores, ſummis illum laudibus efferentes, non ad ſuum profectum tantùm adhibuère; ſed Chriſti fideles etiam ad eumdem crebris vſibus piè frequentandum enixè adhortati ſunt.*

SANCTI Apoſtoli, qui à Chriſto Domino & Saluatore noſtro, ſub diui Petri auctoritate ſuprema ac generali quadam moderatione ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, quam proprio ſanguine acquiſiuit atque fundauit, Rectores, Gubernatores, & Epiſcopi conſtituti ſunt (quibus ipſe dixit; *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos: & qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.*)

cùm iuxta tributam ipsis auctoritatem, præceptaque ac regulas quas ab eodem Domino nostro acceperant, diuinum cultum instituere, atque Euangelicas leges firmare statuissent, post ipsius Domini ascensionem, fidelium cœtu in ordines & gradus distributo, singulis ordinibus officia propriamque viuendi normam dederunt, sacraque, cærimonias, ritus, mores, preces, orationes, ieiunia, obseruationes, ac solemnia omnia quæ in Ecclesia seruanda erant, instituerunt. Hæc verò omnia iidem sancti Apostoli in Ecclesiis, in quibus Euangelium nuntiauerant, voce & verbis tradidêre: quamquam aliqua etiam & per epistolas præceperint; quæ tamen non ita multa sunt. Etenim pleraque voce ac verbis, vt diximus, & sine scripto ab eisdem sunt instituta. Quamobrem Paulus ad Corinthios scribens, cùm pauca quædam per eamdem Epistolam statuisset, inquit: *Cetera autem cùm venero, disponam.* Et ad Thessalonicenses ait: *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* A

Quædam, teste Paulo, sine scripto Ecclesiis tradita: B

Ex quibus verbis clarè percipitur, dogmata, ritus & obseruationes Ecclesiasticas, partim scripto, partim verò voce ac sine scripto, vt dictum est, à sanctis Apostolis institutas fuisse. Quocircà sanctus Basilius meritò inquit: *Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ vtraque eamdem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet.* Et postquam idem Basilius traditiones quasdam non scriptas, aliosque ritus qui sine scripto in Ecclesia obseruabantur, recensuisset, ibidem pro exemplo adducit Crucis signum, tamquam consuetudinem quamdam cunctis Christi fidelibus notissimam, atque vsibus frequentatissimam, quam scripto nemo docuerat; inquit enim: *Velut, verbi gratia, vt eius quod primum ac communissimum est, primam mentionem faciam, figura Crucis signari eos, qui in nomen Domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto docuit?* Quæ verba à Gratiano etiam in Decreto referuntur. C

De Spiritu sancto, c. 27

Distinct. 11 cap. Ecclesiarum.

Atque in his signum est Crucis.

Sanctæ igitur Crucis signum, vnum ex insignioribus documentis fuisse constat, quæ sancti Apostoli non voce tantùm, sed vsu & opere sine scripto Ecclesiæ tradiderunt; vt superiùs satis superque probauimus. Quòd si etiam rei huius nullum testimonium aut probationem teneremus, omnino tamen pro constanti proculdubiò habendum esset, hanc Apostolicam traditionem extitisse. nam vt Augustinus inquit: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Hoc autem dogma Crucis signo se consignandi, ex Christi Domini præcepto, sancti Apostoli ad id non tantùm fidelibus tradidere, vt eo se contra diaboli inuasiones & insidias communirent; sed vt Cruce se consignantes, meminisse deberent, & iugiter memoria retinerent, Christi Domini seruos & sectatores ad carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendam teneri. Quamobrem inquit Apostolus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Ad quod sanctus Cyprianus alludere voluit cùm dixit, Christum Dominum Crucis signum in mortificationis exemplum nobis reliquisse, vt superiùs dictum est. D

Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. To. 7.

Galat. 5.

Fructus seu vtilitates frequenter se Cruce signandi.

Volueruntque sancti Apostoli, vt Christi fideles Crucis signo crebris vicibus se consignarent, quò scirent & intelligerent, veterem hominem nostrum, id est, præteritos prauos actus nostros vnà cum Christi humanitate Cruci suffixos fuisse, vt per bona opera & fidem Catholicam, omnium peccatorum corpus

A pus & vniuersitas destrueretur, ita vt peccato vlteriùs non seruiremus; iuxta quod idem inquit Apostolus: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati; vt vltrà non seruiamus peccato.* Rom. 6. Voluerunt prætereà iidem sancti Apostoli, vt Crucis signo nos frequenter consignaremus. quia, vt inquit Augustinus, *signo Crucis omnis actio Christiana describitur: benè operari in Christo, & ei perseueranter inhærere; sperare cælestia, Sacramenta non profanare.* De Doctr. Christ. l. 2. cap. 41.

Crux Ecclesiæ sanctæ data est in signum, non secùs ac Synagogæ Circumcisio. Quemadmodum enim Hebræi circumcidebantur, vt se ex populo electo, à Deo non diuisos, & ceteris populorum nationibus dissimiles esse ostenderent; sic Crucis signo nos consignamus, vt Christianos, Christoque Domino coniunctos, & ab infidelibus segregatos nos ostendamus. *Hæc Crux*, inquit Damascenus, *nobis in signum data est super frontem, quemadmodum Israëlitis Circumcisio.* Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 12. B *Per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus & discernimur.* Quin etiam Hebræorum carnalis circumcisio, spiritualis huius circumcisionis vmbra & figura fuit, qua verus Dei populus electus per Crucis signum vsurus erat. Sicut enim populus ille carnalis, cui omnia mysteria in occulto, id est, sub vmbrarum ac figurarum velo tradita fuère, circumcidebatur in carne, quæ erubescentiæ & honestatis causa latenter defertur: sic populus spiritualis, postquam vmbræ & figuræ reuelatæ sunt, Crucis signo palàm fronti impresso, quæ erubescentiæ vera est sedes, spiritualiter circumciditur; non carnem quidem, sed vitia atque peccata præcidens. Ad quod sanctus Augustinus alludere voluit, cùm dixit: *Signum veteris Testamenti, circumcisio in latenti carne; signum noui Testamenti, Crux in libera fronte: ibi enim occultatio est, hîc reuelatio; illud sub velamine, hoc in facie.* In frag. 27. Serm. De verb Apost. ad Galat. 6. Tom. 10.

Hæc autem vera est cordis circumcisio, quâ verus Dei populus adhibiturus erat, sicut iam Moyses prophetauit, cùm dixit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor* Deuter. 30 C *tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua.* In cuius spiritualis circumcisionis præsignificationem, Hebræi carnis præputium cultro lapideo Christum designante præcidebant: petra autem erat Christus; in quo nos modò circumcidimur, circumcisione non manu facta, qua carnes quidem præcidamus, sed carnis opera, id est, omnem immunditiam ac peccatum resecantes & abiicientes: *In quo circumcisi estis*, inquit Apostolus, *circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.* Coloss. 2.

Hoc igitur sacrosanctum salutis, spiritualisque circumcisionis, & perpetuæ cum Christo ac sancta Cruce coniunctionis signum, quemadmodum Christo Domino iubente, à sanctis Apostolis ob eas quas diximus causas atque vtilitates traditum est, sic à sancta Ecclesia Catholica, summa omnium veneratione ac pietate adscitum fuit. Cuius rei prisci sancti Patres, sacrique Doctores Ec- D clesiastici luculentissimum dant testimonium: ipsi enim summis laudibus illud efferentes & approbantes, non ad ipsorum profectum tantùm eo vsi sunt, sed quàm maximo fieri potest studio & efficacia, Christi fideles adhortati sunt ad illud piè crebris vsibus adhibendum. Quorum paucas auctoritates quasdam pro veritatis huius demonstratione & confirmatione in piorum Lectorum gratiam hoc loco in medium afferemus. Paucas quasdam, inquam: nam si omnia quę ad institutum hoc sancti Patres scripto commendarunt, huc transferre vellemus; capitulum hoc in integrum volumen conflari opus esset. Et vt ab antiquioribus incipiamus, prima omnium illa sit sancti Martialis Christi Domini discipuli auctoritas, qui vnà cum Cleopha ministrauit in vltima Cœna, quam Dominus fecit cum discipulis suis, & vt ipse testatus est, ad Tolosanos scribens, Ad Burdegal. epist. 1. cap. 2. & ad Tolosanos ep. 2. c. 13.

bens, adfuit, ac tremens intuitus est, cùm Iudas illi osculum dedit, & à Iudæis captus est; nec non cum ceteris interfuit, cùm Dominus Lazarum à mortuis excitauit, & cùm ad cælos ascendit; & diuum Petrum Apostolorum Principem Romam vsque secutus, ab eo in Aquitaniam ablegatus est, & Lemouicensium Episcopus destinatus; vbi postquam populos illos ad Christi fidem adduxisset, clarus miraculis, in summa sanctitate vitam duxit, ac demum ad cælos euolauit. Is igitur ad Burdegalenses scribens, efficacissimis suasionibus vrgentissimisque rationibus illos adhortatus est & obsecrauit, vt Crucem Christi, ac beneficia quæ per ipsam accepimus, semper memoria retinerent, summisque illam laudibus prædicarent ac celebrarent; ita vt Crucem in mente & in ore iugiter haberent, ac signo eius se frequenter communirent; inquit enim: *Crucem Domini in quem credidistis Deum verum, & Dei Filium, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux Domini armatura vestra inuicta contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo, cælestis victoria data est nobis; & per Crucem Baptisma Dei sanctificatum est.* A B

S. Martialis Christi discipulus quanti signũ Crucis fecerit.

AdBurdeg. Ep 1. ca. 8. In Biblioth. SS. Pat. Tomo 3.

Et S. Cyrillus Ierosolymitanus Christi fideles adhortatus est, vt manducantes, bibentes, sedentes, stantes, loquentes, euntes, & vt summatim dicam, in omni actu ac negotio, sanctæ Crucis signo se communirent, dicens: *Fac autem hoc signum Crucis & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa, in omni tuo negotio.* Et alibi subdit: *Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur; & in aliis omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis; in egressu & in ingressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur; sine labore, propter infirmos; cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum.* Et vt declararet, quánam de causa sacrosanctum hoc signum sit terror dæmonum, etiam subiunxit: *Triumphauit enim de illis in hoc signo; ostenta illud audacter. Quando enim viderint Crucem, recordantur Crucifixi: metuunt enim eum, qui contriuit capita draconis. Neque propterea quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum; sed ideò magis venerare Benefactorem.* C

Item SS. Patres Crucis signum passim prædicarunt.

Cathech. 4. Illuminat. Ierosol.

Cathech. 13 Illuminat. Ierosol.

Diuus autem Ioannes Chrysostomus, iure planè improbans & carpens inanem quamdam superstitionem, quam in locis quibusdam prisci Christiani obseruabant; apud quos vsu receptum erat, vt nutrices infantium frontes argilla illinirent, arbitrati in eo fascinationes & veneficia repellendi ac dissoluendi vim inesse, ita vt inuidus ac toruus oculus illis nocere non posset; postquam in abusum illum vehementiùs inuectus esset, subdit: *Quòd hæc fiant apud Græcos, non est mirum: quòd autem apud eos qui Crucem adorant, & sunt mysteriorum arcanorum participes, & tot ac tanta philosophantur, hæc vigeat turpitudo, hoc est valdè lugendum. Deus te vnguento honorauit, tu autem te probro & dedecore afficis: & cùm oporteret fronti Crucem imprimere, quæ certam & indubitatam præbet tutelam, tu his dimissis, ad satanicam deturbaris amentiam?* Et cùm turpem superstitionem illam multis sermonibus insectatus esset, vt doceret eos, quid loco illius facere tenerentur, adiecit: *Non hæc faciatis, ô fratres, sed ab ineunte ætate eum munite armis spiritualibus, & manu erudite frontem signare. Et priusquam hoc possit manu propria facere, vos ipsi Crucem ei imprimite.* D

In Epist. ad Cor. 1. c. 4. Orat. 12. Tom. 4.

Sanctus autem Ambrosius magna planè charitate Christi fideles docuit, vt cùm è lecto surgerent, Christo Domino gratias agerent, atque vt omne opus, quod in dies facerent, præuio signo Crucis aggrederentur: eosque qui ad Christi fidem nuper accesserant allocutus, inquit: *Debemus ergo surgentes, gratias Christo*

Serm. 43. Tom. 5.

A *Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. Nónne cùm adhuc Gentilis esses, solebas signa perquirere? quæ signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Jam nunc nolo erres in numero: scito quia in vno signo Christi, omnium rerum est tuta prosperitas. Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ. qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad cælum vsque perueniet.* Quæ omnia idem ipse etiam de verbo ad verbum replicauit in eo Sermone, quem in Malachiæ Prophetæ caput primum edidit.

Augustinus autem Catechumenos erudiens in his quæ ad Catholicam fidem & Symbolum Apostolicum pertinent, illos admonitos esse voluit, vt si, postquam Symbolum contra antiqui serpentis venenum didicissent, denuò aduersarius noster insidias in eos tendere niteretur, Symboli remedio & Crucis vexillo præmuniti illi occurrere non vererentur. quandoquidem Christianus hisce armis instructus, paruo negotio vincit. *Purgata itaque*, inquit, *familia* De Symbolo ad Catechumenos, lib. 2. cap. 1. Tom. 9.
B *Redemptoris, posteaquam cantauit canticum salutis, accepit Symboli remedium contra antiqui serpentis venenum: vt si quando voluerit aduersarius diabolus denuò insidiari, nouerit redemptus cum Symboli sacramento & Crucis vexillo ei debere occurri; vt talibus armis indutus, facilè vincat Christianus.* Et alibi idem Augustinus, siue quicũq; alius tractatus illius auctor inter eius Opera typis excusi, cui titulus est, De rectitudine Catholicę conuersationis, vehementi efficacia Christi fideles adhortatus est, vt Christum Dominum assidua recordatione in mente retinerent, & sanctæ Crucis signum in fronte frequenter imprimerent; *Hæc*, inquit, *fratres considerantes, pariter & qui præestis, in Dei timore vos solidate; retinete quæ dicta sunt, facite quæ præcepta sunt, habete semper Christum in mente, signum eius in fronte facite: scitote quia multos aduersarios habetis, qui cursum vestrum impedire festinant. Ideò in omni loco, omni hora, Crucis signo vos armate, Crucis memoria vos munite; vt possitis sagittas maligni ardentes extinguere.* Et posteà subdit: *Porrò magna res est* De rectitudine Catholicæ cõuersat. Tom. 9.
C *signum Crucis, & Crux Christi, sed illi soli prodest, qui facit mandata Christi. Vt ergo vobis prosit, præcepta eius totis viribus adimplere contendite. Et siue sedetis, siue ambulatis, siue manducatis, siue bibitis, siue in lectum ascendatis, siue à stratu surgatis, iugiter signum Christi muniat frontem vestram; vt vos semper memoria Dei vigilantes protegat, & in sopore custodiat, & quoties in nocte excitati fueritis, & somnus euolauerit, mox labiis signum Crucis occurrat, mensque orationibus occupetur.* *Crux illi soli prodest qui nititur præcepta Dei adimplere.*

Hieronymus verò, cùm permultos diuinæ Scripturæ locos Demetriadi virgini adduxisset, quibus illam ad virginitatis obseruantiam inflammaret & confirmaret; denique eam adhortatus est, vt frontem Crucis signo sæpè consignaret, inquiens: *Hæc cursim, quasi de prato pulcherrimo sanctarum Scripturarum paruos flores carpsisse sufficiat pro commonitione tui, vt claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam; ne exterminator Ægypti in te locum reperiat.* Adhortatus est ipse pariter virginem Eustochium, vt ad omnem actum Ad Demetriadem, De virginitate seruan. c. 6.
D & progressum suum, Crucis signo se communiret: *Ad omnem*, inquit, *actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Hæc ille. Idque hactenus dixisse sufficiat, ad pietatem & venerationem demonstrandam, qua sancti Patres Crucis signi vsum adsciuerunt; atque vt propalàm, & ante omnium oculos prolatum sit, quanta pietate, quantoque studio Christi fideles adhortentur, vt eodem crebris vicibus sese communiant. Sic vtinam infinitæ bonitati & misericordiæ illius sit placitum, qui in hoc sacrosancto signo seruatos nos esse voluit, vt eorumdem sanctorum Patrum salubres admonitiones & integerrima consilia secuti, adeò frequenter atque deuotè consignemur, vt tali signo in æternum obsignati reperiri mereamur in cælis. Amen. Ad Eustochium, De custod. virginitatis, epist. 22. c. 1. To. 1.

A

CAPVT V.

De sanctæ Crucis signi virtute & potentia, sanctorum Patrum auctoritate ac testimonio comprobata.

IAM inde à magni Moysis Prophetæ, Israëliticique populi Legislatoris & Principis temporibus, sanctæ Crucis signum, in eorum beneficiorum præsignificationem, quæ Dei populus per ipsum accepturus erat, virtutem ac potentiam suam prodere cœpit. Dum enim Israëlitæ, ductu Iosue, aduersus Amalec Amalecitarum Regem periculoso atque terribili prælio aperto Marte dimicarent, Moyses montem ascendens (vnde horribilis conflictus patens conspectus erat) brachia in Crucis formam extendit: atque in ea corporis positione, pro Hebræorum victoria Deum precabatur. Accidit autem, vt dum firmus B & constans in eo signo brachia retineret, Israëliticus populus hostes superaret; sin verò defatigato corpore, vel mente distracta, illa demitteret, atque ab eo signo dimoueret, Amalecitarum exercitus, resumptis viribus, præualeret. Cuius mysteriis atque figuris refertissimi facinoris significationem iam superiùs explicauimus, dum egimus de sanctæ Crucis figuris quæ veteri Testamento continentur. Summatim autem illud innuere volebat, Crucis signum à fideli populo viua nunc fide, ac dulcis nobis, hostibus autem terribilis nominis IESV inuocatione adhibitum, vim atque potentiam quandoque nacturum, infernalem Amalec antiquum ac perpetuum hostem nostrum, vnà cum totius exercitus nequissimorum spirituum robore prosternendi ac profligandi. Quod Iustinus Martyr innuere voluit, dum admirabilis huius facinoris mysticam significationem explicaturus, inquit: *Cùm populus bellum gereret aduersus Amalec, & Naue filius Iesu nomine cognominatus inter primos pugnaret, Moyses ipse Deum orabat, manibus vtrimque expansis: Hur autem & Aaron eas die toto sustinebant, ne ipso defatigato demitterentur. Nam si quidquam remittebatur de signo isto Crucem imitante, prout in Moyse litteris est scriptum, populus vincebatur: sin in statu isto permanebant, Amalec superabatur. Et qui fortis erat, per Crucem fortis, rem præclarè gerebat. Non enim propterea quòd Moyses ita orabat, populus in prælio superior erat; sed quòd nomine* IESV *in prima acie versante, ipse Crucis signum designabat.* C

Israël hoste superat, dũ Moyses brachiis in Crucis formã extensis Deum precatur.

In Dialogo cũ Tryphone Iudæo.

Hoc idem ipsum etiam innuere voluit sanctus Cyprianus, qui de Crucis signi virtute ac potentia differens, cùm eadem ferè verba protulisset, quæ Iustinus scripto iam commendauerat, subdit: *Hoc signo Crucis & Amalec victus ab Iesu per Moysen.* Quasi diceret, Amalec à Iosue deuictum per Crucis signum, quod Moyses figurabat. Et alibi idem Cyprianus, vt ostenderet quanta Crucis signi virtus sit ac potentia, inquit: *Iam videt Hebræus, & quicumque de seruitute Ægyptia ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quòd sanguis Christi efficaciùs quàm sanguis agni illius, quem in Ægypto Israël immolauit, contrarias abigat potestates: cuius hodie tanta est auctoritas & potestas, vt non solùm Israëlitica limina muniat, sed etiam his qui Israëliticè non viuunt, solùm sacramenti signum repellat dæmonia; & vbicumque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis virtus & sanguinis nota.* D

Testimon. aduerſ. Iudæos, lib. 2. ad Quirinũ cap. 21.

De passione Christi.

Crucis signum terror dæmonum.

Origenes quoque vt innueret quanta sit Crucis signi virtus atque potestas, ait: *Quid timent dæmones? quid tremunt? Sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signum in nobis viderint Crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius, quod Dominus expandit in Cruce; sicut dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter*

De cantico quod cantauit Moyses cum populo, & Maria cum mulieribus.

tremor

A *tremortuus veniet super eos, nisi videant in te Crucem Christi; & nisi & tu poteris dicere: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domiui nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Et alibi subdit: *Est enim tanta vis Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentis oculis mentis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia; sed continuò ad eius præsentiam, totus ille quem suprà enumerauimus, peccati & carnis fugatur exercitus.* Idem in Epist. ad Roman lib. 6. in princip.

Optimè admodum magnus ille sanctus Antonius Crucis signi virtutem & potentiam agnouit. Dum enim eum dæmones in eremo inclementer verberarent, ac superbissimè comminarentur, in Domino atque in Crucis signi potentia confidens, perinde ac si imbecillitatem & impotentiam illorum exprobrare vellet, dicebat eis: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum; deuorate concessum: si verò non potestis, cur frustrà nitimini? signum enim Crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis murus est*. Deinde verò monachos suos allocutus, illosque monitos esse volens eius malitiæ, peruicaciæ, & calliditatis qua in Sanctos ac Dei seruos tentandos, oppugnandosque & inuadendos, dæmones vti solent, dicebat eis: *Solent dæmones saucij grauiùs assurgere, & mutata arte pugnandi, cùm in cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent; assumentes nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentium formas; nec non & ingentia quædam corpora, & vsque ad tectum domus porrectum caput, infinitas species, & militum cateruas. Quæ omnia ad primum quodque Crucis signum euanescunt. Solent dæmones*, subdit, *nocte venientes, Angelos se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri. Quos cùm videritis, tam vos quàm domos vestras Crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui*. Hæc omnia refert sanctus Athanasius in eiusdem diui Antonij vita, ab eo diligentissimè conscripta; quam Ruffinus Aquileiensis[a], primo libro ex duobus, quos ad Eusebij Cæsariensis Historiam adiecit, Socrates[b] in Ecclesiastica historia, Nicephorus Callistus[c], alijque scriptores auctoritate grauissimi approbant.

Athanasius in vita S. Antonij.

B

Omnes dæmonũ fraudes superãtur Cruce.

C

[a] Hist. lib. 10 cap. 8.
[b] Lib. 1. c. 17.
[c] Lib. 8. c. 40

Lactantius verò Firmianus, vt ostenderet quanta sit Crucis signi vis atque potentia, post cetera huius generis permulta ad institutum hoc prolata, de eo sic tradit: *Nunc satis est*, inquit, *huius signi Crucis potentiam, quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus, hoc sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, aufugiant. Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, & nomine Magistri sui & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio: nam cùm dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant; Nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpè causa præcipua iustitiam persequendi malis Regibus fuit: cùm enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugauerunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent aruspices, instigantibus ijsdem dæmonibus, quibus prosecrant, conquerentes, profanos homines sacris interesse, egerunt Principes suos in furorem, vt expurgarent templum dei, seque vero sacrilegio contaminarent; quod grauissimis persequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc cæci homines intelligere possunt, aut hanc veram esse Religionem, cui ad vincendum tanta vis inest; aut illam falsam, quæ subsistere aut congredi non potest. Sed aiunt hoc deos non metu, verùm odio facere: quasi quisquam possit odisse, nisi eum qui aut noceat, aut possit nocere. Immò verò congruens maiestati fuit, vt eos quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potiùs quàm fugerent. Sed quoniam neque accede-*

De vera sapientia, l. 4. cap. 27.

D

re ad eos possunt, in quibus cælestem notam viderint; nec ijs nocere, quos signum immortale munierit tamquam inexpugnabilis murus, lacessunt eos per homines, & manibus persequuntur alienis. A

Sanctus autem Athanasius eiusdem signi Crucis virtutem demonstrat his verbis: *Post Crucis aduentum, omnis simulacrorum cultus summotus est, omniaque dæmonum præstigia hoc signo propelluntur.* Et alibi hoc etiam adiecit: *Olim dæmonia inani specie, ludibriisque rerum intricabant homines; insessis alibi fontibus, alibi fluuiis, lapidibus, aut lignis; atque ista præstigiis fatuos in stuporem agebant. Nunc verò cum apparuit Dei Verbum, spectra huiusmodi & ludibria imaginum cessauerunt: solo enim Crucis signo vtens homo, dolos illorum à se propellit.* Et in eodem tractatu subdit: *Signo autem Crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola vniuersa deserta relinquuntur, omnis irrationabilis voluptas conquiescit, quilibet è terra ad cælos suspicit.*

In Oratione cōtra idola

De Incarnatione verbi Dei.

Ibidem.

Crucis quoque signi virtutem celebrauit sanctus Cyrillus Ierosolymitanus his verbis: *Trophæum Iesu salutare Crux omnes congregauit. Hoc Persas seruire fecit, hoc Scythas cicurauit, hoc Ægyptios à cattis, & canibus, & varijs erroribus ad Dei cognitionem adduxit; hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum incantationumque auertit imposturas.* B

Catech. 13. in fine.

Animaduertens sanctus Gregorius Nyssenus, Crucis signo spirituales & corporales infirmitates curandi vim inesse; magna efficacia, multa charitate, atque ardenti studio homines ad Crucis signo se consignandos adhortabatur & impellebat, cùm inquit: *Est enim simplex applicatio, & à Deo missum donum, & magnus reuerà euentus; absque vlla vstione & sectione à diuturnis liberari vulneribus quæ passi sumus, à morsu serpentis. Venite ergo qui malis affecti estis, ad vestram curationem; neque rem negligatis: morbus enim diuturnus & inueteratus artem superat & curationem. Pauperes & egentes festinate ad distributionem donorum regalium, oues ad signaculum & Crucis signum, quod malis opem fert & remedium.* C

Aduersus eos qui differunt Baptismum.

Crux, leuissima omnium malorũ curatio.

Loco scuti, ait sanctus Ephrem Syrus, *Crucis signo te ipsum muni, signans eo membra tua omnia. Neque verò sola manu te signes, sed etiam animo; & studia tua, & ingressum tuum, & exitum tuum, & lectulum tuum, & quæcumque pertransis, signa primùm in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: validissima quippe eiusmodi armatura est; nullusque tibi vmquam nocere poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni Regis signaculum defert, eum lædere nemo audet; quanto magis nos, qui tale cælestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus? Hisce ergo armis, mi frater, affatim vtere; sunt enim vehementer contraria telis inimici: immò & potiùs gladio & amarissimæ scilicet grauissimæque iracundiæ. Huiusmodi quippe velut anceps gladius, vno momento perimit eum, quem percutit; sicut scriptum est: Momentum enim furoris, ruina illius. Ideò, mi frater, numquam signare negligas, & laqueos destruas, quos tibi tetendit diabolus; scriptum quippe est: In hac via qua ambulabam absconderunt laqueum mihi. Hoc igitur te signo assiduè munias, & malum non appropinquabit spiritui tuo.* D

De Panoplia.

Ecclef. 1.

Psalm. 139.

Quanta etiam sit Crucis signi virtus, diuus Ambrosius innuit, cùm dixit: *Virtus Dei est, quæ inuitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum peccata donat, & iustificat; vt à secunda morte detineri non possit signatus mysterio Crucis. Prædicatio enim Crucis Christi, indicium est mortis euictæ, dicente Apostolo Ioanne: Ad hoc enim venit Filius Dei, vt solueret opera diaboli, vt omnis credens non teneatur à morte; quia signum habet quo victa mors est.* Sanctus autem Ioannes Chrysostomus fusiùs ac longè etiam apertiùs nos docuit vim Crucis signi, his verbis: *Pretium Crucem appellauit, quam non simpliciter digito, sed magna profectò fide in mente priùs formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestissimorum dæmonum,*

In Epist. ad Rom. cap. 1 Tom. 3.

In Matth. c. 16. Ho. 55 Tom. 2.

A *monum, cùm hastam videat, quo letale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur; quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draconis magno ictu rotauit?* Et paulò inferiùs, vt præcisè magis nobis insinuaret, quantam vim & potentiam signum Crucis obtineat, subdit: *Hoc signum, & priscis & nostris temporibus clausas ianuas reserauit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ vim dissoluit, hoc feroces bestias repressit, hoc letales serpentum morsus curauit. Etenim si portas inferni perfregit, si cælorum ostia reclusit, si paradisi renouauit ingressum, si diaboli neruos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque huiusmodi superauit? Hoc igitur in mente tua insculpe, & animarum amplectere salutem.* Ibidem. *Cedũt Cruci & vis veneni & ferocitas bestiarum.*

Denique vt capiti huic finem imponamus, sanctus Augustinus, siue quicumque alius Sermonis illius auctor extiterit, quasi causam proditurus, qua B prisci Christi fideles crebris adeò vicibus Crucis sese consignarent signo, inquit: *Hoc Crucis signum cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit: & quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cum fideli inuocatione nominis Christi, victoriosæ Crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem Crucis exponere.* Hæc ille. Et quia planè longum prorsus esset, cunctas sanctorum Patrum auctoritates, quæ de sanctæ Crucis virtute atque potentia testimonium perhibent, hoc loco coaceruare; cùm pro capituli huius periocha satis superque sint quæ hactenus adduximus, eidem capiti cum signo Crucis finem imponemus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ser. 19. De Sanctis, in Appendice De diuersis, Tomo 10. Serm. 75.

CAPVT VI.

C

De sanctæ Crucis signi virtute miraculis quàm plurimis commonstrata.

CVM præcedenti capite, multorum sanctorum Patrum auctoritate ac testimonio suffulti, qualis quantáque Crucis signi virtus sit, ex parte ostenderimus; nunc consequentia ipsa & rerum concinnus ordo exigere videtur, vt quanta illa sit, ex multis miraculis, quæ sancti & amici Dei, diuina illos prosequente gratia, per hoc sacrosanctum signum ediderunt, prodere studeamus. Quoniam verò superiùs, dum in eam probationem incumberemus, sanctos nimirum Apostolos ipsos Crucis signum adhibuisse, quædam insigniora miracula per eiusdem sacri signi virtutem ab eisdem edita necessariò recensuimus (quæ capitis huius præcipua materia reuerà esse videbatur) ideò materiæ eius-D dem continuationem per temporum seriem nunc aggressuri, exordium sumemus à quibusdam sanctis eorum discipulis, qui cùm illis edocentibus didicissent, sanctæ Crucis signum viua fide, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti delineatum, miraculorum patrandorum diuinam in se continere virtutem, sanctè illud adhibentes, res quibus omnium sæculorum ætates iure obstupescant, ad suum proximíque profectum effecerunt. Inter quos omnium primus nobis occurrit sanctus Apollinaris diui Petri discipulus; qui cùm Romæ ab eodem beatissimo Apostolorum Principe primus Rauennæ Episcopus ordinatus, eò ablegatus esset, non procul ab eadem vrbe, in domum militis cuiusdam Irenæi nuncupati diuertit. Huic filius erat cæcus, quem ad se accersitum, Crucis signo oculis eius manibus imposito, illuminauit. Qu od admirati parentes illius,

illius, in Christum credentes, ab eodem Sancto baptizati sunt. Cuius miraculi A Ado Treuerensis Archiepiscopus suo in Martyrologio præcipuam commemorationem hisce verbis prosequitur: *Decimo Kalendas Augusti, apud Rauennam, natale sancti Apollinaris Episcopi. Hic Romæ ordinatus à beato Petro Apostolo, Rauennam directus est. vbi cùm peruenisset, non longè ab ipsa vrbe mansit apud quemdam militem Irenæum nomine, cuius filius erat cæcus: quem ad se perductum, facto signo Crucis illuminauit; ac sic parentes illius postmodum baptizauit.* Eiusdem miraculi meminit etiam beatus Petrus Damiani, in secundo Sermone in festo eiusdem Sancti ab ipso edito, qui typis cusus est inter eas Sanctorum Vitas, quas collegit Surius Tomo quarto, Episcopus Petrus Natalis[a] in sanctorum Catalogo, idemmet Surius[b], & alij plerique.

Crucis virtute cæcus à S. Apollinare illuminatus:

[a] In Catal. lib. 6. c. 128.
[b] To. 4. sub die 23. Iulij.

Beatus Martialis eiusdem etiam Apostolorum Principis sectator & consanguineus, cuius in superioribus meminimus, cùm ab eodem in Aquitaniam missus, Lemouicensiumque esset ordinatus Episcopus, ingenti in eadem vrbe B infirmorum congregata multitudine, facto super eos Crucis signo, omnes persanauit. Quod miraculum litteris diligenter admodum commendauit Aurelianus, eius in eodem Episcopatu successor, quem ipse à mortuis suscitauerat, in ea quam de eiusdem sancti Martialis Actis conscripsit historia; inquit enim: *Beatissimus Martialis eadem hora congregare fecit ad se cunctos ægrotos ac diuersis infirmitatibus languentes; & facto signo Crucis super eos, cunctos reddidit sanos.* De Actis sancti Martialis in eadem historia contentis, præcipuè meminit Innocentius Papa Tertius, in Extrauaganti De sacra vnctione, circa finem; nomine tamen auctoris non prodito: & demum hisce temporibus de eisdem meminit Cardinalis Baronius in suis ad Romanum Martyrologium Notis, sub Iunij die trigesima.

Plurimi infirmi à beato Martiale sanati:

Post hunc nobis occurrit sanctus Prosdocimus, natione Græcus, clarus natalibus, & litterarum ornamento conspicuus; qui adhuc adolescens, vnà cum diuo Marco Euangelista & sancto Apollinare Antiochiam profectus, sancti C Petri discipulorum numero aggregatus, illum Romam vsque secutus est. A quo vt Apollinaris Rauennam, Martialis in Aquitaniam, & alij aliò, ad Euangelium Gentibus prædicandum, sic ipse Patauij Episcopus ordinatus, eò directus est. Vbi statim in eius vrbis ingressu, ingentem infirmorum numerum sanitati restituit. Cuius virtutum fama ad Vitellianum eiusdem ciuitatis Regulum perlata, qui graui morbo quodam oppressus, iam inde à mensibus multis in strato decumbebat, illum ad se accersiri iussit. Ipse verò Prætorium ingressus, Crucis signo illud statim consignauit; & ad Principis conspectum introductus, sciscitanti illi num sanitatem sibi restituere valeret, respondit, quòd si idolorum cultui renuntiare in animum induceret, & in Christum credere vellet, sciret se confestim incolumem fore. Cumq; se omnia facturum pollicitus esset, Prosdocimus illum vnà cum vxore ac vniuersa eius familia baptizauit; sicque Regulus ipse ab omni statim languore curatus est. Eiusque miraculi admiratione permotus, & in fide confirmatus, edicto in tota sua ditione proposito cauit, vt omnes D in Christum crederent, & ad beatum Prosdocimum sacro fonte Baptismatis regenerandi accederent. Quibus ita feliciter peractis, rebusque illius Ecclesiæ optimè constitutis, ad diuersas alias Italiæ ciuitates sanctum Euangelium annuntians profectus est; vbi multis miraculis editis, ingentem hominum numerum ad Christi Domini fidem conuertit; præsertim verò in Estensis, Vicentiæ, Montisfeltrensis, Altini, quod Torcellum recentiores appellant, & Taruisij vrbibus: vbi, inter cetera ab eo per Crucis signum patrata miracula, militis cuiusdam Euphrosyni nomine filia cæca, Crucis signaculo oculis imposito, illuminata est. Quod miraculum inter ceteros Petrus de Natalibus Episcopus, in Sancto-

Vitellianus à S. Prosdocimo curatus:

Cæca Euphrosyni filia ab eodē illuminata.

A Sanctorum Catalogo litteris consignauit his verbis: *Ac demum ad Taruisium ciuitatem peruenit, & susceptus in domum cuiusdam militis, nomine Euphrosyni filiam eius cæcam signo Crucis edito illuminauit: eamque cum parentibus & aliis plurimis in Silere fluuio baptizauit.* Huius Sancti præcipua fit in Romano & Vsuardi Martyrologio commemoratio, sub die septima Nouembris. Ipsius res gestas sanctus Maximus secundus Patauinus Episcopus præcipua est prosecutus historia; quę tamen, vt Ioannes Molanus tradit in suis ad Vsuardi Martyrologium Notis, in magno quodam vrbis illius incendio ignibus absumpta est. Vitam quoque eius Bernardinus Scardeonius conscripsit libro secundo & sexta classe ciuitatis eiusdem antiquitatum. Habet eam pariter Mombritius Tomo secundo ex veteribus monumentis collectam, & Episcopus Petrus de Natalibus loco præallegato. In Catal. lib. 10. c. 53

Ostenderunt pariter gloriosi martyres Nazarius Romanus à diuo Petro eruditus, & beatissimus puer Celsus ab eodem Nazario baptizatus & educatus, B quantum Crucis signum salutare sit his qui eodem se viua fide communiunt. Cùm enim Nerone Imperatore iubente ambo in mare demersi essent, vt à piscibus deuorarentur, statim vt profundum attigerunt, diuina eos virtute sustollente, ad terram illæsi reiecti sunt: quoniam verò beatissimus puer Celsus, ætatis imbecillitate & maris nausea languescens hebescere cœperat, sanctus Nazarius Crucis signo illum consignans, protinus persanauit. Sic enim testatur Simeon Metaphrastes in eorumdem Sanctorum vitis, quas collegit Lipomanus[a] inter Sanctorum res gestas Tomo sexto, & Surius[b] Tomo tertio, sub die decima nona Iunij, in hunc modum: *Nam cùm iam essent in profundo, & qui eos iecerant crederent fore vt à multis piscibus deuorarentur magna contentione; angelica quædam virtus desuper aduolauit, & è profundo seruauit, & illæsos eos terræ reddidit: puero Celso propter ætatem adhuc imperfectam nausea & fastidio pleno, vt est consentaneum; sed precibus, & signo Crucis, & diuino osculo eum sanum reddidit Nazarius.*

B. Celsus à S. Nazario sanatus.

[a] Tomo 6. sub die 14. Octobris.
[b] Tomo 3. sub die 19. Iunij.

C Quo miraculo obstupescentes ministri Neronis, qui eos in mare præcipitauerant, Christi fidem amplexati, Nazarij sectatores effecti sunt. Qui denique Nazarius Mediolanum vnà cum Celso reuersus, ibique Euangelium prædicans, ambo comprehensi ad Anulinum Italiæ Præsidem sunt perducti. Is verò, re ad Imperatorem per litteras delata, vt eius voluntatem exploraret, capite illos plectendos rescripsit. Quamobrem cùm damnati ad supplicium deducerentur, Crucis signo præmuniti, non quasi ad mortem, sed ad vitam iucundissimam properantes, magnanimo inter se certamine contendebant, quis eorum prior capite truncaretur. Quam piam ac generosam planè æmulationem Metaphrastes ipse his verbis ad posterorum memoriam litteris commendauit: *Postquam Imperatoris litteræ venerunt ad Anulinum, iubet statim ad mortem duci Martyres. Illi autem muniti figura Crucis, admodum læti exierunt; vt qui non ad mortem, sed ad vitam potiùs (quod verum erat) æternam vocarentur, & contendebant alius alium* D *præuenire, & pulchro decertabant certamine.*

Neque post hos sancta Thecla diui Pauli discipula, sæculi illius splendida & pretiosa gemma, primaque inter mulieres Martyr, vllo pacto prætereunda est. De qua Ado Treuerensis Archiepiscopus suo in Martyrologio, sub die vigesima tertia Septembris, commemorationem habens, inquit: *Natale sanctæ Theclæ virginis apud Seleuciam quiescentis: quæ in ciuitate Iconio à beato Paulo Apostolo instructa est. quam mater eius cernens Christianam, & nuptum repudiare, mallentem Christo sponso adhærere, quàm corruptioni carnis subiacere; pergens ad Iudicem, accusauit virginem filiam suam esse Christianam; dicens, viuam eam, vt ceteræ mulieres terrerentur, debere ardere. Quam sibi cùm iußisset Iudex adduci, & propositum castitatis eius perdidicisset, rogum fecit parari, vt illam incenderet. Rapta igitur ab ap-* In Martyrol. 9. Kal. Octob.

Crucis in virtute B. Thecla flammis & serpentibus resistit:

ab apparitoribus, vt in focum iactaretur, sponte pyram ascendit, & signo Crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit: subitoque facta inundatione pluuiarum, ignis extinctus est, & beata Virgo illæsa, virtute superna erigitur. Et paulò pòst subdit: *Deinde in fossam aqua plenam, vbi serpentes adunati & collecti fuerant, à furentibus populis cùm vrgeretur, signo Crucis munita insiluit; sed nec ab eis vllo pacto læsa.* Hæc ibi. Eadem quoque refert Surius in Sanctorum Vitis, Tomo quinto, sub die vigesima tertia Septembris, quibus vetustiora Martyrologia consentiunt. A

Quàm autem salutare & miraculis coruscans sit Crucis signum, non minori suo beneficio expertus est inuictus Christi miles Zosimus martyr, qui cùm iubente Domitiano Antiochiæ Pisidiæ Præside, Traiani Imperatoris temporibus in æreum grabatum quemdam ignibus candentem nudus iniectus esset, Crucisque signo se armasset, confestim igne diuinitus in rorem conuerso, incolumis & illæsus inde ab Angelis ereptus est. Quod miraculum sanè admirandum refert Simeon Metaphrastes in eiusdem Sancti vita, his verbis: *Iussit igitur Præses grabatum æreum afferri, & ignem multum subiici; cumque multæ flammæ in grabatum ascenderent, iussit beatum Zosimum nudum illuc conijci. Cùm verò sanctus Martyr Crucis figura se muniuisset, ac in grabatum coniectus esset, statim Dominus ignem in rorem conuertit. Etenim per Angelos suos Deus Martyri opem tulit; omnes verò qui præsentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Zosimum animam efflasse: at Angeli à Deo missi, sanctum Martyrem è grabato sublatum, omnibus spectantibus extra grabatum constituerunt.* Huius sancti Martyris res gestas, iam vt diximus à Simeone Metaphraste conscriptas, refert Episcopus Lipomanus suis in Sanctorum Vitis Tomo septimo, & Surius Tomo tertio, sub decima nona die mensis Iunij; fitque de eo præcipua in Romano Martyrologio commemoratio; atque de eo agunt etiam Græci in Menologio sub eadem die. B

B. Zosimus ab ignibus liberatur.

Ostendit etiam quàm potens & miraculis coruscans sit Crucis signum, in quarta persecutione, quam sancta Dei Ecclesia sustinuit Antonini Imperatoris temporibus, sancta Glyceria Romana, Macarij ter Consulis filia. Cùm enim idem Imperator publica lege sanxisset, vt per Imperij sui vniuersas prouincias, pro sui ipsius natali die solemnia Ioui offerri deberent sacrificia, cumque lex illa ad Sabinum Græciæ Præsidem delata esset, quò diligentiùs eam exequeretur, Traianopolim profectus est. Atque hinc expresso cauit edicto, vt triduo omnes in illud incumberent, vt purificarentur; quo exacto, cuncti accensis lampadibus adessent, & Imperatoris natalem diem solemniter celebrantes, Ioui sacrificia offerrent. Aderat tum in ea vrbe (quánam occasione haud satis scio) eadem sancta Glyceria: quæ cùm videret cunctos Christianos ibi degentes, ob id ingenti mœrore confectos atque perterritos, illos in quadam domuncula occultè congregatos, prudentibus ac sanctis adhortationibus in sancta fide confirmare studuit, suasitque ne scelus illud vllo pacto committerent. Triduo verò transacto, cùm omnes ciues, accensas lampades manibus deferentes, ad Iouis templum concurrerent; illa, Crucis signo magna fide fronti suæ impresso, ad Sabinum Præsidem accessit; dixitque se illuc ideò venisse, vt sacrificiis Deo offerendis prima daret initium. Et vbinam, inquit Præses, lampas tua est, qua te id facturam significes? Cui Glyceria: Lampadem meam fronti insculptam defero, quæ cùm extingui non possit, sincera nostra sacrificia illuminat, æternoque Regi offert. Age ergo, inquit Præses, lampadem tuam sumens, Ioui sacrifica. Haudquaquam, ait Glyceria, æterno Regi veroque Deo lampadibus fumum emittentibus opus est. Sed si qualis sit lampas mea videre desideras, quò sacrificium meum magis acceptabile fiat, has lampades omnes extingui iubeto. Cumque Præside annuente, lampades cunctæ extinctæ essent, sancta femina Gly- C D

S. Glyceriæ virilis animus per virtutẽ Crucis.

A na Glyceria oculos ad cælos intendit; manuque ad populum extensa, Videtis ne, inquit, illustrem & refulgentem hanc lampadem, quam fronti impressam habeo? Quibus dictis, fulgentissima Crux fronti eius insidens apparuit. Dumque populus obstupescens illam intueretur, Dominum Iesum enixè precata est, vt pro gloria sua, ac populi illius illuminatione atque salute, idoli illius Iouis simulacrum diruere & comminuere, ac profanorum sacrificiorum illorum apparatus omnes dispergere & dissipare dignaretur. Et ecce adhuc ea loquente, horribile tonitru repentè auditum, & Iouis statua lapidea statim corruit, & minutatim confracta est. Quod cùm vidisset Præses, ira atque furore percitus, & à sacrificulis qui aderant concitatus, Glyceriam lapidibus impetitam interfici iussit. Cumque furens plebs lapidum grandine in eam irrueret, Deus haudquaquam illam lædi permisit: lapides enim circum illam cadentes, corpus eius minimè attingebant, sed tamquam vallo quodam eam
B circumdabant. Quod vehementer populus admiratus, veneficam mulierem esse aiebat. Tum Præses illam ad carcerem pertrahi imperauit. quò cùm libens ac lætabunda accessisset, venit ad eam Philocratus Christianus presbyter, vt illam consolaretur; qui precibus eius obsecutus, Crucis signo ipsam consignauit.

Postero autem die Sabinus Glyceriam accersitam, & Ioui sacrificium offerre nolentem, cùm variis truculentissimorum cruciatuum generibus affecisset (quæ omnia, diuina eam protegente gratia, superauit) in ardentem fornacem iniici iussit. Ipsa verò Crucis signo armata, illæsa inde egressa est. Præses autem ira excandescens, quòd se à muliere victum atque delusum rebatur, ad bestias illam damnauit: quamobrem cùm ingens & famelica leæna quædam in eam laxata esset, statim vt cursu veloci propiùs accessit, humilis effecta, perinde ac si illam adorare vellet, inclinauit sese, & lingua pedes eius lambebat. Illa
C verò interim Dominum enixè precata est, vt martyrij coronam sibi non denegaret, & inter sanctos Martyres in cælis ipsam suscipere dignaretur. Cùm autem precandi finem fecisset, confestim vox quædam verba hæc proferens audita est: *Exaudivi orationem tuam, veni cum pace, patefactæ sunt tibi fores regni cælorum.* Tunc alia leæna quædam in eam insiluit, quæ illam leuiter momordit, nec tamen morsus sui vestigium aliquod reliquit: verùm dentibus illis tacta, gloriosa bellatrix illa, & martyr inuicta Glyceria ad beatam vitam euolauit. Huius res gestas Simeon Metaphrastes ad posterorum memoriam litteris commendauit; ex quibus ea quæ hîc breuiter perstrinximus, fideliter desumpta sunt. Quæ acta, iam pridem ab Episcopo Lipomano inter Sanctorum vitas septimo Tomo translata, Surius quoque sub decima die mensis Maij tertio Tomo complexus est. Romanum verò Martyrologium de eadem commemorationem facit decimo tertio eiusdem mensis die, quo Græci etiam in Menologio de ipsa
D mentionem habent.

Admirabilis eiusdē S. Glyceriæ agon & triumphus.

Sacrum autem corpus eius ad Heracleam vrbem translatum est; vbi in honorem ipsius illustre templum magnificè extructum fuit, vt tradit Nicephorus Callistus, & à sanctis eius reliquiis, eodem teste Nicephoro, vnguentum quoddam ad infirmitates omnes curandas efficacissimum emanabat. Vir autem quidam erat, inquit ille, Paulinus nomine, obscuro quidem loco natus, sed in bonis disciplinis admodum eruditus. is veneficiis & incantationibus apprimè deditus, inter cetera ad malas artes suas accommodata ministeria, argenteam peluim habebat, in qua humano cruore impleta cum nefariis spiritibus loquebatur. Contigit posteà, nescio an necessitate an alia ad id impellente causa, vt peluim illam cuidam argentario venderet, qui eamdem posteà pro officinæ

Lib. 18. cap. 32.

E sacri eius corporis reliquiis vnguentū curandis infirmitatibus efficacissimum emanat.

ſuæ foribus publicè venalem exhibebat. Die autem quadam fortuitò inde pertranſiens Perinthius Byzantij Epiſcopus, ſoluto venditori pretio, peluim illam comparauit, ratuſque ſe generoſum planè ac pium opus facturum, ad diuæ martyris Glyceriæ templum deferri iuſſit; ſublatoque priore vaſe æneo, in quo pretioſum vnguentum è venerabilibus Martyris reliquiis defluebat, argenteam hanc peluim tamquam honoratiorem, loco illius ſtatuit. Verùm ſacrum vnguentum illud repentè conſtitit. Sancta enim Martyr profanam peluim illam, in qua tot execranda ſcelera patrata fuerant, deteſtata, gratiæ ſuæ donum cohibuit. Id poſtquam menſibus pluribus fieri cognouit Heracleæ Epiſcopus, ingenti mœrore diſcruciabatur. Videre enim ſibi quodammodò videbatur, ciuitatem & eccleſiam ſuam inæſtimabili theſauro illo culpa ſua orbatam, cùm id temporibus ſuis contigiſſet. Quamobrem lacrymis & ieiuniis ſeſe macerans, Deum enixè precabatur, vt cauſam, qua ſacrum vnguentum illud conſtitiſſet, ſibi reuelare dignaretur. Benignus autem & miſericors Dominus, qui ſeruorum ſuorum iuſtas deprecationes non deſpicit, peluis illius piaculum, & ſcelerum in ea patratorum auctorem in ſomniis Antiſtiti reuelauit. Ille autem argentea pelui protinus ſubducta, priorem illam æream quæ anteà ibi manere conſueuerat, reſtituit. Et ecce conteſtim ſacrum vnguentum, vt priùs promanare cœpit. Re autem ad Imperatoris aures per Ioannem Ieiunum prouinciæ illius Metropolitanum delata, maleficus ac præſtigiator Paulinus carceribus mancipatus, Imperatore ipſo iubente, in biſurcum palum ſumma parte hiantem actus, ſceleſtam vitam turpiter finiuit.

Apertè etiam quàm mirificum ac potens ſit Crucis ſignum, oſtendit ſanctus Benignus presbyter, qui cùm ad ſacrum Euangelium prædicandum per Galliæ prouincias, vnà cum ſociis aliquibus, à beato Polycarpo, Marci Aurelij Imperatoris temporibus miſſus erat, contigit vt Imperatore ipſo tum in illis partibus agente, cùm ad caſtrum quoddam Diuion appellatum, quod nouis mœnibus circumdari mandauerat, inuiſendum perrexiſſet, inſigne templum in Iouis & Mercurij atque Saturni honorem ibi extrui iuſſit; expreſſo cauens edicto, ne quis Chriſtianorum inibi habitare poſſet. Quo audito Terentius loci illius Comes Imperatori dixit: Domine, an Chriſtianus quiſpiam hîc adſit, nos non nouimus: paucis tamen ab hinc diebus, locis hiſce verſantem hominem quemdam peregrinum conſpexi, capite tonſo, cuius habitus longè ab habitu noſtro differt; qui deorum noſtrorum cultum improbans, nouum quemdam Deum his populis prædicat, & poſt mortem, aliam vitam illi Deo credentibus pollicetur. Ex auditis, inquit Imperator, Chriſtianum hunc ſuſpicor: quamobrem ſedulò illum perquiri facito, repertumque vinculis conſtrictum, in conſpectum meum perduci: nam ſi prædicantem hominem liberè permiſerimus, magnam aliquam rerum nouationem ac perturbationem in his Imperij noſtri regionibus, in deorum noſtrorum opprobrium molietur: atque hæc ipſa prorſus verba, quæ ſanè notatu ſunt digniſſima, adiecit: *Non enim placet diis noſtris iſta conuerſatio; nec miſcetur lex Chriſtianorum legibus deorum noſtrorum: ſed vbi diis noſtris oſtenſum fuerit ſignum illius Crucifixi, illicò tabeſcunt, & fremunt dentibus, nec ſignum illud intueri ſuſtinent.*

Terentius igitur Comes, his auditis, Sanctum illicò inquiri iuſſit; quem compertum in villa quadam, cui nomen Spaniaco, Gentilibus Dei verbum prædicantem, vinctum ac cæſum Aurelio exhibuit. Qui cùm Crucicolam per ludibrium illum appellaſſet, pollicituſque eſſet ſe perdiuitem, ac deorum ſuorum ſacerdotem magnum eum effecturum, ſi Chriſto renuntiare vellet; videns, quòd in ſancta fide conſtantiſſimè perſeueraret, Terentio Comiti illum

S. Benignus per ludibriũ Crucicola appellatus.

A lum tradidit; iubens, vt ſi diis ſacrificare renueret, diriſſimis cruciatibus affici curaret. Quod cùm variis modis truculentiſſimè factum fuiſſet, & ſequente nocte ab Angelo Dei confirmatus ac perſanatus eſſet; poſtero die Imperator ipſe ad ſe accerſitum, atque in ſententia ſua firmiſſimum deprehenſum, in templum quoddam illum perduci, ipſique inuito immolatorum carnes in os ingeri præcepit. Ipſe verò fanum ſtatim ingreſſus, Crucis ſignum contra carnes illas atque idolorum ſtatuas quæ in eo templo aderant eiaculatus, confeſtim carnes illæ euanuerunt, & ſimulacra lignea & lapidea in terram ruentia minutatim confracta ſunt. Sic enim in Actis eius ex antiquiſſimis manuſcriptis codicibus deſumptis, quibus peruetuſta conſentiunt Martyrologia, refert Surius his verbis: *Cùm hæc dixiſſet, & Crucis expreſſiſſet ſignum, mox idola omnia lignea & lapidea, & vaſa in quibus ſacrificia offerebantur, inſtar fumi euanuerunt.* Huius autem Martyris res geſtas ſcripſit quoque Mombritius Tomo primo, & Epi-
B ſcopus Petrus de Natalibus in Sanctorum Catalogo.

Crucis ſigno idola proſternit.

Tom.6 ſub die 1. Nou. & Tom. 1. in Actis SS. Tergeminorum.

Petrus in Catalogo lib. 10. c. 3.

At quantæ virtutis ac potentiæ ſit Crucis ſignum, Chriſtus Dominus noſter etiam oſtendere voluit per cæleſtis militiæ Principis ſancti Michaëlis Archangeli operationem, in antiquiſſima & admirabili illa ipſius apparitione, quæ circa annum nonageſimum contigit, poſt diui Ioannis Euangeliſtæ deceſſum, in loco quodam cui nomen Cherotopa, in regione Chonenſi, Nicetæ Choniatis Hiſtorici patria, prope Coloſſenſem Lyciæ vrbem, ad Lycum fluuium ſitam: ad cuius ciues Paulus Apoſtolus celeberrimam illam ſcripſit Epiſtolam, non autem ad Rhodianos, vt quidam inconſultè nimis litteris commendarunt. Aderat hoc in loco, qui in ima quadam valle ſitus erat, inſigne ac percelebre templum, in Chriſti honorem ſub inuocatione ſancti Michaëlis Archangeli extructum, vbi antiquitus magno pietatis feruore ingens populorum erat concurſus, ob aquæ cuiuſdam ibi ſcaturientis admirabilem vir-
C tutem, quæ pota omnem curabat infirmitatem. In eo autem templo, iam à primis ſuæ ætatis annis habitare ſolebat ſanctus ac venerabilis ſenex quidam Hierapolitanus, nomine Archippus, qui auſteram planè inibi ac pænè cæleſtem vitam ducens, aquæ illius admirabilis ac templi ipſius curam gerebat. Verùm cùm miraculorum quæ ibi edebantur, ac ſancti ſenis illius Archippi celebrem famam per orbem terrarum diffuſam, æquo animo ferre non poſſent finitimi populi, quorum pars maior ex infidelibus & incredulis conſtabat, templum illud euertere, & ſanctum ſenem Archippum ſæpiùs interimere conati ſunt. At cùm Deus illum admirabiliter ſemper protexiſſet, illi ingenti hominum manu adſcita, profundam foſſam fodientes, duorum fluminum aquas quæ ex eminentiore alueorum ſitu defluebant, contra templum illud deriuare atque impellere niſi ſunt; ea ſanè mente, vt ſanctum ſenem obruerent, ac templum ipſum aquarum inundatione & impetu præcipiti à funda-
D mentis euellerent. Cùm autem aquæ ipſæ horribili murmure & curſu velociſſimo contra templum ruere cœpiſſent, ac Sanctus ille feruentiſſimis precibus ſe ipſum ac templum enixè Deo & beato Michaëli commendaret, quid inde acciderit, in eadem apparitionis ipſius hiſtoria hiſce verbis exprimitur: *Cùm ſic affectus eſſet Archippus, & ſic præclarè vacaret orationi, diuina viſio deſuper aduolans, modo quodam arcano eum vocauit nominatim. Et ille quidem è templo egreſſus, continuò cecidit pronus, vt cuius oculi non ferrent ſecurè ſe ad tale applicare ſpectaculum. Ea autem illi dixit: Surge & veni huc ad me, & Dei virtutem videbis inexpugnabilem in his aquis quæ vehementer confluunt. Cùm itaque beatus conieciſſet Archippus, hunc eſſe magnum illum cæleſtis militiæ Principem, ſtetit quidem, vt ei iuſſit, ad eius ſiniſtram: ſtatim autem vidit columnam ignis, quæ à terra pertingebat vſque*

Antiquiſſima memoria S. Michaëlis Archangeli.

ad ipsum cælum, & vocem illinc audiuit, quæ eum iubebat esse bono animo, & non timere. Deinde ad ipsos quidem aqua processit. Cùm ille autem manum sustulisset, & Crucis signum formasset, & loco stare iussisset fluuios (quanta est, ô Christe, multitudo tuæ virtutis!) viderunt eum aquæ, vt Psalmicè dicam, & timuerunt; & tamquam murus repentè concreuerunt ac constiterunt. Cùm ille autem rursus sustulisset dexteram, & in rupe quæ erat prope templum, figurasset signum Crucis, repentè erupit tonitru, & terra valdè contremuit, & terræmotu quidem fissa fuit petra. Ille verò cùm valida rursus in ea arma torsisset, nempe terribile signum Crucis; Conteratur quidem hîc, dixit, omnis virtus aduersarij, scateat autem ab omnibus malis liberatio his qui accedunt fideliter. Cùmque sic dixisset, iubet Archippum transire ad dexteram. Cùm is autem ad dexteram stetisset, & iussui statim paruisset; militiæ Princeps maxima & clarissima voce iussit fluuiis, dicens: In hoc infundibulum de cetero infundimini. Re autem sic admirabiliter & contra opinionem facta, vt iusserat diuinus Archangelorum quidem Princeps Michaël, continuò ab Archippo auolans, reuersus est vnde descenderat; & ad primam lucem accedit, qui ipse quoque est lux perfecta, & illo admirabili & qui naturam superat splendore fruitur. Hæc ibi. Quam admirabilem planè historiam Simeon Metaphrastes conscripsit; eamdemque refert Lipomanus Episcopus inter Sanctorum vitas Tomo sexto, sub die quinta Septembris.

Stupenda per eumdẽ S. Michaëlem signo Crucis confecta.

A B

Huius autem admirabilis apparitionis diui Michaëlis Archangeli anniuersariam commemorationem in Menologio, & solemnem celebritatem agunt Græci sub sexta die Septembris. Cuius solemnitatis meminit Emanuel Imperator in Constitutione De feriis. Eiusdem etiam commeminit Cardinalis Baronius, in suis ad Romanum Martyrologium Notis, sub die octaua Maij. Verùm nobilissima & antiquissima hæc sancti Michaëlis Archangeli memoria postmodũ violata est à sacrilego pseudo-Alexio Constantinopolitano Imperatore. qui tamen impietatis huius meritas pœnas dedit: dum enim in strato suo quiesceret, à sacerdote quodam capite obtruncatus est, vt Nicetas Choniates in Annalibus affirmat; grauiter admodum conquestus, patriam suam tanto thesauro orbatam; sic enim inquit: *Ac is quidem suorum scelerum has pœnas dedit, tum quòd Persas contra Romanos incitauit, & ex his ipsis quotquot ad eum confluxerant, popularium suorum sanguine contaminauit; tum quòd homo detestandus, Chonis meis celebre templum Michaëlis Archiducis cælestium copiarum violauit.*

C

Annal. li. 3

Ostendit etiam, & vt re ipsa Gentiles idololatræ experirentur quàm potens & aduersariis potestatibus terribile sit Crucis signum, Alexandri Seueri temporibus effecit sancta martyr Martina Romana virgo, illustrissimis orta natalibus, quam pater Consularis vir ditissimam reliquerat. Ipsa verò Christi fidem auidissimè amplexata, pauperes & egentes magna liberalitate & charitate opibus suis subleuabat; orationibusque, ieiuniis, & aliis sanctis operibus jugiter incumbens, Angelicam planè atque cælestem in terris ducebat vitam. Hæc ab improbis quibusdam delata quòd Christiana esset, Imperator amplissimæ nobilitatis illius, vt par erat, rationem habens, Comitem quemdam Vitalem nomine, & Cassium intimum cubicularium suum, vnaque cum eis nobilem Romanum quemdam Gaium nuncupatum, ad illam ad se accersendam misit. Cumque in Imperatoris conspectum venisset, blandis verbis eam adhortari orsus est, vt maiorum suorum, quos dij nobilitate & copiis affluentissimis liberalissimè ditauerant, religionem secuta, Apollini sacrificium offerre vellet, pollicitus, si id faceret, amplissimis se eam honoribus prosecuturum. At illa se Christianam esse constantissimè atq; ingenuè professa; Iube me, inquit, ô Imperator, viuenti & omnipotenti Deo, qui ex nihilo cuncta creauit, sacri-

S. Martinæ martyris Romanæ nobilissima & virtus.

D

A sacrificium offerre, & in hoc iussionibus tuis quàm libentissimè obtemperabo, non autem Apollini, quem nil aliud quàm frigidum & insensibile saxum esse constat, in quo diabolus inhabitat, qui sacrificiis nostris debilitatus & eneruatus, animis hominum qui in Iesum Christum Dominum nostrum sperant, iam tandem illudere desinet.

Cùm id ingenti animi sui molestia audisset Imperator, iussit vt Apollinis templum ingrederetur, & idolo illi omnino sacra faceret. Cui illa, Ingredere, inquit, & tu quoque Imperator, vnà cum Apollinis ipsius sacerdotibus, & quotquot eius cultores estis, & coràm aspicite quàm placidè ac benignè omnipotens & misericors Deus fidelium suorum pura & immaculata suscipiat sacrificia. Iussit ergo Imperator sacerdotibus & satellitibus suis delubrum ingredi, vt quid illa faceret, attentissimè perspicerent. Martina verò statim ingressa, Crucis signo tamquam inexpugnabili muro circumdata sese communiuit, &
B statim omnibus qui aderant, Angelica quædam gloria & splendor super eam visibiliter apparuit. Et dum illa oraret, ecce terræmotus ingens factus est, quo vrbs tota concutiebatur, & Apollinis simulacrum concidens, minutatim confractum est; quartaque pars delubri eius corruens, ingentem hominum multitudinem vnà cum sacerdotibus ipsis oppressit ac peremit. Sic enim memoriæ proditum est in Actis eius, quæ manuscripta habentur in peruetustis codicibus, siue Sanctoralibus aut Passionariis Vaticanæ basilicæ, & sanctæ Mariæ ad Martyres, quam hodie Rotundam appellant.

S. Martina se signāte & orante, corruit idolum, & pars delubri.

His valdè commotus, animique excandescentia percitus Imperator, ac præ cordis cæcitate non intelligens id totum diuina virtute accidisse, sanctæ Virginis faciem colaphis cædi, & vncis ferreis palpebras eius lacerari iussit. In quibus cruciatibus cùm constans & immobilis permaneret, tortores ope orationum eius ad sanctam fidem conuersi, omnes pro Christo securi percussi sunt.
C Et vt breuiter rem perstringamus, post truculentissimorum cruciatuum diuersa genera, quibus variis diebus affecta est, cùm idoli Artedimi siue Artemij, vel vt in aliis Actis legitur, Dianæ templum ingredi cogeretur, id accidit, quod in antiquissimis Sanctoralibus siue Passionariis basilicarum sancti Petri & sanctæ Mariæ ad Martyres eiusdem Virginis Acta referentibus, his verbis continetur: *Ingressa est autem Beata in Christi nomine, sibique faciens Crucem, & respiciens in statuam idoli dæmoniacam, dixit Imperatori: Vide seductionem Imperator; oculos habentes, & non videntes*, &c. *Et mox tonitruum cum fulgore factum est, & ignis cecidit de cælo, & combussit sacerdotes, & de templo partem; & pars populi mortua est. Et Imperatoris partem dexteram purpuræ combussit, & idolum Artedimi in fauillam redegit.* Eadem ferè de gloriosa virgine & Martyre hac habentur in Martyrologio Adonis Treuerensium Archiepiscopi. Et ante illum, commemorationem de ea fecerunt Martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, &
D Latinorum ceteri omnes; ac Surius demum eadem Acta, licet diuersis verbis & mutato stilo, descripsit.

Tom. 1. sub die 1. Ianuarij.

Cæsar Cardinalis Baronius in suis ad Romanum Martyrologium Notis, sub die prima Ianuarij, tacitæ cuidam obiectioni respondens, Quo nimirum pacto fieri potuerit, vt hæc Virgo, aliique tot sancti Martyres passi dicantur sub Alexandro Seuero; cùm grauissimorum Historicorum auctoritate probetur, Christianorum illum amicissimum fuisse; vtpote Mammeæ filium, quæ ab Origene erudita (vt tradit Eusebius in Historia Ecclesiastica) Christianorum erat amantissima. Quamobrem Alexander eosdem non tantùm suo iure viuere permisit, sed vt scribit Lampridius in eius vita, in larario, vbi matutinis horis sacris incumbere consueuerat, inter superstitio-

Alexander Imp. inter falsos deos coluit etiam imaginem Christi.

sas deorum suorum imagines, Christi quoque Domini ac Redemptoris nostri effigiem collocauit, Christianosque magnis honoribus prosecutus, multa in eos beneficia & officia contulit; atque in Imperij regimine, & in prouinciarum administratione, laudatissimos ipsorum mores imitatus est. Cui obiectioni idem Cardinalis exactissimè respondet. In eo autem quod ad Christianos attinet, asserit, Alexandrum ipsum nullum aduersus eos persecutionis edictum promulgasse; non tamen erga illos sic affectum fuisse, vt antiqua iura Romanorum, & Prædecessorum suorum edicta quibus Christiani plecterentur, silere iusserit. Sed cùm idem Imperator, inquit, optimè reipublicæ consultum cuperet, bellicis negotiis ipse occupatus, Prætoriam præfecturam credidit Domitio Vlpiano; illique cum Paulo, vt præstantissimis illius ætatis Iureconsultis, rerum summam delegauit; ipsisque relicta reipublicæ administratione, in expeditionibus militaribus totus erat. Cùm autem ijdem Iureconsulti, præcipuè verò

Vlpianus I. C. Christianis infensissimus.

Vlpianus, Christianis infensissimus esset, non esse tradit quòd miremur, litteris memoriæ proditum fuisse, tot sanctos Martyres sub Alexandro Seuero passos esse: concludensque, Lectorem monitum esse vult, vt cùm in vita sanctæ Martinæ vel aliis legerit, Christianos causam dixisse coram ipsomet Alexandro Seuero, sciat illa non esse purissima ipsa Martyrum Acta publica, excepta à Notariis actuariis coram Preside, sed potiùs esse Actorum paraphrases superadditas. Hæc Baronius. Cui quidem ego haudquaquam contradicere ausus fuerim: sed illud tantùm animaduertendum censeo, Acta nimirum sanctorum Martyrum, quæ in Sanctoralibus siue Passionariis, quos suprà in medium adduximus, continentur, tamquam vera & germana ab Ecclesia communiter fuisse recepta, atque vt huiusmodi in diuinis Officiis publicè legi solita. Cùm autem hîc paulò plus quàm secundum sæculum à Christi Domini natiuitate terminetur, cumque ad finem pariter perducta sit quarta persecutio quam sancta Dei Ecclesia

De ciuitate Dei lib. 18. cap. 52.

passa est, vt diuus Augustinus tradit, nos quoque capiti huic finem imponemus; ne longiùs productum, Lectoribus negotium aut tædium facessat, Crucisque glorificatori debitas laudes & gratiarum actiones persoluemus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VII.

Adhuc de Crucis signi virtute, miraculis aliis quamplurimis demonstrata.

ADMIRABILIVM sanctæ Ecclesiæ progressionum clarissima figura & euidens præsignificatio illud sanè fuit, quod Israeliticis contigisse legimus. Sicut enim cùm populus ille Ægypto egressus, ad promissionis terræ possessionem capessendam proficisceretur, vniuersi finitimi Reges commoti sunt, & contra eum arma sumpserunt, vt illum præpedirent & opprimerent: sic cùm nouus Ecclesiæ populus infidelitatis & idololatriæ Ægypto egrederetur, ad ve-

Quanta vi dæmon Crucem eiusque cultores opprimere conatus sit.

ræ terræ promissionis, quæ cælestis patria est, acquisitionem aspirans, statim diabolus sublimiorum ac potentiorum mundi Principum vim atque potentiam contra eum excitauit; qui seuerissimis edictis, acerrimis persecutionibus, truculentissimisque cruciatibus, dirisque mortibus, vt illum detinerent, opprimerent, & ad nihilum redigerent, summis conatibus enixi sunt. Verùm quemadmodum Amorrhæorum, Cethęorum, Chananęorum, Pherezęorum, Heuęorum, Gergezæorum, Iebusæorum, ceterorumque Regum ac populorum vires & arma,

A & arma, quæ aduersus Israëlem & Iosue ducem eius summis moliminibus coierunt, nullo modo ad illum opprimendum, neque ad id quidem vt pedem referret cogendum, sufficere valuerunt; sic edicta, leges, persecutiones, cruciatus, & neces, quas Græci, Romani, Persæ, Æthiopes, Indi, ceterique omnes populi aduersus Christianos exercuêre, haudquaquam satis esse potuerunt, non tantùm vt illos prorsus extinguerent ac delerent, sed nec ad eos quidem detinendos aut præpediendos, quin Christi fidem per vniuersum terrarum orbem disseminarent, & ne sancta Ecclesia fundamenta sua in omni terra defigeret. Quamobrem Origenes, qui truculentissimarum persecutionum illarum rabiem ac furorem propriis oculis conspexit, atque ex parte etiam re ipsa expertus est, diuinitus pænè in hoc vaticinatus, inquit: *Decreuerunt enim Senatus populusque & principes Romani legibus suis, vt non sint Christiani: omnis ciuitas, omnis ordo Christianorum nomen impugnat. Sed sicut tunc omnes illi Reges conuenientes contra Iesum* In Iesu Naue cap. 9. Homil. 9. in fine.
B *nihil facere potuerunt, ita vel Principes vel Potestates istæ contrariæ, vt non Christianorum genus latiùs ac profusiùs prorogetur, obtinere non valebunt. Scriptum namque est, quia quanto magis eos humiliabant, tanto magis plures fiebant, & inualescebant valdè. Confidimus autem, quia non solùm non nos poterunt obtinere visibiles inimici & aduersarij nostri; verùm etiam velociter Iesu Domino nostro vincente, conteretur satanas sub pedibus seruorum eius. Illo etenim duce semper vincent milites sui; ita vt nos dicamus, sicut in Esdra scriptum est: Quia à te Domine est victoria.* 3. Esdræ 4.

Qualis autem fuerit persecutionum acerbitas ac truculentia, quam Sancti & amici Christi perpessi sunt, ex parte Lector conijcere potuit ex his quæ hactenus diximus. Verùm, ô admirationem planè maximam, qua omnes creaturæ meritò obstupescant, infinitæ sapientiæ ac potentiæ Dei optimi maximi, qui in diaboli atque ipsorum persequentium ministrorum eius confusionem, ex re, quam inimici omnium imbecillissimam, vilissimam atq; ignominiosissimam
C rebantur, maiores vires, insigniores victorias, excelsioresque sanctæ Ecclesiæ glorias elicere voluit. Nil sanè aliud quod maiori probro ac dedecori Christianis esse putarent, improperare sciebant Ethnici, quàm Crucem; Deus autem econtrà Crucem ipsam adeò honorauit, exaltauit, & glorificauit, illique tantam virtutem ac potentiam impertitus est, vt non solùm ipsa, sed signum eius tantùm, deos illorum, id est dæmones, perterrefaciendi & profligandi, simulacra eorum confringendi, profana templa diruendi, impiam idololatriam auferendi, falsamque eorum religionem delendi, ac demum persecutores ipsos ad sanctam Fidem attrahendi vim obtinuerit; ob inaudita & planè admiranda miracula, quæ Sancti & amici Christi per sacrosanctum hoc signum ediderunt, vt perspici potuit ex hactenus recensitis, paucisque aliis quibusdam, quæ in præsenti hoc capite prodituri sumus: paucis inquam; nam si de omnibus miraculis, quæ per Crucis signum edita fuêre, mentionem facere velimus, tractatum hunc *Quem non tantùm Crux, sed Crucis etiã signum terruit & profligauit.*
D nostrum ad hanc tantummodò materiam complectendam, in diuersos Tomos conflari opus esset.

Non vile ergo aut obscurum, sed sublime admodum ac perillustre huius capitis exordium erit gloriosus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus Martyr Laurentius, qui Crucis signum summa veneratione ac pietate prosecutus, miracula sanè quibus omnis ætas meritò obstupescat, per illud edidit. In cuius rei commemorationem ad hanc vsque diem sic canit Ecclesia: *Leuita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum Crucis cæcos illuminauit.* Hic igitur Martyr beatissimus, cùm à sanctissimo Sixto Papa, paulò antequam martyrio affectus esset, thesauros Ecclesiæ pauperibus distribuendi potestatem accepisset, id effecit, quod Ado Treuerensis Archiepiscopus his verbis tradit in suo Martyrologio: *S. Laurentius signo Crucis miracula maximè stupẽda operatus*

 Hic

In Martyrolog. 4. Id. Augusti.

Hic veniens in Cælium montem, vbi erat quædam vidua, in viduitate triginta duos annos habens, in cuius domo multi Christiani, & presbyteri, & clerici absconsi manebãt, tulit vestes & thesauros Ecclesiæ, & cœpit erogare, & pedes omnium Christianorum lauare. Ad cuius pedes Cyriaca vidua cadens, Per Christum, inquit, te coniuro, vt manus tuas imponas super caput meum; quia multas infirmitates capitis patior. Beatus Laurentius facto signo Crucis, posuit manus super caput viduæ, & linteum de quo extergebat pedes Sanctorum. Transiens autem in vicum qui dicitur Canarius, inuenit multos Christianos in domo Narcisci Christiani congregatos, & lauit pedes omnium, & dedit eis de thesauro. Erat in eadem domo homo cæcus, nomine Crescentio, qui cœpit rogare beatum Diaconem, vt poneret manum suam super oculos eius. tunc beatus Laurentius lacrymans dixit: Dominus noster Iesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, ipse te illuminet; & facto signo Crucis, aperti sunt oculi eius. A

Eadem pænè verba refert etiam Surius in Sanctorum vitis, Tomo quarto, in eiusdem sancti Martyris Actis. Huius autem gloriosi Martyris strenuissimum planè & admirabile certamen sacro ac præcipuo hymno piè cecinit Prudentius. Laudes quoque eius meritò concelebrarunt sancti Ambrosius[a], Augustinus[b], Maximus Taurinensis[c], Leo Papa[d], Petrus Chrysologus[e], & alij plerique. B

[a] Offic. lib. 1. c. 41. lib. 2. cap. 28.
[b] In Ioann. Tract. 27. & Serm. 32. de Sanctis, & Serm 32. de diuersis.
[c] Serm. 1. 2. 3
[d] In festo S. Laurētij.
[e] Serm. 135.

Ostenderunt pariter, ac re ipsa commonstrarunt signi Crucis vim atque virtutem, Decij Imperatoris temporibus, triginta sex Christiani, sanctorum Martyrum Terentij, Africani, Maximi, atque Pompeij socij, quorum nomina soli Deo sunt nota, tribus dumtaxat exceptis, quæ scripta reperiuntur. hi autem fuêre Zeno, Alexander, ac Theodorus: qui vnà cum aliis triginta tribus sociis, iubente Fortuniano Africæ Præfecto, variis tormentorum generibus cruciati & exstimulati, vt idolis litarent, dum membra ipsorum ferreis vngulis truculentissimè dilacerarentur, Crucis signum frontibus suis imprimentes, & contra idolorum simulacra insufflantes, illa repentè in terram corruentia, minutatim confracta, & in puluerem redacta sunt; nec ita multo pòst, templum ipsum, in quo idola illa consistebant, concidens, euersum est. Quem admirabilem planè euentum refert Simeon Metaphrastes in hunc modum: *Ac sancti Dei Martyres suspicientes in cælum, ita locuti sunt: Deus omnipotens, qui Sodomorum vrbem propter ipsorum nequitiam igne succendisti, & in solitudinem redegisti, hoc etiam impiorum domicilium nunc etiam propter tuam iustitiam euerte. Cumque Christi signum frontibus suis impreßissent, insufflarunt aduersus idola, & ea statim confracta in puluerem redegerunt. Tunc sancti Martyres ad Prefectum, Cernis, inquiunt, deos tuos? vbi est robur ipsorum? potuerunt ne sibi ipsis opitulari? Haud multo pòst autem & templum corruit.* C

Idola exsufflata, & signo Crucis prostrata à triginta sex Martyribus.

Horum autem sanctorum Martyrum Acta, iam vt dictum est, à Simeone Metaphraste conscripta, refert Lipomanus Episcopus inter Sanctorum ab eo collectas vitas Tomo septimo, sub die decima Aprilis; & Surius Tomo secundo, sub eodem die. Habetur etiam de eis præcipua in Romano Martyrologio commemoratio: atque de eisdem agunt quoque Græci in Menologio sub ipsa die. D

Crucis quoque signi virtutis ac potentiæ insigne admodum & admirabile exemplum legitur in Actis beatorum fratrum & Christi martyrum Pauli & Iulianæ, qui sub Aureliano Imperatore passi sunt. Cùm enim idem Imperator magnis pollicitationibus & adhortationibus illis suadere nisus esset, vt idolis sacrificarent, spondens Iulianæ præsertim, quæ virgo erat insignis pulchritudinis, se illam vxorem ducturum, & in Imperatricem electurum, si Christo nuntio remisso, idolis incensum adolere vellet; videns quòd Sancti, ingentibus suis spretis promissionibus, constantissimè obtestabãtur, se ad omnes cruciatus qui excogitari possent, mortemq; ipsam potiùs sustinendam paratos, quàm vt Christo renun-

A renuntiarent, & impietatem illam committerent, diuersis tormentorum generibus eos affici iussit: quæ à Deo roborati, admirabili planè constantia pertulêre; ita vt quidam ex carnificibus qui ipsos torquebant, obstupefacti, in Christum crediderint, & pro sancta fide securi percussi sint: cumque idem Imperator incredibili sua ac totius populi qui diris spectaculis illis intererat admiratione perspiceret, eos post tot immanissimos atque inauditos cruciatus, super humanæ naturæ vires, vegetiores ac robustiores existere, & tamen præ cordis cæcitate non intelligeret id totum admirabili Dei virtute fieri, sed magicis artibus adscriberet; maiora in sanctos Martyres molitus, id fieri iussit, quod in eorumdem Actorum historia hisce verbis proditum est: *Iussit deinceps Aurelianus Paulum exsolui, & foueam quamdam effodi, tam longam, quanta est trium hominum statura: tum ligna & ignem afferri, atque in fouea illa succendi. Fecerunt carnifices, quod iussum fuerat, admodum studiosè. Nam & foueam statim effoderunt,* B *& ignem vehementer accenderunt. Itaque Aurelianus iussit Paulum & Julianam in ignem conijci. sancti verò Martyres Deum collaudantes, Saluatorem ac Dominum Jesum Christum inuocabant ad opem sibi ferendam. Cùm autem ad eum locum venissent, sua membra Crucis signo munierunt, & sponte se in ignem coniecerunt. Erant autem in igne illo Deum laudantes, & eius gloriam prædicantes. Ecce autem Angelus Domini descendit de cælo, & fumum vnà cum igne foras excussit; neque permisit sanctos Martyres vel paululùm ab igne perturbari.* Hæc omnia Simeon Metaphrastes, in eorumdem sanctorum Martyrum Actis, quæ posteà ab Episcopo Lipomano collecta, inter Sanctorum vitas, sub die decima septima Augusti Tomo septimo redacta sunt. Eademque refert Surius Tomo quarto, sub eadem die; qua etiam de eisdem in Romano Martyrologio fit commemoratio, atque de ipsis agunt Græci in Menologio.

Paulus & Iuliana martyres signo Crucis muniti, in mediis ignibus haud amburuntur. Ignis virtute Crucis repressus.

Palàm etiam Deus omnibus notum esse voluit, quanta sit virtus quam Cru- C cis signo tribuit, in strenuissimi atque intrepidi Christi militis Theodori martyris morte, qui passus est in truculentissima illa persecutione, quam sancta Dei Ecclesia sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus perpessa est; quæ iuxta diui Augustini numerationem decima fuit. Cùm enim idem fortissimus & inuictus Martyr, post diuersa truculentissima cruciatuum sibi illata atque ab ipso constantissimè tolerata genera, igne viuus comburendus esset, licet manibus post tergum reuinctis, Crucis tamen signum verbis ac toto cordis affectu sibi ipsi impressit; cumque ingens & validus ignis circa eum succensus esset, statim id iubente & operante Deo, flamma, veli magnæ cuiusdam nauis ventorum flatibus tumescentis instar, in tentorij formam circa corpus illius conglobari conspecta est; in cuius medio, velut in cubiculo quodam stans beatus Martyr, Deum laudans ac benedicens, nulla prorsus ignis læsione affectus animam creatori suo in pace reddidit. Sic enim in Actis eius, quæ manuscripta habentur in peruetusto codice, siue Sanctorali vel Passionario Ecclesiæ sanctæ D Mariæ ad Martyres, memoriæ proditum est his verbis: *At verò beatus Martyr, signaculo Crucis verbis semetipsum consignans, manibus post tergum ligatis, tamquam aries electus de magno grege ad holocaustum Deo acceptum ac præparatum, aspiciens in cælum ait: Domine Deus omnipotens, &c. Et cùm finisset orationem, ministri diaboli succenderunt ignem. Magnum autem flammæ micantis miraculum vidimus, quibus datum est videre, qui & reseruati sumus, vt annuntiemus ceteris ea quæ facta sunt: flamma enim in specie cameræ facta est, tamquam velum nauis à vento repletum; & circumuallauit corpus beati Martyris; & erat non quasi corpus ardens, sed quasi panis qui coquitur. Sancto enim Spiritu superueniente, sine afflictione erat beatus Martyr in medio flammæ laudans Deum; & reddidit Christo spi-*

Facto signo Crucis, flãma in specie cameræ martyrem Theodorum circumdat.

sto spiritum, quinto Idus Nouembris, & assumptus est in cælis. A

Huius autem inuicti Martyris præcipua fit in Romano Martyrologio commemoratio, sub nona die mensis Nouembris. De eoque commeminerunt etiam Beda, Vsuardus, Ado, & cetera Latinorum Martyrologia. Græci autem in Menologio de eodem agunt ad decimum septimum Februarij diem; sub quo Simeon quoque Metaphrastes eiusdem Acta litteris commendauit. Laudes verò eius magno encomio concelebrarunt sanctus Gregorius Nyssenus, Nectarius Episcopus, & Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ historiæ libro septimo, capite quadragesimo quarto. Cognominatus est autem sanctus hic Martyr, Tiro & Amasenus, ab Amasea vrbe in qua passus est sub Bringe Maximiani Imperatoris Præfecto: sicque appellatus est, ad alterius cuiusdam Martyris differentiam, cui Theodorus pariter nomen erat; qui quidem cùm exercituum Dux esset, sub Licinio Imperatore in Heraclea Ponti vrbe passus est. Cuius Acta iam ab Augaro scriba quodam qui præsens aderat excepta, & à Simeone Metaphraste posteà collecta, ab Episcopo Lipomano inter Sanctorum vitas Tomo quinto, & à Surio Tomo primo, sub die septima Februarij relata sunt; in quibus habetur, quòd gloriosus hic Dux, cùm Crucis signo se armasset, immanem ac pestiferum draconem interemit, qui Euchaitæ ciuitatis patriæ eius campestria halitu virulento inficiens, homines quoque & iumenta enecabat; sic enim ibi: *Sanctus autem Theodorus cùm Crucis fecisset signaculum, ascendit equum suum, & calcitrans stetit equus supra draconem quattuor suis pedibus. Tunc Christi athleta Theodorus stricto gladio percussit draconem, & dixit: Ago tibi gratias Domine Jesu Christe, quòd me exaudisti in hac hora, vt vincam aduersarium. Deinde conuersus, viam suam in pace iniit, simul lætans, & Deum glorificans.* Nicephorus autem Callistus, huius sancti Martyris passionem & mortem breuiter prosecutus, causam quoque prodit, cur ab impio Licinio truculentissima morte affectus sit; sic enim tradit: *Quo tempore*, inquit, *etiam exercitus Dux Theodorus martyrio est defunctus, spectata fortitudine vir, qui Heracleæ in Ponto habitans, Maryndinorum genti præerat. Et quòd euocatus ad Licinium non venit, & hospitem ipsum habuerit, eiusque deos comminutos egentibus dedit; hunc Licinius etiamsi egregiè charum habuerit, multis tamen cruciatibus affecit. Nam in Crucem eum egit, & subulas in meatus secretiores corporis eius immisit; postremoque capite truncauit. Cuius corpus posteà in patriam eius Euchaitem magnificè deportatum, ibi insigni templo cohonestatum est.*

Idē Crucis signo armatus pestiferum draconem interemit. B

Eccles. hist. lib.7.c.44. C

Quanta item sanctissimæ Crucis suæ signi sit virtus, Christus Dominus ostendere etiam voluit in sancta Iustina Antiochena virgine. Cùm enim ardenti amoris eius desiderio captus esset nobilis quidam iuuenis scholasticus, cui nomen Aglaides, omnemque excogitatum mouisset lapidem, quo illam ad libidinis suæ cupiditatem pertraheret, videns quòd nihil proficeret, effrænato tandem atque ardenti amoris incendio percitus, magna armatorum iuuenum manu constipatus, palàm in medio ipsius vrbis vico quodam illam aggressus, summis conatibus enixus est, vt ad suam domum eam violenter perduceret. Verùm cùm plurimi cognati eius armis instructi accurrissent, demum iuuenes illi perterrefacti, aufugerunt. At amore obcæcatus Aglaides, velut amens ac furiosus, tela, minas, ictus pro nihilo ducens; strictissimè illam amplexatam tenens, nullis viribus ab ea abstrahi vel dimoueri poterat, donec sancta virgo, corde & mente sese Christo Domino commendans, rogansque vt ab odiosa implicatione illa eam liberare vellet, Crucis signum non tam in insanientem iuuenem illum, quàm in eum qui tentationibus suis in furorem ipsum concitabat, intorsit; statimque à brachiorum illius amplexu se liberam conspexit. Sic enim testatur Simeon Metaphrastes, qui sacræ virginis ac Martyris huius D

S. Iustina signo Crucis improbum amatorē repellit.

A huius res gestas descripsit his verbis: *Virgo autem erat planè idipsum, quod Ioseph, qui erat moderatissimus & generosissimus, & Crucis figuram tamquam arma opponens, non tam aduersus illum quàm eum qui per illum ipsam tacitè conabatur oppugnare, repentè sceleratum illum & execrandum repulit ac reiecit.*

At ille qui in extremam effrænati amoris insaniam prolapsus erat, cùm perditis ac desperatis rebus suis nullum aliud remedium inuenire posset, mago cuidam nomine Cypriano, sese plurimùm commendauit, enixè illum deprecatus, vt in ea qua tum premebatur calamitate, aliquod sibi auxilium per artis arcana afferre vellet. Qui totum quod in se esset, pro eius solatio facturum pollicitus, vnum ex potentioribus nefariis spiritibus, cuius præcipua opera in similibus vti consueuerat, adiurationibus euocatum, iussit illi, vt suggestionibus ac tentationibus Iustinam virginem aggressus, in Aglaidis cupiditates omnino pelliceret. Paruit vtique nequissimus, nihilque intentatum reliquit, quo ad id illam im-
B pelleret. Verùm cùm noctu insolitis carnis stimulis se ipsam vehementer concitatam sentiret, è strato protinus consurgens, orationi cœpit incumbere: cumque agnouisset id diabolicam tentationem proculdubiò extitisse, Crucis signo se armauit. Is verò cùm formidabilis sibi atque terribilis teli illius aspectum omnino sustinere non valeret, confusus ac tremens statim aufugit. Sic enim in Actis prædictis idem Simeon Metaphrastes affirmat: *His armis vtens generosa virgo aduersus tentatorem, & deinde etiam inimicis intolerandum Crucis signum in eum immittens, pudore affectum, cum magno metu expulit dæmonem.* Quamobrem cùm iniquus ille probro & ignominia aspersus, re infecta Cypriano mœstus apparuisset; interrogatusque, quidnam operatus esset, licet se victum fateri puderet, adiurationibus tamen compulsus, præter naturam suam, veritatem fassus, inquit: *Vidi quoddam signum, quod valdè horrui, & vires illius non sustinui.*

Eodem aduersus diabolicas tentationes à Cypriano mago excitatas se armat, & vincit.

Quod cùm audisset Cyprianus, licet magna admiratione atque stupore cor-
C reptus, non tamen animo destitutus, diris adiurationibus alium dæmonum principem longè potentiorem accersiuit; districtéque illi imperauit, vt per omnes artes ac tentationes id omnino efficere niteretur, quod prior ille exequi non valuerat. Profectus is ergo, & mulieris assumpta forma, in sanctæ virginis domo assiduè versari cœpit. Cumque ob diuturnam consuetudinem aliquid fiduciæ sibi assumpsisse videretur, simulans se quoque virginem, occasione assumpta, virginitatem summis laudibus extollere cœpit. Et cùm sibi pariter illam seruandi, dum viueret, in animo esse dixisset; ostendere posteà perrexit, quàm grauis tamen ac molesta, multisque certaminibus plena res esset; vtpote humanæ carni atque naturæ repugnans, matrimoniumque econtrà, virilesque amplexus, quibus mundus sustentatur, & humanum genus propagatur, magno efferens præconio, significauit demum se alicui viro nubere decreuisse: quod vt etiam ipsa facere in animum induceret, efficacissimis suasionibus adhortatus est.
D Verùm cùm illa hanc quoque diabolicam tentationem esse perspexisset, Crucis signo statim se consignauit; ad quem actum nefarius hostis ille protinus euanuit. Quamobrem idem Metaphrastes inquit: *Cùm hæc verba audisset Iustina, non id ei vsu venit quod primæ parenti Euæ, sed statim surrexit, & malum declinauit consiliarium. Vnde etiam in eum quoque consueta immisit arma, nempe signum Crucis: & ille quidem, qui plus quàm alij se iactauerat, maiore pudore affectus, statim fuit eiectus.* Cumque stupidus ac magno probro affectus ad Cyprianum reuersus esset, & ab aspectus sui mœstitia se victum fuisse manifestè ostenderet; Ergo tu ne etiam, inquit Cyprianus, qui talis ac tantus es, à pura & simplici puella turpiter victus discessisti? Fare eia adiuratus, quibusnam armis confisa, vobis qui adeò potentes estis, resistere potuerit? Ad verba hæc fremens, ac sese contorquens

En mille fraudes diaboli, vt hominem supplantet.

quens dæmon, reſponſum prolatabat. Tandem verò adiurationibus compulſus, licet mendacij pater, veritatem tamen faſſus, ita reſpondit: *Crucis ſignum, ne dum figuratur quidem videre omnino ſuſtinemus, ſed totis viribus nos priùs in fugam conijcimus, quàm id perfectè figuretur.* Quibus auditis Cyprianus admiratione nimia obſtupeſcens, ſubdit: Ergo Crucifixus maior vobis eſt? *Vtique,* reſpondit dæmon, *non nobis tantùm, ſed omnibus etiam maior eſt.* Atque his dictis protinus euanuit. A

Cyprianus magus, cõperta efficacia Crucis, fit Christianus.

Tunc Cyprianus ad ſe reuerſus, mente agitare cœpit, quàm euidentis eſſet amentiæ, Chriſto derelicto, inimicis eius adhæreſcere, qui comparatione illius tam imbecilles ac nullius prorſus roboris eſſent. Atque in eo temporis puncto, Spiritus ſancti afflatu commotus, Chriſtianam fidem amplecti ſtatuit. Quamobrem incantationum ſuarum libris omnibus ſecum aſſumptis, ad Anthimum Epiſcopum profectus eſt, & ad pedes eius prouolutus, enixè eum rogauit, vt libros illos igne comburens, inter oues gregis ſui ipſum adſcribere dignaretur. B Cumque profuſis lacrymis & ſingultibus anteactæ vitæ veram pœnitentiam oſtenderet, ab eodem Antiſtite benignè eſt exceptus. Qui Catechumenum illum factum, non poſt multos dies ſacro Baptiſmatis fonte expiauit. Et cùm in Eccleſiæ conuerſatione, omnis virtutis ac ſanctitatis ſpecimen daret, in Diaconorum ordinem cooptatus fuit. Cumque doctus & in dicendi facultate admodum eruditus eſſet, prædicationibus & adhortationibus plurimos Gentiles ad Chriſti fidem quotidie perducebat. Quamobrem Eutolmio Aſſyriæ pro Diocletiano Imperatore Præſidi delatus, & in carcerem coniectus vnà cum virgine Iuſtina, cuius ſanctitatis fama percelebris, atque idolorum ſacerdotibus valdè erat odioſa, cùm pro Chriſti confeſſione diuerſa cruciatuum genera ſimul ſuſtinuiſſent, demum in ardentem ſartaginem iniecti, Crucis ſigno communiti, nulla ignis læſione accepta, diu in ea perſtiterunt. quod idem Metaphraſtes affirmat hoc modo: *Cùm his verbis Cyprianus confirmaſſet Iuſtinam, deinde rurſus figura venerandæ Crucis tamquam armis muniti, veluti ſuper rorem ſenſim deſcendentem, ſuper ferri flammam recubuerunt.* C

Ipſe deinde Cyprianus cum Iuſtina virgine in ardentem ſartaginem coniectus, ſigno Crucis omnem flammarum vim extinguit.

Quod ſuprà quàm dici poteſt Eutolmius Præſes admiratus, omnique ſpe deſtitutus, quouis tormentorum & cruciatuum genere illos expugnandi, vt ſeſe faſtidioſo illo iudicio eximeret, Diocletiano tum Nicomediæ degenti illos tranſmiſit; quo iubente ſecuri percuſſi, martyrij coronam perceperunt. Hæc omnia Simeon Metaphraſtes in eorumdem Martyrum Actis, quę ab Epiſcopo Lipomano inter Sanctorum ab ipſo collectas vitas Tomo ſexto, & à Surio Tomo quinto, ſub die vigeſima Septembris, relata ſunt: quæ tamen in aliquibus correctione indigent; præſertim verò vbi idem Metaphraſtes errore ductus, hos ſanctos Martyres ſub Claudio paſſos eſſe aſſeuerauit; cùm non ſub Claudio, ſed Diocletiani temporibus, martyrio affectos conſtet. Atque non in hoc tantùm, ſed in eo quoque eadem Acta corrigenda ſunt, vbi ipſe idem Metaphraſtes errore deceptus, Martyrem Cyprianum hunc cum diuo Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo confudit. D In quem errorem non ipſe tantùm, ſed omnes pænè Græci paſſim prolapſi ſunt. Horum autem ſanctorum Martyrum meminit Romanum Martyrologium; dę eiſdemque commemorationem pariter fecêre Beda, Vſuardus, ac fuſiùs etiam Ado Treuerenſis Archiepiſcopus: Græci verò in Menologio de ipſis celebritatem agunt ſub die ſecunda Octobris.

Alius hic Cyprianus à Carthaginenſi Epiſcopo.

Incredibili etiam cum admiratione mundo patefecit, quanta ſit Crucis ſigni virtus & potentia, venerabilis illa planè virgo & martyr Euphemia, quæ in eadem Diocletiani Imperatoris perſecutione, ſub Priſco Aſiæ Proconſule, in vrbe Chalcedone, Chriſti Domini præcipua gratia & priuilegio, Crucíſque

ſigni

A ſigni virtute ſuffulta, varia & diuerſa truculentiſſimorum & inauditorum cruciatuum, carcerum nimirum, virgarum, rotarum, ignium, equuleorum, ſartaginum, beſtiarum, ſubmerſionum in aquis, ferrarum, aliorumque horribilium tormentorum genera pertulit & ſuperauit; cuius admirabiles planè res geſtas conſcribens Simeon Metaphraſtes, tradit, quòd cùm in horribilem & crudelem rotarum machinam iniicienda eſſet, Crucis ſigno ſeſe communiens, intrepido animo hilarique vultu ſponte aduerſus illam proceſſit: *Poſtquam autem*, inquit, *ipſæ machinæ dicto citiùs fuerunt conſtructæ, & Martyr in eas iniicienda eſſet; validis continuò in ſe paratis armis, nempe diuina Crucis figura, ac ea ſignata, aut vt meliùs dicam munita, aduerſus rotas proceſſit, nullam quidem vultu oſtendens mœſtitiam, ſed ſeuero & honeſto vultu.* Et paulò pòſt ſubdit: *Deus autem effectum reddidit quod precabatur. Cæleſtis enim continuò adueniens virtus, momento temporis facit hæc omnia: eam quidem ſoluit à rota, corpus autem curat à* Stupenda Crucis miracula in Actis S. Euphemiæ.
B *plagis adeò pulchrè, vt ne minimum quidem vulnerum veſtigium in eo appareret: deinde etiam miniſtros iniquitatis ſpecie terrens terribili, facit vt non operentur. E rotis verò egreſſa glorioſa certatrix, non ſolùm conſpecta fuit integra & ſana, ſed etiam vultu alacris.*

Deinde verò cùm Proconſul in ciſternam aqua plenam illam proiici iuſſiſſet, in qua diuerſas marinas beſtias carniuoras, humanæque carnis auidiſſimas iniiciendas curauerat, ea ſanè mente, vt aquis ſubmerſa à beſtiis eiſdem voraretur; ipſa ſancta Dei virgo & Martyr cùm oraſſet, & toto cordis affectu Deo ſeſe plurimùm commendaſſet, ac totum corpus ſuum Crucis ſigno conſignaſſet, ſponte in ciſternam illam inſiluit, idque contigit quod idem Metaphraſtes in hunc modum teſtatur: *Cùm ſic precata eſſet, & ſe toto ſignaſſet corpore, in aquam forti ac generoſo animo inſiluit. Beſtiæ autem protinus quidem cum magno impetu acceſſerunt: poſtquam verò fuerunt prope corpus Martyris, cibi omnino ſunt*
C *oblitæ, & functæ ſunt munere ſatellitum; & Martyrem excipientes, eam dorſis ſuis ſuſtinebant, perinde ac ſi eius curam gererent ne quid graue eueniret in aquam deſcendenti.* Hæc ille. Acta autem hæc glorioſæ huius virginis & martyris Euphemiæ, ab Epiſcopo Lipomano inter Sanctorum vitas Tomo ſexto, & à Surio Tomo quinto relata ſunt: ſolemnem verò commemorationem de eadem facit Romanum Martyrologium, ſub die decima ſexta Septembris: Græci autem in Menologio agunt de ea ſub die vndecima Iulij; licet antiquitus, Chalcedonenſis Concilij nimirum temporibus, eiuſdem ſanctæ Martyris natalis dies feſtus ad Nouembris vigeſimum quintum diem in Oriente celebrari conſueuiſſet; vt ex eiuſdem ſacri Concilij Actis euidenter patet. Act. 6.

Miraculorum denique quæ ſancti Martyres per Crucis ſignum edidêre finis & corona nunc ſit ſancta Margarita Antiochena virgo, quam Græci Marinam appellant. Hæc enim cùm in eadem Diocletiani perſecutione, Oli-
D brio Orientis Præfecto iubente, varia atrociſſimorum tormentorum genera, Chriſto donante, viciſſet, atque in carcerem denuò detruſa, dum orationi inſtaret, Deoque pro admirabili victoria aduerſus tot à diabolo tentationes per eumdem Olibrium ceteroſque miniſtros eius ſibi illatas, & contra tot dira ſupplicia quæ fortiter perpeſſa erat reportata, gratias referret; præ cordis alacritate Dominum precata eſt, vt inuiſibilem hoſtem, qui per viſibiles homines tot diris impugnationibus illam diuexarat, corporeis oculis conſpicere poſſet, quò propriis pedibus illum conculcaret; & ecce ſtatim dum ſic precaretur, ingens terræmotus in carcere factus: diabolus enim immanis atque horribilis draconis aſſumpta forma, diuerſicolor, multiſque ſerpentibus circumdatus repentè ſeſe illi oſtendit, & grauem ac tetrum emittens odorem, horribi-

lesque sibilos edens, vasto oris hiatu, & veloci celeritate eam circumcursans, A
integram illam omnino voraturus videbatur. Quamobrem grauem adeò turbationem atque horribilem terrorem illi incussit, vt pænè extra se, ab illo se deglutitam putauerit: verùm in ancipiti turbatione illa, Crucis signo se communire non oblita, statim videre sibi visa est disruptum draconis ventrem, integram & illæsam se inde exire. Quare Simeon Metaphrastes hunc planè admirabilem euentum prodens, inquit: *Illa verò mente firma & stabilis, & quæ ad Deum omni ex parte intueretur, interrito & constanti animo precibus quæ dici non possunt, & intentissimi cordis vociferationibus, mente rapta ad Altissimum, & simul signo Crucis signata, disruptum quidem ventrem draconis visa est videre ante oculos suos; hinc autem animaduertit se exire integram & illæsam.* Hæc autem sanctæ Margaritæ Acta, iam à Simeone Metaphraste conscripta, ab Episcopo Lipomano inter ceteras Sanctorum res gestas ab eo collectas Tomo sexto, & à Surio Tomo quarto relata sunt. Eadem quoque Mombritius ex peruetustis Latinis manuscriptis desumpta Tomo secundo ad posterorum memoriam litteris commendauit. Verùm ante hos omnes Beda venerabilis miraculum hoc suo in Martyrologio sic breuiter perstrinxit: *In Antiochia passio Marinæ virginis, quæ per Olibrium Præfectum multa tormenta passa est pro nomine Christi; vincula, carceres, flagella, equuleum; quam & diabolus in draconis specie similiter & Æthiopis tentauit, sed per signum sanctæ Crucis superatus est: nouissimè verò per prædictũ Præfectum decollata, sacro martyrio vitam finiuit.* Huius autem virginis & Martyris præcipua fit in Martyrologio Romano commemoratio, etiam in antiquioribus, sub die vigesima Iulij; Græci verò in Menelogio agunt de ea ad XVII. eiusdem mensis diem. B

S. Margarita dæmonẽ in specie draconis signo Crucis prosternit.

In Martyrol. 14. Kal. Iulij.

Et hactenus, ne res in infinitum protrahatur, de miraculis à sanctis Martyribus per Crucis signum editis dixisse sufficiat. Cui quidem materiæ tum demum coronidem imponemus, cùm quædam alia insigniora miracula à sanctis quibusdam Confessoribus, per idemmet sanctæ Crucis signum pariter edita, breuiter recensuerimus. C

Primus igitur omnium inter sanctos Confessores ad institutum hoc nobis occurrit Gregorius Neocæsareæ Episcopus, à miraculorum magnitudine ac multitudine Thaumaturgus appellatus, qui Origenis discipulus & auditor fuit, & ad Diocletiani Imperatoris vsque tempora superuixit. Is enim per Crucis signum plurima edidit miracula, quorum aliqua Gregorius Nyssenus in Oratione de eius vita posteritati transmisit. Inter quæ insigne admodum illud fuit, cùm necessitate cogente, ob alterius diuersorij penuriam, nocte ingruente in delubrum quoddam Gentilium Apollini dicatum se recepit, in quo idoli illius simulacrum aderat, quod responsa edebat; vbi Crucis signo aërem nidoribus inquinatum, & præ multitudine victimarum eidem idolo crematarum malè olentem, expiauit. Scribit præterea idem Gregorius Nyssenus, quòd dum sanctus Gregorius Thaumaturgus idololatrarum persecutionem fugiens, in edito quodam monte cum paucis sectatoribus suis latitaret, per reuelationem vidit victoriam & martyrium sancti Troadij, qui in vrbe Neocæsariensi pro Christi fide martyrio affectus fuerat. Cuius agonis seriem cùm astantibus retulisset, is qui iam eiusdem idoli Apollinis, quod suprà retulimus, sacerdos fuerat, quique ab ipso sancto Gregorio Thaumaturgo ad Christi fidem perductus, Diaconi eius tum fungebatur officio, ardenti desiderio æstuare cœpit ad vrbem proficiscendi, vt locum inspiceret vbi sanctus ille martyrij coronam adeptus fuerat; & vt sciscitaretur, num facti illius series reuerà ita contigisset, prout sanctus Gregorius absens ab vrbe, ac nemine de his eum certiorem faciente, ac si interfuisset narrauerat. D

Delubrum Apollini dicatum à S. Gregorio Thaumaturgo Cruce expiatum.

Efflagi-

A Efflagitata ergo, ac demum ad effectum hunc obtenta eundi licentia, cum eiusdem diui Gregorij benedictione profectus, ad vesperam iam inclinato die, itineris labore fessus ac sudore madidus ad ciuitatē peruenit: quamobrem defatigatum labore corpus lauacro recreare, & balneum quoddam publicum ac proximum ingredi necesse sibi esse duxit, in quo balneo malus quidam dæmon homicida noctu versari solebat, qui quotquot homines noctis tempore illud ingrediebantur, necabat: quocircà post solis occasum thermæ illæ non exercebantur, nemoque eo tempore illas ingredi solebat. Diaconus autem prædictus loci Præfectum, & eos penes quos claues asseruabantur, vt ingrediendi sibi potestatem facerent, deprecatus, licet illi renuentes testarētur, neminem qui noctu illuc ingredi ausus esset, viuum egressum fuisse; importunis tamen precibus instans atque vrgens, adeò illos defatigauit, vt eum tandem ingredi permiserint. Quid verò ei balneum illud ingresso acciderit, ex ipsius diui Gregorij Nysseni huius historiæ auctoris verbis percipere par est, quæ iuxta Gerardi Vossij recentiorem interpretationem ita se habent: *Postquam autem nudatus fuit intus, multiplices terrores & concussionum materia à dæmonio instruebantur; spectra varia igni & fumo mistam naturam præ se ferentia, in forma hominum & ferarum oculis se ingerentia, auribus insonantia, anhelitui appropinquantia, & vndique corpori se circumfundentia. Ille verò se signo Crucis muniens, & Christi nomen inuocans, primum conclaue illæsus pertransiit: ad interiorem autem partem ædium progressus, in grauiora spectacula incidit, in horribiliorem aspectum dæmonio transformato. Nam & simul terræmotu concuti domus ei videbatur; & solum infrà ruptum, flammam nudam ostendere inferiùs, scintillæque flammæ ab aquis emitti putabantur: rursusque ei arma itidem fuēre, signaculum Crucis & Christi nomen, & quod per magistri preces adferebatur auxilium, terrores earum rerum quæ tum apparebant, tum fiebant, discutiebat. Aqua autem iam recreatus, cùm festinaret egredi rursus prohibebatur à dæmone ostium occupante; sed hoc* C *quoque rursus impedimentum pari virtute, sponte sua ostio cedente, per signum Crucis discussum atque dissolutum est. Hoc igitur modo, vt dictum est, conseruatus, magnæ admirationi Præfectis loci fuit; eò quòd nemo eorum qui vnquam illa hora ingredi ausi essent, inter viuos posteà apparuisset.*

Itē mirabilia eius discipulus signo Crucis operatus est.

In Oratione de vita sancti G. Thaumaturgi.

Habentur hæc eadem in operibus S. Thaumaturgi à Vossio editis.

Admirabilia post hæc & notatu planè dignissima ea fuēre miracula, quæ Christus Dominus, Crucis signo intercedente, operari dignatus est per Iosephum quemdam natione Hebræum ex Tiberiade ciuitate oriundum, virum nobilitate insignem, atque inter suos primarium. Is enim, vt diuus tradit Epiphanius, cùm in grauem ac periculosum morbum quemdem incidisset, Christus Dominus in somnis illi apparuit, dicens: Ego sum Iesus, quem maiores tui crucifixerunt; crede in me, & sanus eris. Quod cùm pollicitus esset se facturum, statim sanitati se restitutum sensit: verùm sponsionis suæ, vbi conualuit, oblitus, in Iudaica perfidia perseuerauit. At non post multos transactos dies, in aliam D grauiorem atque mortalem infirmitatem recidit; iterumque benignissimus Dominus per somnij visum illi apparuit, & dixit: Ecce denuò te sanum facio; ideoque cùm è lectulo surrexeris, crede. Ille verò sanitate receptâ, minimè credidit. Misericors autem & miserator Dominus, qui illum pro infinita bonitate sua seruare decreuerat, tertiò per quietem ei apparuit, & ait: Cur in me credere renuis? crede fili pro salute tua. Si autem in fidei meæ certitudinem, admirabile aliquod ac diuinum signum operari volueris, inuoca nomen meum, & desiderium tuum adimplebo. Quid verò is, vt visionem experiretur, fecerit, idem Epiphanius tradit his verbis: *Erat autem quidam insanus in ciuitate, qui nudus in vrbem circuibat, in Tiberiade videlicet; & cùm sæpè vestis induceretur ipsi eam dilaniabat, velut tales facere solent. Iosephus igitur volens experiri visionem, dubitans adhuc, verecun-*

Contra hæreses lib. I. To. 2. cōtra Ebionæos 30. sectam.

En Dei bonitatem, & nihilominùs Iudæi obstinationem.

verecundia detinebatur. Assumit itaque hunc intrò, & præclusis foribus, acceptataque aqua in manum, eaque Crucis signaculo signata, insanum hominem respersit, ac dixit: In nomine Iesu Nazaræi crucifixi, egredere dæmonium ab ipso, & sanus fiat. Homo verò magno clamore edito, humum prolapsus, & multa spuma ab ore emissa lancinatus, ad multum tempus immotus permansit. Iosephus itaque putabat hominem mortuum esse: ille verò post tempus, perfricta facie surrexit; & conspicatus suam nuditatem, se ipsum occultauit, & manus pudendis prætendit, non ampliùs sustinens propriam nuditatem videre. Itaque amiculo ex his quæ apud eumdem Josephum erant indutus, ad statum prudentiæ ac modestiæ deuenit, ipsique viro ac Deo magnas gratias egit. Iosepho nihilominùs in animi sui duritia ac peruicacia permanente contigit, vt collata ei ab Hebræorum Patriarcha nomine Iuda Apostolatus dignitate, quæ apud illos valdè eminens & sublimis censebatur, cùm ab eodem Patriarcha summa potestate suffultus in Ciliciam ablegatus esset, in quadam eius prouinciæ vrbe prope Christianorum cathedralem Ecclesiam diuersatus, cum eiusdem loci Episcopo familiaritate contracta, sanctorum Euangeliorum librum ab eo mutuò postulatum, clandestinè in sui ipsius solatium sæpiùs perlegeret. Verùm cùm ab Hebræorum sacerdotibus decimas exigeret, & pro officij sui munere, & ad bonæ disciplinæ legis directionem, multos malè constitutos Synagogæ principes, sacerdotes, ac Leuitas deponeret, ac à dignitate amoueret, multorum inuidiam contraxit. Quamobrem cùm Iudæi ad Christianismum illum vehementer propendere, eique cum Christianis intimam & occultam intercedere consuetudinem animaduertissent, tumultuosa in eum concitata seditione, armata manu in domum eius repentè irruerunt; cumque forte fortuna sacra eum Euangelia tum legentem deprehendissent, libro è manibus eius auulso, & in terram proiecto, pugnis & calcibus impetitum, ac malè mulctatum, ad synagogam rapientes, flagris dirisque verberibus cæsum in carcerem coniecerunt. quod cùm resciuisset vrbis Episcopus, illum è manibus eorum violenter eripuit. Verùm cùm die quadam, illum iter facientem deprehendissent, in Cydnum fluuium proiecêre: cumque à fluctibus eum rapi prospicerent, iam submersum putantes recesserunt. Ipse verò præcipua ope diuina incolumis mirabiliter seruatus, Christianam religionem omnino amplecti statuit.

Idem tamē Iudæus tādem cōuertitur.

Ideò sacro Baptismatis fonte expiatus, vt Iudæorum iram declinaret, ad magnum Constantinum Imperatorem profectus, cùm nobilitatis suæ genus, ac patriam, & quod ei acciderat, exposuisset, perbenignè à pio ac generoso Imperatore exceptus, & magnis honoribus auctus est, Comitisque titulo decoratus; insuperque quidquid ampliùs vellet petere iussit. Iosephus autem nihil aliud postulauit, quàm vt potestas & facultas per Regium mandatum ipsi tribueretur, Ecclesias in Christi honorem, in vrbibus ac terris Hebræorum extruendi; præsertim verò in Tiberiade, in Cæsarea, in Nazareth, & in Capharnaum. Expeditis igitur super his patentibus litteris, epistolisque insuper ad Præsides & Gubernatores acceptis, quibus Ecclesiarum fabricæ Imperatoriis sumptibus fieri mandabantur, Tiberiadem patriam suam rectà contendit: ibique peruetustum & amplum Hadriani templum quoddam instaurare aggressus, vt ad Ecclesiæ formam in Christi honorem redigeret; cùm pro Ecclesię illius structura, multas fornaces, in quibus calx & lateres coquerentur, struere oporteret, impij ac scelesti Hebræi, cùm sanctum opus illud per vim præpedire non posse viderent, præstigiis & incantationibus obsistere conati sunt. His igitur malis artibus ignem fornacium hebetantes, effecerunt, vt ligna comburendi vim non haberet,

A haberet, idque operi magno erat impedimento. Quod cùm Iosephus accepisset, zelo Dei incensus, ac vera fide armatus, protinus sese extra vrbem, vbi fornaces aderant, contulit; idque effecit, quod idem sanctus Epiphanius memoriæ prodidit his verbis: *Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Deum correptus extra ciuitatem currit. Et vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit; & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine Iesu Nazaræi, quem crucifixerunt patres mei & horum omnium circumstantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini. Et sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit: & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ verò præsentes, clamore edito, Vnus Deus quia auxiliatur* B *Christianis, secesserunt.*

Ibidem.

Et Crucis signaculo incantamẽta diaboli soluit.

Sanctus Martinus Sabariæ in Pannonia natus, qui Turonensis posteà fuit Episcopus, per Crucis signum multa ipse quoque edidit miracula, inter quæ insignia admodum duo illa fuêre, quæ Seuerus Sulpitius his verbis refert in eius vita: *Accidit,* inquit, *insequenti tempore, dum iter ageret, vt Gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet, conspicatusque eminus venientem turbam, quidnam id esset ignarus, paululùm stetit; nam ferè quingentorum passuum interuallum erat, vt difficile fuerit dignoscere quid videret. Tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superposita volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra dæmonum candido tecta velamine, misera per agros suos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduerso signo Crucis, imperat turbæ non moueri loco, onusque deponere. Hîc verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse: deinde* C *cùm primò mouere se summo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi corporis onus deponunt; attoniti, & semetipsos aspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed beatus vir, cùm comperisset exequiarum esse illam frequentiam, non sacrorum; eleuata rursum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem. Ita eos, & cùm voluit, stare compulit; & cùm libuit, abire permisit.*

In vita sancti Martini, lib. 1.

S. Martinus signo Crucis obuios quosdã primũ sistit, deinde soluit.

Alterum verò miraculum à sancto Martino per Crucis signum editum, idem Seuerus Sulpitius ita prosequitur: *Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere; tunc Antistes loci illius cum cetera Gentilium turba cœpit obsistere: & cùm ijdem illi, dum templum euertitur, imperante Domino, quieuissent, succidi arborem non patiebantur; ille eos cœpit sedulò commonere, nihil esse religionis in stipite; Dominum potiùs, cui seruiret ipse, sequerentur; arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tunc ex illis* D *vnus qui erat audacior ceteris, Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe: & si tecum est tuus vt dicis Dominus, euades. Tunc ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hîc verò ad istiusmodi conditionem omnis illa Gentilium turba consensit; facilemque arboris suæ habuêre iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruisset. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset acclinis, vt non esset dubium quam in partem succisa corrueret, eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio lætitiaque cœperunt. Aderat eminùs turba mirantium, iamque paulatim cœpit nutare pinus, & ruinam suam casura minitari. Psallebant eminùs monachi; & periculo iam propiore conterriti, spem omnem fidemque perdiderunt, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino,*

Ibidem.

Idem arborem supra se ruiturã, Cruce aliò impellit.

intrepidus opperiens, cùm iam fragorem sui pinus concidens edidisset; iam cadenti, iam super se ruenti, eleuat obuiam manum, signum salutis opponit. Tunc verò turbinis modo retroactam putares; diuersam in partem ruit, adeò vt rusticos, qui tuto in loco steterant, penè prostrauerit. Tunc verò in cælum clamore sublato, Gentiles stupuère miraculo. Hæc ille. A

Iulianus ipse Apostata diaboli terricula menta signo Crucis à se repellit.

Placuit etiam Christo Domino, pro sua gloria, vt aliqui infideles & rebelles qui à sancta eius fide desciuerant, quanta sit Crucis signi virtus & potentia, in suum profectum re ipsa experirentur. Inter quos impius Iulianus Apostata, cùm iam à Christo Domino defecisset, seque ipsum sponte à sancta Ecclesia miserè & infeliciter exclusisset, cùm celebre adytum quoddam vnà cum profanis sacerdotibus ac præstigiatoribus suis, de futuris rebus dæmones sciscitaturus, ingressus esset; protinus quædam visu horribilia sese illi ingessère diabolica spectra; quibus perterritus, statim Christianæ religioni nuntium remisisse, & eius rei ob quam illuc descenderat oblitus, ad salutare perfugium, quo vti solebat dum Christianus esset, confugit; (nam prouectiore iam ætate à Christo rebellauerat:) ideoque repentino horrore atque formidine tum perfusus, illud idem repentè remedium adhibuit, quo iam in grauioribus discriminibus se præmunire consueuerat, Crucis nimirum signo se consignans. Ad quem actum confestim omnia illa horribilia spectra euanuêre. Id enim Nicephorus [a], Sozomenus [b], Theodoretus [c], & alij Ecclesiastici Historici testantur. B

[a] Lib. 10. cap. 3.
[b] Lib. 5. cap. 2.
[c] Lib. 3. cap. 3.

Lib. 3. c. 7. Tom. 3.

Neque notatu planè minùs dignum id censeri debet, quod Magnus tradit Gregorius de Hebræo illo qui ex Campania Romam veniens, cùm nocte ingruente prope Fundanam vrbem attigisset, neque diuersorium aliquod quò sese reciperet inueniret, in peruetustum ac vicinum quoddam Gentilium delubrum, Apollini dicatum, declinauit; ibique noctis horrore, & loci sacrilegio perterritus, licet Crucis fidem non haberet, Crucis tamen signo se communiuit. Et ecce dum solitudinis illius horrore consternatus non dormiret, circa noctis medium, ingentem dæmonum turbam, quasi satellitum in obsequium Principis cuiusdam præeuntium, templum illud repentè ingredi conspexit. Cumque eò accessissent, is qui inter illos maior ac princeps esse videbatur, cùm in eorum medio consedisset, à singulis quibusque quid mali & nequitiæ die illa perpetrassent exquirere cœpit; inter quos vnus ex nefariis spiritibus illis in medium prosiliit, qui Andream Fundanum Episcopum tentasse, & carnis stimulis concitasse asserebat, vt cum sanctimoniali quadam, quæ apud eum diuersabatur, sese carnaliter coniungeret, in magnamque spem inductum se esse dicebat, vt in facinus illud prolaberetur. Quod cùm scelestissimus princeps audisset, ac nequissimum spiritum illum diligentiæ laude commendasset, adhortatusque vt cœptum negotium sedulò exequeretur, iussit perquiri quisnam ille esset qui solus nocturno tempore templum illud ingredi, & ibi quiescere ausus esset. Dumque Iudæus ille horribili pauore ac terrore perfusus, formidinis anxietate hæc cernens palpitaret, quidam ex spiritibus illis vt eum recognoscerent, propiùs accessère: cumque diligenter inspexissent, animaduertissentque haudquaquam illum Christianum, sed Crucis signo consignatum esse; magna admiratione correpti exclamarunt, dicentes: *Væ, væ; vas vacuum, sed signatum.* Et cùm id principi ac duci renuntiassent, statim omnis illa nequissimorum spirituum turba inde recessit. Iudæus verò protinus inde discedens, ad Fundanum Episcopum festinus properans, cuncta quæ viderat & audierat ei retulit. Quibus acceptis, optimus Antistes ingentes pro admonitione illa Deo gratias egit, confestimque sanctimonialem illam ac ceteras omnes feminas domo sua expulit. Delubrum autem C D

Crux etiã efficax in Iudæo, etsi nondum Christiano.

A tem illud Apollinis, in diui Andreæ Apostoli Oratorium verti curauit, & ab omni illa carnis tentatione statim liberatus est. Iudæum autem illum, qui salutis suæ mediator exstiterat; quandoquidem Crucis signi virtutem expertus, ad Christianismum propendebat; cùm de his quæ fidei sunt erudiisset, sacro Baptismatis fonte expiatum, ad sanctæ Ecclesiæ gremium perduxit.

Non solùm autem apostatæ & Hebræi, sed Turcæ ipsi quoque, quanta sit Crucis signi virtus, ad suum profectum re ipsa experti sunt. Cùm enim eorum prouincia, dira quadam & contagiosa lue diu infecta esset, qua multa hominum millia interierant, à Christianis quibusdam edocti sunt, vt Crucis imaginem in frontibus suis depingerent; firmiter asserentes, eos eorumque prouinciam per sacrosancti illius signi virtutem à contagione illa seruandos. Quod cùm fecissent, mirabiliter liberati sunt: ideoque barbara gens illa deinceps, deuotionis ergô, & in accepti illius beneficij memoriam, Crucis imaginem frontibus insculptam diu posteà deferre consueuerat. Quamobrem Nicephorus Callistus memoriæ prodidit, quòd Chosroës Persarum Rex cùm insignem quamdam victoriam de Varamo tyranno, qui Persarum Regnum occupauerat, terrestri prælio deuicto à Narsete Duce, sibi ab Imperatore Mauritio subsidio misso, reportasset; grati animi ergô omnes Turcas bello captos eidem Imperatori dono transmisit. De quibus idem Nicephorus ita: *Turcas*, inquit, *quos Chosroës Constantinopolim miserat, stigmaticos, liquato atramento, Cruces in frontibus impressas Imperator habere videns, interrogauit, quanam gratia, quæ non colerent circumferrent signa? Illi grauem ante plures annos in Perside & patria sua pestem coortam esse dixerunt; à qua cùm multi mortales infecti interirent, Christianos quosdam qui ibi fuêre hominibus, si hoc fecissent, saluti suæ consulturos esse, regionemque eam à lue tali intactam liberamque fore persuasisse: idque esse ab eis factum.*

Item Turcæ Cruce in frontibus depicta à contagione liberantur.

B (margin letter)

Lib. 18. cap. 20.

C Huius facti meminit etiam Sigebertus in Chronicis, licet diuersimodè aliquantulùm, his verbis: *Turci à Caspiis portis erumpentes, Armeniam infestant. In quorum patria cùm antiquo tempore pestilentia fuisset, suasu Christianorum, in modum Crucis sese totonderunt; & quia per hoc signum salus patriæ reddita est, hunc tondendi ritum tenuerunt.* Extant ad hanc vsque diem Mauri quidam (Chabayros vocant) qui licet infideles & Mahometani sint, Crucem tamen maxillæ insculptam deferunt. Quorum ingens manus in Iuliæ Cæsareæ vrbis, quam nunc Algerium vocant, præsidio, anno quingentesimo quadragesimo primo supra millesimum conspecta est, cùm Carolus Quintus Imperator ad illius expugnationem est profectus, occulto tamen Dei iudicio, re infecta, magnaque clade accepta, inde digressus, ob horribile ac miserrimum naufragium, quo classis eius in importuosi maris illius littore elisa est; quod in nostra Illustrissimæ sancti Ioannis Ierosolymitani Militiæ historia fusiùs prosecuti sumus.

In Chronicis sub anno Domini 761.

D Nunc autem ad temporum ordinem ac seriem reuertamur, à qua nonnihil digrediendi nobis sese ingessit occasio, dum de Barbaris his disseruimus, qui licet non credentes, Crucis tamen beneficio sunt affecti. Dum igitur Imperij gubernacula teneret impius Iulianus Apostata, inter ceteros Christi seruos & amicos, sanctus floruit Hilarion Eremita; qui dum sæpè vexaretur à dæmonibus, qui crebris ac variis horribilibus apparitionibus, ab oratione, à contemplatione, & à sancto eius consilio illum auertere conabantur; nocte quadam audire sibi videbatur infantium ploratus, pecorum balatus, boum mugitus, mulierum lamentationes, leonum rugitus, exercituum tumultus, variasque & horribiles alias quas dæmones edebant voces, vt his auditu priùs quàm visu exterreretur. Quæ cùm intellexisset dæmonum esse ludibria, statim genibus

humi prouolutus, Crucis signum digito fronti impressit: idque contigit, quod diuus Hieronymus in hæc verba litteris consignatum reliquit: *Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genibus Christi Crucem signauit in fronte: talique armatus casside, & lorica fidei circumdatus, iacens fortiùs præliabatur, quodammodò videre desiderans quos horrebat audire, & solicitis oculis huc illuc circumspiciens: cùm interim ex improuiso, splendente luna, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere: cumque inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est.* A

In vita S. Hilarionis, Tom. I.

Horribilia spectra à S. Hilarione Cruce fugata:

Post impij Iuliani Apostatæ decessum, in lætitiæ argumentum, qua infernus gestiebat, quòd magni ac miseri illius Christi hostis & perduellis animam excepisset, ingenti adeò atque horribili terræmotu vniuersus terrarum Orbis concussus est, vt mari terminos suos egrediente, & furibundo fluctuum impetu & fragore terram inuadente, nauesque ad montium prærupta allidente, videretur planè Deus nouo quodam diluuio vniuersum mundum submersurus, vel in antiquum chaos omnia redacturus. Quod cùm viderent Epidauritani, quos nunc Ragusaeos appellamus, verentes ne vrbs illa funditus euerteretur, ad sancti Hilarionis opem, qui ibi tum degebat, confugerunt. Cumque ad mare eum deduxissent, ibi in littore tamquam vrbis propugnaculum quoddam statuerunt; vbi id egit, quod idem tradit Hieronymus, inquiens: *Qui cùm tria Crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contrà tenderet; incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare, ante eum steterit; ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus & omnis illa regio vsque hodie prædicat, matresque docent liberos suos, ad memoriam in posteros transmittendam.* Hæc ille. B

Et maris inundatio repressa.

Inter ceteros sanctæ Ecclesiæ Prælatos, qui Theodosij Imperatoris temporibus floruêre, Donatus Euoreæ Epiri vrbis Episcopus, vitæ sanctitate & miraculorum gloria admodum enituit. Inter cetera enim notatu & admiratione digna, quæ operatus est, horribilem immanemque draconem, qui non pecora tantùm, boues & equos, sed & homines ipsos rapiens deuorabat, Crucis signo prostratum occidit. Quod miraculum his verbis Sozomenus prosecutus est: *Neque enim ille,* inquit, *vel gladium, vel hastam ferens, vel aliquod aliud telum habens, hanc belluam adorsus est; sed cùm illa eum aduentantem sensisset, & caput velut impetum factura exeruisset; signum Crucis aduersus ipsam aëri digito inscripsit, & illi in faciem expuit. Illa sputo in os accepto, statim concidit; ac mortua iacens amplitudine non minor apparuit his serpentibus, qui visuntur apud Indos. Siquidem vt ego quidem accepi, octo iugis in proximum campum extractam indigenæ combusserunt; ne putrefacta aërem inquinaret.* Idem etiam miraculum narrat Nicephorus Historiæ suæ Ecclesiasticæ libro duodecimo capite quadragesimo quinto. C

Lib. 7. c. 25

Immanis draco signo Crucis à S. Donato prostratus:

Alius à S. Iuliano.

Alium quoque similem, Crucis signi virtute, sanctus Iulianus Eremita, draconem, qui eum iter facientem inuaserat, & deuorare volebat, interemit. Quod miraculum Theodoretus in eiusdem sancti Iuliani vita litteris commendauit; asseritque, quòd non ita multo pòst illac pertransiens Iacobus eiusdem sancti Iuliani discipulus, cùm eminùs belluam illam prospexisset, confestim fugam arripuit, arbitratus illam esse viuam; sed cùm eamdem posteà immobilem vidisset, propiùs aliquantulùm accedere ausus, mortuam reuerà animaduertit, ideoque iter suum prosecutus, certissimè argumentatus est sanctum Iulianum draconem illum occidisse, cùm nemo alius eadem die illac pertransisset. Quamobrem cùm in conspectum eius peruenisset, statim eum enixè rogare cœpit, vt diceret ei vellet, quisnam immanem belluam illam occidisset. Ille verò sermonem ad alia conuertens, præ humilitate & modestia nihil ad hoc ei respon- D

A respondebat. At Iacobus maiori id sciendi desiderio accensus, precibus adeò illum vrgere cœpit, vt veritatem tandem ei fateri coactus sit; præcipiens tamen, ne dum ipse viueret rem alicui proderet: ideoque confidenter, *Scias*, inquit, *quòd me iter ingredientem illa inuasit bellua, osque aperuit me cupiens deuorare: ego autem Iesum appellans, & digito trophæum Crucis ostendens, omnem quidem excussi timorem; extemplò autem vidi humi cecidisse belluam: & communi laudato Seruatore, perrexi vlteriùs.* Scribit etiam idem Theodoretus, sanctum Marcianum pariter Eremitam, alium quoque draconem Crucis signo peremisse quonam verò pacto id acciderit, his verbis tradit: *Aliquando*, inquit, *cùm in vestibulo magnus oraret Marcianus, draco quidam qui reptauerat supra parietem versum Orientem, desuper è muro despexit, simul & hians & horribiliter intuens, & se inuasurum significans. Procul autem stans Eusebius, & illud horrendum spectaculum pertimescens, & id magistrum ignorare suspicans, illi ostendit, clamans, & vt fugeret, rogans. Ille* B *autem cùm eum reprehendisset, & timorem expellere iussisset (nam eum quoque esse exitiale vitium) digito quidem Crucis priùs expressit figuram, ore autem insufflauit, & veteres ostendit inimicitias. Ille autem spiritu oris, tamquam igne aliquo exsiccatus, & veluti exectus, instar exustæ stipulæ in multas partes est dissolutus.*

Sanctorũ Patrum historia, in Iuliano.

Alius item à S. Marciano.

Sanctorum Patrum historia, in Marciano.

Refert Gregorius Turonensis, quòd orante sancto Caluppano Eremita, die quadam duo dracones immensæ magnitudinis ad eum ingressi astiterunt procul: quorum alter, qui, vt idem Gregorius existimare se innuit, dux tentationis altero validior erat, erecto pectore, os suum contra os Beati, quasi aliquid mussitaturus erexit; at ille perterritus, tamquam aheneus valdè diriguit, nullumque penitus membrum mouere potuit, neque manum eleuare, vt signum sanctæ Crucis opponeret. Cumque ambo diutissimè in silentio constitissent, venit in mentem Sancto per spiritum, vt orationem Dominicam, etsi labia mouere non posset, corde saltem recitaret: dumque tacitus illam prosequere- C tur, membra eius quæ inimici arte reuincta fuerant, paulatim dissolui cœperunt. Ideoque statim cùm dexteram manum liberam se habere sensisset, os suum Crucis signo consignauit: deinde verò ad draconem conuersus, iterùm Crucis signum in eum intorsit. Cumque maiora illi exprobrasset exitia, quæ diabolus sub serpentis specie humano generi intulerat; præcepit illi, vt sanctæ Crucis signo humiliatus, sub terram sese confestim abderet, quod & reipsa fecit. Sic enim idem testatur Gregorius: *Sentiens Sanctus se manum dexteram habere liberam, ori signum beatæ Crucis imponit; rursumque conuersus ad hydrum, pingit iterùm Crucem Christi aduersus eum, dicens: Abde nunc inimice caput, & humiliare sub signaculo Crucis diuinæ, quia non est tibi portio cum seruis Dei, quorum est hereditas Regnum Christi. Hæc & huiuscemodi Sancto dicente, Crucemque per singula faciente, draco huius signi virtute confusus, vicissim se humilians terræ subditur.*

Magna potestas dæmonum, sed maior Crucis.

De SS. Patrum vita, in libello de S. Calupp.

D Scribit sanctus Gregorius Magnus, Floridum Tudertinum Episcopum, presbyterum quemdam Amantium nomine, præcipuæ simplicitatis hominem penes se habuisse, qui virtutis hoc donum Apostolorum instar habebat, vt cùm manus super ægros imponeret, benè haberent, & sanitati illos confestim restitueret: cui insuper hæc quoque admirabilis & cælestis inerat gratia, vt in quolibet loco quantumuis immanissimæ asperitatis ac veneni serpentem reperiret, mox vt in eum Crucis signum intorsisset, perimeret; ita vbi Crucis signo illum consignasset, protinus diruptis visceribus moreretur: quòd si quandoque contingeret, vt serpens aliquis eo conspecto aufugisset, seseque in cauernam abdidisset, statim vt ille cauernæ hiatum Crucis signo obsignasset, serpens iam mortuus, Crucis virtute ex foramine extraheretur.

Dialog. li. 3 cap. 35.

Plurimi serpentes Crucis virtute extincti.

Aderat

Aderat in vrbe Carthagine, inquit Augustinus, religiosissima femina, A nomine Innocentia, & ciuitatis illius primaria, quæ in mamilla carcinomate torquebatur: cumque à Medicis accepisset, morbum illum nullis medicamentis esse sanabilem, omnem spem suam in Deum conuertit, assiduisque precibus enixè ab eo postulabat vt sanitatem sibi restituere dignaretur. Quamobrem in somnis admonetur, vt solemnitate Paschali appropinquante, stans in Ecclesia in parte feminarum prope Baptisterium, obseruaret cùm Catechumeni baptizarentur, & à quacumque femina sacro fonte Baptismatis expiata, quæ illi primitus occurrisset, locum eumdem Crucis signo sibi consignari curaret. Quod cùm fecisset, protinus sanitatem consecuta est. Atque hîc tandem prolixo huic capiti coronidem imponemus, cùm ex his quæ hactenus diximus, sanctæ Crucis signi virtus ac potentia satis superque probata sit.

Dei Ciuit. Dei, lib. 22. cap. 8.

Morbus incurabilis cancri, signo Crucis diminutus sanatus.

Hæretici Crucem irridentes refutati.

Eant nunc hæretici, & cùm hæc in propriæ prauitatis confusionem perlegerint, nos irrideant; asserentes nos muscas abigere cùm Crucis signo consignamur. Muscas sanè abigere fatemur, sed muscas illas, de quibus intelligere volebant Iudæi, cùm peruerso ac temerario iudicio de Christo Domino dixère: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Beelzebub enim, vt diui Hieronymus & Augustinus testantur, muscarum princeps declaratur. At si materialium muscarum proprium est, carnes corrumpere, cùm ab eis diligenter non abigantur; quid quæso miremur, si spirituales muscæ, quas miseri & infelices isti Crucis signo abigere dedignantur, iudicium & intellectum eorum adeò corruperint, vt à sancta fide Catholica desciscentes, Crucis Christi inimicos illos constituerint? Sanè misellis hisce id vsu venit quod sanctus inquit Augustinus: *Etenim aliqui derisi, à diabolo decepti sunt, & à musca capti sunt.*

In Eccle. cap. 10.

Dæmones muscæ.

In Ioannẽ, Tractat. 1.

Ibid. paulo inferiùs.

Nescio quis (subdit idem Augustinus) graue tædium patiebatur à muscis. C Inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cùm diceret, se non posse pati muscas, vehementerque illas odisse, protinus Manichæus, Quis, inquit, illas fecit? Is verò qui tædio & graui nausea affectus erat, non ausus est dicere, Deum illas fecisse. Erat autem Catholicus. Tunc statim Manichæus subiecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Sanè, ait ille, ego puto diabolum illas fecisse. Confestim verò Manichæus, Si diabolus, inquit, muscam fecit, vt te fateri perspicio, quia prudenter intelligis; dic quæso, quis fecit apem, quæ musca paulò amplior est? Non ausus ille est dicere, quòd Deus apem fecerit, cùm iam concessisset muscam non fecisse, quæ res adeò proxima est. Ab ape duxit eum ad locustam, à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem, ab aue duxit ad pecus, inde ad bouem, inde ad elephantem, postremò ad hominem: & persuasit homini, quòd Deus non fecisset hominem. Ita ille miser cùm tædium passus esset à muscis, musca factus est, quem D diabolus possideret.

Hæretici quomodo paulatim à diabolo decipiantur.

Sic planè misellis hisce hæreticis vsu venit, quibus muscæ, id est, quorumdam Ecclesiasticorum mores fastidio esse cœperunt: dum festucam in alienis oculis, trabem autem in propriis non animaduerterent; venit diabolus, ipsisque sic malè affectis, hos Dei optimi maximi ministros haudquaquam esse, & vt illos ludibrio haberent, auctoritatemque eorum diuinam non esse crederent, suasit. Hinc vlteriùs progrediens, à sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vnitate eosdem infelices subtraxit, ita illorum mentem inuoluens ac turbans, vt sancta Sacramenta increduli contemnerent. Quorum deinde funditus euersa ac profligata fide, Crucis Christi capitales ipsos constituit inimicos: demumque pro huiuscemodi

A cemodi perditissimarum delirationum coronide, ad eam quandoque illos vesaniam impellet, vt Christum quoque ipsum abnegent. Quamobrem intimo cordis affectu eumdem Dominum nostrum deprecemur nos, fratres charissimi, vt pro sua infinita pietate & misericordia illos illuminare, & eorum corda sic tangere dignetur, vt ab impiis ac diabolicis hæresibus se conuertentes, sub glorioso sanctæ Crucis vexillo ad pium ac maternum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium redigantur: vtque nos ipsos à tam misera cæcitate atque horribili damnationis statu procul seiunctos, per sacrosanctum Crucis signum ab huiuscemodi & à quacumque alia diabolica tentatione ac deceptione liberet atque defendat. Amen.

CAPVT VIII.

B *Quòd veteres Catholici, iam ab eo tempore quo sancti Apostoli in humanis agebant, vt sese ab hæreticis dissimiles ostenderent, & ad propriam contra dæmones & sæculi huius aduersitates tutelam, non transitorio tantùm Crucis signo, quod posteà inuisibile est, vtebantur; sed Cruces ex lignea, aliisque visibilibus ac solidis materiis, ad illius similitudinem in qua Saluator noster pati voluit construendas curabant; & illas in Titulum, locis diuino cultui dicandis erigebant: Crucesque in Ecclesiis insculpere ac pingere consueuerant; illas in Altaribus, & aliis earum locis valdè conspicuis statuentes, vt ab ingredientibus statim adorarentur: Ecclesiasque ipsas in Crucis forma extruebant.*

C NON satis sibi fecisse visi sunt verè pij illi primitiuæ Ecclesiæ Christi fideles, vt voluntate, dilectione, operibus, & verbis in omnibus sese dissimiles ostenderent ab his Crucis Christi inimicis hæreticis, qui iam inde à sanctorum Apostolorum temporibus in Ecclesiam insurrexêre, quòd sacrosanctum Crucis transitorium ac posteà inuisibile signum adhibere consueuissent; eodem tam sæpè, tot locis, tot occasionibus, totque admirandis effectibus, ad Christi gloriam, ad suum & proximi profectum ac tutelam, contra dæmones & contra huiuscemodi aduersitates sese consignantes, vt præcedentibus capitibus dictum est: sed cùm primùm iidem Crucis Christi inimici, viperino capite emergere, infelicique fecunditate propagari cœperunt; vt impiæ & vesanæ eorum doctrinæ sese obiicerent, non verbis aliisque exterioribus signis tantùm, sed apparentibus & ad longum tempus duraturis effectibus, excelsas Cru-
D ces ex ligno aliisque solidis ac permanentibus materiis, adinstar illius in qua Saluator noster pati dignatus est, erigere cœperunt: vt fideles Catholici illas adorarent, & diabolus horresceret, tamquam trophæum quoddam contra ipsius potentiam erectum: iuxta quod martyr Ignatius Apostolorum contemporaneus, ad Philippenses scribens, & ad trophæa illa quæ Christi fideles Catholici iam inde à suis vsque temporibus feliciter erigere consueuerant, alludens, inquit: *Id enim trophæum est contra ipsius potentiam; quod vbi viderit, horret, & audiens timet.* Quæ verba, licet superiùs iam semel à nobis allata sint, hoc loco tamen necessariò iteranda censuimus. Etenim apertissimè innuunt, morem hunc Cruces erigendi iam tunc in Ecclesia introductum. Frustrà enim dixisset, quòd diabolus Crucis trophæum erectum videns horrescit, nisi eadem trophæa

Quibus de causis primùm materiales Cruces erectæ.

Ad Philippens. ep. 8.

Ipsis Apostolorum temporibus erigi cœperunt.

Annalium Tom. I. an. Christi 60. trophæa iam erecta fuissent. Quod & Cardinalis Baronius in Annalibus diligenter animaduertit, dum inquit: *Sed quid est, quòd ait, Vbi viderit, horret; nisi quòd tunc Crucis vexilla erigi solita esse significat?* A

Eademque in Titulum, in locis diuino cultui dicandis: Introduxerunt ergo prisci Christi fideles Catholici morem erigendi Cruces in Titulum, in his præsertim profanis locis quæ diuino cultui dedicanda statuerant; vbi Ecclesias, Oratoria, Monasteria, Hospitalia, vel alia sacra ac pia loca extruerent. Quam laudibus efferendam consuetudinem proculdubiò docuerunt eos sancti Apostoli; vt apertè colligitur ex eo quod Thomas Apostolus fecit: qui, vt superiùs dictum est, cùm Ecclesiam quamdam extruere agitaret animo, in quadam Indiæ ciuitate cui Sagamus Rex præerat, & ab idolorum sacrificulis atq; ab ipso Rege præpeditus esset, Crucem lapideam in loco quem delegerat, erexit atque defixit; diuinitus prædicens, tempus quandoque futurum, in quo à remotissimis orbis terrarum partibus ad oras illas homines candidi appellerent, qui sanctum opus illud perficerent: quod re ipsa ad nostra tempora Lusitani posteà præstitêre. Qui quidem hæc omnia à Cranganorensibus, & Coromandelensibus, aliisque finitimis Indiæ populis, iam olim ad Christi fidem ab eodem sancto Apostolo conuersis, acceperunt; qui ea non tantùm à maioribus suis percepisse, sed in ipsorum etiam Annalibus perlegisse testabantur, vt Maffeius in suis Indiarum Historiis tradit. B

Lib. 2. Hist. Ind.

Patriarchæ Iacob exēplo, qui lapidem in Titulum erexit. Credibile autem est, sanctos Apostolos piam ac laudabilem hanc Cruces in Titulum erigendi consuetudinem, in locis vbi in Dei honorem extruendæ erant Ecclesiæ, introduxisse, ad sancti Patriarchæ Iacob imitationem, qui cùm locum consecrare vellet, vbi mysteriis plenissimam & admirabilem scalam illam viderat, quæ terræ innixa ad cælum vsque erigebatur, per quam Angeli ascendebant & descendebant (quæ sanctæ Crucis figura & præsignificatio extitit) erexit lapidem in Titulum, fundens oleum desuper; vocauitque Bethel, id est domum Dei, vrbem quæ Luza anteà appellabatur: ac de lapide illo, quem in Titulum erexerat, ait: *Et lapis iste, quem erexi in Titulum, vocabitur domus Dei.* Qui Titulus à sancto Patriarcha erectus (meo quidem iudicio) illorum Titulorum proculbubiò vmbra & figura fuit, quos Christiani erecturi erant, vt his ea loca consecrarent, quæ Deo dicanda deligerent. In cuius rei memoriam ac testimonium, ad hanc vsque diem in Ecclesiarum dedicatione, omnis illa eiusdem sancti Patriarchæ actio solemni ritu perlegi ac decantari solet. Idque iure planè optimo, propter magnam mysterij illius cum sacrosancto hoc ritu similitudinem. Quemadmodum enim Iacob domum Dei locum appellauit, vbi defixa erat illa scala cui Dominus erat innixus; ita Christiani domum Dei templa illa vocant, quæ ab ipsis ædificantur, in locis vbi priùs defixerant Crucem, figuratā scalam, cui Dominus noster pro vniuersorum salute clauis affixus stetit. C

Hinc Ecclesiæ Tituli olim appellatæ. A qua Crucium erectione in Titulum mos ille posteà introductus est, qui antiquitus longo tempore perdurauit, Titulos nimirum appellandi Ecclesias, quæ à Christi fidelibus erant extructæ, signi nomen & vocabulum signato tribuentibus; cui nomen ædificatoris siue fundatoris addebant. Atque hinc est, quòd in historiis Ecclesiasticis, & in antiquis scripturis Romanæ Ecclesiæ, templa ita denominata esse conspiciuntur; vt exempli causa: *Titulus Equitij, Titulus Fasciolæ, & Titulus Vestinæ*: id est, Ecclesia ædificata ab Equitio, siue in prædio Equitij presbyteri, quæ nunc S. Martini in Montibus appellatur: Ecclesia ædificata à Fasciola, quæ nunc SS. Nerei & Achillei dicitur: Ecclesia ædificata à Vestina, nunc S. Vitalis; & similia. Ideoq; cùm Prudentius innuere vellet, in quanam Romanæ vrbis parte sita sit sancti Pauli basilica, inquit: D

Peri Stephanon Hym. XII.

Parte alia Titulum Pauli, via seruat Ostiensis.

Et alibi

A Et alibi idem Prudentius martyrium & paſſionem ſancti Vincentij martyris celebrans, ibique impij Daciani Præſidis verba referens, qui non ſatis ſibi feciſſe putans, quòd beatiſſimum Martyrem tot diris cruciatibus necaſſet, ferina quadam rabie & implacabili odio concitatus, eiuſdem quoque oſſa & reliquias abſumere moliebatur, ne Chriſtiani in ſepulchri illius loco aliquam eccleſiam extruerent, ſubdit:

Jam nunc & oſſa extinxero, Peri ſtephanon Hym. 5
Ne ſit ſepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.

Verùm hic mos Titulos eccleſias nuncupandi, progreſſu poſteà temporis paulatim exoleuit; appellarique cœperunt à nomine illius Sancti vel Sanctæ, in cuius memoriam & honorem erant extructæ, vel illius à quo ædificatæ erant.
B Romæ autem tantummodò ea permanſit conſuetudo, Titulos appellandi inſigniores eccleſias illas, quę Cardinalibus aſſignari conſueuerant: à quibus noſtro etiam æuo Cardinales Illuſtriſſimi ſuam denominationem quandoque ſumere ſolent: ita vt eorum quiſpiam Cardinalis tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem vocetur, alius Cardinalis tituli ſancti Clementis, quidam Cardinalis tituli ſancti Marcelli, quidam Cardinalis tituli ſanctæ Cæciliæ, alius verò Cardinalis tituli ſancti Georgij, &c. Titulus autem hic ad ſummum nihil aliud erat, quàm Crux Domini ex qualibet materia conſtructa, quæ eo loco defigebatur vbi extruenda erat eccleſia, in titulum ac teſtimonium quòd locus ille diuino cultui dicatus erat. Quamobrem Theodoſius Imperator expreſſa lege cauit, vt ſi quod idolorum templum ad ſua vſque tempora integrum perſtaret, dirueretur, & Cruce Domini in titulum ibi defixa, ſitus ille diuino cultui dicaretur; inquit enim: *Cuncta paganorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra; præ-*
C *cepto magiſtratuum deſtrui, conlocationeque venerandæ Chriſtianæ religionis ſigni expiari præcipimus.* Deinde verò procedente tempore, quo eccleſiarum ædificationis initium venerabilius & auguſtius appareret, & vt eccleſiis recenti extructione dicatis congrui redditus ceteraque diuino cultui neceſſaria prouiderentur, Iuſtinianus Imperator expreſsè vetuit, nemini eccleſiæ alicuius, aut monaſterij, vel oratorij fundamenta iacere licere, niſi ciuitatis Epiſcopo interueniente, qui ad locum accedens ſolemnibus precationibus adhibitis Crucem defigeret. ſic enim ait: *Sancimus igitur præ omnibus quidem illud fieri, & nulli licentiam eſſe, neque monaſterium, neque eccleſiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequam ciuitatis Deo amabilis Epiſcopus orationem in loco faciat, & Crucem figat.* Et alibi ſubdit: *Si quis autem voluerit fabricare venerabile oratorium, aut monaſterium; præcipimus non aliter inchoandam fabricam, niſi locorum ſanctiſſimus Epiſcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit Crucem.* Idem quoque ſacris Canonibus hiſce verbis
D conſtitutum: *Nemo eccleſiam ædificet, antequam Epiſcopus ciuitatis veniat, & ibidem Crucem figat, & publicè atrium deſignet.* Progreſſu tamen temporis poſteà introductum eſt, vt qui eccleſias aut oratoria extruere ſtatuiſſent, præſertim verò Græci, non ſatis ſibi feciſſe viderentur, ſi Crux à loci Epiſcopo vel à Metropolitano benedicta defigeretur, ſed Conſtantinopolitani vel alterius Patriarchæ nomine & auctoritate id fieri volebant. Crux autem illa ſic benedicta, & Patriarchæ nomine Epiſcopis tranſmiſſa, in locoque vbi eccleſia extruenda erat defigenda, σταυροπήγιον ab eis vocabatur. Cuius conſuetudinis fusè admodum meminit Iacobus Gretſerus, ad quem Lectorem remittimus.

Conſueuêre prætereà iidem primitiuæ Eccleſiæ Chriſti fideles Catholici, in eccleſiis quas extruebant, illud in primis curare, vt Crucis imago ſiue inſcul-

Ccc pta

Atque etiã nunc appellantur quæ S. R. E. Cardinalibus aſsignari ſolent.

Cod. Theodoſiano l. 16 tit. 10. De paganis, &c cap. 25.

Illicitũ fundari templũ aut oratoriũ quodcumq; niſi prius defixa Cruce.

Anthentic. collat. 5. tit. 17.

Ibid. coll 9. tit. 6. §. Si quis autem.

Decret. p. 3 De conſecrat. diſti. 1. cap. Nemo.

Crux itẽ in editiori ecclesiæ loco collocari solet, ab ipso Apostolorũ æuo.

Lib. 8. Hist. Ind.

pta siue depicta, locis editioribus ac valdè conspicuis statueretur; quod pluri- A fariàm probare possumus: præcipuè verò ex eo quod fecit diuus Thomas Apostolus, qui primus omnium sanctum Euangelium Indiarum populis annuntiauit. Ipse enim, vt rerum Indicarum scriptores testantur, templum Crucium imaginibus exornatum ibi extruxit; cuius vestigia, vt Maffeius in primis affirmat, reperta fuêre hoc etiam nostro æuo à Lusitanis qui Meliaporem profecti sunt, cùm eiusdem beatissimi Apostoli corpus ibi situm accepissent, vbi ingentis amplitudinis, & solo æquatæ vrbis ruinas offenderunt, inter quas paucæ admodum pyramides, turres, columnæ, & varij coloris lapides, quæ è miserabili strage illa supererant, conspiciebantur. In iis etiam operosa magnifici cuiusdam templi vestigia cernebantur, vno tantùm ad Orientalem plagam adhuc superstite sacello, crebris intus forisque lapideis Crucibus è vetere disciplina consperso.

De vita Xauerij, cap 16

Narrat Tursellinus in vita Francisci Xauerij è Societate IESV, quòd cùm is ad Socotoram insulam appulisset, inuenit incolas omnium diuinarum rerum B rudes, qui tamen Christianos se esse gloriabantur, sanctumque Thomam Apostolum magna veneratione colebant, à quo maiores suos sacro Baptismate expiatos fuisse asseuerabant, cùm ipsi tamen iam baptizari & catechizari desiissent; partim quia Christiani mores densa ignorantiæ caligine obruti obsoleuerant, partim quia Saracenorum tyrannide omnes opprimebantur. Ostendebat tamen gens illa aliqua Christianæ religionis vestigia, atque inter hæc illa, visebantur sacella quædam, non ampla quidem, sed piè extructa atque ornata, quibus in altaribus Cruces aderant cum lychnis præpendentibus. Sicque in Indiæ vrbe Caranganora Christiani, siue Christianorum quæ ibi supererant reliquiæ, morem adhuc obseruantes quem acceperant ab his qui Christi nomen illuc primitus inuexerant, Cruces in templis habebant, ipsorumque Antistes capillos in Crucis figuram tondere consueuerat.

Cruces ab antiquissimis temporibus in Indorum templis & sepulchris.

Ferunt prętereà hi qui Chinarum Regnum penetrarunt, Crucem inter gentis C illius sacra haberi, licet quanam de causa ab his ignoretur. Scribit Alfonsus Ciacon in Tractatu suo De signis sanctissimæ Crucis, in nouo Orbe, id est, in Indiarum oris quæ ad Occidentem vergunt, Cruces esse repertas in fanis & sepulchris vetustissimis; quarum tamen originem & significationem incolæ prorsus ignorabant. Quamobrem non absurdè nonnulli coniiciunt, eas ibi iam inde ab Apostolicis vel propè ab Apostolicis temporibus erectas; cùm de populis illis, non nisi hisce recentioribus sæculis ne fama quidem aliquid ad nos delatum fuisse constet. Maffeius denique in sua Indicarum rerum Historia, Goa vrbe à Christianis capta, dum Lusitanos in mœnium instaurationem, & in profanorum templorum demolitionem intentos scribit, hæc notatu planè digna contigisse testatur: *In id opus*, inquit, *dum idolorum fana, & sepulchra Ethnicorum, & alia ædificia diruuntur, in domus cuiusdam parietinis æneum Crucis pendente Christo simulacrum apparuit; euidenti planè argumento, in his olim regionibus non modò Christianam fidem, sed cum ea salutarem quoque vsum imaginum, quem recentes isti scilicet pietatis antiquæ assertores, ac diuinæ voluntatis interpretes, funditus extirpare conantur, ex Apostolica traditione viguisse*. Hæc ille. Quod ita se habere testatur ipsa Lusitania, ad cuius Regem Emmanuelem illa Crucifixi imago transmissa fuit. D

Histor. Ind. lib. 4.

Sed non est opus coniecturis, quantumuis firmis & validis (vt iure inquit Gretserus) vbi ad institutum nostrum probandum argumenta perspicua suppetunt. Nam sanctus Thomas Apostolus, qui ad Indorum salutem procurandam felici sorte destinatus fuit, non Crucem tantùm in Crucifixi honorem erexit, sed coram eadem preces quotidianas fundere consueuerat. Quæ Crux in Malipure vrbe, nunc à sancto Thoma nominata, hoc nostro æuo reperta, miraculis

A culis ſanè quibus omnes meritò obſtupeſcant enituit, vt Hieronymus Oſorius[a] Siluenſis Epiſcopus, Hiſtoricus vt diſſertiſſimus ita & fideliſſimus, & poſt eum Maffeius[b], Alfonſus Ciacon[c], ac demum Cardinalis Baronius[d], conſcripsère. Cuius rei admirabilem planè ſucceſſum ex eiuſdem Oſorij verbis totum repetemus; ſic enim inquit: *In eadem ciuitate, quam diximus appellari Malipurem, & nunc poſtquam à Luſitanis frequentari cœpit, ſancti Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle ſacellum ædificatum, eò quòd affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuiſſe à religionis hoſtibus interfectum. Erat autem hoc ſolemniter inſtitutum, vt in eo ſacello octo diebus ante diem Natalis Chriſti res diuina fieret, & omnes Chriſtiani in eo conuenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inuenta Crux in lapide inciſa, in cuius faſtigio columbæ imago inſidebat. Baſis verò erat in ſpecie quadam herbarum quæ latiſſimè diffundi videbantur, collocata; & tam faſtigium quàm baſis & brachia in liliorum formam deſinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant*
B *inciſæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat ſatis magnum, fuit ſuper altare eiuſdem ſacelli multorum operis ſtatutum. In Cruce eminebant notæ ſanguinis inſignes.*

Accidit autem die quo Chriſtiani conueniebant, vt in eo templo ſalutationem ab Angelo factam ſanctiſſimæ Virgini, octo dies antequam Chriſti Natalis adueniret celebrarent, cùm ſacerdos, qui rem diuinam faciebat, Euangelium inchoaret, vt Crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret; deinde color cæruleus pro nigro ſubiret: in locis autem, vbi notæ ſanguinis extabant, roſei coloris ſplendor eluxit. Sequentibus deinde annis, eodem die idem ſemper eueniebat: nec enim alio die (quod magnam admirationem commouebat) id in illa Cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore, eius rei quæ planè admirabilis videbatur intermiſſio. Anno autem M. D. LXI. *cùm Chriſtiani in eumdem locum cum eadem pompa & celebritate conuenirent, eo die quo Crux, dum ſacrificium fieret, ſtillare ſolebat, & ſacerdos Euange-*
C *lium inchoaret (id enim etiam admirandum videbatur, quòd numquam priùs quàm Euangelium legi cœpiſſet, ea Crucis mutatio fieret) Crux repentè nigris maculis, ſplendidis tamen, inficeretur; donec tandem alijs atque alijs ſubeuntibus, tota nigreſceret; ita verò ſplendebat, ac ſi fuiſſet oleo delibuta. Tum inſtar roris guttæ fluere cœperunt, quæ paulatim grandiores effectæ, totam Crucem humore largiſſimo compleuerunt.*

Peregit ſacerdos cum multis lacrymis & crebro ſingultu ſacrificium: deinde aſcendit in altare, & linteis, quibus in rebus ſacris de more procurandis vti ſolebat, Crucem terſit: lintea maculis ſanguineis tincta derepentè ſunt. Ciuitatis Præfectus & reliqua multitudo quæ conuenerat, manus in cælum tendere, Chriſti nomen implorare, flagitiorum veniam poſtulare, & ad ſtudium religionis ardentiùs excitari. Crux autem poſtquam multo liquore fluxit, clariùs ſplendere cœpit, & color ſanguineus euidentiùs eluxit. Hoc ſignum commouit & Præfectum vrbis & primarium ſacerdotem vt diligenter inquirerent, ecquis eſſet qui litteras illas interpretari poſſet. Aiunt incolæ in Narſinge Regno
D *eſſe Brachmanam, inter omnes Brachmanas litteris & eruditione præſtantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuò accerſunt, & interrogant an illas litteras noſſet. Reſpondit litteras eſſe priſcas, quibus antiqui ſapientes vtebantur; negligentia verò hominum factum eſſe, vt earum cognitio interiret; quin etiam linguam, qua erant deſcriptæ, à paucis admodum teneri.*

Admonent illi Brachmanam, vt in altare aſcendat. Reſtitit ille, & nefarium facinus eſſe dixit, altare, in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen ſubijt, & litteras perlegit; quarum & vim eam eſſe dixit, vt vna nota decem, & quindecim, & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia verò litterarum in ſumma hæc erat: Thomam diuinum virum fuiſſe à Dei Filio, cuius erat diſcipulus, in eas oras Sagami Regis tempore miſſum, vt Dei ſummi notitia gentes illas erudiret; ibique templum

[a] De rebus geſtis Emanuelis lib. 3
[b] Lib. 3. & 8.
[c] De ſignis ſanctæ Crucis, cap. 35.
[d] Ann. To. 1. anno Chriſti 57.

Stupenda miracula antiquiſſimæ cuiuſdam Crucis in India Luſitanica.

Summa geſtorum à S. Thoma Apoſtolo in India, ita ad iuncta Cruci inſcriptione

extruxisse: atque tandem cùm genibus flexis ad Crucem affixus orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmana fuisse hasta transfixum; Crucem verò eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse. Hæc erat sententia quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiusdem sectæ vir, aliunde accersitus, grandis admodum natu, & sapientiæ opinione præstans, qui litteras in eamdem sententiam interpretatus est. Huius autem Crucis exemplum, in eodem ligno ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum litteris publicis multorum virorum testimonio consignatis retineo; cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo possit de tam claris atque testatis diui viri monumentis ambigere. Hæc Osorius; cuius etiam verba referens Alfonsus Ciacon, asserit totam admirabilis facti huius seriem publicis litteris consignatam, vnà cum eiusdem Crucis typo, ex antiquarum litterarum prædictarum exemplo, ex eodem lapide diligenter exsculpto à Concinensi Episcopo, Henrico Cardinali posteà Lusitaniæ Regi transmissam, anno salutis nostræ quingentesimo sexagesimo secundo supra millesimum.

(De signis sanctissimæ Crucis, c. 35)

Pius ergo mos ille priscorum Christianorum, Cruces in ecclesiis sculpendi ac pingendi, nullo alio quàm hoc magis authentico vel illustriori testimonio comprobari potest. Constat enim hîc apertissimè, vnum ex duodecim Christi Apostolis, Crucem in ecclesia erexisse, & non modò precibus, sed etiam proprio sanguine dedicasse. Et nihilominùs laudabilis hæc consuetudo multorum sanctorum priscorumque Patrum auctoritate firmabitur, præcipuè verò Ambrosij, siue Maximi Taurinensis, & Paulini Nolani Episcopi. Quorum alter ad institutum hoc inquit: *Sicut Ecclesia sine Cruce stare non potest, ita sine arbore nauis infirma est.* Alter verò, nempe Paulinus, ecclesias suas picturis & Crucibus præsertim ornare consueuerat, easdemque picturas & Cruces carminibus à se compositis celebrare atque illustrare studebat, quorum aliqua inferiùs recitabimus, dum de gemmatis & coronatis Crucibus agemus. Testatur prætereà Gregorius Nazianzenus, sanctorum Apostolorum templum Constantinopolitanæ vrbis, Crucium picturis exornatum extitisse; inquit enim: *Cùm multa & præclara Imperatricis vrbis decora atque ornamenta sint, tum verò ea egregiis potissimùm templis exultat. Quorum in numero templum quoque est Christi discipulis dicatum & consecratum, lateribus Crucis pictura insignitis quadrifariàm insectum.* Beda venerabilis testatur, in Ecclesia montis Caluarij, quam Golgothanam appellabant, Crucem ingentis magnitudinis extitisse. Sanctus Gregorius Armeniæ Episcopus & Christi Martyr, multas Cruces in Armeniæ Martyrum sepulchris collocauit: neque in sepulchris tantùm, sed etiam in eo templo quod in eorum Martyrum honorem ædificatum fuerat, Crucem statuit. Quamobrem in eorumdem sanctorum Martyrum Actis hæc habentur: *Martyr igitur Gregorius Crucem hîc quoque statuit; & iubet multitudinem, quæ illic aßiduè versabatur, & eò ventitabat, prompto & alacri animi studio, Deo cultum offerre per adorationem Crucis.*

(*Mos hic Cruces in templis erigẽdi SS. Patrum testimoniis cõprobatur.* — Serm. 56. — In somnio de Anastasiæ Ecclesia. — De locis sãctis cap. 2. — Euthymius 2. p. Panopliæ, tit. 20.)

Verùm ad piam consuetudinem, quæ apud priscos Christianos vsu recepta erat, ecclesias Crucis imaginibus exornandi, sanctorum Patrum auctoritate comprobandam, nihil ferè magis insigne aut præclarum in medium afferri potest, quàm quod Olympiodoro Proconsuli respondit sanctus Nilus Abbas; is nimirum, qui Theodosij iunioris Imperatoris temporibus sanctitate ac doctrina perfloruit, quique cùm vrbis Constantinopolitanæ Præfectus esset, mundo nuntium remittens, & religionem ingressus, ad monasticæ perfectionis culmen peruenit: cuius etiam fit in Romano Martyrologio commemoratio sub die duodecima Nouembris. Hic enim ab Olympiodoro per epistolam consultus, quænam imagines pingi deberent in ecclesia quadam, quam in Christi honorem

A rem & sanctorum Martyrũ memoriam extruere moliebatur (in qua quorumdam ea erat sententia, vt ad populi oculos & prospectum oblectandum variæ animalium species, ac ferarum genera, diuersæque venationes, & piscationes pingerentur) id respondit, quod in eius epistola in secundo Nicæno Concilio recitata continetur, his verbis: *Ego verò ad scripta sic respondeo, puerile planè esse & stultum, eiuscemodi rebus fidelium oculos fascinare velle. Debet esse enim firmæ & virilis sententiæ genuinum, in sacro loco ab Oriente sanctissimi templi vnicam & solam effigiari Crucem. Per solam enim salutiferam Crucem genus humanum liberatum est, perque hanc desperabundis vndique spes annuntiatur.* In secundo Nicæno Concilio, Actu 4.

Quibus verbis non tantùm probatur mos, qui priscis Christianis fuit, Cruces in ecclesiis statuendi, sed etiam ad Orientalem plagam collocandi, vt Christi fideles orantes, ora ad Orientem verterent, & Christum adorarent, qui vultu ad Occidentem conuerso in Crucem actus est, vt alibi diximus. Adiecit

B etiam idem sanctus Nilus, cupere se, vt in ecclesiæ parietibus hinc inde noui & veteris Testamenti pingerentur historiæ: vt qui litteras non nouerant, neque sacram Scripturam legere sciebant, contemplatione picturæ ad memoriam reuocarent, Sanctos per fortia facta Deo fideliter seruisse; atque ad certaminum & laudatorum facinorum generosam æmulationem excitarentur, quibus Sancti Dei terram cum cælo commutare meruerant, ita vt per picturæ contemplationem ea quæ non viderant venerarentur. Demumque pro epistolæ suæ periocha, hæc etiam subiecit: *In communi verò domo, in qua multa fuerint habitacula, sufficiat singulis veneranda Crucis imago.* Ex quibus verbis apertè dignoscitur, eumdem sanctum Nilum non id tantùm voluisse, vt Cruces in ecclesiis, sed etiam in priuatis domibus; neque in priuatis domibus tantùm, sed in earum singulis quoque habitaculis statueretur. Sicque sufficienter probatus est pius ac laudabilis mos, Cruces in ecclesiis insculpendi ac depingen- Lib. de cõtemptu mundi, cap. 20.

C di, qui apud priscos Christi fideles viguit: qui quidem nec ab ecclesiis ipsis recedebant, priusquam Crucem adorassent: quocircà Isaacius Syrus Antiochenus presbyter inquit: *Adoretur Crux, & sic deinde recedatur.* In Bibliotheca Patrũ, To. 5.

Consueuêre præterea iidem prisci Catholici, Cruces præcipuè super aras in quibus sacrosanctum Missæ sacrificium celebrabant, statuere. Qui mos quàm vetus sit, luculentissimum testimonium perhibent Acta sancti Martialis Christi Domini discipuli, & diui Petri consanguinei, quæ manuscripta Romæ habentur in antiquissimo codice, siue Sanctorali vel Passionario basilicæ Lateranensis; vbi legitur, quòd idem sanctus Martialis in Galliis, & in vrbe Lemouicensi degens (quò à diuo Petro ablegatus & Episcopus ordinatus fuerat, vt superiùs ostendimus) cùm diuina reuelatione certior factus esset de nece sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ea protinus fieri iussit, quæ ex eorumdem Actorum verbis hisce percipiuntur: *Tunc in visione Dei, cognita recenti pretiosa* *Cruces in altaribus statuendi consuetudo, pariter antiquissima.*

D *morte sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, suaque vocatione præscita, confestim iussit, vt sub omni celeritate perficeretur oratorium quod fuerat inchoatum ab ipso & à Stephano Duce, in possessione beatæ virginis Valeriæ, in quo ad Occidentem tumulariam sibi statuit sepulturam, & retrò in alia crypta tumulum posuit Stephani Ducis, sicut eum fuerat deprecatus. In solario verò, quod super sepulchrum illius medium est, altare in honorem beati Stephani Protomartyris consanguinei sui consecrauit, quod vt suprà memorauimus, disposuerat primitus ponere supra sepulchrum beatæ virginis & martyris Valeriæ, antequam martyrium Apostolorum Petri & Pauli in visione diuina cognouisset: totumque ipsum altare beati Stephani per circuitum laminis adfixit aureis, ac coronas in circuitu sex posuit aureas, cum totidem lampadibus aureis ad luminaria conseruanda. Constituit & vltra supradictum, aliud altare ante sepulchrum*

 suum,

ſuum, vt eſſet in honore beati Petri Apoſtolorum Principis, ac propinqui ſui: totumque altare per circuitum veſtiuit laminis aureis. Fecit & propitiatorium aureum ſuper altare, habentem per quattuor angulos quattuor coronas aureas: antè verò, ſeptẽ poſuit lampades ex auro puriſſimo; vt ibi manè & veſperè oleum cremaretur. Iuſſit etiam fieri candelabra ex auro quinque, & thuribulum aureum vnum; ac Crucem auream ex auro ſimiliter fieri præcepit ad ornatum Eccleſiæ, ac Officium altaris peragendum. Hæc ibi. A

Conſuetudo ergo Cruces ſuper altaria ſtatuendi, iam inde à ſanctorum Apoſtolorum temporibus introducta eſt, vt in Actis prædictis clarè perſpicitur. Deinde verò procedente tempore, tamquam lex pænè inuiolabilis in Eccleſia ſemper eſt obſeruata, vt ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis, & ſanctorum Martyrũ Actis colligitur. Narrat ad inſtitutum hoc Sozomenus [a] (atque illum etiam ſecutus, vt aſſolet, Nicephorus [b]) vbi agit de templo Magni Conſtantini Imperatoris iuſſu in honorem ſancti Michaëlis Archangeli extructo, atque ab ipſius cæleſtis militiæ Principis nomine nuncupato, miraculum, quod ex ipſius Sozomeni verbis Latinitati donatis par eſt audire: *Accepi porrò*, inquit, *Probianum, vnum ex ſatellitibus qui Imperatorem in palatio ſtipabant, cùm dolore pedum grauiter affligaretur, in eo loco etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam ac diuina viſione dignatum fuiſſe. Nam iſte cùm initio Gentilis eſſet, poſteà tamen Chriſtianus factus, quamquam omnia alia Religionis noſtræ inſtituta probabilia putabat, ſanctam tamen Crucem ſalutis omnium cauſam extitiſſe, neutiquam admittere voluit. Cui ſic animo affecto viſio diuinitus oblata, quamdam Crucis effigiem, quæ in altari illius Eccleſiæ ſtatui ſolet, ante oculos propoſuit: declarauitque manifeſtè, res quæcumque à tempore quo Chriſtus in Crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorumdam, ſeu à diuinis Angelis, ſeu à piis & perfectis hominibus geſtæ fuerunt, non ſine virtute Crucis ſalutaris rectè geſtas eſſe.* B

[a] Lib. 2. cap. 2.
[b] Lib. 7. cap. 50.

Viſio diuina corrigit Probianum qui vilipendebat Crucem.

Cruces autem in altaribus ſtatui ſolitas, teſtatur etiam ſanctus Ioannes Chryſoſtomus, dum breuiter per tranſcurſum inquit: *In menſa ſacra Crux.* Id etiam probatur ex admirabili viſione ſancto Gregorio Martyri Armeniæ Epiſcopo oblata; cùm altaria illa ignea conſpexit, ſuper quæ ſingillatim Crux ignea pariter ſtatuta erat, vt tradit Simeon Metaphraſtes in Actis eius, quæ à Surio pariter ſub die trigeſima Septembris relata ſunt, in hunc modum: *Poſt hæc, magnam quidem igneorum altarium multitudinem dedit aſpiciendam viſio, & ſuper vnumquodque Crucem formatam ex eadem materia.* Adeò autem conſuetudo hæc Cruces in altaribus ſtatuendi paſſim recepta eſt, & recipitur, vt noſtro etiam æuo ſine Cruce in altari Miſſa non celebretur. C


Aduerſus Gentiles Demonſtr. quòd Chriſtus ſit Deus.

Quàm autem laudabilis ac pia conſuetudo hæc Deo ſit grata, iam ante quadringentos, vel paulò ampliùs circiter annos, excelſæ Maieſtati eius oſtendere placuit in Hiſpaniarum ciuitate Carauacenſi, cùm Chriſtianus & Catholicus ſacerdos ille iubente Agareno Rege Miſſam celebraturus, & ſacris veſtibus indutus, ad altare acceſſiſſet, conſpexiſſetque ibi Crucem non adeſſe, conſtitit, & Religionis ſcrupulo detentus, illam ordiri haudquaquam volebat. Quamobrem Deus per Angelorum manus Crucem illam ibi depoſuit, quæ adhuc ad noſtra hæc tempora non in Hiſpaniis tantùm, ſed toto Chriſtiano orbe eſt celeberrima. Quam admirabilem planè hiſtoriam ex vetuſtiſſimis ciuitatis illius monumentis deſumptam, Alfonſus Ciacon in hæc verba refert: *Eſt autem Carauaca*, inquit, *ciuitas mediterranea, aſpero & montoſo iugo incumbens, quæ Militibus ſancti Iacobi Enſigeri ſubeſt; arcem habens munitiſſimam, præſidio & armis ſatis inſtructam; & ſubtus multas ſpecus & latibula continens, ſaxo ipſo excauata. Quæ olim cùm Agarenorum imperio parêret, ergaſtula erant tuta continendis captiuis Chriſtianis, quos in prædam continuè abducebant. Hanc Agarenus Rex aliquan-* D

In ciuitate Carauacenſi, Crux in altari ab Angelis collocata.

De ſignis ſanctiſſimæ Crucis, cap. 35.

A *aliquando ingressus arcem inuisit, & captiuos Christianos proferri iussit, qui inter ergastula tenebantur. Quos vt macie confectos & pallido eos esse vultu conspexit, sortem hominum & conditionem seruilem miseratus, ne deinceps ergastulis restringerentur, edixit: ac singulos benignè patriam, parentes, & artem quam nossent percunctatus, in eadem eos exercendos instituit; vt Reipublicæ frugi, & liberiùs atque hilariùs suo quisque muneri vacaret. Oblatus est inter alios presbyter: hunc Rex quam artem profiteretur sciscitatus, sacerdotem se esse Christianorum respondit; & omnes artes & Regum quamcumque potentiam suum ministerium superare. Rex se intueri velle istiusmodi ministerium, & vt illud in suo conspectu celebraret mandauit: sacerdos contrà respondit, destitui se vestibus sacris & ceteris necessariis ad sacram rem peragendam, quæ apud Christianos in promptu esse solerent. Rex continuò iubet, vt è proximo Christianorum oppido omnia peterentur quæ ad hoc ministerium celebrandum opportuna esse videbantur. Ara intra arcem erigitur, lapis sacratus illi superponitur, vestibus sacris*
B *presbyter amicitur; calix aderat, panis & vinum consecranda: & quintus tunc Nonarum Maij illuxerat, quo solemnis sanctæ Crucis Inuentionis festiuitas agebatur. Orsurus Missam sacerdos constitit: causam cunctationis Rex sciscitatus: Crucem deesse dixit, quæ consuesset huiusmodi ministerio & ritibus, illo die præsertim adhiberi. Vix hæc fuerat effatus, cùm fornice, qui altari imminebat, dehiscente, magnus splendor effulsit; & per illum hiatum duo Angeli de cælo illapsi, Crucem ligneam bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis aulicis, tanto miraculo conspecto: & Christianis qui aderant lacrymæ obortæ, & singultus imo pectore eruperunt & gemitus: pectus tundunt, clamorem attollunt, & gratias de tanto beneficio vix poterant Deo præ gaudio admirabundi intonare. Rex cum aulicis Christianam fidem complexus, Christianos libertate donauit, & sacello intra arcem constructo & dicato, angelicam illam Crucem intra pretiosam arcam asseruandam reponunt, tribus hodie seris & totidem clauibus obsignatam; quarum vnam ar-*
C *cis Præfectus, secundam templi maximi primarius sacerdos, tertiam Senatus Carauacensis habent. Singulis quibusque annis, die tertio Maij, quo Crucis Inuentio recolitur, & illa Crux ab Angelis fuit deportata, insigni pompa, publicis supplicationibus, ex arce ad fontem copiosissimum lacum suis fluentis efficientem, ferreis clathris obseptum, deducitur; & ter intra illas vndas submergitur, eiusque sacro contactu illæ sanctificantur, ita vt multis morbis & ægritudinibus degustantium subueniant. Ad hoc spectaculum innumeræ gentes & populi, ex omni vndique Hispania confluunt, sanctæ Crucis lignum illud adoraturi.* Hæc omnia aliaque plura, de cælesti & angelica Cruce Carauacensi Alfonsus Ciacon; illiusque typum & imaginem ibi insuper adiecit, quæ omnino talis est, qualem hîc conspiciendam adiicimus.



Eiusdem angelicæ Crucis typus.

D Consueuerant præterea prisci Christiani, Cruces non solùm super altaria statuere, vt dictum atque probatum est, sed illas etiam in Ecclesiarum suarum eminentioribus spectabilioribusque locis collocabant, vt ab ingredientibus statim conspicerentur ac venerarentur. Neque nudas Cruces tantùm, sed Christi Domini imagine clauis confixi exornatas, in prædictis locis statuebant. Quod ex Lactantij Firmiani verbis clarè conijcitur; qui Christi Crucifixi imaginem in Ecclesiæ eminenti & conspicuo loco constitutam, & ingredientes alloquentem introducens, pio, vt Christianum decet, carmine sic cecinit:

Nec nudæ tantùm Cruces, sed Christi etiam Crucifixi imagine insignitæ in eminentiori tẽpli loco olim collocatæ.

Quisquis ades, mediique subis ad limina templi,

Carm. de Passione Domini.

Siste gradum, insontemque tuo pro crimine passum A
Respice me, me conde animo, me in pectore serua.
Ille ego qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni.

Et post non multa subdit:

Cerne manus clauis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum; fessosque pedes, artusque cruentos.

Ex quibus Lactantij verbis, qui non tantùm Magni Constantini Imperatoris temporibus, sub quo Christianorum res pacatæ erant, verùm etiam tyrannorum, à quibus turbatæ adhuc fluctuabant, floruit, euidenter patet, iamtum introductam fuisse consuetudinem, sanctissimi Crucifixi imaginem in ecclesiarum eminentiore ac spectabiliore loco statuendi, vt à Christi fidelibus ingredientibus statim adoraretur, quod ad hanc vsque diem in nonnullis ex B vetustioribus ecclesiis obseruatum conspicimus. Quamobrem idem Firmianus, ex eodem Crucifixi persona subdit:

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora
Flebilis.

Atque adeò in trabe ante templi ipsius chorum.

Recitatum quoque fuit in secundo Nicæno Concilio miraculum, quod beato Theodoro Archimandritæ, siue Abbati monasterij Sicanon contigit; quo apertissimè probatur, iaminde à Beati illius æuo receptum morem Crucifixi imaginem statuendi super trabem, quæ maiorem templi nauem à choro ex transuerso diuidit, vt hodie quoque in plerisque ecclesiarum factum videmus.

In Secundo Concilio Nicæno, Act.4.

Miraculum autem ex ipsis quæ in eodem Concilio relata sunt verbis, par est recensere; sunt autem huiusmodi: *Cùm autem idem beatus Pater noster natus esset annos circiter duodecim, letales bubones homines istius loci inuaserant, quo & ipse grauiter vsque ad mortem laborare cœpit: itaque illum ad templum beati Ioannis Baptistæ, quod erat prope oppidum, ducunt. Deposuerunt autem eum in limine ingressus altaris; supra illum verò locum, in trabe, Crucis imago Saluatoris nostri Iesu Christi stabat. Eo autem ex bubone eiulante, instillarunt in illum guttas roris ex imagine: confestim autem gratia Dei leuiùs à dolore se habuit, sanitatique pristinæ restitutus est, domumque reuersus est.* C

Ipsæ insuper ecclesiæ in formam Crucis extructæ, ab ipso Apostolorum æuo.

Nec satis sibi factum esse putauit priscorum Christi fidelium pietas, ad sanctam Crucem (vt par est) summis honoribus prosequendam, quòd illam super altaria & ecclesiarum suarum eminentiora loca, vt dictum est, statuere consueuissent, sed & ecclesias ipsas in Crucis formam extruere cœperunt. Qui mos iam inde à sanctorum Apostolorum temporibus introduci est cœptus, vt colligitur ex vetustissimis Actis sanctorum Syri & Iuuentij, quæ manuscripta habentur in Bibliotheca Vaticana, & à Surio inter Sanctorum quoque vitas Tomo quinto relata sunt, sub die duodecima Septembris, in quibus memoriæ D proditum est, sanctum Syrum Ticinensis vrbis primum Episcopum, qui Apostolorum contemporaneus fuit, & à sancto Hermagora Marci Euangelistæ discipulo vrbis illius Antistes ordinatus est, ecclesiam in Christi honorem, & sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij memoriam ad Crucis formam extruxisse; sic enim ibi: *Inter hæc sacerdos Dei eximius, exultans de mirabilibus quæ per merita sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij Christus Dominus sedulò faciebat, concepit animo, non procul ab huius vrbis mœnibus extra ciuitatem, templum Domino in memoriam nominum eorum erigere; idque in modum Crucis, vt aggressus est, consummauit. Atque hoc primum cælestis Regis vexillum in hac vrbe erectum est.*

Cuius piæ ac laudabilis consuetudinis infinita propemodum exempla in medium

A medium afferre liceret, ni Deus occulto suo iudicio, & peccatis eorum qui postea successerunt exigentibus, vetustiores Ecclesias à priscis ac piis illis Christi fidelibus extructas, impij Diocletiani Imperatoris publico edicto dirui permisisset. Is enim, dæmone impellente, contra Christianos in dies magis magisque deſæuiens, in horribili illa & tremenda persecutione, Imperij sui anno decimo nono, cunctas eorum ecclesias solo æquandas, eorumque scripturas palàm ignibus tradendas sanciuit. Cuius impij ac planè dæmonici edicti Eusebius Cæsariensis his verbis meminit: *Anno decimo nono Imperij Diocletiani, mense Dystro, qui à Romanis Martius nominatur, cùm salutaris passionis Dominicæ festum iam pro foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris litteras palàm edictum fuit, vt tum deturbarentur ecclesiæ, soloque æquarentur; tum scripturæ absumerentur igni.* Eiusdem etiam iniquissimi edicti meminit Nicephorus.

Domitiani edictum de euertendis Christianorũ ecclesiis.

Eccles. hist. lib. 8. c. 3.

Lib. 7. c. 3. in fine.

Quamobrem necessariò in hoc satis esse factum putandum erit, si exempli
B causa, quasdam ex his ecclesiis in medium adduxerimus, quæ ab eo tempore extructæ sunt, quo pio ac magno Constantino Imperij gubernacula tenente, Christianis libertas & pax est concessa. Inter quas sacrosanctæ Apostolorum Petri & Pauli, ac sancti Ioannis Lateranensis Romanæ vrbis basilicæ, ab eodem piissimo Imperatore exædificatæ imprimis, ad Crucis formam constructæ sunt: supponendo maiorem nauem, quæ medium totius templi excurrit, directam Crucis trabem; absidam verò siue tribunam, eminentem ipsius extremitatem cui Crucifixi caput hæret; eam verò nauem, quæ ex transuerso distenditur, Crucis transuersale lignum repræsentare: quæ nauis propterea Crux propriè vocabatur. Quocirca Onuphrius Panuinus de sancti Petri basilica inquit: *Ecclesia sancti Petri, veteris antiquorum basilicæ instar ædificata, habuit absidam siue tholum, musiueis signis ornatam; transuersam partem, quam Crucem vocant.* & vastissimam diui Pauli basilicam describens, ait: *Hæc basilica, Vaticanæ similis est, lon-*
C *gè tamen ea maior. Habet enim absidam, Crucem transuersam, qua cellæ absis coniungitur.* Deinde verò de sacrosancta Lateranensi basilica subdit: *Inter medianam testudinem eiusque porticus siue alas, & chalcidicam, quam absidam vel tribunam vocamus, magnum interuallum extat, basilicæ Crux vocatum.* Episcopus autem Guilielmus Duranti, in suo diuinorum Officiorum Rationali, dum agit de forma quam obtinent ecclesiæ à Christianis extructæ, rationemque reddens, cur ad Crucis imaginem illas ædificarent, inquit: *Quædam tamen ecclesiæ in modũ Crucis formantur; ad notandum nos mundo crucifigi, seu Crucifixum sequi debere; iuxta illud: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Antiquissimæ ecclesiæ Romanæ in formā Crucis ædificatæ.

De præcipuis vrbis Romæ sanctioribusq; basilicis.

Rationalis diuinorum Officiorum lib. 1. cap. 2

Ad Crucis formam pariter extructa erat ecclesia quæ prope vrbem Sichem, Neapolim nunc Syriæ appellatam, olim ædificata erat, super puteum Patriarchæ Iacob, vbi Dominus noster aquam à Samaritana petere dignatus est. Cuius ecclesiæ meminit Hieronymus, asserens illam ad Garizim radices positam
D fuisse. De eadem quoque fit mentio in peruetusto libello illo De locis sanctis, quem Beda venerabilis in compendium redegit, his verbis: *Prope ciuitatem Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, ecclesia quadrifida, hoc est in modum Crucis facta: in cuius medio fons Iacob habetur, quadraginta cubitos altus; de quo Dominus aquas à Samaritana muliere petere dignatus est.*

Itẽ templũ in Syria prope vrbẽ Sichem, formã Crucis structum.

Ad Crucis modum quoque in Palæstinæ vrbe Gaza, à sancto Porphyrio eiusdem vrbis Episcopo extructa fuit ecclesia illa, quam Eudoxianam appellarunt, quia Eudoxia Arcadij Imperatoris vxore iubente, ædificata est super ruinas templi celebris idoli, quod incolæ Marnæon vocabant, asserentes illud Critæ Iouis generi extitisse. Quod templum, omnium quæ in vniuerso terrarum orbe reperiebantur, illustrissimum ac gloriosissimum esse rebantur, Arcadij

Aliud Gazæ in Palæstina.

dij autem Imperatoris edicto, poſtulante id Eudoxia coniuge, eodemque ſancto Porphyrio Epiſcopo efflagitante, igne concrematum eſt, vt teſtatur Marcus Gazenſis diaconus, & eiuſdẽ ſancti Porphyrij diſcipulus, in ipſius Sancti Actis, quæ ab eo fideliſſimè collecta, & à Simeone Metaphraſte ad poſterorum memoriam ſcripto commendata, Latina poſteà effecta ab Aloyſio Lipomano Epiſcopo Tomo quinto, & à Surio Tomo primo ſub die vigeſima Februarij, inter Sanctorum vitas relata ſunt: vbi dum agitur de prædicti idoli Marnæ templi euerſione, ac de Eudoxianæ eccleſiæ extructione, hæc verba produntur: *Interim autem dum repurgatur locus, venit Magiſtrianus, epiſtolas afferens Imperatorias ſemper memorandæ Eudoxiæ. Continebant verò litteræ ſalutationem & precum petitionem pro ſuo marito & filiis. Erat autem in alia charta intra litteras deſcripta forma ſanctæ eccleſiæ in figuram Crucis, quomodo nunc quoque Deo volente cernitur.* De huius celeberrimi templi idoli Marnæ euerſione, meminit etiam Hieronymus his verbis: *Marnas luget incluſus, & euerſionem templi iugiter pertimeſcit.* & alibi ſubdit: *Serapium Alexandriæ, & Marnæ templum Gazæ, in eccleſias Domini ſurrexerunt.*

Epiſt. 7. ad Lætam. In Iſaiæ c. 7

Addidit quoque Iuſtinus iunior Imperator eccleſię quæ erat Conſtantinopoli, in loco quem Ad Blacherinos vocabant, duo ſacella, effecitque, teſte Cedreno, vt Crucis imaginem referret. Eiuſdem etiam formæ eccleſiam in diui Ioannis Baptiſtæ honorem extruxit S. Vdalricus Auguſtæ Vindelicorum celeberrimus Epiſcopus, vt teſtatur qui res ab eo geſtas conſcripſit, hoc pacto: *Eccleſiam in cæmeterio S. Mariæ in modum Crucis ædificare cœpit; & ædificatione peracta, altaribusq; quinque in ea cõpoſitis, in honorem S. Ioannis Baptiſtæ dedicauit.* Ad Crucis formam pariter extructum eſt templum ſanctorum Apoſtolorum nomini Conſtantinopoli dicatũ, vt apertè colligitur ex verbis S. Gregorij Nazianzeni, in ſuo de Anaſtaſiæ eccleſia ſomnio, quæ paulò ſuperiùs retulimus. Pius autem atq; laudabilis hic mos, eccleſias ad Crucis imaginem extruendi, à priſcis Chriſti fidelibus obſeruatus, iam præfiguratus fuit in forma caſtrorum Iſraël, quę, vt quidã tradunt, ad Crucis figuram inſtrui conſueuerant. Quod inter ceteros innuit Coſmas Ieroſolymitanus; inquit enim: *Sacra præfulcitur quadripartitus populus, præcedens in figura teſtimonialis tẽtorij cruciformibus ordinibus celebratus.* Quamobrem fieri potuit, vt exẽplo illo permoniti Chriſtiani Imperatores, ſtatiua exercituum ſuorum caſtra ad Crucis formã etiam figi ſanciuerint. Ideoq; Leo Imperator ita ſtatuit: *In medio caſtrorum*, inquit, *platea ſtrata ſit, ad Crucis formam tranſuerſa.* Si caſtra exercituũ igitur, qui aduerſus viſibiles hoſtes tantùm prœliantur, ad Crucis formam ſtatui conſueuerant; conſentaneum planè fuit, Chriſtianorum quoque templa, quę in hac terreſtri militia ſtatiua quodãmodò caſtra ſunt populorũ Catholicæ & militantis Eccleſiæ, quę contra viſibiles & inuiſibiles hoſtes aſſiduè decertat, ad Crucis formam extrui, vt ab omni hoſtili inuaſione benè munita ac tuta permanerent. Ad quod Spiritus ſanctus fortaſſe alludere voluit, cùm dixit: *Terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata.* Idq; iure ſanè optimo: eſt enim ſancta Eccleſia Catholica, in quadrifida phalange hac fidei, ſpei, charitatis, & ſanę doctrinę, quaſi ad Crucis formam firma adeò connexione atq; teſtudine inſtructa & ordinata, vt nullum prorſus aditũ aut viſibilibus aut inuiſibilibus hoſtibus aperiat. Terribilem namq; ſeſe præbet hæreticis, ob veræ & inexpugnabilis doctrinæ ſuæ fulgurantem ſplendorem: terribiliſque eſt dæmonibus, propter Crucem ſanctam ſub qua militat, & ob cæleſtem vitam quam ducit in terris. Quamobrem in illorum confuſionem, & horum ignominiam, victricibus & glorioſis ſemper ſucceſſibus proſperabitur, donec de militanti triumphans demum effecta ſit, illius virtute & gratia, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia alibi.
In Iuſtino.
Auctor vitę S. Vdalrici, cap. 20.
Forma hæc templorum in caſtris Iſraël præfigurata.
In Theog. Hymn. 9. in exalt. S. Crucis.
Lib. De apparatu bellico, cap. 11. De caſtris, § 16.
Eccleſia vt caſtrorum acies ordinata, formã exprimit Crucis.

CAPVT

A

CAPVT IX.

Quòd prisci Christiani pro sanctæ Crucis veneratione non in ecclesiis tantùm plurifariàm, vt dictum est, sed etiam in viis publicis, in nauibus, & portis vrbium illam statuebant; atque pro ipsorum præcipua deuotione ac tutela, propriis etiam domibus asseruabant, eamdémque in manibus & collo appensam deferebant.

CONSVEVERE veteres Ethnici in locis vbi viæ publicæ trifariàm vel quadrifariàm diuidebantur, quorumdam inanium deorum simulacra statuere, quos viarum Præsides ac viatorum Protectores stolidè putabant, vt iter illis ostenderent. Inter quæ crebris vsibus recepta ac magna veneratione habita erant simulacra illa Mercurij, quæ Hermæ vocabantur: nilque aliud erant, quàm saxa, siue oblonga ligna quadrilatera figura insecta, terminorum instar, pedibus brachiisque carentia; in quorum fastigio tria humana capita erant insculpta. Cui ligno vel saxo cælatis litteris inscriptum erat, quónam versus hæc vel illa via perduceret: sæpè etiam in locis eisdem, quæ triuia vel quadriuia à Latinis dicebantur, simulacrum defixum erat deæ Vpibiliæ, quam viatores ab itineris errore liberandi vim atque virtutem obtinere opinabantur. Quam inanem planè atque insanam superstitionem Arnobius perstringens, ait; *Ab erroribus viarum dea Vpibilia liberat*. Hisce autem statuis consueuerant olim Ethnicorum villici statis quibusdam anni temporibus stulta planè & impia religione sacrificium offerre, pecudum hostias ibi mactantes, illorumque capita florum sertis redimientes. Ideoque Tibullus:

In triuiis aut quadriuiis, idolorũ imagines, in primis quas Hermas vocabãt, à Gentilibus olim defixæ:

Contra Gẽtes, lib. 4.

B

C

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Libro 1.

Ad loca igitur illa, ab hac ipsa aliisque multis impiis superstitionibus, quas diabolus inuexerat, expurganda, vbi primùm impia idololatria à sancta Cruce est pessumdata ac profligata, quo viatoribus ac peregrinis daretur occasio, Christi Domini ac Redemptoris nostri passionem & mortem, quam pro nobis in Cruce oppetere voluit, sæpiùs reminiscendi; vt dum iter agerent, illum piè adorarent; pro profanis idolorum simulacris, quæ in viis publicis, vt dictum est, erant defixa, prisci Christi fideles sancto zelo incensi, illis euersis atque protritis, pium ac laudabilem excelsas ibi ligneas vel lapideas Cruces erigendi ac defigendi morem introduxerunt. Quamobrem inquit Ioannes Chrysostomus: *Crucem celebrari videre licet in viis*. Magnum sanè documentum & confidentiam erigendi Cruces eo modo quem diximus, pius ac magnus Constantinus Imperator Christianis præbuit. Is enim grati animi ergô, & in insignium victoriarum, quas Christo donante per sanctæ Crucis virtutem consecutus erat, memoriam sempiternam, non solùm in vrbe Constantinopoli, sed per vniuersas Imperij sui prouincias columnas erigi iussit, in quorum fastigio Crucis imago constituta erat; vt Eusebius Cæsariensis testatur his verbis: *Deinde grata animi voluntate inductus, preces ad gratias agendas Deo auctori victoriæ impertijt, claraque voce, atque adeò columellis erectis, omnibus hominibus hoc signum triumphale prædicauit: inque media vrbe, quæ omnium princeps est, hoc insigne trophæum contra omnes hostes erexit; edixitque palàm, vt omnes hoc salutare signum, quod nulla vetustate confici delerique potest, cùm Romani, tum totius orbis terrarum Imperij munimentum agnoscerent.*

Quibus à Christianis Cruces substitutæ.

Aduersus Gẽtiles demõstr. quòd Christus sit Deus.

D

In Oratione de laudibus Constãtini.

Scribit Nicephorus, eumdem magnum Constantinum Imperatorem, post beatæ

Tres Cruces à Constãtino solemniter in publico erectæ. beatæ Helenæ matris suæ reditum ex Ierosolymis, tres immensæ magnitudinis A Cruces fabrefieri curasse, ad illarum formam, quas ter in cælo conspexerat. Primùm quidem Romæ aduersus Maxentium præliaturus: secundò, cùm inito cum Byzantiis prælio victoriam ac trophæum de eis retulit: tertiò verò, cùm Istro ponte iuncto Scythas vltra id flumen deuicit ac subegit. Erant autem Cruces ipsæ ex ære constructæ, quibus sacra hæc nomina imposuit: IESVS CHRISTVS VINCIT. Ex his autem illam cui nomen IESVS inditum, cùm deaurari & exornari curasset, super fornicem triumphalis arcus, qui erat in foro Constantinopolis, erigi iussit. Alteram verò Christi nomen præferentem super porphyreticam columnam erigi mandauit, in loco qui Philadelphion, hoc est fraternus amor, vocabatur. Tertiam autem, quam idem Constantinus Victoriam, Heraclius verò Inuictam posteà appellauit, excelsæ cuidam marmoreæ columnæ fastigio defixam, in loco quem Forum panarium appellabant, statui iussit.

Nicephorus Callist. l. 8. cap. 32.

His ergo piis ac generosis magni Constantini Imperatoris facinoribus excitati & animati Christiani, non magistratibus tantùm auctoribus, sed pro libito, & pro vniuscuiusque pietate, Cruces aliasque sacras imagines in viis publicis atque etiam alibi erigere studuerunt, quæ à pertranseuntibus piè salutabantur & adorabantur. Vnde Theodorus Balsamon Antiochenus Patriarcha, sic de his inquit: *Sanctæ imagines & Cruces in publicis vijs à volente eriguntur. Et nos quidem propter Deum, & puram erga Sanctos fidem, sancta huiusmodi vbicumque erecta adoramus & salutamus.* Probatur autem, vetustissimum morem hunc Cruces in viis publicis erigendi, fuisse frequentatissimum, præsertim verò in Galliis, iam à Clodouei temporibus, qui nobilissimæ prouinciæ illius primus Rex Christianus fuit: idque legitur in Actis sanctis Victoris Verdunensis Episcopi, qui iam ante centum supra mille annos floruit, quæ ex antiquissimis Traiectensis Ecclesiæ manuscriptis monumentis excerpta, referuntur à Surio inter Sanctorum vitas Tomo sexto, sub nona die Nouembris; idemque videre etiam C est in vita sancti Ansberti Rothomagensis Episcopi, ab Angelo Monacho conscripta, & ab eodem Surio inter Sanctorum res gestas Tomo primo sub die nona Februarij relata. Qui quidem Sanctus Clotharij Regis Francorum & prædicti Clodouei filij temporibus vixit. Ibi enim inter cetera huic instituto congruentia, hæc leguntur: *In præfata verò possessione eorumdem virorum, scilicet in via publica lapidibus strata, quæ iuxta eam iacet, ac Rothomagensem deducit ad vrbem, vbi sanctissimi Pontificis Ansberti venerabile pausauerat corpus, in honorem & memoriam ipsius à fidelibus Crux ponitur lignea, vbi infirmi à diuersis languoribus, Domino largiente, meritis sancti Ansberti, plura frequenter perceperunt sanitatum munera.*

B

Cruces passim in publicis viis.

In can. 73. Synod. 6. in Trullo.

Naues idolorũ statuis, quas Tutelas appellabãt, ab Ethnicis insignitæ. Consueuerant pariter antiqui Ethnici in nauibus quorumdam inanium deorum suorum imagines statuere, pro sua cuiusque deuotione, vel vt melius dicatur superstitione; confidentes se à maritimis tempestatibus & infortunijs illorum protectione seruandos. Quamobrem Lucas in Actibus Apostolo- D rum, suam ac Pauli nauigationem describens, cùm vnà è Melita soluentes, Italiam & Romam peterent, inquit: *Nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hiemauerat, cui erat insigne Castorum.* Hæc autem insignia seu imagines, Tutelas appellabant: de quibus agens Seneca, inquit: *Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cuius Tutela ebore cælata est.* Et Silius Italicus in suo de bello Punico secundo Poëmate de eisdem ait:

Act. 28.

Epist. 76.

Lib. 14. *Tutelæque deûm fluitant.*

Et alibi ad Tutelarium numinum institutum, quæ antiqui Ethnici nauium puppibus statuere solebant, idem Silius dixerat:

Ibidẽ paulò superiùs. *Numen erat celsæ puppis, vicina Dione.*

Deinde

A Deinde verò de alia quadam naui, quæ pro Tutela, Iouis Hammonis celeberrimi Libyæ idoli statuam arietino capite deferebat, subdit: Ibidē paulò inferiùs.

Hammon numen erat Libycæ gentile carinæ,
Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte.

Ad eosdem quoque nauium Tutelares deos Ouidius pariter alludens, inquit:

——Et pictos verberat vnda deos. De tristibus Eleg. 3.

Virgilius Hetruscorum Principum classem describens, qui in Æneæ subsidium ad nouæ Troiæ suppetias ferendas nauigarunt, & de Abantis Populoniæ & Iluæ insulæ Principis naui loquens, quæ pro Tutela, Apollinis statuam deferebat, ait:

——Et aurato fulgebat Apolline puppis. Aeneidos lib. 10.

At prisci Christiani, pro idolorum prædictorum imaginibus siue Tutelis, Crucem nauibus suis statuere cœperunt. Quod Ioannes Chrysostomus innuere B voluit, cùm dixit: *Crucem vbique celebrari videre licet in mari, in nauigiis, in insulis.* Idem quoque sanctus Paulinus Nolanus Episcopus innuit, dum Nicetæ Daciæ Episcopo, qui in patriam rediturus soluere parabat ab Italia, quò sancti Felicis Nolani sepulchrum veneraturus peregrinator aduenerat, prosperam nauigationem auspicatus, sic inter cetera cecinit: *Quibus iisē Cruces a Christianis substituta.* Aduersus Gētiles demōstr. quòd Christus sit Deus.

Ibis illabens pelago iacenti,
Et rate armata Titulo salutis
Victor, antenna Crucis ibis vndis
Tutus & austris.

Carm. in abitum Nicetæ Dacor. Episcopi.

Sanctus etiam Ephræm Syrus ad piam consuetudinem alludens, quam prisci Christi fideles introduxerant, Crucem nimirum pro Tutela in nauibus deferendi, inquit: *Crux nauigantium gubernatio.* Et Diuus Ambrosius idem pariter innuens, ait: *Benè nauigant, qui in nauibus Christi Crucem sicut arborem præferunt.* C *Atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi.* Quin etiam sanctorum Patrum illa est sententia, nauium malum, cui antenna ex transuerso suspensa est, Crucis figuram & imaginem existere, cuius virtute nauigantes è maris periculis seruentur, vt superiùs libro tertio latè probauimus. In Serm. de Cruce. In Psal. 47.

Consueuerant etiam veteres Christiani, pro vrbium & oppidorum suorum tutela atque præsidio, Crucem in eorum portis statuere. Cuius piæ ac laudabilis consuetudinis luculentissimum testimonium perhibet sanctorum illorum Septem Dormientium historia, qui in Decij Imperatoris persecutione, cùm ducentorum vel circiter annorum spatio obdormissent, vel mortui fuissent, Deo volente, iunioris Theodosij Imperatoris temporibus euigilarunt, vel reuixerunt. Quorum vnus in vrbem Ephesum ad comparandos cibos à ceteris missus, cùm in eiusdem ciuitatis portas Crucem defixam conspexisset, ingenti admira- D tione obstupuit. Cùm enim noctis vnius spatio tantùm se dormisse crederet, nesciebat quonam pacto id fieri potuisset, quòd hesterno die vrbem illam infidelem prorsus & Christi inimicam reliquisset, tunc autem Crucem exaltaret ac veneraretur. Quam historiam plurimi auctoritate Scriptores grauissimi ad posterorum memoriam litteris commendarunt, atque inter eos præsertim sanctus Gregorius Turonensis[a], Simeon Metaphrastes[b], Nicephorus[c], Cedrenus[d], Sigebertus[e], & alij plerique. In qua Historia, atque in ea præsertim iam à Metaphraste conscripta, & à Surio inter Sanctorum res gestas Tomo quarto sub die septima Iulij relata, ad institutum hoc nostrum hæc verba produntur: *Cùm verò in vrbem ingrederetur, & venerandæ Crucis signum ante vrbis portas erectum vidisset, sic obstupuit vt à mente ferè exciderit: atque in quamcumque partem oculos vertisset,* *Signū Crucis portis vrbium impositum.*

[a] De gloria Martt. lib. 1 cap. 95.
[b] Apud Surium To. 4.
[c] Li. 14. c. 45
[d] Compendio, ann. 23. Theodosij.
[e] In Chron. anno 447.

tisset, rerum nouitate perculsus, magis obstupescebat. Accessit ad aliam vrbis portam, & illic etiam ipsam super muros erectam vidit. Cumque omnes portas obiisset, venerandæ Crucis figuram locatam adspiciens, præ stupore mutus factus est. Itaque cùm ad portam illam primam se contulisset, ita secum loquebatur: Quid nam hoc est? Heri vesperi, huius Crucis signum in latibulis seruabatur, & nunc apertè in ipsius vrbis foribus erectum videmus? Eadem ferè verba in vetustissimo codice manuscripto, siue Sanctorali vel Passionario ecclesiæ sanctæ Cæciliæ vrbis Romæ, pariter leguntur. Scribit Cedrenus, super Constantinopolitanæ vrbis portam, quam Auream vocabant, Crucem defixam, quæ posteà Iustiniani Imperatoris temporibus vi tempestatis decidit. Ad eamdem quoque consuetudinem, Cruces super vrbium portas erigendi alludens Andreas Cretensis Archiepiscopus, inter cetera epitheta quæ Cruci attribuit, custodem ciuitatum illam appellauit. A

In Iustiniano.

Hom. de ex alt. Crucis, apud Suriũ Tom. 5. sub die 14. Sept.

Nec priuatæ ædes vacuæ olim à Crucibus.

Neque in publicis viis tantùm, in nauibus, & in vrbium portis prisci Christiani Cruces erigere consueuerant, sed pro sua præcipua pietate atque tutela in priuatis ædibus Crucem quoque asseruare solebant. Atque hinc est, quòd idem Cretensis Archiepiscopus, eodem quoque loco, Crucem ipsam domorum Tutelam appellauit. Sanctus autem Ioannes Chrysostomus, inter cetera loca, in quibus Crucem à priscis Christi fidelibus celebrari solitam asseruit, domos in primis nominauit, hoc modo: *Crucem vbique celebrari videre licet in domibus, in foro, in solitudine, in viis*, &c. Verùm de pia & religiosa hac priscorum Christi fidelium consuetudine, Crucem in priuatis ædibus asseruandi, apertissimum argumentum desumitur ex eo quod Alexandrini ciues magni Theodosij Imperatoris temporibus fecêre, postquam Serapidis templum & ingens simulacrum illud euersum est, vt superiùs libro quinto ostendimus. Hic enim, qui ad Christi fidem tum plurimi transierunt, Serapidis signis atque imaginibus quas in suis domibus habebant, abrasis & euersis, ad veterum Christianorum imitationem qui eamdem vrbem incolebant, loco illorum Cruces ibi pingi, insculpi ac statui curarunt. Cuius facti memoriam prosecutus Ruffinus Aquileiensis, inquit: *Sed & illud apud Alexandriam gestum est, quòd etiam thoraces Serapidis, qui per singulas quasque domos, in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam ac fenestris erant, ita abscissi sunt omnes & abrasi, vt ne vestigium quidem vsquam, vel numinis appellatio, aut ipsius aut cuiuslibet alterius dæmonis remaneret: sed pro his, Crucis Dominicæ signum vnusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, in columnisque depingeret.* B C

Aduersus Gentil. demõstr. quòd Christus sit Deus.

Hist. Eccl. lib. 2. c. 29.

Huius etiam rei firmissimum argumentum elicitur ex epistola, quam sanctus Nilus Olympiodoro Proconsuli scripsit, quæ in Nicæno Concilio recitata est, vt præcedenti capite docuimus, vbi inter cetera hæc habentur: *In communi verò domo, in qua multa fuerint habitacula, sufficiat singulis veneranda Crucis imago.* Eiusdem quoque consuetudinis luculentissimum testimonium perhibent Acta sanctorum Martyrum Domnæ & Indes, qui sub Diocletiano & Maximiniano truculentissimis sanctæ Ecclesiæ persecutoribus, in vrbe Nicomediæ passi sunt. Cùm enim domus eorum ab vrbis illius Præfecto diligenter perquireretur, quòd ingentes thesauros ibi se reperturum speraret, inter aliam eorum pauperem ac sanctam supellectilem, Crucem & librum Actuum sanctorum Apostolorum inuenit, vt Simeon Metaphrastes tradit in eisdem Actis ab ipso conscriptis, & ab Episcopo Lipomano inter Sanctorum vitas Tomo quinto, posteà verò à Surio Tomo sexto, relata; vbi hæc habentur: *Audijt Præfectus, & cùm lubenter euidentem admisisset probationem, ab eis aufert claues: & cùm aperuisset, inuenit protinus, sed non vt ipse sperabat, sed ea quæ verè erant veneranda, nempe & diuinæ Crucis figuram, & librum sacrosanctum, nempe Apostolorum Deo gratas actiones.* Hæc ille. D

Synodo 7. Act. 4.

A ibi. Horum autem ſanctorum Martyrum præcipua fit in Romano Martyrologio commemoratio ſub die vigeſima octaua Decembris: & de eis ſub ipſa eadem etiam die agunt Græci in Menologio. Horum quoque meminit Nicephorus Calliſtus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libro ſeptimo, capite ſexto.

Nec ſatis ſibi feciſſe putauit priſcorum Chriſti fidelium pietas, qua ſanctam Crucem proſequebantur, quòd in propriis ædibus ac priuatis cubiculis illam aſſeruarent; ſed pro ſuo ſpirituali ſolatio atque tutela ſecum & collo appenſam deferre voluerunt. Cuius pij ac laudabilis moris clariſſimum teſtimonium perhibuit ſtrenuus atque intrepidus miles & Chriſti Martyr Oreſtes ille glorioſus. Dum enim cum ceteris commilitonibus ſuis, haſta ad ſcopum torquenda, in conſpectu Lyſiæ Ducis, Diocletiani temporibus exerceretur, id contigit quod in rerum ab eo geſtarum hiſtoria verbis hiſce traditur: *Quidam verò Oreſtes nomine*, inquit, *vir procerus, & forma decorus, ad nomen vocatus & ordinem, adſtitit Lyſiæ. Cùm Lyſias autem eius laudaſſet ſpeciem, & verum appellaſſet militem, iuſſit pilum torquere ad ſcopum. Cùm is verò manum direxiſſet, & arma concuſſiſſet; quæ ab eo in pectore ferebatur Crux aurea, è veſte eius excuſſa, extrinſecus apparuit, ita vt omnes eam cernerent, & ipſe etiam Lyſias. Statim autem adductus, ſtetit prope Ducem: & cùm manu Crucem accepiſſet Lyſias, rogauit quidnam hoc eſſet. Numquid tu quoque es, inquit, ex his qui ſunt partium Crucifixi? Ille verò dixit: Sum ſeruus Crucifixi Domini mei, & hoc geſto amuletum ad omnia mala auertenda quæ mihi ingruunt.* Quæ cùm ſanctus Chriſti miles dixiſſet, protinus carceribus mãcipatus, paulò pòſt glorioſo fine perfunctus martyrij palmam aſſecutus eſt, vt habetur in Actis eius, & ſanctorum Martyrũ Euſtratij, Auxentij, & ſociorum, quæ à Simeone Metaphraſte collecta, ab Epiſcopo Lipomano [a], ac demum à Surio [b], inter Sanctorum res geſtas relata ſunt. Huius autem piæ atque laudabilis conſuetudinis, quam veteres Chriſtiani introduxerant, Cruces collo appenſas deferendi, euidens pariter & clarum teſtimonium produnt Acta glorioſi & inuicti Martyris Procopij, qui Neanias dictus, ſub eodem Diocletiano Imperatore martyrij coronam adeptus eſt; quæ in ſecundo Nicæno Concilio recitata fuere: in quibus inter cetera habetur, quòd cùm idem Sanctus aurifici cuidam, nomine Marco, in vrbe Scythopoli ſuaſiſſet, vt auream & argenteam Crucem collo deferendam ſecretò ſibi conſtrueret; ſtatim vt abſoluta eſt, miraculum id contigit, quod in eiſdem Actis in Nicæno Concilio relatis, verbis hiſce proditur: *Cùm autem opus conſummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt: ſcriptum autem erat Hebraica dialecto, in ſuperiore parte,* EMMANVEL, *& vtriuſque in ſummitate alarum,* MICHAEL, *&* GABRIEL. *Voluit autem Marcus, ſibi timens, expungere imagines; verùm non potuit: confeſtim enim manus illius ſicca permanſit. Sub gallicinium autem Dux qui dicebatur Neanias, ad ædes Marci, quò Crucem auferret, properat. Videns autem illam protinus adorauit. Ait autem ad Marcum: Quæ ſunt hæ perſonæ? quæque hæc inſcriptio? Domine, in qua hora Crux à me erigebatur, imagines iſtæ per ſe enatæ ſunt; neque ego cognoſco quænam aut cuius ſit inſcriptio. Neanias verò cognoſcens virtutem quamdam in his eſſe, adorata Cruce, Marco artifici copioſam mercedem ſoluit, profectuſque eſt in ciuitatem ſuam.* Hæc ibi. Huius autem Martyris præclara & generoſa facinora, ex vetutiſſimis manuſcriptis libris collecta Metaphraſtes integrè conſcripſit: & ab ipſo deſumpta, ab Aloyſio Lipomano Epiſcopo inter Sanctorum vitas Tomo ſexto, & poſteà à Surio Tomo quarto relata ſunt; in quibus legitur, eumdẽ ſanctum Procopium vrbem Scythopolim à ſex Saracenorum millibus obſeſſam liberaſſe, illoſque omnes parua admodum militum manu, nullo ſuorum prorſus occumbente, obtruncaſſe; idque Crucis tantùm præſidio.

Cruces ex collo geſtandi pia & vetus conſuetudo.

[a] Tomo 5.
[b] Tom. 6. ſub die 13. Decemb.

Concilium Nicæn. 2. Act. 4.

Eiusdem prætereà piæ atque laudabilis consuetudinis, quam veteres Christiani in mores inuexerant, Crucem nimirum collo appensam deferendi, luculentissimum quoque prodit testimonium diuus Gregorius Nyssenus, sanctæ Macrinæ virginis sororis suæ exemplo suffultus. Describens enim quonam modo eiusdem sanctæ Virginis sororis suæ defunctæ corpus à Vestiana nobili matrona sepulturæ deferendum ipso spectante aptaretur, inquit: *Vestiana propriis manibus ornans sanctum illud caput, cùm eius ceruici manum submisisset; Ecce, aiebat, ad me respiciens, quale è collo Sanctæ monilis ornamentum pendet? Et hæc dicens, solutis penè vinculis, prætendit manu ferreum Crucis signũ, & annulum quemdam ex eadem materia: quæ quidem vtraque cordi semper adhærebant. Et ego, Communis, inquam, sit hæc possessio: ac tu quidem habeas Crucis insigne; mihi autem hereditas annuli satis erit: siquidem in huius etiam pala Crux erat impressa. At eum mulier intuens, rursus ad me: In deligendo, inquit, non aberrasti: etenim excauatus est annulus sub ipsa pala; ibique de ligno vitæ particulam conditam habet, quod superadiacens pala simili nota denotat.* Hic autem mos Crucem collo appensam gestandi, sancti Ioannis Chrysostomi æuo passim receptus erat, vt ex scriptionibus eius colligitur. Is enim quosdam arguens qui Crucem collo appensam deferebant, & tamen pro Christi amore nihil sufferre & perpeti volebant, inquit: *Cùm sis Crucis inimicus, gestas Crucem?* A B

In vita sanctæ Macrinæ virginis sororis suæ, ad Olympium Monachũ epist. c. 21.

Pia contentio de Cruce & annulo ferreis.

In Epist. ad Philipp. cap. 3.

Authenticum etiam huius consuetudinis testimonium perhibet sanctus Gregorius Turonensis, qui dum iter quandoque faceret, prospexissetque haud è longinquo, pauperculi cuiusdam casam incendio conflagrantem, testatur se eleuata contra ignem Cruce, quam collo appensam gestabat, incendium illud extinxisse; sic enim inquit: *Cumque per viam graderemur, conspicio haud procul à via hospitiolum cuiusdam pauperis incendio concremari. Erat autem foliis, quæ ignibus maxima præstant fomenta, contectum. Currebat miser cum liberis & vxore, aquam deportans: sed flammæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore Crucem eleuo contra ignem. mox in aspectu eius & sanctarum reliquiarum ita cunctus ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus.* Hæc ille. Legimus in Euagrij Historia, Chosroëm iuniorem Persarum Regem, ingentis pretij Crucem quamdam, quam Sira vxor, quæ Christiana erat, collo appensam gestare consueuerat, sancti Sergij Martyris templo dono transmisisse, eò quòd Sanctus ille per quietem sibi apparuisset, pollicitus eamdem Reginam ex eo concepturam, & filium (vt re ipsa euenit) parituram. C

Virtute Crucis collo appensæ à S. Gregor. Turon. incendiũ extinctum. De gloria Martyrũ, lib. 1. c. 11.

Euagrius, lib. 6. c. 20.

Sciscitati sunt ad institutum hoc nostrum, ex Nicolao Papa Primo, Bulgarorum populi, qui ad Christi fidem tum nuper accesserant; An liceret cuique Crucem cum Sanctorum Reliquiis habenti, illam osculari, & collo appensam deferre, siue mundus vel immundus is esset. Ad quorum consultationes, idem Pontifex præcipua quadam ad eos epistola inter cetera ita respondit: *Sciscitamini prætereà, si liceat Crucem Domini cum Reliquiis, mundo siue immundo hanc habenti osculari, vel portare; quod ei qui mundus est, omnino licet: nam in osculo quid nisi amor, quo quisque circa ea flagrat, innuitur? In deportatione verò eius, quid nisi mortificatio carnis, vel compaßio proximorum exprimitur? siquidem hanc & Dominus baiulare præcepit, sed in mente. Verùm & cùm corpore gestatur, & vt mente gestari debeat, faciliùs admonetur. Crux quippe à cruciatu dicitur: & vt præfatus exponit Antistes, duobus modis Crucem Domini baiulamus; cùm aut per abstinentiam, carnem afficimus, aut per compaßionem proximi, neceßitatem illius nostram putamus. Igitur Crucem Domini, paßionem eius venerantes, osculamini; & pro eius amore, si necessitas exigit, eadem cogitatione armamini. Portate eam, sed cum summa reuerentia, & corpore, & mundißimo corde; ita vt à mente vestra numquam decidat, id est, vt per* D

Epistol. ad consultat. Bulgarorum, c. 7. Tom. 3. Epistolarũ Decretaliũ Summorum Pontt.

S. Gregor. Homil. 37. in Lucam.

A *vt per abstinentiam carnem semper afficiatis, & per compaßionem, neceßitatem proximorum vestram putetis: qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, Crucem portat in mente.*

Immundum autem hanc portare nullo pacto permittimus. Scriptum quippe est: Mundamini qui fertis vasa Domini. Nullum verò Domini vas sacratius est Cruce Dominica, quæ ipsum portare Dominum meruit. Osculari autem eam immundo non licet; quoniam eo ipso quòd immundus est, ipse sibi testis est, quòd mortificationem carnis non diligat. Ergo quam non amat, nec osculetur; ne fortè de eo dicatur, quod de reprobis à Domino per Prophetam increpatoriè dicitur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. & Psalmista, Dilexêre, inquit, eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt. De reliquiis verò Sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa & vasa fuêre, suntque Dei; quibusque ad omnia bona opera, tamquam organis, sanctus vsus est quando voluit Spiritus. Ergo præmissa digna reuerentia, si
B *munditia mentis & corporis comitatur, etiam Quadragesimali tempore, de quo speciali consultatione percunctati estis, Crucem Domini & portare, & superiori regula custodita, licet cùm libuerit osculari: sed & tunc maximè, atque ibi, quando, & vbi antiqui hostis vel pugnæ vel insidiæ præcipuè formidantur.*

Isaiæ 52. *Immundi non permittuntur gestare nec osculari Cruces.* Isaiæ 29. Matth. 15. Psalm. 77.

Quin etiam, non collo appensam tantùm prisci Christiani Crucem gestare consueuerant, sed eorum plerique præcipua pietate quadam, & vt passionis & mortis quam Dominus pro nobis perpeti dignatus est, perpetuum memoriale quoddam semper ante oculos haberent, manibus etiam illam deferebant. Sic enim eam gestare solebat sanctus Lugderus, primus Monasterij Episcopus, vt refert Surius Tomo secundo inter an ctorum vitas, sub die vigesima sexta Maij. Qui Sanctus Caroli Magni Imperatoris temporibus floruit, appellatusque est Saxoniæ Apostolus, quoniam populi illi huius æuo, & præcipuis prædicationibus, Christi fidem amplexati sunt. Crucem quoque manibus ge-
C stabat sanctus Macarius Patriarcha Antiochenus, baculi cuiusdam cui innitebatur summitati defixam, vt legitur in eius vita, quam ibi Surius eodem Tomo, sub die decima Aprilis, his verbis refert: *Scipioni, quem manu gestabat, paruam Crucem imposuerat: quæ illi & iter agenti, & vigilanti, & dormienti, & quidlibet agenti, semper præstò erat.*

Mos item antiquißimus Crucem manibus deferendi.

Morem autem hunc Crucem in manibus, & collo appensam gestandi, antiquissimum fuisse, & forsitan à primis etiam Ecclesiæ exordiis introductum, ex eo potissimùm argumentari licet, quòd Abyssini Æthiopiæ populi, qui à sancto Matthæo Apostolo ad Christi fidem perducti sunt, omnes tam viri quàm mulieres, Crucem è collo pendentem deferunt: Monachi verò eorum singuli, præter illam, aliam quoque in manu gestant. Sic enim Damianus Goës, & alij plerique qui de gentium illarum moribus scripsêre, testantur. Inter quos Franciscus Aluarez Emmanuelis Lusitaniæ Regis Cappellanus, qui ab eodem
D Rege, vnà cum quodam Oratore suo ad Æthiopiæ Regem, quem Presbyterum Ioannem vulgus appellat, ablegatus est, quique anno salutis nostræ quingentesimo trigesimo tertio supra millesimum, mense Ianuarij, solemnem obedientiam, in publico consistorio Clementi Papæ Septimo Bononiæ tunc degenti, eiusdem Æthiopiæ Regis nomine, ac speciali eius mandato & litteris suffultus, præstitit: is, inquam, totum iter illud, quod emensus est, ac regionum illarum res notatu digniores perscribens, inter cetera quæ ad institutum hoc nostrum pertinent, inquit: Consueuêre omnes regionum illarum Monachi Cruces quasdam in manibus deferre; ceteri autem homines collo appensas, & ex nigro ligno constructas gestant. Gentes verò nostræ, cùm id conspexissent, ex eisdem Crucibus sibi comparabant, illasque è collo penden-

Monachi in Æthiopia Cruces manibus, populi collo appensas gestant. In lib. de moribus Æthiopũ. Iter Fr. Aluarez in Æthiop. ad Presb. Io. c. 3. quod exstat inter Nauigationes à Ioan. Bapt. Ramusio collectas, Tom. 1.

tes, rei nouitate, & inter nos vsibus nondum inuectæ delectati, deferebant. A

Post hæc autem, modum quo à Presbytero Ioanne excepti fuêre, rerum apparatum, magnificentiam, magnique barbari & Christiani Regis maiestatem, illius aspectum & effigiem describens, subdit: Die quadam Martis, quæ Nouembris vigesima fuit, à Presbytero Ioanne euocati fuimus. Cùm verò ad primam ianuam siue aditum appulissemus, magno temporis spatio illic expectauimus, ingenti frigoris algore trementes, multaque iam nocte. Demum verò lentis, vt bis iam anteà, passibus introducti sumus. Maior autem hominum numerus quàm anteà illuc confluxerat, cuncti ferè armis instructi, ingentique candelarum & cereorum funalium numero ante portas ardentium; quorum fulgore nox in diem versa videbatur. Haud longa autem mora ibi præstolati sumus, sed statim admissi, vnà cum Oratore ac nouem ex nostris hominibus Lusitanis, ad primas cortinas perreximus; quas transgressi, alias ditiores & ornatiores inuenimus; quas item prætergressi, excelsa quædam ac sumptuosa B tribunalia ditissimis ac variis coloribus pictis tapetibus instrata conspeximus, aliis longiore magnificentia & regio planè ornatu velata cortinis; quas nobis appropinquantibus, è duabus partibus confestim aperuerunt. Protinus autem Presbyterum Ioannem in alto solio, ad quod per sex gradus erat ascensus, splendidissimè exornato sedentem conspeximus, sublimi corona aurea argenteaque, id est, altero aureo, alteroque argenteo frusto alternatim constructa, redimitum. Crucem argenteam manu gestabat. Facies eius cærulei coloris subsericeo velabatur; quo nunc eleuato, nunc verò depresso, fiebat vt vultus eius modò totus cerneretur, rursus verò operiretur.

Presbyteri Ioannis Æthiopũ Regis magnificentia.

Dexteræ eius puer serica veste indutus assistebat, argenteam manu gestans Crucem; cui imagines quædam erant affixæ, quæ ab eo loco in quo constiteramus, ob longinquitatem dignosci nequibant: sed eamdem posteà Crucem in manibus habui, & imagines ipsas recognoui. Indutus erat Presbyter sumptuo- C sissima & splendida quadam veste, aureo intexta basilico; subucula eius erat serica, latis manicis, quæ Ducalem amictum referebant: ad renes verò, serico aureoqu e panno, gremialis Episcoporum instar extensi, præcinctus erat. Sedens autem eamdem ferè maiestatem referebat, qua pictores coloribus Deum Patrem in parietibus effingunt. Præter puerum illum qui Crucem in manibus gestabat, alter quoque ser ica veste indutus ad sinistram eius assistebat, euaginatum ensem tenens.

Hæc omnia de Abyssinis, ac de eorum Rege (quem nostri Presbyterum Ioannem appellant) quique tum Regni illius gubernacula tenebat, Franciscus Aluarez ad posterorum memoriam transmisit. Is enim Rex, vt ipsemet in litteris, quas ad Emmanuelem Lusitaniæ Regem, & posteà ad Clementem Septimum Pontificem maximum dedit, testatus est, cùm puerulus sacro Baptismatis fonte expiaretur, Atani Tinghil appellatus est, quod nostro idiomate, Incensum Virginis significat: sed cùm Regni gubernacula posteà suscepisset, mutato nomine Dauid appellari voluit. Nos autem sancti ac Regalis huius nominis auspicio, capiti huic coronidem imponemus: ac de more, quem prisci Christiani Crucem Domini ad præsidium ac tutelam gestandi crebris vsibus inuexerant, differendi finem faciemus: humiliter illum obsecrantes, qui Dauid filius, & ab eo descendere secundùm carnem dignatus est, vt specialis gratiæ dono nobis concedat Crucem suam mente & corpore sic deferre in terris, vt æternæ gloriæ participes fieri mereamur in cælis. Amen. D

CAPVT

A.

CAPVT X.

Antiquos Christianos, non minùs quàm Ethnicos, priscorum sæculorum humilitatem ac modestiam secutos, ferreos annulos in digitis gestare consueuisse: sed quemadmodum illi profanas imagines & superstitiosos characteres quosdam in his incidebant; sic Christiani econtrà Crucis figuram iisdem insculpi curabant.

B APVD veteres Hetruscos lege scripta expresse cautum erat, ne sponsus munus aliquod sponsæ daret, néve illa vicissim sponso aliquid donaret; scelus esse credentes, eos quos legitimus amor coniuncturus erat, donis datis potiùs quàm coniugali amore allici velle. Sponsæ tamen sponsalitius annulus à sponso mittebatur, qui pronubus dictus, ferreus erat, & sine gemma. Quod sanè, qualis illa priscorum sæculorum humilitas, parsimonia & modestia fuerit, ostendit. Quæ modestia apud Romanos longo tempore viguit. Licet enim apud exteras nationes annulos aureos gestandi mos iam pridem inuectus esset, hi nihilominùs ferreos illos tantùm, idque in bellicæ virtutis argumentum deferebant. Hos autem in sinistra manu vt plurimùm gestare consueuerant, vt Plinius his verbis innuit: *Manus*, inquit, *& prorsus sinistræ maximam auctoritatem conciliauêre auro; non quidem Romanæ, quorum more ferreum id erat, & bellicæ virtutis insigne.* Certum est, subdit ille, longo temporis spatio, ne Senatum quidem aureos annulos habuisse; siquidem his tantùm, qui Legati ad exteras nationes ituri erant, publica auctoritate dabantur: quoniam eo decore, vt credo, insigniti, honoratissimi censebantur. neque aliis vti licebat, quàm his qui ea causa publicè accepissent. Quin etiam triumphatoribus ipsis, quamuis in triumpho corona ex auro Hetrusca à tergo super caput eorum sustineretur à seruo, annulus tamen in digito ferreus erat. Sic enim de Iugurtha triumphauit Caius Marius; aureumque non ante tertium Consulatum sumpsisse traditur. Hi quoque qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantùm his vtebantur, intra domos verò ferreis. Aureos quoque annulos luctus tempore, in funeralibus atque in funestis Reipublicæ casibus, Romani deponere consueuerant. Sic enim, vt Suetonius tradit, Augusti exequiarum tempore aureos deponentes, ferreos sumpsêre.

Romani diu ferreis annulis pro modestia sua vsi. Lib. 33. c. 1.

C

In Augusto cap. 100.

Annulos quoque non in nuptiis tantùm, vt diximus, sed in quibuscumque D sponsionibus, etiam in arrham veteres tradere consueuerant: idque Romæ posteà frequens erat. Vnde idem Plinius: *Celebratior annuli vsus cum fœnore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi, ad sponsiones etiamnum annulo exiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: vt planè affirmare possimus, nummos antè apud nos, mox cœpisse annulos.*

Annulos in arrham Romani tradidêre: Lib. 33. c. 1.

Neque verò apud Romanos tantùm annulos in arrham tradendi consuetudo recepta erat, sed apud Hebræorum antiquissimos. Quamobrem in sacro Genesis textu, vbi de Iudæ Patriarchæ rebus gestis agitur, hæc à Thamar referuntur: *Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum.*

Itemque Hebræi. Genes. 38.

Dec. 1. lib. 9

Annuli Romanorũ, imaginibus Heroum insigniti.

Pædag. lib. 3. c. 11.

Mos præcipuus Romanorum erat, vt Liuius affirmat, Imperatorum Principum, ceterorumque Heroum, quos diligebant ac venerabantur, maiorumque suorum imagines, in annulorum pala insculpendi; hisque pro sigillis vtebantur. Vnde Clemens Alexandrinus asserit, annulum à marito vxori in nuptiis datum, ab ea assiduè gestari solitum fuisse; non ad ornatum quidem, sed vt ea obsignaret quæ domi digna erant vt custodirentur, propterea quòd domesticarum rerum seruandi cura ad vxorem præcipuè spectat. Quæ mulierum sedula custodia, priscis tamen ac primis illis temporibus, haudquaquã necessaria habebatur, in quibus magna erat fides, & innocentia vitæ. Verùm postquam Romam ambitio, auaritia, & seruorum ingens multitudo illa introducta est, maximè necessaria esse cœpit, vt ipsi etiam cibi ad eorum rapina vindicarentur. A

Lib. 33. c. 1.

Quorum miserandam temporum vicem condolens idem Plinius, subdit: *Quæ fuit illa priscorum temporum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur? At nunc cibi quoque ac potus annulo vindicantur à rapina. Hoc profecêre mancipiorum legiones, & in domo turba externa.* B

Nihil prorsus subduxerunt se prisci Christiani ab Ethnicis, præsertim verò à Romanis, in humilitate illa nimirum atque modestia annulos ferreos deferendi. Dum enim humilis hic mos in mundo viguit, ferreos ipsi quoque gestauêre. Sed longè ab eis discrepantia his insculpebant. Quocircà Clemens Alexandrinus, vt doceret quænam Christi fideles, quò ab Ethnicis sese dissimiles ostenderent, annulis suis insculpere deberent, inquit: *Sint nobis signacula, columba, vel piscis, vel nauis quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica qua vsus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus: * & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solùm attendere est prohibitum: sed nec ensis vel arcus his qui pacem sectantur; nec pocula his qui sunt moderati ac temperantes.*

Pædagog. lib. 3. c. 11.

* Alludit hoc loco Clemẽs, ad Petrum Apostolorũ Principem, qui factus est piscator hominum; & ad pueros, qui è fonte Baptismatis leuantur.

Baronius Annal. Tomo 1. anno Christi 57.

Cæsar autem Cardinalis Baronius, asserit, apud Christianos veterem obtinuisse vsum, vt sponsalis annulus signo fidei, quod est hieroglyphicum mutui fœderis atque concordiæ, sculperetur: id enim præ se ferunt coniunctæ simul dexteræ: nec apud Christianos tantùm, sed Iudæos, Romanos, aliasque complures etiam barbaras nationes vsu id receptum legimus. Porrectione enim dexteræ fidem sponderi solitam antiquitus, certum est. Qui verò de hieroglyphicis scripsêre, coniunctione manuum simul, ex qua numerus denarius efficitur, qui prima quadratura à Pythagora dicebatur, perfectam animorum consensionem symbolo quodam significari testati sunt. Quamobrem Christiana pietas aptè eiusmodi signo annulos sponsales insculpi debere monstrauit: quibus & sacerdotalem benedictionem addidit, Apostoli in hoc secuta documentum dicentis: *Omnia quæcumque facitis, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.* In ceteris verò annulis, qui sponsales non erant, Christi nomen duabus Græcis litteris designatum prisci Christiani hoc pacto insculpere solebant ☧; quod idem Baronius se didicisse testatur ex his, quos à vetustis ruderibus refossos viderat. Sed longè frequentior apud eos vsus erat Crucis imaginem insculpendi. C D

Coloss. 3.

Annuli Christianorum, signo Crucis illustrati.

Cuius piç ac planè laudabilis consuetudinis, præcipuè meminit Eusebius Cæsariensis, ostendens se huic opinioni inhæsisse, eamdem nimirum ab Isaia Propheta iam in spiritu fuisse prospectam; ideoque in suo De demonstratione Euangelica tractatu, inquit: *Denique post omnia hæc, quis inspiciens omnes quicumque in Christi fidem venerunt, salutari signo pro annuli nota vtentes, non meritò obstupescat, si audiat tanto antè ipsum Dominum dixisse: Et venient, & videbunt gloriam meam, & relinquam in eis signum?* Eiusdem etiam consuetudinis euidens testimonium perhibet ferreus annulus ille, qui beatæ virginis Macrinæ, sanctorum Basilij

Lib. 6. c. 25.

Isaiæ 66.

A Baſilij & Gregorij Nyſſeni ſororis defunctæ collo appenſus fuit. Huius quoque rei authenticam nobis fidem adſtruunt Acta beatiſſimi Silueſtri Papæ, quæ manuſcripta habentur in vetuſtiſſimo codice ſiue Sanctorali vel Paſſionario eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Martyres Romæ, quam vulgò Rotundam appellant. Ex quibus percipitur, quòd beatiſſimus ille Pater, quamuis ſummus Pontifex eſſet, priſcam nihilominùs Chriſtianorum modeſtiam humilitatemque ſecutus, ferreum annulum, in quo Crucis imago cælata erat, in digito geſtabat, quo Apoſtolorum Principis admonitione edoctus, horribilis illius draconis, qui Romæ publicè alebatur & adorabatur, quique peſtifero & virulento halitu ſuo homines necabat, os obſignauit. Calphurnius enim Romanæ vrbis Præfectus, & idolorum ſacerdotes, Magno Conſtantino Imperatore audiente, ſpoponderant, ſe ad Chriſti fidem acceſſuros, ſi idem Pater beatiſſimus Silueſter id præſtitiſſet, vt draco ille immaniſſimus per menſem ſaltem ex toto anno ab
B hominum internecione ceſſaret.

S. Silueſter annulo ferreo, habente ſignũ Crucis, os draconis obſignauit.

Cuius admirabilis planè facti ſeries in eiſdem Actis, ad poſterorum memoriam his verbis prodita eſt: *Tunc Silueſter conſtanter agens dixit: Audi me clementiſſime Princeps: iube hîc præſentes adeſſe vniuerſos Pontifices, cum Præfecto Calphurnio, vt quod ſolus pollicetur, hîc ſimul quoque illi promittant. Cumque altera die adeſſent omnes Pontifices cum Calphurnio, promiſerunt in conſpectu Auguſti, omnes Chriſto credituros, ſi Silueſter egiſſet, vt vel vno menſe in toto anno draco ab interfectione hominum ceſſaret. Tunc Silueſter abiit ad Apoſtolum Petrum cum duobus presbyteris ſuis Euſtonio & Conſtantino, biduanum ieiunium complens. In oratione vidit tertia nocte Apoſtolum Petrum, talia ſibi monita proferentem: Cum his, cum quibus ieiunaſti & oraſti, cum ipſis tantummodò deſcende, ſolo Sacramento Chriſti refecti. Deſcende, ne timeas, neque trepidum ſit cor tuum; ſed confidens in Deo, accede ad draconem, in quo habitat ſatanas, & dic ei: Ieſus Chriſtus natus eſt ex Spiritu ſancto & Maria virgi-*
C *ne, crucifixus & ſepultus, tertia die reſurrexit, aſcendit ad cælos, ſedet nunc ad dexteram Patris: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Expecta eum fixus in iſto loco, vſque dum veniat. Et cùm hæc dixeris, liga os eius de lino canapineo torto triplici, quod tecum portabis, & deſuper ceram pones, & ſignabis annulo ferreo, quod ſignum Crucis habet ſculptum. Et inde aſcendens venies ad me, aperta confeſſione mea, inuenies panem à me tibi præparatum; de ipſo & qui tecum ſunt reficies, & omne venenum abiicies, & ſaluum te Chriſtiano Principi ſimul & populo præſentabis.* Et paulò pòſt eadem Acta ſubiungunt: *Sanctus autem Silueſter cum presbyteris ſuis, ſicut admonitus eſt ab Apoſtolo, ſine formidine deſcendit, duas lampades incenſas anteferentibus ei. Circa medium deſcenſum cœpit ſibilum draconis iraſcentis audire. Cui ſanctus Silueſter ait: Apoſtolus Chriſti Petrus miſit me ad te, & iuſſit mihi, vt ligem os tuum lino, & ſignem annulo Crucis ſignaculum habente. Tunc draco immaniſſimus, ſquamas faciens more ſuo, & ſibilationes horrendas, quaſi trabes centenaria veniebat in furore*
D *nimio, ita vt ignis ex oculis eius & flamma procederet. Et accedens ſanctus Silueſter, ligauit os eius, & ſignauit annulo, ſicut ei præceptum fuerat.*

Hinc vetus illa pictorum conſuetudo ſumpſit exordium, ad S. Silueſtri pedes draconem appingendi, in huius victoriæ & admirabilis hiſtoriæ ſuæ perennem memoriam: cuius complures Scriptores Græci & Latini meminêre; inter quos Venantius Fortunatus Pictauienſis Epiſcopus, vir poëticarum & rhetoricarum litterarũ ſcientia celebris, qui ante mille & quinquaginta annos floruit. Et præter Cedrenum alioſque recentiores, huius facinoris meminit etiam Simeon Metaphraſtes in Actis eiuſdem ſancti Silueſtri, quæ Latinitati poſteà donata, ab Epiſcopo Lipomano Tomo quinto, & à Surio Tomo ſexto inter Sanctorum res geſtas referuntur: vbi aſſeritur, draconem illum ſub monte Tarpeio, vbi

In Actis ſancti Marcelli Pariſiorum Epiſcopi.

vbi Capitolium ædificatum est, latuisse. Ex quo coniecturam facit Cardinalis Baronius, eiusdem serpentis cauernam fortasse extitisse in quibusdam inaccessis subterraneis specubus & cisternis, quæ fauissę Capitolinæ dicebantur. Et quamquam in eisdem Actis præcisè non dicatur, vbinam serpens ille consuetum latibulum haberet; communis tamen opinio ex antiqua traditione descendens obtinuit, eius specum ad Palatini montis radices fuisse in eo loco vbi nunc ædificata est ecclesia, quæ vulgò dicitur Sancta Maria libera nos à pœnis inferni. Coniectatur ab his quos rerum antiquarum studium delectat, draconem hunc qui publicis sumptibus Romæ alebatur & colebatur, illum fuisse, quem Æsculapio sacrum, vt insana putabat Gentilitas, publica legatione ex Epidauro, Romanorum Senatus in Vrbem accersiit, ad pestem quę populum vehementer diuexabat, auertendam: quique, vt Festus tradit, non nisi canis vberibus nutriebatur. Plinius verò testatur, hunc suo adhuc tempore fuisse superstitem, soboleque mirificè adeò propagatum, vt nisi igne extingueretur, fecunditati eius non esset obsistere. sunt hæc eius verba: *Atqui anguis Æsculapius Epidauro Romam aduectus est, vulgòque pascitur & in domibus: ac nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere.* Illud verò notandum est, bestiam nimirum hanc, quam Plinius anguem dicit, draconem à Festo appellatam. Huius autem à priscis Christianis receptæ consuetudinis ferreos annulos gestandi, in qua Crux erat insculpta, clarum indicium, magnumque argumentum nobis etiam affert Lucianus, licet magnus atheista, diuinarumque & humanarum rerum omnium irrisor & contemptor insignis, qui in quodam Dialogorum suorum introducit Eucratem Philosophum asserentem, se postquam ferreum annulum ex Cruce quapiam fabrefactum, quem Arabs quidam ei dederat, accepisset, animo confirmatum fuisse aduersus horrores, quos dæmonum spectra illi incutiebant; sic enim ait: *Ita ne solus Ion*, inquit, *Eucrates, istiusmodi vidit; ac non alij etiam multi inciderunt in dæmones, alij noctu, alij etiam interdiu? Ego profectò non semel tantùm, sed millies iam talia conspexi: ac primùm quidem turbabar ad ea; iam verò ob consuetudinem nihil nouum aut prodigiosum mihi videre videor; maximeque nunc, ex quo annulum mihi Arabs dedit ex ferro de Cruce quapiam sumpto factum.* Hæc ille. Valdè enim verisimile est, Eucratem cùm Christianos ferreos annulos Cruce insculptos deferentes, eorumque præsidio ab omnibus dæmonum insidiis tutos conspexisset, illos in hoc imitatum, similis quoque annuli gestamine se ipsum tutari voluisse.

Annalium To. 3. anno Dom. 324.

In verbo Insula Æsculapij.

Lib. 29. c. 4.

Vis annuli Christiani etiam dum gestatur à non Christiano.

In Dial. qui inscribitur Philopseudes, siue Incredulus.

Consueuerant prætereà antiqui Ethnici quosdam annulos sub certis quibusdam constellationum punctis construere, superstitiosos characteres quosdam his insculpentes, stultè prorsus rati, eosdem annulos diuersas virtutes proprietatesque vitam hominum prorogandi, & iuuentutem retinendi, obtinere. Tales fuêre annuli, quos, vt Philostratus Lemnius scribit, Iarchas Brachmanorum sapientum Princeps, qui in aurea sede de astrorum cursibus & naturis publicè docebat, Apollonio Tyaneo dono dedit, qui ad id solùm, vt eum videret & audiret, ad Indos vsque dedita opera profectus erat. Quorum annulorum virtute, eumdem Apollonium Tyaneum, iuuentutis florem ac robur vsque ad vitæ exitum retinuisse ferunt; quamuis vltra centum annos vixerit. Quod Damis etiam eiusdem Tyanei comes atque sectator in suis commentariis fusiùs prosecutus est: idque Cælius etiam Rhodiginus refert his verbis: *Scribit etenim Damis, sapientum Indorum Principem Iarcham, tam scitè quàm doctè annulos septem compegisse, qui & stellarum septem nominibus essent præsignes; vt Apollonium Tyaneum dono acceptos, singulis diebus singulos, iuxta dierum nomina eos distinguentem, gestasse proditum sit. Ampliùs Iarcham id quoque Apollonio Tyaneo insinuasse, auum suum philosophiæ*

Superstitiosi Gentilium annuli.

In vita Apollonij Tyanei, lib. 3. c. 13.

Antiq. lect. lib. 6. c. 12.

A *sophiæ mysteriis itidem initiatum, annum centesimum trigesimumque viuendo attigisse. Id verò annulorum beneficio contigisse. Quinimò Apollonium ipsum, eodem munere iuuentæ nitorem prætulisse, quamuis annum centesimum excessisset.* Quin etiam idem Rhodiginus affirmat, Eudamum quemdam Philosophum annulos conficere solitum, quorum vis esset mira aduersus dæmones, & serpentum morsus, & alia pleraque huius generis incommoda, quibusque ad fascinationes ac veneficia omnia euertenda vis inesset præclara. Virtutes planè omnes ipsius sanctæ Crucis præcipuæ atque exploratissimæ. Quamobrem magna sanè ratione permoti prisci Christiani, illam annulis insculptam gestabant, pro comperto prorsus habentes, eamdem non tantùm aduersus dæmones firmissimum & inexpugnabile esse præsidium; ad serpentum morsus, quæ peccata sunt, opportunum remedium; aduersus mundi fascinationes amuletum probatissimum; & contra hominum persecutiones & nequitias tutissimum perfugium: sed & quicumque
B veræ fidei, spei, & charitati innixus, Crucem Domini patienter atque humiliter perferet in terris, renouabit vt aquila iuuentutem suam in cælis, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XI.

De Crucibus coronatis, quas prisci Christiani insculpere ac pingere consueuerant: & quare id facerent.

ANTEQVAM vana & superba ambitio mortalium pectora tantopere obsideret ac premeret, corona peculiare ornamentum erat, & præcipuum honoris insigne, soli Deo ab hominibus delatum, ideoque inquit Plinius: *Antiquitus quidem nulla corona, nisi Deo dabatur.* Idque non apud eos tantùm qui ve- Lib.16.c.4. *Antiquitus nulla corona nisi Deo dabatur.*
C ram Dei agnitionem nacti erant Hebræos, sed & apud Gentiles obseruabatur. Hebræos autem coronas Deo dicare solitos, idque diuinæ maiestati gratissimum extitisse, Sacræ ipsæ litteræ locis quamplurimis luculentissimum dant testimonium. Tum verò præcipuè, cùm Deus ipse formam qua Arca testimonij constare deberet designans, Moysi dixit: *Faciesq; supra coronam auream per circuitum.* Mensamque panum propositionis pari modo instituens, subdit: *Faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam interrasilem, altam quattuor digitis; & super illam, alteram coronam aureolam.* Cùm autem Machabæi, Gorgia & Lysia Antiochi Regis ducibus deuictis & profligatis, templum à se instauratum, & altare, pro eo quod Gentiles profanauerant, erectum dedicare vellent; priscum maiorum suorum morem secuti, tot coronas Deo obtulerunt, vt illis faciem templi exornauerint. Quod innuens sacra eorum Historia, inquit: *Et ornauerunt faciem templi coronis aureis.* Qui mos à veteribus Christianis etiam est Exodi 25. 1.Mach. 4.
D obseruatus. Nam inter cetera ornamenta, quæ altaribus Dei optimi maximi offerre consueuerant, insigniora erant coronæ aureæ. Cuius rei fidem astruunt amplissima ac pretiosa dona, quæ magnus Constantinus Imperator, sanctorum Petri & Pauli, ac Lateranensis, ceterarumque basilicarum quas Romæ extruxerat, sacrosanctis altaribus dedit, vt Anastasius Bibliothecarius, & alij scripsêre.

Eumdem quoque morem priscis illis sæculis à Gentilibus obseruatum, testatur Tertullianus, Pherecydis Poëtæ tragici & Diodori Siculi auctoritatibus suffultus: tradunt enim hi, Saturnum omnium primum, deinde verò Iouem post deuictos Titanas, corona redimitum fuisse: ipsius autem Tertulliani hæc sunt verba: *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus* De corona milit.cap.7.

post

Prima ratio Cruces coronatas sculpendi. *post deuictos Titanas, hoc munere à ceteris honoratum*. Quapropter ad peruetustam & laudabilem hanc Deo coronas dicandi consuetudinem, prisci Christiani alludentes, coronatas Cruces sæpè insculpere ac pingere consueuerant: hoc pacto innuentes, sanctæ Cruci diuinos honores tribuendos, ad prototypum tamen eius Christum crucifixum illos referentes, vt inferiùs dicemus. Atque hæc coronatas Cruces insculpendi ac pingendi prima ratio fuit. A

Coronā Reges sibi postmodum vindicarūt. At postquam elatæ ac superbæ hominum mentes, maiora de se ipsis animo concipere cœperunt, Reges ipsi ac supremi Principes primi extitêre, qui honorem hunc anteà soli Deo ab hominibus dari solitum, sibi arrogantes, aureas coronas ipsi quoque, in amplitudinis, maiestatis & gloriæ suæ argumentum gestare cœperunt; hoc pacto innuentes, se Dei optimi maximi viuas imagines existere. Quod vtique verum est, nisi tales sint quos crudelitas, auaritia, tyrannis, luxuria, ceteraque huius generis vitia, tam excelso ac pænè diuino munere
1.Paral.20. indignos reddant. Neque Ethnici tantùm & impuri, sed & pij ac boni etiam B
Principes, postquam abusus consuetudine honestatus est, id quoque fecerunt. *Dauid primus apud Hebræos gestauit coronam.* Inter quos Dauid ipse apud Hebræos primus fuit, qui coronam è capite Melchom Ammonitarum idoli abstrahens, quæ aurei talenti pondo erat, ac gēmis pretiosissimis exculta, sumptuosissimam ac splendidissimam ex ea sibi coronam construi curauit. In quo facinore dubitarunt aliqui, an Dauid peccauerit; cùm lege Moysis expresse cautum ac interdictum esset Hebræis, ne aurum & argentum, vel aliud quidquam ex Gentium idolis caperent, sed vt illa cunctaq;
Deut. 7. eorum ornamenta igne comburerent; sic enim ex Lege: *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes qui piam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est.*

Paralipom. Quæst. 10. In qua dubitatione Alfonsus Tostatus Abulensis Episcopus rationes quamplurimas ad ipsius Dauidis fauorem in medium afferre conatur. At Rabbini C Hebræi, vt Dauidem ipsum omni culpa eximant, asserunt eum haudquaquam coronam illam ex capite Melchom abstulisse, sed quemdam Philisthæum Ethai Iethæum nomine, qui ad illum profugerat, eamdem abstulisse, illique detulisse: vt Dauidi liceret de manu viri alienigenæ id capere, quod sibi tamquam Hebræo, de capite idoli illius auferre non licebat. Quamobrem diuus
In quæst. seu traditionib. Hebraicis in lib. Paral. 1. cap. 20. Hieronymus de hoc disserens, inquit: *Illicitum erat de idolis aliquid auri appetere aut argenti Iudæis per Legem: sed vt ipsi tradunt, Ethai Jethæus, qui de gente Philisthinorum ad Dauid venerat, ipse diadema diripuit in capite Melchom; vt liceret Hebræo de manu hominis capere, quod de capite idoli non licebat*. Hæc Hieronymus. Hanc autem coronam Dauid ipse posteà in dignitatis & amplitudinis, quam Deus ei dederat, gloriam & ornamentum gestare consueuerat. Atque hinc secunda *Secūda ratio Cruces coronatas sculpēdi vel pingendi.* ratio defluxit, qua veteres Christiani coronatas Cruces insculpere ac pingere studuerunt; vt innuerent, Crucem Christo coronam & gloriam extitisse; ad id D alludentes quod idem Regius Psaltes præcinuit, cùm dixit: *Minuisti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronasti eum*. Quæ verba testatur Apostolus, Regium Prophetam ipsum de Christo Domino dixisse, qui propter Crucem, passionem, ac mortem suam, gloria & honore coronatus est. Sic enim inquit:
Heb. 8. *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Quem locum exponens Ambrosius, testatur Apostolum hîc ostendisse, Crucem esse gloriam & honorem Christi. Et Ioannes Chrysostomus, vt superiùs dictum est, ad institutum hoc nostrum Crucem Regnum esse, omnique diademate & corona Regia splendidiorem fulgentioremque effectam fuisse asseruit.

Consue-

A Consueuerant prætereà prisci etiam Ethnici, publicorum certaminum victores, præmij & honoris ergò coronis ac sertis donare. Ex quo tertia deducta est ratio, qua veteres Christiani coronatas Cruces insculpendi ac pingendi morem introduxerunt: id eo pacto innuentes, quòd quemadmodum Crux victoriæ campus ille fuit, quem ascendens Christus cum inimicis nostris in certamen venit, hisque deuictis & illigatis gloriosam coronam adeptus, cælestem de eis triumphum reuexit; sic necesse est cuilibet, qui immortalitatis & cælestis beatitudinis munere coronari desiderat, vt Christi exemplum secutus, tollat Crucem suam, & viriliter dimicet, certò sciens, vt inquit Apostolus, neminem coronari, nisi qui legitimè certauerit. In Christi enim inuicti & gloriosi Ducis nostri militia, corona sine Cruce, & Crux sine corona non datur. Quamobrem sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, vt Crucis coronatæ mysterium innueret, inquit: *Tolle Crucem, qui vis auferre coronam.* Quinetiam adeò munificus ac liberalis *Tertia ratio.* *Crux ei tollenda qui coronã desiderat.* Epist. 12.

B est Rex & Imperator noster, vt quanto acrior ac periculosior est nostra pugna, tanto maior atque sublimior futura sit etiam corona, qua ab ipsius iustissima & beneficentissima manu donabimur. Vnde Cyprianus: *Quò longior vestra pugna, hoc corona sublimior.* Epist. 16. ad Moysen & Maximum presbyt. & Cõf. Rom.

Trium autem specierũ vt plurimùm erant coronatæ Cruces, quas prisci Christiani sculpere aut pingere consueuerant. Quarum illa prima fuit cùm Crucem in circuli medio effingebant, ita vt Crux ipsa à circulo vndequaq; esset circumdata, Ægyptiaci hieroglyphici illius instar, de quo superiùs libro quinto. Talis Crux illa fuisse perhibetur, quam Thomas Apostolus in Malipure Indiæ ciuitate saxo insculpi curauit; vt superiùs dictum est: circulo enim eiusdem lapidis vndequaque erat redimita. Talis etiam fuit Crux illa, quæ mirabiliter apparuit in extis animalium, quæ Iulianus Apostata idolis immolabat: quæ diuinitus illi ostensa est pro sui ipsius correctione & emendatione, si illam agnoscere *Cruciũ coronatarum triplex forma.* *Crux coronata Iuliano diuinitus ostensa.*

C sciuisset & voluisset. Non enim aliqui tum defuerunt, qui licet Gentiles essent, Crucis tamen illius quæ apparuerat præsagium & significationem rectè interpretati, ingenti horrore ac formidine perfusi, dixerunt, vereri se, ne Christi potestas ac doctrina per vniuersum terrarum orbem extenderetur, & ne semper persisteret: quandoquidem corona, qua Crux illa erat redimita, victoriæ signum erat; circulus verò qui suum vndique sumit initium, atque in idipsum reuertitur, nullo fine terminandam portendebat. Verùm ille, cui propria nequitia intellectum obcæcauerat, id pro sua peruersa voluntate atque instituto repentè interpretatus, asseruit, circulum quo Crux illa erat circumdata, Christianam religionem circumscriptam & vndequaque obsessam atque conclusam innuere. Cuius admirabilis Crucis apparitionis meminit sanctus Gregorius Nazianzenus his verbis: *Ferunt cùm Julianus sacris operam daret, exta animalium coronatam Crucem edidisse. Quæ res alios quidem horrore, summaque sollicitudine & anxietate af-* In Iulianũ oratione 1.

D *fecit, eoque adduxit, vt potentiam nostram persentirent: at impietatis magistro animum videlicet addidit, tamquam circumscripti atque vndiq; conclusi essemus.* Hæc ille. Eiusdem notatu planè dignæ & admirabilis historiæ meminit etiam Nicephorus Callistus. Lib. 10. c. 3.

Secunda autem coronatarum Crucium species illa est, quæ in summitate eminentioris ipsius Crucis cornu coronam habet. Cuius speciei inter antiquas Ecclesiasticas picturas quædam cernuntur Cruces, quæ in sublimiore earum extremitate non vnam tantùm, sed plures habent coronas: quibus illud in mysterio innui videtur, nempe quanto laboriosior ac difficilior est Crux quam Christi fideles & Dei electi hìc perferunt, tanto excelsiora atque sublimiora sunt præmia & coronæ, quæ à Deo optimo maximo ac beneficentissimo

 illis

illis ſemper ſunt præparatæ in cælis. Quod ſanè S. Paulinus Nolanus Epiſcopus tum innuere voluit, cùm piè canens inquit: A

Epiſt. 12. in picturā quæ eſt in abſide Fundanæ baſilicæ.

Sanctorum labor & merces ſibi ritè cohærent:
Ardua Crux, pretiumque Crucis ſublime, coronæ.

Crucis coronatæ Romæ in eccleſia S. Clemētis depictæ typus.

Inter Cruces autem huius ſpeciei, annumerari poſſe videtur veneranda illa & myſterijs pleniſſima Crux, quæ Romæ in curuitate abſidis eccleſiæ S. Clementis, vetuſtiſſimo & elegantiſſimo opere muſiuo picta conſpicitur; cuius typum ex ipſo exemplari fideliter delineatū, hîc in piorum Lectorum gratiam damus.



B

C

D

In

Interpretatio elegans præcedentis typi.

A In eminenti ac sublimi Crucis huius cornu, corona siue sertum à manu quadam sustineri conspicitur: quo gloriosa victoria cælestisque triumphus, quem Christus Dominus per sanctam Crucem adeptus est, apertè innuitur. Fitque in hoc ad Romanorum triumphos allusio, in quibus triumphator ipse coronam in capite non gestabat, sed aliena manu super caput ipsius sustinebatur. Corona autem siue sertum illud, quod super hanc Crucem brachio porrectum cernimus, instar eorum contextum fuisse videtur, quæ Crassus cognomento Diues in ludorum & certaminum suorum præmium dare consueuerat, quæ ex auro & argento ad foliorum ac florum similitudinem erant intexta. De quibus Plinius ait: *Crassus Diues, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit.* Lib.21.c.3. In eadem verò Cruce, Domini nostri crucifixi nuda imago quattuor clauis infixa conspicitur; altero scilicet in dextera, altero in sinistra; tertio in pede dextero, quarto in sinistro; sub quibus, pro corporis sustentatione, parua adest tabula, quam suppedaneam tabellam vocant. Atque in ipsa Cruce duodecim

Per duodecim columbas, duodecim Apostoli designantur.

B candidæ cernuntur columbæ, quæ duodecim signant Apostolos; quibus Dominus noster dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matth.10.

Quæ verba quomodo intelligenda sint, docuit nos sanctus Ambrosius, ostendens quamnam serpentis prudentiam siue astutiam, & quam columbæ simplicitatem Christianus habere debeat, cùm dixit: *Estote*, inquit, *astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Præmittitur astutia, vt sit tuta simplicitas. Sunt enim serpentes Euangelici, qui exuunt veterem vsum, vt induant nouos mores; sicut scriptum est: Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, secundùm imaginem eius qui creauit eum. Discamus ergo, depositis vetusti hominis exuuijs, Euangelicorum serpentium vias; vt more serpentium, seruare caput, fraudem cauere nouerimus.* Verùm id clariùs ac fusiùs docens nos sanctus Gregorius, inquit: *Nonnulli namque ita sunt simplices, vt rectum quid sit, ignorent: sed eo veræ*

De fide l.3. cap.7. *Christiani quomodo prudentes vt serpētes, & simplices sicut colūba.*

C *simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt. Quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est quòd Paulus Apostolus discipulos admonet, dicens: Volo vos sapientes esse in bono; simplices autem in malo. Hinc rursum dicit: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcepit, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Vtraque enim necessariò in admonitione coniunxit: vt simplicitate columbæ, astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret: hinc est quòd sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus non in columba solummodò, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem verò zelus indicatur. In columba igitur & in igne sanctus Spiritus ostenditur: quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inseruiunt, vt contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur.* Hæc ille. Per columbas autem Apostolos designari, in Silua Allego-

Moralium lib.1.cap.2.

D riarum ampla fides astruitur; vbi dum verborum illorum Isaiæ Prophetæ Allegoricus sensus exponitur: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* hoc dicitur: *Columbæ ad fenestras suas dici possunt Apostoli.* Et pro Allegorici huius sensus expositione adducuntur ibi in medium verba sancti Gregorij, qui ait: *Quasi enim columbæ ad fenestras suas sunt, qui concupiscenda respiciunt, sed simplicitate mundi cordis concupiscendo non perdunt: quia vident quæ appetant, sed illicitè appetere quod cernunt, vitant.* At per columbas, quæ super & circum Cruces insculpi ac pingi consueuerant, Apostolos innui & significari, expresse declarauit Paulinus Nolanus Episcopus, cùm ad Seuerum Sulpitium scribens, inquit:

Isaiæ 60. In 1.Regū cap.11.Exposit. lib.5. cap.1.To.1.

Crucem corona lucido cingit globo, Epist.11.ad Seuerum.

Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli. A
Quorum figura eſt in columbarum choro.

Licet idem ſanctus Paulinus, ſignificationem quoque aliam columbis tribuens, paulò pòſt ſubiunxerit, columbas Cruci inſculptas ſiue appictas illud innuere, Regnum nempe cælorum patere ſimplicibus:

Ardua floriferæ Crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuſo tincta cruore rubet.
Quæque ſuper ſignum reſident cæleſte columbæ,
Simplicibus produnt Regna patere Dei.

Et paulò pòſt ſubdit:

Nos quoque perficies placitas tibi Chriſte columbas,
Si vigeat puris pars tua pectoribus.

Cantic. 2.

Talis columba dilecta illa ſponſa eſt, quam cæleſtis ſponſus in Canticis auocat, & inuitat, dum ait: *Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba* B *mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quæ autem columba illa ſit, quæ tanto dilectionis & amoris affectu inuitatur ad ſalutem ſibi in foraminibus petræ & in cauerna maceriæ comparandam, ſanctus Bernardus declarat, ad inſtitutum ſuum, illum quinquageſimi quarti Pſalmi trahens verſiculum: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*; inquit enim: *Eccleſia columba eſt, & ideò requieſcit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in manſuetudine ſuſcipit inſitum verbum. Et requieſcit in verbo, hoc eſt in petra: nam petra eſt verbum.* Petræ autem foramina, & cauerna maceriæ, in quibus dilecta & manſueta columba hæc, vt incolumitati ſuæ conſulat, inuitatur, nihil aliud ſunt quàm Crucifixi vulnera; ideoque idem Bernardus ait: *Alius hunc locum ita expoſuit, foramina petræ, vulnera Chriſti interpretans. Rectè omnino, nam petra Chriſtus. Bona foramina, quæ fidem aſtruunt reſurrectionis, & Chriſti diuinitatem. Dominus meus, inquit, & Deus meus. Vnde hoc reportatum oraculum, niſi ex foraminibus petræ?* C *In his paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos. In hiſce columba tutatur & circumuolantem intrepida intuetur accipitrem: & ideò ait: Columba mea in foraminibus petræ. Vox columbæ: In petra exaltaſti me.*

Super Cantic. Ser. 62. *Eccleſia columba eſt, quæ in foraminibus petræ, id eſt vulneribus Chriſti, requieſcit.* Serm. 61. Pſal. 39.

Columbæ ſunt homines puri & innocentes qui Cruci & Crucifixo gemebundi inhærent. Iſaiæ 38. Ezech. 7.

Columbas etiam Cruci ad hoc inſculpere & appingere priſci Chriſtiani conſueuerant, vt innuerent, Crucifixo ſemper corde inhærere eos qui puri, manſueti, innocentes, meditabundi, & gementes vt columbæ, diu noctuque in lege Domini meditantes, peccatorum ſuorum veniam lacrymis efflagitare non deſinunt; volucres illas voce & gemitibus imitati, quos optimus Ezechias Rex ſe imitaturum ſpopondit, cùm dixit: *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo: meditabor vt columba.* De ſanctis verò ac gemebundis hiſce columbis intellexiſſe etiam Propheta viſus eſt, cùm inquit: *Et erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepidi, vnuſquiſque in iniquitate ſua.* Quo loco notandum, vt etiam animaduertit Hieronymus, quòd vbi Septuaginta in verſione dixerunt, *Columbæ conual-* D *lium*; Theodotion interpretatus eſt, *columbas meditantes*: & pro eo quod Hieronymus expoſuit, *omnes trepidi, vnuſquiſque in iniquitate ſua*; idem Theodotion verterat, *omnes muſſitantes in iniquitate ſua*. tali pacto, ſub meditantium ac gementium columbarum Metaphora illos innuens, qui ſuſpiriis ac gemitibus peccata ſua deflebant. Quamobrem idem ſanctus Hieronymus, pro rei huius epilogo, ſubdit: *Pulchrè iuxta Theodotionem, vocabimus columbam meditantem, eum qui in lege Domini die ac nocte meditatur; & de quo ſcriptum eſt: Os iuſti meditabitur ſapientiam.* Auguſtinus verò quaſi rationem hanc ipſe quoque explicare vellet, cur veteres Chriſtiani columbas Crucibus inſculpere & appingere conſueuiſſent, inquit: *Columba enim pro ſigno dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur.*

In Ezechielem cap. 7. In Pſal. 54.

Nihil

A *Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba; diu noctuque gemit, tamquam ibi posita vbi gemendum est.*

Mos autem hic, columbas Crucibus insculpendi vel appingendi, apud Christianos antiquissimus fuit, & iam inde à primis sanctæ Ecclesiæ Catholicæ exordiis introductus; vt ex Cruce illa argumentari licet, quam Thomas Apostolus in Indiæ ciuitate Malipure cælari & saxo insculpi curauit, vt superiùs dictum est; in cuius fastigio columba erat insculpta: qua non solùm Spiritum sanctum designauit, qui in columbæ specie super Dominum nostrum apparuit, verùm etiam eâdem columba innuere voluit, super eumdem Dominum nostrum plenitudinem & septiformem gratiam omnium donorum ac virtutum Spiritus sancti fuisse diffusam. Nam mansueta & pura auis hæc, septem in se proprietates habere perhibetur, quæ, vt Rupertus Abbas testatur, quamdam cum septem Spiritus sancti donis ac virtutibus similitudinem habent. Primò quidem super limpidissimis aquarum riuis commorari solet, vt accipitris in eis vmbra conspecta, velociter se in tuto recipere queat; in quo sapientiam se habere ostendit. Secundò nihil viuum comedit; in quo intellectum demonstrat. Tertiò alienos pullos nutrit; in quo consilium indicat. Quartò nidum suum in foraminibus petræ perstruit; in quo fortitudinem designat. Quintò, cùm pascitur, nitidiora grana seligit; in quo scientiam profitetur. Sextò, fel non habet; quod pietatis est argumentum. Et septimò pro cantu gemitus edit; quod est timoris indicium.

Mos Crucibus columbas insculpendi antiquissimus.

De operibus Spiritus sancti, lib. 1. c. 22.

Septem proprietates columbæ mysticè explicatæ.

B

Ad mysteriis refertissimæ Crucis huius basim, paruus quidam ceruus conspicitur, qui magnum serpentem olfaciens, naribus illum absorbere velle videtur; quo animalis huius naturalis instinctus quidam innuitur. Nam vt naturalium rerum indagatores affirmant, inuentum serpentem narium haustu absorbet ac deuorat; tum veneni ardore totus intrinsecus exardescens, ad fontem currit, ibique ad saturitatem bibens, & sitim suam extinguens, conualescit. Sub cuius figuræ Metaphora, id quod peccatori vsu venit, innuitur. Ab effrænata enim sensus appetentia illectus, peccatum auidè committit; quod nil ferè aliud est, quàm ingentem ac virulentum quemdam glutire serpentem. Tum verò, magna compunctione & ipsius conscientiæ morsu seipsum quasi ab ignito quodam veneno intrinsecus vri & corrodi sentiens, Spiritus sancti afflatu permotus, diuinaque gratia adiutus, ac magna pœnitentia ductus, ad inexhaustum pietatis & misericordiæ fontem Christum crucifixum recurrit; ibique peccatorum suorum veniam humiliter efflagitans, per sanctorum Sacramentorum medelam, quæ à patenti Crucifixi latere quasi viui fontes in sancta Catholica Ecclesia promanant, Domino reconciliatus, auidè bibit, sitimque suam extinguens, à peccati veneno feliciter persanatur. Quod diuinus Psaltes breuiter innuit, cùm dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Totamque Metaphoricæ figuræ huius significationem diuinè explicauit Hieronymus hoc pacto: *Mos est ceruo, vt inuentum serpentem naribus hauriat: & post hæc exardescens, extinguat sitim. Ergo homo Ecclesiæ, qui diu in actu venenoso degebat, vbi se perspicit cœno fornicationis, idololatriæ fœtore repletum, desiderat venire ad Christum, in quo est fons luminis; vt ablutus Baptismo, accipiat donum remissionis. Scit enim quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habebit vitam æternam. Sed & si quis hodie nostrûm extinctis vitiis ignescat in desiderium Dominicæ contemplationis, potest ipse dicere: Quia desiderat anima mea ad te Deus.* Atque hinc est, quòd in ima basi prædictæ Crucis imaginis duo alij conspiciuntur cerui, qui ex aqua (quæ per quattuor flumina decurrens, è rupe in qua Crux eadem defixa est, emanare

C

Ceruus in Crucis coronatæ typo depictus peccatorem verè pœnitentem designat.

Psalm. 41.

D

In Psal. 41.

perspicitur) auidè bibunt. Quæ flumina, iuxta quorumdam sententiam, quattuor etiam Euangelia significant, quæ per sanctorum Apostolorum prædicationem, orbem terrarum iam aridum & siccum irrigauêre. Rupes verò siue petra illa in qua Crux ipsa defixa est, sanctam designat Ecclesiam; alludens ad ea quæ Apostolorum Principi Dominus dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* A

Matth. 16.

Idem pariter ceruorum mysterium, qui sub eadem Cruce auidè bibunt, declarasse visus est etiam Ruffinus Aquileiensis, cùm ait: *Dicitur natura esse cerui, vt serpentem flatu suo extrahat, atque ipsum ad renouationem suam transglutiat. Quo absorpto, tanta siti propter venenum inardescit, quòd non sufficit ei de vno fonte potasse, sed ad plures currit. Ad hunc modum se perhibet hæc anima perfecta Deum desiderasse, dicens: Quemadmodum, id est, quàm ardenter desiderat & festinat ceruus absorpto serpente, non ad vnum tantùm, sed ad plures aquarum fontes: ita, ad illum modum, & ardore & feruore anima mea absorptis vitiis, desiderat peruenire ad te. Quia sicut plures fontes sitim cerui refrigerant, ita & tu eris mihi refrigerium multarum miseriarum; vt per te deponam omnem vetustatem peccati, & in nouitate reformer spirituali: quoniam apud te est fons vitæ, ad quem tu ipse animas inuitare dignatus es, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et iterùm: Qui bibit ex aqua quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Deinde verò peccatori suadere contendens, vt ad Deum auidè currat, qui est fons viuus, & fons indeficiens, quo peccati venenum extinguat, idem Ruffinus paulò pòst subdit: *Curre,* inquit, *ad fontem, vel fontem viuum. Cursus tuus sit affectus tuus: cursus tuus, sit desiderium tuum. Sed noli vtcumque, noli vt qualecumque animal currere; vt ceruus curre. Ceruus interemptis serpentibus, maiore siti inardescit, ad fontes acriùs currit. Serpentes vitia tua sunt. Consume serpentes iniquitatis, tunc ampliùs desiderabis fontem veritatis.* B

In Psal. 41.

Psalm. 35.

Ioan. 7.

Eadem ferè diuus quoque Augustinus protulit, vt superiùs nono capite libri quinti diximus. Idque totum pro mysteriis refertissimæ & coronatæ Crucis expositione, quæ Romæ in curuitate absidis ecclesiæ sancti Clementis elegantissimo ac splendido opere musiuo picta conspicitur, necessariò dicendum erat. Quod musiuum, Nicolai Papæ Primi iussu constructum fuisse, tum ex ipsius antiquitate argumentari libet, tum etiam ex eo quòd beati Clementis corpus eiusdem Pontificis temporibus Romam translatum est, & ab eodem sub maiori altari eiusdem ecclesiæ magna veneratione collocatum; vt complures auctoritate graues Scriptores tradidêre, & inter eos præcipuè Riccardus Monachus Cluniacensis, Martinus Pœnitentiarius, Petrus de Natalibus Episcopus, Leo Hostiensis, Baptista Platina, aliique permulti. Omnino enim videtur, Nicolaum Primum Pontificem, cùm tanti ponderis ac magna veneratione dignissimas Reliquias in eadem ecclesia reposuisset, animum etiam ad illam instaurandam applicuisse. In cuius facti memoriam, nominis sui notam siue signum illud marmori insculpi iussit, quod ad hanc vsque diem in ambitu, qui est in medio ipsius ecclesiæ, quem Scholam cantorum prisci vocabant, huius formæ conspicitur. C D

In eadem verò abside sub ipso opere musiuo, quattuor leguntur carmina, ex quibus conijcitur in corpore imaginis Crucifixi, qui est super prædictam Crucem, venerabiles quasdam inclusas fuisse Reliquias; nimirum de sanctę & veræ Crucis ligno, dentem sancti Iacobi vnum, alium verò sancti Ignatij. Carmina autem ipsa hæc sunt:

Sacræ Reliquiæ in Cruce materiali conditæ.

Ecclesiam Christi, viti assimilabimus isti,
Quam lex arentem, sed Crux facit euirentem.

De

A *De ligno Crucis, Iacobi dens, Ignatiique,*
In suprascripti requiescunt corpore Christi.

Tertia deinde coronatarum Crucium species, quas prisci Christiani sculpere ac pingere consueuerant, illa erat, qua coronam Crucifixi capiti imponebant; non illam quidem spineam, sed auream, Regum vel Imperatorum coronarum instar; hoc pacto innuentes, Christum Dominum crucifixum, Regem Regum, & Imperatorum Imperatorem existere. Talis est sacrosancta miraculosi illius Lucensis ciuitatis Crucifixi imago, quæ auream & Imperatoriam coronam habet in capite. Quam imaginem à Nicodemo Christi Domini occulto discipulo effictam tradunt, excepto vultu, quem diuina manu effigiatum dicunt; vnde à multis Vultus sanctus appellatur. Idque de coronatis Crucibus, quas veteres Christiani magna pietate sculpere ac pingere consueuerant, hactenus nos dixisse sufficiat: humiliter illum deprecantes, à quo gloriosus & inuictus Dux & Imperator noster, per sanctam Crucem suam, cælesti triumpho, æterno honore immortalique gloria coronatus est; in cuius amplissimis amœnissimisque misericordiarum ac miserationum campis, nec purpureæ rosæ, nec candida lilia desunt, quibus milites Christi coronantur; vt vires virtutemque talem nobis concedere dignetur, vt gratia eius adiuti, à periculoso huius vitæ, aut potius mortalis huius belli conflictu, victores egredi valeamus: ita vt demum coronati in cælis, ipsi quoque coronas nostras ante excelsum gloriæ illius thronum offerentes, humilesque voces nostras cum viginti quattuor illis senioribus, & cum omnibus Beatis & electis coniungentes, digni efficiamur, qui in æternum concinentes, dicere possimus: Virtus, gloria, laus, honor, & imperium tibi Domine Deus noster, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

In ciuitate Lucensi antiquissima Crux coronata.

B

C

CAPVT XII.

De Crucibus gemmatis, quas prisci Christiani sculpere ac pingere consueuerant, inæstimabilia beneficia, diuinasque gratias quas per sanctam Crucem accepimus, innuentes.

NON ab insensibilibus pretiosis lapidibus suum sancta & venerabilis Crux ab initio ornamentum obtinuit; sed decorem, gloriam, atque ornamentum suum à sacrosanctis diuinisque Christi Domini membris accepit, quæ gemmæ planè inæstimabiles sunt; gemmæ pretiosissimæ & incorruptibiles; margaritæ quæ omnem cælestem thesaurum continent; vniones verè Orientales candidi ac pellucidi; margaritæ diuinæ, iucundæ, & charæ, è quibus omne pretium nostrum, omnis merces, omneque nostrum dependet bonum; & margaritæ, de quibus locutus est Spiritus sanctus per os beatissimi Andreæ Apostoli; qui cùm Cruci suffigendus deduceretur, statim vt Crucem sibi præparatam eminùs prospexit, reuerenter illam consalutans, ait: *Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modò verò amorem cælestem obtines; pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus quanta in te gaudia habeas, quanta munera præparata.* Ad quorum diuinorum verborum significationem prisci Christiani alludentes, non solùm ex auro & argento Crucis imagines construere cœperunt, sed easdem gemmis quoque pretiosis sæpè ornauere: sicque gemmis exornatas, in picturis atque sculpturis illas pariter effinxerũt, cælestium diuinarumque gratiarum pretiosissimos thesauros, atque inæstimabilia bene-

D

Ex passione S. Andreæ, per Presb. & Diac. Eccl. Achaiæ scripta: quæ exstat apud Lipomanũ, Tom. 1. & apud Surium, To. 6

 ficia,

ficia, quæ per ſanctam Crucem accepimus, hoc pacto innuentes. Quæ Crucis imagines, *Gemmatæ Cruces* à Latinis dicebantur. A

Cruces gẽmis primus exornauit Conſtantinus Magnus:

Generoſam autem ac piam hanc conſuetudinem, Cruces gemmis & pretioſis lapidibus exornandi, introduxit pius ac magnus Conſtantinus Imperator, qui vt oſtenderet quanta veneratione ac reuerentia ſanctam Crucem admirabile ac diuinum victoriarum ſuarum inſtrumentum proſequeretur, in medio aureo laqueari, quod erat in introitu Imperatorij palatij ſui Conſtantinopolitani, Crucem variis fulgentibuſque gemmis auro illigatis illuminatam, & admirabili artificio elaboratam, conſtrui iuſſit. Cuius gemmatæ ac pretioſæ Crucis meminit Euſebius Cæſarienſis, his verbis: *Tantus item & tam diuinus amor Imperatoris animum complexus eſt, vt in ipſo palatij introitu, in ædificio omnium excellentiſſimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, ſalutaris paſſionis inſigne ex lapillis pretioſis cuiuſque modi, auroque multo polite laboratis confectum, figendum curarit. Iſtud Imperatori ſanctiſsimo Regni firmum videbatur eſſe propugnaculum.* Hæc Euſebius. Verùm non ibi tantùm, ſed locis modiſque aliis quamplurimis idem pius Imperator Cruces gemmis exornari iuſſit, vt infrà ſuo loco. B

De vita Cõſtantini, lib. 3. c. 48.

Cuius exẽplum mox ſecuti paſſim Chriſtiani.

Quam magnificentiam, piamque & planè generoſam conſuetudinem, pij ac boni ſæculorum illorum Chriſti fideles, tanti Imperatoris exemplum ſecuti, frequenti admodum vſu receperunt, vt vetera Chriſtianæ antiquitatis monumenta, quæ ad hanc vſque diem ſeruata ſunt, luculentiſſimum de eadem re perhibent teſtimonium. Inter quæ inſignis admodum ac notatu planè digna eſt arca illa marmorea, ſiue ſarcophagus, in quo iam conditum erat corpus Sexti Petronij Probi, viri clariſſimi, Chriſtianique pientiſſimi, qui circa annum Domini trecenteſimum & octuageſimum, Valentiniani ac Theodoſij Imperatorum temporibus vixit: qui Prætorij Præfecturam adminiſtrauit, & quartum Conſulatum obtinuit; quique duos filios, nempe Olybrium ac Probinum Conſules pariter habuit. Qui quidem ſarcophagus (poſtquam ſacellum ſepulturæ eius, quod poſt antiquæ diui Petri baſilicę tribunam ſitum erat, Nicolai Papæ Quinti temporibus, ſolo æquatum fuit, eiuſdem baſilicæ ampliandæ gratia) in ipſam baſilicam introductus, & in diui Thomæ Apoſtoli ſacello collocatus, pro Baptiſterio vſque ad Pauli Papæ Quinti Pontificatus annum ſecundum inſeruiuit. Tunc enim cùm neceſſitas eò impelleret, vt eadem diui Petri baſilica, nimia vetuſtate labans, & ruinam minitans, diruenda eſſet, idem pilus ſiue ſarcophagus in nouam baſilicam tranſlatus eſt; & in maiore ipſius naui ad ingredientium læuam muro appoſitus, antequam in Clementinũ ſacellum detur ingreſſus; vbi adhuc pro Baptiſmatis fonte tantiſper inſeruit, donec Baptiſteriũ tantæ molis amplitudini congruens extruatur. In cuius pili anteriore facie, duodecim ſanctorum Apoſtolorum imagines exſculptæ ſunt: in quorum medio ſtat Chriſtus Dominus, qui gemmatam Crucẽ manu geſtat, vt hîc conſpicitur. C D



Non-

A Nonnulli alij huius generis pili siue arcæ marmoreæ Romæ reperiuntur, quæ priscorum Christianorum Heroum extitêre sepulchra, quibus gemmata Crux insculpta conspicitur. Quorum Antonius Bosius, nepos meus, meminit in suo De sacris cœmeteriis tractatu, cui titulus est, *Roma subterranea.* Consuetudinem etiam gemmatas Cruces construendi, quam suorum temporum Christi fideles susceperant, innuit Prudentius, cùm Romam piis his versibus compellat: CōtraSymmach. li. 1.

Agnoscas Regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis.

Erat autem generosus hic mos, Cruces gemmis ac lapillis pretiosis exornandi, diui etiam Ioannis Chrysostomi æuo frequentissimus. Dum enim agit de forma Crucis materialis, & de forma Crucis sine materia, id est, de Crucis B signo, quo nosmetipsos manu consignamus, ait: *Huius forma est duplex, vna ex materia, exempli causa ex auro, vel margaritis, vel gemmis, quæ sæpè à Barbaris vel furibus aufertur: altera sine materia, neque enim ex materia est ei subiecta res, sed à fide est eius natura & essentia; à dispositione autem quæ eam facit, materia.* Et ibidem paulò superiùs quasi rationem innuere vellet, qua Christiani permoti Cruces ex auro construerent, illasque gemmis pretiosis ornarent, asserit Crucem antiquis temporibus, improbæ vitæ prauorúmque facinorum condemnationem extitisse: sed postquam Dominus noster illam ascendit, eamdem nos tamquam pretiosam & vitalem adoramus, & pro thesauro magni pretij tenemus, quandoquidem nunc omni regia corona splendidior est atque præclarior, immò verò ipsos solis radios pulchritudine ac fulgore longè etiam superat. De pretiosæ vitalisq; Crucis veneratione, To. 1. in fin.

Ipsa eadem gemmis ac pretiosis lapillis Cruces exornandi consuetudo, à priscis Rom. Pontificibus magna pietate ac liberalitate præcipuè obseruata C est, vt ex Anastasij Bibliothecarij peruetusto codice manuscripto, qui extat in Vaticana Bibliotheca, apertè colligitur. Vbi idem Bibliothecarius sedula & pia curiositate varia multaque dona describit, quæ iidem Pontifices insignioribus Romanæ Vrbis ecclesiis offerebant; ex cuius lectione constat, inter illa argenteas aureasque Cruces gemmis ac pretiosis lapillis exornatas sæpè offerre solitos. Dum enim tria illa oratoria describit, sancti Ioannis Baptistæ nimirum, sancti Ioannis Euangelistæ, & sanctæ Crucis, quæ Hilarius Papa circum Lateranense Baptisterium extruxit; asserit, eumdem Pontificem, inter alia sanctæ Crucis oratorio Crucem auream gemmis illuminatam donasse, in qua de pretioso sanctæ Crucis ligno reposuit: *Fecit oratorium sanctæ Crucis, confessionem vbi lignum Dominicum posuit, cum Cruce aurea, cum gemmis, quæ pensat pondus librarum* xx. Simile quid etiam ad Baptisterium basilicæ sancti Petri fecisse Symmachum Pontificem, tradit idem Bibliothecarius, inquiens: *Fecit ad fontem in* D *basilica beati Petri Apostoli oratorium sanctæ Crucis, ex argento confessionem, & Crucem ex auro cum gemmis, vbi inclusit lignum Dominicum: ipsa Crux aurea pensat libras decem.* *Plures Cruces gēmatæ à diuersis Pontificibus erectæ.* In vita sancti Hilarij Papæ. In vita Symmachi Papæ.


Testatur insuper idem Bibliothecarius, Sergium Papa, diuina reuelatione in sacrario basilicæ sancti Petri, in angulo quodam obscurissimo Crucem magnis pretiosisque gemmis perornatam reperisse, sic enim ait: *Hic beatissimus vir in sacrario beati Petri Apostoli capsam argenteam in angulo obscurissimo iacentem, & ex nigredine transactæ annositatis, nec si esset argentea apparentem, Deo ei reuelante, reperit. Oratione itaque facta, sigillum expressum abstulit, locellum aperuit, in quo interius plumacium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, inuenit: eoque ablato, inferiùs Crucem diuersis ac pretiosis lapidibus perornatam inspexit: de qua tractis* In vita Sergij Papæ 1.

quattuor

quattuor petalis, in quibus gemmæ clausæ erant miræ magnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris ligni Dominicæ Crucis inuenit. Quæ etiam ex die illo pro salute humani generis, ab omni populo Christiano, die Exaltationis sanctæ Crucis, in basilica Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, osculatur & adoratur. A

Typus vetustissimæ Crucis gemmatæ in templo sanctæ Mariæ in Cosmodim.

Piæ autem ac planè generosæ consuetudinis, quã veteres Christiani susceperant, Cruces gemmis ac lapillis pretiosis illustrandi, authenticum testimonium, firmissimumque argumentum perhibent picturæ parui quidem illius, sed antiquissimi elegantissimique templi sanctæ Mariæ in Cosmodim vrbis Rauennę Abbatiæ tituli, quã obtinebat Illustrissimus Gregorius Petrocchinus, S. R. E. Cardinalis à Montelparo, religiosus planè & integerrimæ vitæ Princeps; cui ego hunc sanctæ Crucis Tractatum, Italico idiomate priùs à me conscriptum & typis excusum dicaram: sed eo ingenti bonorum omnium mœrore vita functo, in Illustrissimi Scipionis Burgesij Cardinalis amplissimi, & Sanctissimi D.N. Pauli Papæ Quinti ex sorore nepotis, potestatem meritò deuenit. Super cuius templi aram primariam Crux gemmata vetustissimi pictoris manu effecta, & magna veneratione super sedem inter Apostolos Petrum & Paulum hoc modo collocata conspicitur. B



C

D

Vide Vitruuium lib. 5. c. 1.

In vetustissima pictura hac, quam Hieronymus Rubeus Rauennatum Historiarum Scriptor per mille & ampliùs annos factam fuisse affirmat, Crux sancta gemmis illustrata, magna veneratione ac maiestate, vt diximus, super puluinari in gemmata pariter ac regali sede collocata cernitur. Quo pij & boni illi præteritorum sæculorum Christi fideles innuere voluerunt, sanctæ Cruci regium ac diuinum honorem tribuendum esse; ad priscum Ethnicorum morem in hoc alludentes, quorum supremi Magistratus, vtpote Consules, Prætores, ceteriq; eiusmodi, in templis & basilicis plerumque ius dicere solebant,

excelso

A excelso ibi loco, & in sella ornatu regali strata sedentes, quã tribunal vocabant. Ex quo mos ille posteà inoleuit, quo nostri extremam illam templorum partem, siue interiorem faciem; quæ curuitate sua in capite eorum semicirculo terminatur, tribunam appellarunt. Et tribunal etiam ad hanc vsque diem vocant marmoream illam siue alterius materiæ fabrefactam sedem, sub ipsa tribuna sitam, in qua summus Pontifex, siue Cardinales, aut Episcopi, vel ceteri Ecclesiarum Prælati, in præcipuis solemnitatibus, sacerdotalibus infulis & Pontificalibus vestibus induti, sedere solent. De quo Prudentius:

Fronte sub aduersa, gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat vnde Deum. In Peri stephanon.

Magna veneratione & grato animo in hoc prisci Christiani sanctæ Cruci honorem eumdem rependerunt, quo illa naturam nostram prosecuta est. Siquidem, vt inquit Chrysostomus, *Crux sancta naturam nostram in soliũ regium reduxit.* De pretiosæ vitalisque Crucis veneratione, circa fineTom. 1.
B Cernuntur ibi ad eiusdem Crucis latera sancti Apostoli Petrus & Paulus astantes; Paulus nempe ad dexteram, Petrus verò ad sinistram. Quod vtrique iuxta antiquam Orientalis Ecclesiæ, & præcipuè Græcæ consuetudinem depictũ fuit, quam Latina quandoque etiam in hoc est imitata: priscis enim temporibus in hoc ipsa quoque, vt ita dicam, Græcizans, Sanctorum imagines maiore dignitate præcellentes ad sinistram, minùs verò dignas ad dexteram sæpè statuere & appingere consueuerat. Quod quibusdam etiam insigni eruditione viris argumentandi ansam dedit, antiquos nimirũ existimasse, sinistram dextera digniorem existere: quocircà in huius rei causa peruestiganda, diu multumq; elaborauêre. Cui opinioni inhæsisse se, inter ceteros, ostendit Cardinalis Baronius; ideoque in Annalibus suis pulcherrima & obseruatione dignissima antiquitatis monumenta annotauit. Sed his ceterisque animaduersionibus & causis quas præstanti ingenio viri adduxerunt, quæque adduci possent, breuitatis ergô prætermissis, ego ita censendum arbitror, antiquos nempe omnes, tum Græcos tum Latinos, omni prorsus suadente iure, dexteram semper sinistra digniorem existimasse: sed hoc tantùm inter eos esse discriminis, quòd Græci locum dexterum in ecclesiis, in choris, in omni corona atque consessu, eum esse censuerint, qui è regione ad dexterã in ingressu situs est; Latini verò, qui in egressu. Quòd autem Greci non minùs quàm Latini dexteram sinistra digniorem esse putauerint, firmum argumentum prisca illa ad hanc vsq; diem à recentioribus Græcis obseruata esse poterit consuetudo; qua dum Crucis signo sese cõmuniunt, postquam manum ad frontem, indeq; ad pectus descendendo deduxêre, dicentes, *In nomine Patris, & Filij*, eamdem posteà contra Latinorum ritum, à dextero ad sinistrum humerũ transferunt, dicentes, *& Spiritus sancti. Amen.* At quinam eorum in hoc rectiùs sentiant, non est pro loci huius angustia & tempore differendum.

Quomodo Petrus cõstitutus ad sinistrã, & Paulus ad dexteram.

Annalium Tom. 3. anno Christi 325.

C

Imago autem Pauli Apostoli in superposita Rauennatensi pictura, duo volumina manu gestat, quæ vetus & nouum Testamentum designant; illud innuens, vtriusque eum ad Gentes prædicatorem, expositorem, ac doctorem extitisse. Sancti verò Petri simulacrum claues manu protendit, ad claues Regni cælorum alludens, quæ à Christo Domino ei & successoribus eius dumtaxat, non autem alij cuipiam datæ sunt. Quod sanè recentioribus hæreticis, licet tam multa scire profitentibus, reuerà autem plura ignorantibus, documentum esse poterit; qui magna irrisione illud cauillari solent, cùm diui Petri manibus, & sub Romani Pontificis eius legitimi successoris tiara claues appositas conspiciunt, asserentes, quòd animo & intelligentia tantùm, non autem oculis percipi potest iurisdictio aperiendi & claudendi, ligandique & soluendi, quam Dominus illi dedit, ideoque absurdum esse, corporeis pictisque clauibus eam osten-

Insignia imaginum SS. Petri & Pauli explicata.

D


Clauium diui Petri eiusque legitimi successoris pictura, aduersus hæreticos asserta.

ostendere velle; discantque ex hac imagine iam ante mille annos picta, vt diximus, vetustissimam esse clauium picturam, & aliquando tandem fateantur, quod ab Ecclesia Romana fit, (quamquam ipsi aut originem aut rationem non capiant, vel certè eam capere nolint) esse tamen id antiquissimum, atque adeò ab Apostolicis institutis ductum & obseruatum. Nihil sanè, Deo ipso excepto, magis incorporeum est, quàm Angeli; diuino tamen iussu, Moyses Cherubinos aureos fecit ex vtraque parte oraculi, vt alis suis vtraque Propitiatorij latera contegerent. Et Salomon postquam templum, cuius ædificationem diuino Spiritu afflatus susceperat, perfecisset, duos Cherubinos ex ligno oliuarum construi iussit, quorum decem pedum altitudo singulorum erat, quos cùm auro texisset, in oraculo statuit, in ipsiusque templi intimam partem inuexit, vbi testamenti arcam collocandam decreuerat. Sed ad gemmatas Cruces reuertamur. Insigne admodum & notatu planè dignum gemmatarum Crucium monumentum, quas prisci Christiani pingere & sculpere cõsueuerant, perstat pariter adhuc Romæ, in elegantissimo & antiquissimo musiuo absidis ecclesiæ sanctæ Pudentianæ, quæ Titulus Pastoris olim fuit nuncupata; quod in antiquitatis suæ & operis excelletiæ venerationem ex parte superstes relictum est à bonæ memoriæ Henrico Caëtano Cardinale Illustrissimo, eiusdem antiquissimi ac deuotissimi templi hoc æuo nostro instauratore generoso atque magnifico; in cuius musiui & curuatæ absidis medio, magna quædam gemmata Crux huius formæ conspicitur.

Exodi 25.

3. Reg. 6.

Romæ in templo sanctæ Pudentianæ, Crucis gemmatæ typus.



Musiuum autem antedictum, Hadriano Papa Primo iubente, constructum est; qui circa trigesimum secundum Constantini Copronymi Imperij annum, ad summi Pontificatus culmen est euectus; obiit verò salutis nostræ septingentesimo nonagesimo quinto circiter ineunte. Idque apertè colligitur ex vetusto Anastasij Bibliothecarij codice manuscripto, qui extat in Bibliotheca Vaticana, vbi legitur, eumdem Hadrianum Papam Primum, ecclesiam prædictam sanctæ Pudentianæ ruinis pænè iam obrutam instaurasse. Ipsius Bibliothecarij hæc sunt verba: *Immò & Titulum Pudentis, id est ecclesiam sanctæ Pudentianæ in ruinis positam, nouiter instaurauit.* Ex quo euidenter perspicitur, deceptos quosdam, qui idem musiuum opus ab Hadriano Papa Tertio constructum fuisse opinati sunt, & id etiam litteris ad posterorum memoriam commendarunt: errore ducti ex coniectura & falsa interpretatione, quam tribuere voluerunt signo cuidam, siue nominis notæ, quæ sub ipsius absidis arcu conspiciebatur, litterarum characteribus hoc pacto connexis HRD III; quorum sensum hunc esse putarunt, *Hadrianus Tertius*; cùm re-verà tamen Hadrianum Primum innuere vellent: vt verisimiliùs conijcitur non solùm ex litteris quibus nota ipsa contexta erat, sed ex ipsius Bibliothecarij verbis. Dum enim asserit, Hadrianum Primum eamdem ecclesiam iam in ruinis positam instaurasse, consequenter etiam creden-

In vita Hadriani Papæ I.

A credendum est, eumdem Pontificem absidem quoque illius, & musiuum quod ad hanc vsque diem ex parte ibi cernitur, construxisse. Non enim verisimile videtur, in centum, vel paulò longiori annorum spatio, quod inter Hadriani Primi & Tertij Pontificatum intercessit, musiuum ipsum adeò collapsum atque absumptum fuisse, vt illud Hadriani Tertij posteà temporibus denuò cõstruendum fuerit. Adde quòd ipsius musiui operis elegantia apertè indicat ab Hadriano Primo omnino extructum fuisse, cùm illius æuo pictura & sculptura, ceteræque ingeniorum artes nondum à suæ excellentiæ nitore & candore tantum exciderant, vt enormiter nimis posteà Hadriani Tertij temporibus excidêre, in quibus ad hebetem ac stupidam prorsus imperitiam deuenerunt. Quinetiam si Cardinalis Baronij sententiam in hoc sequi velimus, longè maior antiquitas eidem musiuo tribuenda esset. Ex his enim quæ in Annalibus suis scribit, huic opinioni se inhæsisse ostendit; musiuum nimirum hoc, à Siricio Papa constru- *Annal. Tomo 4. anno Christi 395.*
B ctum fuisse, qui paulò minùs quadringentis annis Hadrianum antecessit; sententiæ huius suæ fundamentum iaciens (vt ego quidem reor) in quibusdam sectilibus tabulis marmoreis, quæ circum eiusdem ecclesiæ presbyterium erant, antequam Illustrissimus Cardinalis Caëtanus illam instaurasset, quibus Siricij nomen erat insculptum: quæ quidem aliunde illuc translatæ & appositæ tum fuisse videntur, cùm Hadrianus Papa Primus eamdem ecclesiam renouaret; quem constat musiuum quoque ipsum, vt diximus, construxisse. Cuius rei authenticam fidem astruunt Anastasij Bibliothecarij verba; longè quoque certiorem ipsius Hadriani nominis nota, quæ eodem opere musiuo compacta, sub arcu ipsius absidis cernebatur, vt pariter ostensum est.

Quàm autem pia & generosa illa priscorum Christianorum consuetudo Cruces gemmis & lapillis pretiosis illustrandi Deo grata & accepta fuerit, apertè coniici potest ex eo quod Alfonso Secundo Hispaniarum Regi contigit; cui ob
C castam ac cælibem vitam, Casti cognomentum inditum. Hic enim optimus Rex, cùm Oueti, vbi tum Regia erat, insigne ac sumptuosum templum in sancti Saluatoris honorem ædificasset, cuperetque id multis & exquisitis ornamentis, prout loci dignitas & maiestas postulabat, insignire; inter cetera, magnã quamdam auream Crucem construere, illamque plurimis ac pretiosis gemmis, quas habebat, illuminare cogitauit. Quapropter peritissimos vndequaque exquiri & accersiri iussit aurifices, qui operi huic conficiendo egregiam operam nauarent. Dumque hæc agitaret animo, ecce manè quodam egredienti è templo quod extruxerat, postquam Sacris interfuisset, Regiamque repetenti, duo eleganti forma iuuenes, qui sub humana specie Angeli erant, illi occurrerunt, & sese primarios esse aurifices, desideriumque eius percepisse asserentes, Crucem illam ad voti ipsius integram satisfactionem construere spondebant. Rex qui id vehementer exoptabat, pergrato animo illos excepit. Re igitur cum iuueni- *Alfonsi Regis Crucẽ auream & gemmatam construendi singulare desiderium.*
D bus communicata, tantum auri illis tradi mandauit, quantum ipsi necessarium esse dixerunt, & multitudinem gemmarum omnis generis ad Crucem illam conficiendam, & regio ornatu illustrandam. Habitacula, officinam, instrumenta, & omnia quæ opus esse videbantur, intra Palatium assignauit. Die verò sequenti familiares nobiles aliquot suos misit exploraturos, an manus operi admouere cœpissent. Hi confestim reuersi, Regi nuntiarunt, domum reperisse desertam, aurificesque nusquam comperisse; verùm Crucem iam absolutam & perfectam inuenisse, tanto splendore fulgentem, lucidosque adeò radios iaculantem, vt eam fixis oculis intueri nequirent. Rex nouitate rei permotus, ingenti admiratione obstupescens, protinus magna nobilium aulicorum manu comitatus, aurificũ cubicula festinanter adiit; vbi eos re ipsa abscessisse compe- *Quod ipsi Angeli incomparabili & diuino prorsus artificio expleuerunt.*

 rit,

rit, Crucem verò ibi relictam, & miro fulgore micantem conspexit, admirabilique adeò & excellenti artificio elaboratam, quanto per manus hominum multis annis absolui nequisset; neque verò eam venustatem & pulchritudinem citra diuinum miraculum humana industria attingere potuisset. Quamobrem pius Rex Dei erga se benignitatem & fauorem apertè agnoscens, in gratias & preces se totum effudit; Cruceque Angelica magna veneratione adorata, loci Episcopum accersiuit; Cleroque & populo conuocato, solemni pompa è palatio Regio Crucem in templum sancti Saluatoris deduxit; ipse quoque propriis manibus in ara sacræ illius ædis maxima reuerenter collocauit. Hanc autem planè admirabilem historiam complures auctoritate graues Scriptores, qui de rebus Hispanicis scripsêre, prosecuti sunt; & inter eos præcipuè Rodericus Ximenes Toletanus Archiepiscopus [a]; Lucas Tudensis Episcopus in Chronicis Hispaniarum; Ambrosius Morales in vita Alfonsi Casti; Alfonsus à Cartagena Burgensis Episcopus [b], Vaseus in Chronicis Hispaniæ, Alfonsus Ciacon [c], ac demũ Cardinalis Baronius [d]; aliiq; permulti. Hæc Crux Angelicis manibus fabricata, inscriptiones quasdam habet incisas, quas Morales [e] præcipuè exscripsit & annotauit. In cornu superiori hæc verba leguntur:

[a] Lib. 4. c. 9.
[b] In Anacephalæosi Hispan.
[c] De signis S. Crucis, cap. 35.
[d] Annal. Tom. 9. anno 791.
[e] Lib. 13. cap. 38.

SVSCEPTVM PLACIDE MANEBIT HOC
IN HONORE DEI.
OFFERT ADELFONSVS HVMILIS
SERVVS CHRISTI.

In sinistro verò ac dextro cornu hæc alia quoque verba cælata sunt:

QVISQVIS AVFERRE PRAESVMPSERIT MIHI,
FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE,
NI LIBENS VOLVNTAS DEDERIT MEA.
HOC OPVS PERFECTVM EST ERA DCCCXXVI.

Et in inferiori stipite hæc item verba sunt insculpta:

HOC SIGNO VINCITVR INIMICVS,
HOC SIGNO TVETVR PIVS.

Crux aurea & gemmata Leoni Papæ III. à Carolo Magno oblata, vt in Litaniis deferretur.

Scribit idem Anastasius Bibliothecarius, Carolum Magnum, qui à Leone Papa Tertio Romanorum Imperator declaratus, vnctus & coronatus est, inter cetera regia dona quæ diuersis Vrbis ecclesiis obtulit, magnam Crucem auream hyacinthinis gemmis ornatam basilicæ Lateranensi donasse, Pontificemque obsecrasse, vt in suæ ipsius pietatis memoriam, illam in Litaniis semper ante Papam deferri iuberet. Quam postea Crucem temporibus Paschalis Papæ Primi à latronibus furto surreptam, Leo Quartus restituit, altera scilicet eiusdem formæ constructa, & lapillis pretiosis pariter illustrata, vt in Litaniis & Processionibus, consueto more, ante Pontificem deferretur. Eiusdem autem Bibliothecarij hæc sunt verba: *Idem verò beatissimus & summus Præsul Leo Quartus, cum gaudio & nimia delectatione, omnia ornamenta siue alimenta, quæ inde deleta fuerant, nouiter reparauit, & ad vsum pristinum magnificè vocauit. Nec non & Crucem ex auro purissimo gemmis ornatam, quam Carolus piæ recordationis Imperator Francorum & Romanorum in basilica Saluatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, temporibus Domni Leonis sanctæ recordationis Tertij Papæ obtulerat; quæ mos erat vt in Litaniis ante sacratissimũ Pontificem ipsa præcederet, & sic permansit vsq; ad tempus sanctæ recordationis Domni Paschalis Papæ, vnde diabolica suggestione atq; instigatione à malis extorta est, & eadem à latronibus nocte per furtum ablata est. Et nullus deinceps prædecessorũ Pontificum, tam Domnus Paschalis, quàm Domnus Eugenius, siue Domnus Valentinus, seu Domnus Gregorius, necnon & Domnus Sergius recordatus fuit, vt eam restauraret, & ad vsum sanctæ Romanæ Ecclesiæ pararet: sed idem præfatus & magnificus Præsul*

In Vita Leonis IV.

A *Præsul fecit ex auro purissimo, & miræ magnitudinis margaritis & gemmis hyacinthinis & prasinis ornauit, & ad vsum pristinum sanctæ Romanæ Ecclesiæ mirificè decorauit.*

Idem quoque Leo Papa Quartus, Crucem quam subdiaconi Apostolici ante Papam deferre solent, cùm equitat, vel quandoque pedester incedit, de nouo instaurari & gemmis illustrari iussit, vt idem Bibliothecarius affirmat, hoc modo: *Fecit idem benignissimus Crucem auream à nouiter; & ipsa Crux, vt mos antiquitus à subdiaconibus manibus deferebatur ante equum prædecessorum Pontificum, Deo iuuãte, in auro & argento, in gẽmis meliùs renouauit.* Ex quibus verbis colligitur, quòd Crux ante Pontificem deferri solita, antiquitus erat gemmata; quod nostris temporibus exoleuit. Scribit propterea idem Bibliothecarius, eumdem Leonem Papam Quartum, post direptam à Barbaris Vaticanam basilicam, inter cetera quæ in ea restituit, magnum argenteum Crucifixum inauratum hyacinthisque decoratum construi fecisse; sic enim ait: *Fecit etiam idem beatissimus Præsul, post de-*

Crux gemmata ante Pontificem deferri olim solet.

B *prædationem Sarracenorum, in ecclesia beati Petri Apostoli, Crucifixum miræ magnitudinis constructum, cum gemmis hyacinthinis, de argẽto purissimo exauratũ, pens. lib. cxx.*

Quanta autem fuerit priscorum Christianorum generositas & magnificentia in Crucibus construendis, luculentissimũ testimonium perhibet pretiosa illa & inæstimabilis Crux, quam Sarraceni occupatores Sezerinæ Mesopotamię vrbis, Ioanni Comneno Constatinopolitano Imperatori tradidêre, vt eiusdẽ ciuitatis obsidionem solueret. Erat enim Crux illa vnà cum Crucifixi imagine, pretiosa quadam gemma exsculpta, quam lychnitem appellant, quæ species quædam carbunculorum est; ideò sic dicta, quòd splendor eius accensæ lucernæ pęnè instar refulgeat. De qua Plinius: *Ex eodem genere*, inquit, *ardentium carbunculorum lychnites appellatur, à lucernarum accensarum præcipua gratia.* Tantæ enim venustatis & pulchritudinis gratiam Crux illa referebat, vt eius aspectu oculi expleri nequirent. De eadem enim Nicetas Choniates historicus in Annalibus ait: *Et*

Crux in lychnite gemma exsculpta.

Natur. hist. lib. 37. c. 7.

In Ioanne Comneno.

C *ante hæc, Cruce elegantissima in manus sumpta, cuius nihil simile visum est, in lychnite gemma exsculpta, summoque artificio diuinæ imaginis expressa similitudine, cuius aspectu oculi satiari non poterant. Aiebant autem Sezerini, maiores suos olim Cruce illa radianti inter cetera munera Imperatori oblata, capto Romano Diogene Imperatore, eiusque vallo expugnato, & Imperatorio tabernaculo direpto, potitos fuisse.*

Verùm de Crucibus gemmatis, quas prisci Christiani pingere & sculpere consueuerant, notatu planè dignum testimonium nobis perhibet Crux illa musiuo opere constructa, quæ olim extabat in medio absidis antiquissimæ basilicæ S. Petri Romæ, quam magnus Constantinus Imperator extruxerat; cuius musiuum, cùm vetustate iam consumptum esset, ab Innocentio Papa Tertio instauratum est, vt Platina aliiq; Scriptores tradidêre. Inter quos Onuphrius Panuinus in suo De præcipuis Vrbis Romæ basilicis Tractatu, de eadem basilica inquit: *Innocentius III. Papa absidiæ musiuum antiquum vetustate consumptũ restituit, Christi*

Crux gemmata musiuo opere à Constantino Magno constructa.

D *Sanctorumq; figuris exornauit.* Et rei huius fidẽ astruebat ipsius Pontificis imago, quæ in eadem abside ad dexteram Crucis, quam diximus, aureis litteris nomen eius exprimentibus, cernebatur. Quam absidem his ego oculis integrã vidi, antequam dirueretur, Sixti Papæ V. temporibus, qui postquam eiusdẽ sacrosanctę basilicæ maioris pinnaculi fornicem, in ęternũ honorem & gloriam suam concamerasset; eamdem absidem siue tribunam dirui iussit, quò noua basilica, eo impedimento sublato, expeditior ac liberior esset. Sed antequã tribuna ipsa solo æquaretur, diui Petri Canonici, eiusdẽ exemplar in charta pergamena delineari & coloribus pingi curarũt; & sub eo à Notariis publicis instrumentum authenticum confici, quo plena & indubitata fides astruitur, tribunam antedictã typo & exemplari illi similem extitisse; illudque generosa planè ac pia curiositate in

basilicæ archiuo ad posterorum memoriam asseruant; cuius ego etiam aliud exemplar ab illo desumptum, magna veneratione domi meæ custodio, in quo Crux, de qua agitur, graphidi huic, quam in piorum Lectorum gratiam damus, omnino similis est. A



B

C

Cernitur ibi Crux multis gemmis illustrata, in ara quadam super basilicum puluinar, magno decore ac maiestate sub sacris sumptuosisque tensis constituta. Et ante arã ipsam ad Crucis basim adest Agnus, Christum Dominum figuratè designans, & super montem positus; qui quidẽ in dextera sui pectoris parte perfossus, ingentẽ sanguinis copiam in calice quodam profundit: cumq; in singulis etiam quattuor pedibus vulneratus sit, ab eisdem & à calice prædicto quinque egrediuntur riui, qui ad montis radicem defluentes, quasi stagnum siue flumen magnum efficiunt, quod omnia vndequaque circumdat & abluit. Qua imagine quinque illa præcipua innuuntur vulnera, quæ immaculatus Dei Agnus in Cruce super Caluariæ montem accepit; è quibus pretiosus ille sanguis effluxit, qui pro totius mundi redemptione profusus culpas nostras abstersit. Cruor autẽ ab ipsius Agni pectore profluens & in calice susceptus, sanguinem illum significat, qui in sanctissimo altaris Sacramento, quod originem & virtutem traxit à sanguine pretiosissimo iam à Christi latere pendentis in Cruce defluente, quotidie offertur in calice, & in sancta Ecclesia Catholica sumitur, quique indies nostra etiam peccata delet. Ad quam imaginem & sanctæ Crucis figuram alludens idem summus Pontifex Innocentius Tertius, inquit: *Non enim solùm lauit nos Christus* D

Sensus mystici suprapositæ imaginis.

Mysteriorũ Missę lib. 4. cap. 44.

A *Christus à peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum fudit pro nobis in Crucis patibulo: verùm etiam quotidie nos lauat à peccatis nostris in sanguine suo, quando eius sanguinem nos accipimus in calicis poculo.*


Illud tamen sciendum, quòd licet antedicta Crucis imago vnà cum ceteris musiuis signis absidis basilicæ sancti Petri, tempore Innocentij Papæ Tertij, vt diximus, constructa fuerit, quando illam instaurauit; constanter tamen creditur, eadem signa ad eorum prorsus formam redintegrasse, quæ iam inde à magni Constantini temporibus constructa fuerant. Cuius rei firmissimum argumentum sumi licet ex eadem Crucis imagine, quæ efficta est iuxta ritum in quibusdam ecclesiis à priscis Christi fidelibus primitiuæ Ecclesiæ obseruatum; qui, dum Crucis supplicium frequenti vsu adhuc inferretur, magna circumspectione detinebantur in persona Crucifixi Domini nostri Cruci suffixa appingenda; Ethnicorum infidelium imbecillitati & infirmitati in hoc indulgentes, qui *Cur Cruces olim multæ sine imagine Crucifixi.*
B collectas & oratoria ipsorum quandoque ingredientes, vt Euangelicam doctrinam audirent, cùm ibi Crucifixi hominis imaginem adorari conspicerent (quo horribile planè spectaculum illud oculis eorum ingerebatur, quod forsitan illo ipso die, vel paulò ante in scelestissimorum hominum supplicium iure illatum viderant) grauiter offensi, & ingenti horrore perculsi, inde protinus aufugiebant. Quamobrem vt ad salutis & redemptionis nostræ mysteriorum aspectum & contemplationem, quæ in Christi Domini Cruce & morte consistunt, illos paulatim magna charitate allicerent, nudam Crucem sine Crucifixo pingere & sculpere cœperunt, ac pro ipso Crucifixo, Agnum quandoque Crucis basi siue lateri appingebant vel insculpebant; illumque quinque vulneribus transfixum, vt in prædicta imagine cernitur, aliquando effingebant. De quibus vetustissimis Crucibus sanctus Paulinus Nolanus Episcopus in quadam epistola innuere voluit, cùm dixit: Ad Sulpitiũ Seuerum Epist. 12.

C *Sub Cruce sanguinea niueo stat Christus in Agno.*

Hisque duabus figuris & imaginibus nempe Crucis & Agni, admirabile & sanctissimum sacrificium illud symbolicè designabant, & excellenter exprimebant, quod vnigenitus Dei Filius factus homo, in peccatorum nostrorum expiationem æterno Patri obtulit: pro Cruce quidem aram, & pro Agno innocentissimam humanitatis Christi victimam in ea oblatam ostendentes. Quod idem Paulinus paulò pòst innuere pariter voluit, subdens:

Sanctam fatentur Crux & Agnus victimam.

Neque in ecclesiis tantùm & in oratoriis prisci Christiani Cruces cum Agno ad basim siue ad latus, vt diximus, pingere & sculpere consueuerant, sed & mortuorum suorum sepulturis similes quoque figuras seu imagines apponebant. In cuius consuetudinis monumentum, quidam marmorei pili siue sarcophagi ad hanc vsque diem Romæ reperiuntur,
D tur, qui Heroum Christianorum extitère sepulchra; in quorum aliquibus Agnus cum Cruce in capite insculptus conspicitur; in quibusdam verò, idem Agnus, qui Christi nomen duabus Græcis litteris, nempe X & P, expressum gestat in capite. Ipsius verò P truncus siue stipes recta quadam linea sic per medium intersecatur, vt Christum Dominum in Cruce ingeniosè designet, vt hîc conspicitur.



Agnus cum Cruce in capite, Christum crucifixum designat.

Id autem piissimi optimique illi prisci Christi fideles faciebant, ad agnum A
illum alludentes, qui Deo iubente à filiis Israël immolatus est in Ægypto, cùm à durissima atque acerbissima seruitute illa discessuri essent; cuius sanguis, quo domorum suarum postes illiniuerant, ab occisione eos seruauit, quam Angelus percutiens in primogenitos Ægyptiorum exercuit. Qui quidem agnus typus & figura fuit innocentissimi Agni Christi Domini, qui pro nostra salute in ara Crucis oblatus, ab horribili ac miseranda diaboli seruitute nos liberauit: cuius sanguine sacratissimo, quicumque viua fide per sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta legitimè signatus erit, æternam ac tremendam internecionem euadet, quam in die iudicij de reprobis idem diabolus faciet, qui cùm sit & tunc præcipuè erit diuinæ iustitiæ minister, Angelus percutiens dici potest.

Hic est mansuetissimus Agnus ille, quem Spiritus sanctus ad Crucis lanienam super Caluariæ montem deducendum Isaiæ Prophetæ commonstrauit, qui non secùs ac si tonderetur, os suum aperire non debebat. Quare de eo in- B
Isaiæ 53. quit: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, &*
Ierem. 11. *non aperiet os suum.* Atque hic ille pariter est, in cuius persona Ieremias ait: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui*; id est peccatum: nam licet non solùm peccatum nullum vmquam fecerit, sed ne quidem cognouerit, Pater æternus tamen illum pro nobis peccatum fecit, ponens super eum omnia peccata nostra, vt nos iustificaremur. quamobrem inquit Aposto-
2. Cor. 5. lus: *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Hicque est benedictus Agnus ille à sanctis Patribus, & cunctis gentibus desideratissimus, in quorum persona sanctus Isaias Propheta Deum pre-
Isaiæ 16. cabatur, vt missionem eius accelerare dignaretur, cùm ait: *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Quibus verbis non solùm ardentissimum desiderium illud expressit, quo sancti Patres de veri Messiæ Christi Domini aduentu tenebantur; sed etiam Hebraicæ Synagogæ reproba- C
tionem, & sanctæ Ecclesiæ vocationem innuit, quasi diceret: Mitte nobis quantocyùs Domine vnigenitum Filium tuum, Agnum innocentissimum, cæli terræque dominatorem & creatorem, qui à petra deserti secundùm carnem egressus, id est à pertinaci ac dura Hebræorum Synagoga, quæ ob eius perfidiam ac duritiem illum non recipiet (vnde meritò deserta ac derelicta remanet) à monte filiæ Sion, id est à sancta Ecclesia Catholica piè recipietur, omnique debita veneratione & cultu tamquam verus Dei Filius adorabitur. Et postquam beata temporum plenitudo aduenit, in qua æterno Patri misericordiarum Deo illum mittere placuit, gloriosus præcursor eius Ioannes Baptista, qui protinus illum agnouit, cùm eum vidisset, digito demonstrauit, & inquit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; illum ipsum verè esse sciens, in cuius figura agnus quem diximus, pro populi Dei salute in Ægypto iam immolatus fuerat. Ad quorum
In cap. Ioãnis 1 Ho. 16 Tomo 3. institutum Chrysostomus: *Agnum*, inquit, *illum appellat, vt Isaiæ prophetiam Iudæis in memoriam reducat, & vmbram etiam à Moyse repræsentatam: vt per figuram magis eos ad veritatem alliciat. Ille quidem agnus nullius peccatum accepit; hic autem totius orbis terrarum: periclitantem enim mundum quamprimùm ab ira Dei liberauit.* Hæc ille. Figura autem hæc eidem Christo Domino adeò grata extitit, vt postquam cælos conscendit, vbi sedet ad dexteram Patris, sub eadem Agni imagine, sæpè seruis suis seipsum ostendere dignatus sit; præcipuè verò dilectissimo discipulo suo Ioanni Euangelistæ, qui in diuina & admirabili Apocalypsis visione, in forma hac pluries illum conspexit, & plusquam triginta vicibus sub nomine D
Apoc. 5. hoc illum descripsit; tunc verò præsertim cùm ait: *Et vidi; & ecce in medio throni, & quattuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem tamquam occisum,*

habentem

A *habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei*. Quasi occisum Agnum hunc vidisse se dixit, propter resurrectionem, quæ corruptionem præoccupans, sacratissimum corpus eius corrumpi non permisit; iuxta illud Regalis Prophetæ vaticinium: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Licet Psal. 17. enim Christus Dominus corpus suum mortem videre passus sit, corruptionem tamen videre non permisit: sed vt ostenderet reuera se mortem oppetiisse, resurrectionem per triduum distulit. Naturalium enim rerum obseruatores affirmant, humana defunctorum corpora, quæ combusta non fuere, incorrupta per triduum asseruari, vitæ naturali virtute in illis per hoc temporis spatium adhuc post mortem operante; sed post triduum putrescere. Eumdem autem Agnum, cornua septem habere dixit, omnipotentiæ & gloriæ eius vniuersitatem innuens. Septenarius enim, vt alibi ostendimus, vniuersitatis est numerus. Cornua verò potentiam & gloriam designant: quemadmodum, vt potentiam innueret, diuinus Psaltes inquit: *Et omnia cornua peccatorum confringam*. Et ad gloriam significandam, subdit: *Et exaltabũtur cornua iusti.* Et alibi: *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Dixit etiam, eumdem Agnum septem habere oculos, illos septem spiritus Dei esse declarans, id est septem operationes siue dona Spiritus sancti; quæ sunt, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor Dei. Quæ operationes, per eiusdem Agni sacratissimi gratiam, virtutem & efficaciam suam ostenderunt in omnes Sanctos, qui per vniuersum terrarum orbem extitêre.

Quid Agnus in Apocalypsi, habens cornua & oculos septem.

B (Psal. 74. — Psal. 111.)

Fuit etiam hæc eadem sacra Agni figura, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, ipsius Agni sponsæ dilectissimæ acceptatissima; in cuius rei testimonium in antiquioribus Christiani orbis basilicis, præsertim verò Romæ, Christus Dominus in Agni forma & figura sæpissimè pictus conspicitur, vt fusiùs infra suo loco dicemus. Atque ad hanc vsque diem ipsa sancta Ecclesia in sacratioribus mysteriis, & in vrgentioribus necessitatibus suis, eidem sacrosancto ac benedicto Agno se ipsam humilibus precibus commendare consueuit. Quamobrem in sanctissimo Missæ sacrificio per sacerdotes suos se illi ter enixè commendat his verbis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Et in Litanijs siue supplicationibus, ad eumdem Dei Agnum & Aduocatum nostrum apud Patrem pariter confugit, humiliterque illum deprecatur, vt per gloriosæ virginis Mariæ & Sanctorum eius intercessionem, nobis parcere, nos exaudire, nobisque misereri dignetur; inquit enim: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.*

C

Illud tamen animaduertendum, quòd licet in quibusdam veterum Christianorum Ecclesijs, mos ille nudas Cruces sine Crucifixo pingendi & sculpendi introductus diuque obseruatus fuerit; in alijs tamen Crucifixum etiam Cruci affixum appingi non omittebatur, per longissimum etiam tempus antequam crucifixio ipsa à pio & magno Constantino Imperatore, in Christi Domini venerationem ac reuerentiam, sublata esset. Idque diuersimodè probari potest. Probatur primò à diuina & admirabili illa ad Christianismum Placidi exercitus Traiani Imperatoris ductoris vocatione, qui in Baptismate posteà Eustachius appellatus est. Cui die quadam ad venationem incumbenti, Christus Dominus inter cerui cuiusdam cornua in splendidissima Cruce suffixus apparuit, ad sanctam suam fidem eum inuitans atque conuertens. In cuius fidei testimonium, martyrium posteà constanter sustinuit Hadriani Imperatoris temporibus, qui aduersus Christianos se crudelissimum ostendens, quasi alter

D

In quibusdam veterũ Christianorum ecclesiis non nudæ tantùm Cruces, sed Crucifixi etiam imagines.

Christus Cruci affixus apparuit S. Eustachio inter cerui cornua.

 Phalaris

Phalaris tyrannus, in candentem æreum taurum vnà cum vxore ac liberis eum A
iniici iussit. Cuius gloriosi agonis Acta ex vetustissimis manuscriptis desumpta,
[a] To. 6. sub die 20. Sept. Simeon Metaphrastes conscripsit, & ab Episcopo Lipomano [a] inter Sancto-
rum ab ipso collectas vitas Tomo sexto relata sunt. De eisdem etiam Ioannes
[b] De Imaginib. orat. 3. Damascenus [b], & Nicephorus Callistus [c] meminêre. Ex qua apparitione licet
[c] Lib. 1. c. 29. apertè non probetur, priscos Christianos iam inde à temporibus illis Christum
Dominum Cruci affixum appingere atque insculpere consueuisse; firmissimè
tamen inde argumentari licet, Christo gratum valdè atq; acceptum, sub eadem
forma & imagine à fidelibus adorari; contra iniquam ac peruersam hæretico-
rum opinionem qui sanctam hanc & planè dignam consuetudinem criminari
non erubescunt neque horrent; falsò asseuerantes, nouam Papistarum inuen-
tionem, & idololatriæ speciem existere.

Probatur secundò eadem pia & sancta consuetudo à sancti Iustini Martyris
In Tertull. Apologetico, cap. 16. ac Tertulliani scriptionibus, vt Iacobus Pamelius in suis ad Tertulliani Apolo- B
geticum Notis fusè admodum differit. Probatur tertiò ex his qui Minutius Felix
antiquus scriptor Ecclesiasticus scripsit, qui sancti Zepheryni Papæ & Seueri
Imperatoris temporibus floruit; cuius honorificam mentionem facit Hierony-
mus, in suo de viris Illustribus & Scriptoribus Ecclesiasticis catalogo. Is enim
in dialogo suo, cui titulus est Octauius, Cæcilio Christianæ religionis hosti in-
signi respondens, qui inter cetera Christianos criminabatur, quòd hominem
Cruci suffixum adorarent, inquit: *Nam quòd Religioni nostræ hominem noxium, &
Crucem adscribitis; trophæa vestra victricia, non tantùm simplicis Crucis faciem, verùm
& affixi hominis imitantur*. Hæc ille. Quem locum ad institutum hoc planè
serium Ioannes etiam Molanus, in suo De sacris picturis & imaginibus Tracta-
tu, diligenter obseruauit.

Verùm hæc ipsa eadem consuetudo euidentiùs probatur ex Actis sancti Pro-
Item Procopio apparuit, & ex persecutore gloriosum Ecclesiæ martyrem effecit. copij Martyris, aliàs Neaniæ nuncupati, qui alter penè Paulus Apostolus à Chri- C
sto Domino ad sanctam fidem vocatus est. Dum enim magna militum manu
stipatus, à Diocletiano Imperatore missus, Christianos persequeretur, apparuit
illi in itinere, prope Apameam Syriæ vrbē, Cruci cuidam crystalli instar luci-
dissimæ suffixus: & ex persecutore sanctæ Ecclesiæ, strenuum defensorem, glo-
riosum Martyrem, & sanctæ fidei intrepidum testem effecit. Qui statim vt ad
Scythopolim vrbem appulit, Crucem auream & argenteam cum Crucifixo, ad
illius similitudinem quæ in itinere illi apparuerat, sibi construi curauit, eam-
demque pro pietate sua collo appensam gestare consueuit. Cuius etiam virtute,
insignem illam aduersus infideles adeptus est victoriam, quæ narratur in Actis
eius, in secundo Nicæno Concilio posteà relatis, vt superiùs nono capite dixi-
mus. Ex quo dignoscitur & probatur, priscos Christianos iam inde ex eo tem-
pore Crucifixum non solùm Crucibus appingere & insculpere consueuisse, sed
etiam ex deuotione collo appensum gestare cœpisse. D

Quinimmò Lactantij Firmiani temporibus, qui magni Constantini Impera-
toris primis annis floruit, dum in Imperij regimine solidè adhuc confirmatus
non esset, licet sub tyrannis Christianorum res diuexatæ ac turbidæ adhuc
fluctuarent, in ecclesijs tamen Crucifixi imaginem, loco planè conspicuo pro-
palàm proponere cœpêre, vt statim ab introëuntibus adoraretur; illam super
trabem, quæ sub arcu primario siue triumphali ex transuerso hinc inde proten-
ditur, statuentes; vel prope maiorem ianuam ad dexteram, statim cùm intratur
in ecclesiam; vt ad hanc vsque diem, in antiquis ac primariis quibusdam Ro-
manæ vrbis basilicis collocata conspicitur, præcipuè verò in sanctæ Mariæ ma-
ioris & sanctæ Mariæ trans Tiberim. Quæ quidem peruetusta consuetudo ex
eiusdem

A eiusdem Firmiani scriptionibus, tum prosa tum carmine exaratis, apertissimè comprobatur, vt superiùs libri huius octauo capite diximus.

His tamen non obstantibus, in quibusdam Christianorum ecclesiis, non tamen passim in omnibus, etiam post libertatem & pacem à magno Constantino Ecclesiæ redditam, & post crucifixionem ab eo sublatam, vetus illa consuetudo, nudas Cruces sine Crucifixo pingendi & sculpendi, per longum etiam tempus retenta est; donec Sexta Synodo Constantinopoli congregata, Agathonis Papæ & Constantini Imperatoris cognomento Pogonati temporibus, circa salutis nostræ octingentesimum octuagesimum annum, Patres qui eidem interfuêre Concilio, considerantes gratiæ datorem Christum Dominum aduenisse, qui figuratus ille est, in quo omnes veteris Testamenti figuræ & vmbræ terminauêre; ideoque non ampliùs opus esse figuris, expresso ad id condito Canone sanciuerunt, vt pro Agno, qui antiquitus Cruci appingi cōsueuerat, Salua-

Sextæ Synodi decretū, vt loco Agni, Christus deinceps crucifixus pingeretur.

B tor noster pro nobis Cruci affixus in forma humana appingeretur & insculperetur. Cuius Canonis verba, qui inter ceteros ab eadem Sexta Synodo promulgatos octuagesimus secundus est in ordine, ex Græcis Latina effecta, hæc sunt: *Inter nonnullas venerabilium imaginum picturas, Agnus, qui digito Præcursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram assumptus est; verum nobis per legem Christum Deum nostrum præmonstrans. Antiquas ergo figuras & vmbras, vt veritatis signa & characteres Ecclesiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponamus, eam vt Legis implementum suscipientes. Vt ergo quod perfectum est, vel colorum expressionibus omnium oculis subijciatur, eius qui tollit peccata mundi Christi Dei nostri, instar hominis characterem deinceps pro veteri Agno statui iubemus; vt per ipsum, Verbi Dei humiliationem mente comprehendentes, ad memoriam quoque eius in carne conuersationis, eiusque passionis, & salutaris mortis deducamur, eiusque quæ ex eo facta est mundo redemptionis.* Quæ verba refert etiam Damascenus in fine tertiæ Orationis suæ

Canon. 82. Sextæ Synodi.

C de Imaginibus.

Et quamquam eiusdem Sextæ Synodi Canones non omnino firmæ ac solidæ auctoritatis existant: Canon tamen iste semper receptus fuit ab Ecclesia; præcipuè verò ab Hadriano Papa Primo, vt ipsemet testatur in ea Epistola, qua Tarasij Constantinopolitani Patriarchæ Synodicæ Epistolæ respondet; vbi eumdem Canonem magnis laudibus extollens, illum de verbo ad verbum refert, quemadmodum etiam summatim refertur in Decreto: ibidemque declarat idem Pontifex, se sanctam Sextam Synodum, cum omnibus Actis eius, præcipuè verò Canonem præfatum recipere. Verùm quoniam eodem Canone non obstante, Christi fideles Agnum pro eiusdem Christi Domini figura pingere & sculpere non destiterunt, propterea iure optimo animaduertit ibi Glossa, prædicti Canonis verba ad Agnum illum referenda esse, qui ad Crucis basim appingi consueuerat; super quam Sextæ Synodi Patres sanciuêre, vt pro eodem

Vide Bellarminum de Imagin. lib.2 cap.12

In Epistol. summi Pōtif. Tom.2.

De cōsecrat distinct.3. cap 6. Sanctam.

D Agno Christus crucifixus in humana forma insculperetur vel appingeretur, non prohibentes tamen Agnum quoque ad basim eius insculpi, dummodò super Crucem ipsam Crucifixus præcipuè sculptoris vel pictoris ministerio effingeretur. Quæ quidem Glossæ animaduersio, peruetusto huic Christianorum ritui, magnam affert lucem; & est communiter recepta. Quamobrem Cardinalis à Turre-cremata, in hoc Decreti caput scribens, inquit: *Tertiò est responsio hîc in Glossa, quam ponit seu prosequi videtur Guilielmus in Rationali: vt hoc referatur ad picturam in Cruce, vt videlicet in Cruce Christus in figura hominis depingatur principaliter; quo depicto, non obstet si etiam in parte inferiori depingatur Agnus.*


Explicatur Canon quo videri posset prohibita pictura Agni.

Super Decreto De cōsecrat. distinct. 3. c. 6 Sanctam.

Sed ad gemmatas Cruces reuertentes, quas prisci Christiani pingere ac sculpere solebant, eius rei longè etiam illustrius ac magis insigne exemplum nobis prodit

Crux gemmata Romæ in absíde basilicæ Lateranensis.

prodit elegans illa & mysteriis plenissima Crux, quæ in musiuo maioris absidis sacrosanctæ Lateranensis basilicæ Romæ conspicitur. Quod musiuum licet magna adeò antiquitate non nitatur, cùm Nicolai Papæ Quarti temporibus constructum fuisse constet; veritati tamen consonans, & communis omnium virorum quos res antiquaria delectat, opinio est, illud ab eodem Pontifice constructum fuisse ad illius similitudinem, quod ibi antiquitus fortasse iam inde à magni Constantini Imperatoris temporibus aderat. Quæ mysteriis refertissima Crux, de qua agimus, à vero eius prototypo fideliter desumpta, & diligenter delineata, talis est:



In summo autem eiusdem Crucis apice, columba alis apertis atque extensis cernitur, ex cuius ore vberrimæ aquæ defluunt, quæ totum Crucis erectum stipitem

A stipitem irrigant; ad illud fortasse respicientes, quod sanctus Paulinus Nolanus Episcopus ad Seuerum Sulpitium scribens, piè, & vt Christianum decet, poeticè colludens dixit:

Et per columbam Spiritus sanctus fluit. Epist. 12.

Ipsæ verò aquæ ad Crucis profundam basim fontem congerunt, ex quo quattuor emanant flumina; hisque quattuor paradisi terrestris fluuiorum nomina adscripta sunt, & in quattuor diuersas partes fluunt; quibus illud significatur, quòd per profundum & admirandum Crucis mysterium, ab immenso & inexhausto diuinæ misericordiæ fonte vberrima, copiosa, & planè iucunda spiritualium gratiarum permanant flumina, quæ vniuersas quattuor Orbis terrarum partes irrigant atque fecundant; ad quorum institutum Rupertus Abbas inquit: *Hoc pacto egressæ sunt aquæ largissimæ. Nihil verius; passo namque Christo fluxerunt aquæ Scripturarum, torrentes gratiarum Spiritus sancti inundauerunt.* *Mysteria superioris Crucis gemmata explicata.* In Numeros comment. lib. 2 cap. 7.

B Significantur etiam septem sanctæ Ecclesiæ Sacramenta, quæ à Cruce duxerunt originem, per quæ, omnia Spiritus sancti dona, omnesque gratiæ super iustos & electos defluunt: atque inter illa præcipuè sanctum Baptismatis Sacramentum, cuius salubres aquas super populos suos se effusurum pollicitus est Spiritus sanctus, vt ab omnibus inquinamentis & peccatis emundarentur, cùm per os Prophetæ inquit: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* De quo sacrosancto fonte vnde hæc flumina feliciter manant, idem sanctus Paulinus Nolanus pio sanè metro sic pariter cecinit: Ezech. 36.

Hic reparandarum generator fons animarum, Ad Seuerũ Sulpitium, epist. 12.
Viuum diuino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas.
C *Concipit vnda Deum, sanctamque liquoribus almis*
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas: peccator mergitur vndis;
Mox eadem emergit iustificatus aqua.
Sic homo, & occasu felici functus & ortu;
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam,
Et nouus æternis nascitur imperiis.

In huius autem rei testimonium, nimirum per fontem & flumina ibi Baptismum innui, in eo ouatæ formæ circulo, qui in eiusdem Crucis centro situs est, licet sit media parte emarginatus, diuus tamen Ioannes Baptista cernitur, qui Christum Dominum baptizat. Hic benedictus ac sacer fons ille est in quattuor flumina diuisus, & per vniuersum terrarum orbem in Gentium salu-

D tem sese diffundens, quem ciuitatem Dei, sanctam scilicet Ecclesiam, lætificaturum & fecundaturum, iam in spiritu Regius Propheta præuiderat, cùm ait: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ideoque sub ipsa Cruce, ibi opere musiuo in ciuitatis forma effista conspicitur sancta Ecclesia, vera supernæ ciuitatis & cælestis Ierosolymæ imago, viuusque terrestris Paradisi spiritualis typus, cuius sanctæ ciuitatis gubernator est ipse Christus. In cuius rei significationem in medio eius alta & eminens palma ibi conspicitur, victoriæ ac triumphi arbor, & super eam Phœnix, qua Christus Saluator noster in Cruce apertè designatur. Quemadmodum enim Phœnix ipsa super palmam volans, ibique ardens moritur, & post mortem renascitur: ita Saluator noster, Crucis victoriosam arborem vbi conscendit, totus charitate conflagrans, pro- Psal. 45. *Phœnix super palmã volans, typus Christi resurgentis.*

pter

pter ardentissimum suum in nos amorem mori voluit; & post mortem quasi mystica Phœnix resurgens, diabolum vicit & illigauit, mortem destruxit, nobisq; æternam impertitus est vitam. Quod eum quandoque facturum, iam anteà per multa sæcula Spiritus sanctus innuerat, cùm in eius persona inquit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* De hoc glorioso & planè admirando Christi facinore Lactantius Firmianus reuerà fortasse innuere voluit, cùm de Phœnice poëticè dixit: A

Cantic.7.

Tum legit aërio sublimem vertice palmam,
Quæ gratum Phœnix ex aue nomen habet:
Quam nec dente nocens animal perrumpere possit,
Lubricus aut serpens, aut auis vlla rapax.

Christus enim Dominus, cælestis, gloriosa, & mystica illa Phœnix est, de qua idem Firmianus concludens, reuerà dicere potuit:

Æternam vitam mortis adepta bono. B

Eiusdem verò ciuitatis Dei, id est sanctæ Ecclesiæ, custodes sunt Angeli; & inter ceteros gloriosus ille cælestis militiæ Princeps Michaël Archangelus, qui in eodem musiuo ante eiusdem ciuitatis ianuam euaginato ense stare conspicitur; ad Seraphinum illum alludens, quem ante terrestris Paradisi fores Deus ipse constituit. Quorum sanctorum Angelorum cælestem custodiam, semper orans, eadem sancta Ecclesia à Deo humiliter & enixè ad hunc modum efflagitat: *Ciuitatem istam tu circumda Domine, & Angeli tui custodiant muros eius.* Ipsiusque ciuitatis sanctæ protectores sunt sancti Apostoli; & inter eos præcipuè gloriosi Principes Petrus & Paulus, quorum imagines super eiusdem ciuitatis mœnia efficta cernuntur.

Resp. post 2. Lect. matutin. in Feria 3. post 1. Dominicã Nouemb.

Per ceruos, Gentiles designantur:

Duo denique cerui, & oues quædam siue agni ibidem conspiciuntur, qui ad aquarum haustum à sacro fonte dimanantium per quattuor illa flumina discurrentium auidè proficiscuntur. Quæ animalia, Gentiles populos designant, qui cùm anteà vera Dei agnitione orbati, & à vero vitæ ac salutis fonte longiùs digressi essent, per sanctæ Crucis virtutem & Christi mortem, non salubri tantùm vnda Baptismatis, sed aquis doctrinæ & verbi Dei aspergendi, & ab omni idololatriæ & peccati inquinamento mundandi & expiandi erant. Quocircà sanctus Hieronymus inquit: *Tunc omnis Gentilium turba cognoscet, quòd ego eos tollam de terris in quas dispersi erant, & reducam in terram Ecclesiæ; & effundam super illos aquas doctrinæ & sermonis Dei: & mundabo illos ab omnibus inquinamentis suis, & ab vniuersis idolis atque erroribus quos in suo corde simulauerant. Et dabo eis cor nouum, quod per peccatum perdiderant: & auferam cor lapideum, cor incredulum; & dabo cor carneum, molle, & tenerum, quod Dei præcepta suscipiat, ita vt ambulent in præceptis meis, & faciant iudicia quæ priùs neglexerant.* C

In Ezech. cap 65.

Per oues, iusti & electi.

Per oues autem, quæ in eodem musiuo bibere conspiciuntur ex aqua quæ per quattuor flumina ex fonte Crucis manantia fluit, iusti & electi Dei innuuntur; qui postquam aqua Baptismatis abluti ac dealbati sunt, & sæcularibus negotiis nuntium remiserunt, quasi tonsæ oues de lauacro ascendentes, in charitatis operibus exercentur. De quibus Spiritus sanctus innuere voluit, cùm in sponsi Christi persona ad sponsam Ecclesiam inquit: *Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis non est in eis.* Ad quorum verborum institutum apposite sanctus Augustinus, *Intueor*, inquit, *in his verbis Sanctos, cùm eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus, emollita duritia, & quasi demorsos mansosque transferre. Oues etiam iucundissimè agnosco detonsas oneribus sæcularibus, tamquam velleribus depositis, & ascendentes de lauacro, id est de Baptismate, creare omnes geminos, id est, duo* D

Canticor. 4. & 6.

De doctrina Christiana, li. 2. cap. 6. & in Psal. 94.

A *duo præcepta dilectionis; & nullum esse ab isto sancto fructu sterilem video.*

Consueuerant etiam prisci Christiani in musiuis & in picturis Ecclesiasticis Agnos effingere, ad sanctos Apostolos innuendos, vt in plerisq; antiquarum ecclesiarum Romæ conspicitur. De quibus Agnis, læte ad hanc vsque diem, sancta Dei concinit sic Ecclesia: *Isti sunt Agni nouelli, qui annuntiauerunt, alleluia: modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia, alleluia.* Quin plerumque, vt superius dictum est, ad Christum ipsum Dominum designandum, Agnum pingere consueuerant. Cuius rei etiam in vetustioribus Romanæ vrbis basilicis exempla quamplurima conspiciuntur: præsertim verò in antiquissimo templo sanctorum Cosmæ & Damiani; in cuius abside tredecim cernuntur Agni, ad fluminis ripam dispositi, qui Christum cum duodecim Apostolis significant; ad id alludentes, quod in Apocalypsi scriptum est: *Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Tu igitur ô immaculate Agne, ac Pastor noster sancte & benedicte; ex cuius bonitatis & misericordiæ profundo atque immenso fonte latissima gratiarum flumina manant; concede nobis obsecro, vt iisdem nos abluti, sic expurgati & mundati inde ascendamus, vt cum electis & candidis ouibus tuis in limpido & luminoso gloriæ tuæ fonte, hilares ac felices, sic saturari & expleri valeamus, vt veræ consolationis & iubilationis vocibus te laudantes, & vna cum electis tuis tibi gratias agentes, in æternum dicamus: *Nos populus tuus, & oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum: in generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam. Amen.*

Resp. 6. in Matutino de Cõmuni Apost. temp. Paschali.

Antiqua pictura tredecim Agnorum, Christo & Apostolis accõmodata.

Apocal. 7.

Psal. 78.

B

CAPVT XIII.

De Cruce, quæ magno Constantino Imperatori mirabiliter apparuit: de labaro, & aliis signis militaribus, quæ ad Crucis formam immutari iussit.

C

DECREVERAT benignus ac misericors Deus, in omnibus operibus suis sanctus & admirabilis, non tantùm orbis terrarum caput, mundique reginam Romam à truculentissima impij Maxentij tyrannide, & quod maioris ponderis erat, ab antiqua & horribili diaboli seruitute, atque ab idololatriæ miseranda cæcitate liberare; sed agitatam quoque & oppugnatam sanctæ Ecclesiæ nauem, in tranquillitatem & pacem tandem vindicare. Quamobrem postquam pius & magnus Constantinus, Constantio patre demortuo, Imperator declaratus est, & communi applausu Augustus ab exercitu consalutatus; cùm primùm in paterno solio pedem firmasset, Romanique Imperij partem, quam pater rexerat, propria virtute atque armis pacasset, & Barbaros
D Rheno & Occidentali oceano finitimos tumultuantes frænasset, demumque Britannos, quos Anglos nunc appellant, domuisset; diuino afflatus Spiritu, in vniuersum totius mundi ambitum, tamquam in corpus quoddam immensum, vt inquit Eusebius, aciem mentis intendens, & Vrbem illam, quæ quasi caput mundi est, totiusque Romani Imperij moderatrix, tyranni seruitute oppressam perspiciens; vita sibi vitalis, vt ita dicam, non fore videbatur, si Vrbem ipsam, omnium dominam & reginam, tam malè affectam & afflictam esse pateretur: quamobrem in ea paranda sedulò incumbere cœpit, quæ ad illam in pristinam libertatem vindicandam necessaria esse videbantur.

Verùm quia ingens adeò & arduum id erat facinus, vt sine ope diuina expediri non posse videretur, diu noctuque mente secum agitabat, quisnam deorum

rum in tanto negotio sibi adsciscendus esset. Dumq; in ea cogitatione sollicitus A & anceps diutissimè angeretur, hæc illi tandem in mentem subiit cogitatio: eorum nimirum plerosque, qui ante ipsum ad Imperij culmen euecti fuerant, licet in deos complures spem conieciissent, illosque summo cultu atq; innumerorum propemodum sacrificiorum victimarumque oblatione sibi propitios reddere studuissent; & quamquam in rerum omnium, tum publicarum tum priuatarum administratione, tot auguria capere, totque oracula consulere consueuissent; violenta tamen ac truculentissima morte affectos, viuendi finem fecisse, nullis superstitibus liberis, nullaque propemodum tantæ maiestatis ac rerum amplitudinis firma ac stabili post eos relicta memoria; neque quemquam in tam multiplici deorum numero reperisse, qui efficacem opem & opportunum illis tulerit auxilium, quò tantam prolapsionem, ac miserabilem planè ruinam euaderent: solum patrem suum, qui diuersam prorsus ab institutis eorum viam secutus, vnum solum Deum cæli terræque conditorem adorauerat, toto B vitæ suæ spatio conseruatorem & custodem Regni, omniumque bonorum largitorem comperisse. Quin etiam in mortis articulo magna consolatione illum permulcens, & ad honorificum ac felicem vitæ exitum in pace perducens, specialis gratiæ dono illi concesserat, vt sese in proprio lectulo decumbentem, dulci legitimorum ac naturalium filiorum corona circumdatum cerneret; qui in paterna ditione & in Imperio illi succedentes, progeniem & nominis eius memoriam in longam annorum ac sæculorum seriem propagarent. Ex harum igitur rerum assidua consideratione prudenter argumentatus est, in deorum illorum pluralitate ac multitudine magnam inanitatem ac mendacium, in vnius autem solius Dei adoratione magnam veritatis soliditatem, & veræ religionis cultum consistere. Quamobrem Deum illum solum, quem pater suus sanctè veneratus fuerat, omnino colendum atque adorandum statuit. C

Ardua deliberatio Constantini de deserendis diis Gentilium.

Huic ergo se toto cordis affectu commendans, & opem eius suppliciter implorans, illum humiliter & enixè precatus est, vt quinam esset sibi significare vellet, & expeditioni quam mente conceperat, adiutricem dexteram porrigere dignaretur. Dum igitur hæc obnixè flagitaret, & in hunc modum sæpè precaretur; ecce die quadam, dum moueret castra, & sol luce serena ad medium cælum ascendisset, & iam iam ad pomeridianum paululùm declinasset, Crucis imaginem clarissimo splendore in cælo figuratam, solique imminentem, repentè conspexit; in qua lucidissimis & valdè clarè apparentibus litterarum characteribus hæc inscriptio cernebatur: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ: id est, IN HOC VINCE. licet Nicephorus Callistus asserat, inscriptionem illam stellarum ordine in Latinarum litterarum figuram connexarum effictam extitisse; quarum hic erat sensus: IN HOC VINCE. Ad cuius planè admirabilis visionis conspectum non Imperator tantùm, sed vniuersus qui eum comitabatur exercitus, quique eamdem clarè etiam prospexerat, ingenti admiratione obstupefactus est. At magni Constantini animus, præter admirationem, ancipiti etiam dubitatione distrahebatur, nesciens quidnam ostentum illud tandem portenderet. Dumque multiplici cogitationum motu mens eius conflictaretur, nox ingruit, in qua dormienti illi Christus Dominus signum illud iam cælo ostensum deferens apparuit, præcipiens vt signi illius exemplar sibi construi iuberet, eoque in præliis, & in hostium aciebus aggrediendis, tamquam præsidio vteretur. D

Crucis imago Constantino in cælo ostensa.

Hanc admirabilem planè historiam complures auctoritate graues Scriptores referunt, inter quos Socrates[a], Sozomenus[b], Nicephorus Callistus[c], & alij

[a] Lib. 1. cap. 1.
[b] Lib. 1. cap. 3.
[c] Lib. 7. cap. 29.

A alij pleriqueꝫ & ante hos omnes Euſebius Cæſarienſis, qui teſtatur Imperato- De vita
rem ipſum Conſtantinum, cui familiariſſimus erat, ore proprio ſibi narraſſe, Conſtanti-
& iureiurando affirmaſſe, viſionem eamdem talem prorſus qualem ipſe ad ni lib. 1.
poſterorum memoriam litteris commendauit, conſpexiſſe. Dumque eiuſdem cap. 10. 21.
hiſtoriæ narrationem proſequitur, addit, Conſtantinum, illuceſcente die, qui 22. 23. 24.
noctem illam inſecutus eſt qua Chriſtus ei apparuerat, confeſtim cùm è ſtrato 25.
ſurrexiſſet, viſionis illius arcanum amicis expoſuiſſe. Deinde verò præſtantiſſi- *Quam ab*
mis artificibus, qui aurum & pretioſos lapillos affabrè connectere norant, ac- *artificibus*
cerſitis, verbis & graphica delineatione, Crucis imaginem & formam quam *exprimi, &*
conſpexerat, illis inſinuaſſeꝫ præcepiſſeque, vt eamdem auro ac gemmis appo- *auro ac gẽ-*
ſita imitatione adumbratam, elegantiſſimo opere quantocyùs conſtruerent. *mis adornari iuſſit.*
Quam Crucem ſibi ab Imperatore oſtenſam, idem Euſebius vidiſſe ſe con-
templatumque eſſe teſtatur; ideoque formam illius deſcribens, ſic tradit: *Erat* De vita
B *autem, inquit, tali figura fabricata. Haſtile oblongum erectumque auro vndique ob-* Cõſtantini,
ductum fuit, quod cornu habuit tranſuerſum, ad formam Crucis conſtructum. Supra in lib. 1. c. 25.
faſtigio ipſius operis, corona affixa, lapidibus pretioſis & auro politè circumtexta. In
ea ſalutaris appellationis Seruatoris nota inſcripta, duabus primis litteris nominis Chri-
ſti (erat enim littera P *in ipſo medio literæ* X *curioſè & ſubtiliter in hunc ſcilicet mo-*
dum ☧ *inſerta) quæ totum Chriſti nomen perſpicuè ſignificarunt. Quas quidẽ litteras*
deinceps ſemper Imperator in galea geſtare conſueuit. Ad cornu illius particulæ quæ ex
tranſuerſo erat per haſtile traiecta, velamen quoddam pertenue appenſum adhæſit, rega-
lis videlicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretioſorum artificioſè
coniunctorum, luciſque ſuæ claritate pulchrè reſplendeſcentium depicta & multo au-
ro intertexta: quæ dici nõn poteſt, quantam ſpectatoribus ob ſuam pulchritudinem
excitarit admirationem. Iſtud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudi-
niſque Crucis menſuram penitus exæquauit. Oblongum verò & erectum haſtile in
C *ſublimi appenſum, cuius pars inferior verſus baſim longiùs ducta fuit, ſub ipſum Cru-*
cis inſigne ad texturæ diſcurrentis fimbrias, auream pij Imperatoris pariter ac liberorum
ſuorum effigiem ad pectus vſque concinnè deſcriptam continuit. Iſto igitur ſalutari ſigno
Imperator, tamquam hoſtilis cuiuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo ſemper vſus
eſt: cuius expreſſæ ſimilitudines, mandauit vt vniuerſum exercitum perpetuò an-
tecederent.

Sic igitur Euſebius Crucem deſcribit, quam Conſtantinus ad illius ſimili- *Labarum*
tudinem, quæ in cælo ei oſtenſa eſt, conſtrui curauit. Ex cuius verbis ſumma- *exercitus*
tim coniicitur, labarum ipſius Imperatoris exercitus ſignum primarium, *Conſtantini primariũ*
haſtile oblongum & deauratum extitiſſe, in cuius faſtigio pretioſiſſima co- *ſignum.*
rona quædam affixa erat, in qua duæ primæ litteræ Græcæ nominis Chriſti
nempe X & P inter ſe connexæ, eo ſcilicet modo ac forma, qua ſuprà oſten-
ſum eſt, coaptatæ erant, & ſub ipſa corona aliud tranſuerſale lignum ad Cru-
D cis formam, ex quo purpureum velum auro & gemmis ſumptuoſo ac regio
ornatu intertextum pendebat, ſub cuius inferiori lembo, ad erectum & oblon-
gum haſtile ipſum, eiuſdem Conſtantini & filiorum imagines vſque ad hu-
meros erant affixæ. Quamquam aliorum opinio ſit, imagines eaſdem non ha-
ſtili quidem ipſi, ſed velo inſertas & Phrygio opere elegantiſſimo contextas
extitiſſe: cui opinioni præcipuè adhæſit Nicephorus; teſtatur enim, labarum
prædictum adhuc ad ſua tempora in Imperatorio Palatio Conſtantinopoli-
tanæ vrbis aſſeruatum fuiſſe; ideoque illud in hac parte deſcribens, ſic aper-
tè tradit: *Ex obliquo autem cornu, quod per haſtam eſt impactum, velum aureum* Li. 7. c. 29.
ſublime dependet, in quo imago aurea pectore tenus pij Imperatoris, liberorumque eius,
pulchrè eſt expreſſa. Iuxta cuius ſententiam, quam ſequitur etiam Cardinalis

A

Baronius Imperatorium labarum antedictum, eius formæ, quam hîc graphicè delineatum damus, omnino extitisse constat.



B

De forma Crucis quæ Constantino apparuit, dissertatio.

Tale igitur fuit labarum, quod pius ac magnus Constantinus, vt diuinæ quam viderat visioni obtemperaret, construi iussit. Quocircà à nonnullis reuocatur in dubium, an pura Crux ei reuerà ostensa fuerit, vel illa duarum Græcarum litterarum concinna connexio, quibus Christi nomen & Crucis signum admirabili artificio exprimitur; ita vt Crux in Christo, & Christus in Cruce monstretur. Verùm illa communior est opinio, Crucem ei commonstratam fuisse: quod sanè non Eusebij tantùm verba, si rectè intelligantur, apertè innuunt; sed huius rei ampliorem etiam fidem astruxit sanctus Artemius Martyr, qui in Constantini exercitu militans adfuit, cùm visio prædicta in cælo apparuit, illamq; propriis oculis conspexit. Is enim Augustali præfectura ob sanctam Christi fidem impij Iuliani Apostatæ temporibus posteà priuatus, cùm ab eodem de Constantini rebus gestis ironicè interrogaretur, sic illi respondit: *Ad Christum declinauit, ab illo vocatus, quando difficillimum commisit prælium aduersus Maxentium. Tunc enim ei in meridie apparuit signum Crucis, radiis solis splendidius, & litteris aureis belli significans victoriam. Nam nos quoque ipsi signum aspeximus, cùm bello interessemus, & litteras legimus: quin etiam totus quoque id contemplatus est exercitus; & multi sunt testes in exercitu tuo.* Cuius Martyris Acta, à Simeone Metaphraste conscripta, ab Episcopo Lipomano, & posteà à Surio inter Sanctorum vitas relata sunt.

C

Lipomanus To. 6. Surius To. 5. sub die 20. Oct. Martyrij S. Artemij, cap. 29.

Hanc autem opinionem sancta Dei Ecclesia videtur semper amplexata, vt ex Nicolai Papæ Primi verbis coniicitur. Is enim Bulgarorum populis ad Christi Domini fidem tum nuper conuersis, qui in bellicis expeditionibus pro militari signo equinam caudam deferre consueuerant, sciscitantibus quodnam vexillum deinceps ferre deberent, sic respondit: *Constantinus igitur, cùm multa secum de instantis prælij necessitate peruoluens, iter ageret, oculosque ad cælum sæpiùs eleuaret, & inde sibi diuinum precaretur auxilium; vidit per soporem ad Orientis partem in cælo signum Crucis igneo fulgore rutilare: cumque tanto visu fuisset exterritus, ac nouo perturbaretur aspectu, astare sibi vidit Angelos dicentes: Constantine, in hoc vince. Tum verò lætus redditus, & de victoria iam securus, signum Crucis quod in cælo viderat, in sua fronte designat; & hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum quem dicunt, in speciem Dominicæ Crucis.* Hæc ille. Sed animaduertendum est, Nicolaum Pontificem hoc loco intellexisse de ea visione quam Constantinus per somnium vidit, non autem de ea quæ per diem, spectante vniuerso exercitu, illi apparuit.

D

Respons. Nicolai Papæ Primi ad consulta Bulgarorũ, c. 33

His tamen non obstantibus, inscriptionem quamdam antiquam marmori insculptam penes me domi habeo, quam à sanctorum Martyrum cœmeterio quo-

A quodam prope diui Sebastiani deuotissimam ecclesiam via Appia sito quandoque ablatam fuisse puto, quæ talis est:

IN HOC VINCES



SINFONIA ET FILIIS
VIXIT ANN. XLVIII. MV DIIII.

Ex qua inscriptione apertè videtur coniici posse, priscos Christianos opinio-
B nem illam imbibisse, signum nimirum Constantino in cælo commonstratum, hieroglyphicum illud quod ibi insculptum cernitur, non autem puram Crucem extitisse. Quin etiam rei huius longè magis vrgens testimonium, & grauiorem quamdam confirmationem nobis affert numisma quoddam Constantij Imperatoris, quod typis cusum circumfertur in Dialogis Antonij Augustini Tarraconensis Archiepiscopi, & in Cardinalis Baronij Annalibus: in cuius postica parte, eiusdem Constantij imago stans, & vexillum manu gestans conspicitur; à tergo ipsius imago Victoriæ, coronam capiti eius imponens. Et in eodem vexillo siue labaro nulla adest Crux, sed in velamine eius hieroglyphicum illud, in quo cum Cruce Christi quoque nomen habetur expressum, cum hac inscriptione: HOC SIGNO VICTOR ERIS. Quod quidem numisma firmissimum argumentum esse videtur pro his qui opinionem illam tueri nituntur, non Crucem puram, sed signum vel hieroglyphicum prædictum Con- *Constantij numisma, in quo cum Cruce Christi nomen expressum.*
C stantino cælitus demonstratum fuisse; cùm supponendum sit, Constantium ipsum optimè conscium extitisse eius visionis, quam pater eius & cunctus exercitus in cælo conspexerat; & quemadmodum hoc numismate ad diuinam visionem illam verbis alludere voluit, sic etiam figura atque imagine eamdem quoque imitatum fuisse. Quod numisma est eiusmodi:





D

Verùm enimuerò hæc disceptatio parui admodum momenti esse videtur, cùm siue hoc siue illo modo, Crucem eidem Constantino omnino demonstratam fuisse constet: parum enim refert, an quis decussatam potiùs, quàm rectam Crucem illi ostensam fuisse credat. Ad quam nihilominus applaudentes quidam prisci Christiani, eorum etiam temporum quæ eidem Constantino valdè proxima fuêre, ipsius Græcæ litteræ P directum stipitem recta vna linea secare consueuerant; rectam quamdam hoc modo effingentes Crucem ☧. cuius consuetudinis nonnulla notatu digna inter Christi fidelium illorum sæculorum *Antiqua Inscriptiones cum nominis Christi & Crucis hieroglyphico.*

antiquitatis monumenta, quæ ad hanc vſque diem extant, exempla conſpiciuntur. Inter quæ inſignis admodum cenſetur quædam marmorea ſectilis tabula, quæ Romæ extat in ſacro loco, quem dicunt Confeſſionem, ſub ara primaria eccleſiæ ſanctæ Praxedis: quæ ex aliquo ſacrorum cœmeteriorum ablata, ibique collocata tum fortaſſe fuit, cùm Paſchalis Papa Primus illam inſtaurauit, multaque ſanctorum Martyrum corpora, quæ in ſacris cœmeteriis extra Vrbis mœnia iacebant, in eamdem eccleſiam transferri iuſſit. Cuius tabulæ & inſcriptionis exemplar bona fide delineatum ſubiecimus. A

DVLCIS ❦ ET INNOCENS ❦ HIC DORMIT SEVERIANVS ☧ IN SOMNO PACIS.
QVI VIXIT ❦ ANNVS P. M. L. CVIVS SPIRITVS IN LVCE DOMINI SVSCEPTVS EST
DIE ⳩ VIII. X. KL. MAR. DD. NN. FLAVIO CAESARIO ET NONIO ATTICO
VV. CC. QVEM LOCVM EMIT VIRICVNDA VXOR PASCASIO EPC. B



Hæc autem tabula & inſcriptio inciſa fuit ſexageſimo circiter anno poſt Conſtantini Imperatoris obitum, vt ex Conſulum ibi inſcriptorum tempore coniicitur, qui ab Aurelio Caſſiodoro, ſub Arcadij & Honorij Imperiis conſtituuntur, & iuxta Cardinalis Baronij ſupputationem Conſulatus munere fungebantur anno ſalutis noſtræ trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, qui Siricij Papæ Pontificatus decimus tertius fuit, Imperij autem Arcadij & Honorij prædictorum tertius. Alia quoque marmorea inſcriptio antiquitate paulò inferior pariter conſpicitur in pauimento antiquæ eccleſiæ ſanctæ virginis & Martyris Agnetis, via Nomentana extra Romanæ vrbis mœnia; quæ è ſacro cœmeterio, quod ſub eadem eccleſia ſitum eſt, ablata fuiſſe exiſtimatur. In qua inſcriptione idemmet hieroglyphicum inſculptum eſt, eidemque duo characteres Alpha & Omega additi fuêre, vt hîc conſpicitur. C

DEPOSITA SVSANNA IN PACE DIE XII. KAL. NOVEMBRES.
CONSVLATV ANICI BASSI ET FL. FYLIPPI VV. CC. QVAE BISSIT D
ANNIS PL. M. XXV. FECIT CVM MARITO ANNVS P. M. SEPTEM.
FL. SVPERANTIVS MARITVS SE VIVO VXORI DVLCISSIMAE
ET SIBI POSTERISQVE SVIS HOC TVMVLVM FECIT A ⳩ Ω



Vndecim aut duodecim, vel circiter annis inſcriptio hæc recentior illâ eſt, quæ in Confeſſione ſanctæ Praxedis conſpicitur. Conſules enim qui in hac inſcripti

A ſcripti ſunt, vt Aurelius Caſſiodorus in Chronicis innuit, in fine Imperij Arcadij Conſulatus munere fungebantur. Et iuxta Cardinalis Baronij ſupputationem eo anno præcipuè Conſulatum adminiſtrabant, quo idem Arcadius, iuſto Dei iudicio, florente admodum ac iuuenili ætate, dum trigeſimum primum annum ageret, è vita deceſſit, ob iniuſtam perſecutionem, qua diuum Ioannem Chryſoſtomum exagitauit. Qui annus noſtræ ſalutis quadringenteſimus octauus fuit, Pontificatus verò Innocentij Papæ Primi ſeptimus. Similis autem Chriſti nominis nota ſiue hieroglyphicum cernitur item in peruetuſta quadam alia inſcriptione quam domi etiam habeo, quæ extracta olim fuit ex ſacro cœmeterio ſanctæ Cyriacæ viduæ; in quo à ſancto Hippolyto, & à Iuſtino presbytero, beatiſſimi Laurentij Martyris corpus, poſtquam in Thermis Olympiadis, Viminali colle tum ſitis, ſuper craticulam aſſatum fuerat, clàm ſepulturæ mandatum eſt. Quæ inſcriptio eiuſmodi eſt:

B



SANCTO MARTVRI LAVRENTIO
IVLIA EXIBIT III. KAL. OCT. DEP. KAL. SS.

Quid ſignent hieroglyphica illa Alpha & O mega.

In his duabus poſtremis inſcriptionibus, Chriſti nominis notæ ſiue hieroglyphico duæ additæ ſunt litteræ, nempe Alpha & O mega, quarum altera Alphabeti Græci initium eſt, altera verò finis; quibus innuitur, Chriſtum Dominum C verum Deum, cunctarumque rerum principium & finem exiſtere. Ad quod Tertullianus appoſitè, *Duas Græciæ litteras*, inquit, *ſummam & vltimam ſibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in ſe figuras: vti quemadmodum* Α *ad* Ω *voluitur, & rurſus* Ω *ad* Α *replicatur; ita vt oſtenderet in ſe eſſe & initij decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium: vt omnis diſpoſitio in eum deſinens, per quem cœpta eſt, per Sermonem ſcilicet Dei qui caro factus eſt, proinde deſinat, quemadmodum & cœpit.* Hæc ille. (De Monogamia, c. 5.) Idem pariter hieroglyphicum, ſiue Chriſti nominis notam, eadem qua ſuprà forma configuratam, ſine tamen duabus Græcis litteris illis, pro quibus duæ additæ erant ſtellæ, cuſam vidi in quibuſdam argenteis numiſmatibus Iuſtini & Iuſtiniani Imperatorum, inter antiquarum rerum monumenta quondam Horatij à Valle nobilis Romani. Quæ numiſmata hodie typis excuſa circumferuntur in Appendice ad Dialogos Antonij Auguſtini, à Dio- D nyſio Octauiano Sada addita. Et nuper eadem etiam edidit Iacobus Gretſerus è Societate IESV; quare hoc loco eadem addere ſuperuacaneum duxi. (De S. Cruce, Tom. 3. lib. 1. c. 21.)

Labari forma nonnihil ſubinde mutata.

At quemadmodum nota ſiue hieroglyphicum antedictum à priſcis Chriſtianis variis formis effingebatur, vt hactenus conſpeximus, ita & labarum quoque ſæpè immutatum eſt. Licet enim inuariabilis & immutabilis forma in hoc ſemper retenta fuerit, nimirum vt haſtili oblongo & tranſuerſali cornu Crux perpetuò effingeretur, quæ velamine illi tranſuerſali ligno appenſo exornabatur, vt oſtenſum eſt; ipſius tamen labari formam in hoc immutatam fuiſſe comperimus, quòd Chriſti nomen, non haſtilis ſemper acumini gemmata corona redimitum affigebatur, vt Euſebius illud deſcripſit, & nos eius typo graphicè delineato demonſtrauimus; ſed id quandoque in velo ipſo, auro ac gemmis in-

textum, pro Imperatoris & filiorum imaginibus, effingebant; vt apertè perſpicitur in numiſmate quodam ipſius Conſtantini, quod inter antiquitatum mearum monumenta cariſſimum habeo; & Cardinalis etiam Baronij Annalium Tomo tertio impreſſum eſt, huius nimirum formæ: A

Annalium Tom. 3 anno Christi 312.



B

Lib 1. contra Symmachum.

De cuius labari imagine præcipuè cecinisse videtur Prudentius, cùm dixit:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.

Quibus verbis innuere voluit, Christi nomen in ipſo labari velo purpureo, auro & gemmis intextum eſſe. Ideoque poëticè dixit, quòd Christus ipſe auro & gemmis intextus labarum purpureum ſignabat. Præter autem antedictas has duas labari formas, quæ, vt ex antiquis numiſmatibus coniicitur, frequentiùs vſitatæ fuiſſe videntur, alię quoque conſpiciuntur, quę haſtilis acumini Crucem habent affixam, & in velo nomen Christi, eodem quod diximus hieroglyphico deſignatum. Quæ labari forma præcipuè cernitur in numiſmatibus quæ Iouinianus Imperator cudit, poſtquam piè, & vt Christianum Principem decebat, labarum ab impio Iuliano Apoſtata corruptum & ad priſcam Ethnicorum formam redactum, reſtituit. Quin etiam in quibuſdam Valentis Imperatoris numiſmatibus labarum ipſum videre eſt, Cruce pura velamini purpureo intexta. quod in eiuſdem ſceleſtiſſimi Apoſtatæ, Crucis hoſtis infenſiſſimi, ignominiam & opprobrium illum feciſſe conſtat. Et non hæ tantùm labari diuerſitates & variationes, ſed complures aliæ in priſcorum Imperatorum Christi fidelium numiſmatibus cernuntur, quæ partim à Lipſio, partim à Cardinale Baronio, plura verò à Iacobo Gretſero edita ſunt; in quorum doctiſſimorum virorum libris curioſo Lectori illa videre fas erit. Nos enim eadem hoc loco cudi non fecimus, ne aliorum promptuaria, vt officinam noſtram expleremus, prorſus expoliaſſe videremur. C

Erat autem labarum, vt alibi diximus, Romanorum exercituum vexillum primarium, quod ante ipſius Imperatoris perſonam vt plurimùm deferri conſueuerat, & iam inde à temporibus Conſtantini longè vetuſtioribus erat in vſu; vt ex antiquorum Imperatorum numiſmatibus in quibus cuſum eſt, & ex antiquiſſimis marmoribus quibus inſculptum conſpicitur, apertè coniicitur. At verò vtrùm ex tunc, an inde à Conſtantini temporibus labarum appellari cœperit, adhuc in dubium controuerti videtur. Quidam enim nomen hoc Conſtantino vetuſtius eſſe putant, cùm apud Tertullianum & Minutium Felicem in Octauio id legatur. Tertullianus namq; in Apologetico ait: *Sypara illa vexillorum & labarorum, ſtolæ Crucium ſunt.* Et Minutius Felix in Octauio inquit: *Nam & ſigna ipſa, & labara, & vexilla caſtrorum.* Verùm alij pro dictione illa *labarorum*, apud Tertullianum legunt *cantabrorum*; & apud Minutium Felicem legunt *cantabra*, aſſerentes, in antiquis eorum codicibus ita ſcriptum reperiri, hanc- D

Labari nomen an etiã ante tẽpora Conſtantini notum? In Apologet. cap. 16.

A hancque genuinam & germanam lectionem esse contendunt. Quorum opinionem Iacobus Pamelius aliique recentiores sequuntur, præsertim cùm in Codice Theodosiano fiat mentio de signiferis & cantabrariis. Nam quemadmodum qui Imperatorum imagines deferebant, Imaginiferi; qui verò signa, Signiferi dicebantur; ita qui cantabra gestabant, Cantabrarij vocabantur. Quam vocem Romanis exercitibus inuectam volunt, post Cantabros Hispaniæ populos edomitos, vt alibi diximus. Tradunt enim Romanos hostium signa imitari solitos, vexillaque sua ab insigniorum populorum nominibus, quos deuicerant, appellasse. Cuius rei firmissimum argumentum esse volunt dracones, quos inter Romanorum militaria signa haudquaquam conspectos fuisse affirmant, nisi post Dacos à Traiano deuictos. Turnebus tamen non *cantabra*, sed *contabra* appellanda censet, à Latina dictione *conto*, hastile illud quo affixa ferebantur significante: licet hæc ratio haud satis aptè congruere videatur; quandoquidem

Sup. lib. 5. cap. vlt.

Lib. 15. Aduersar. cap. 16.

B si hoc veritate niteretur, cetera omnia militaria signa contabra quoque iure appellari potuissent, cùm contis cuncta deferrentur.

Cùm igitur de Tertulliani & Minutij Felicis genuina lectione, nulla satis firma dari possit ratio, cumque hæc dictio labarum nec apud Modestum, nec Vegetium, neque penes alium antiquum Ethnicum auctorem reperiatur; satis solidè argui posse videtur, eamdem Constantini temporibus ortam, post vexillum hoc, eo modo quem diximus, ab eo decoratum. Cuius nominis etymologiam sanctus Gregorius Nazianzenus partim à Latino vocabulo *labor*, partim verò à Græca dictione ὅρος, qua terminus & finis significatur, deducit: quasi labarum esset laboris oros, id est, laboris terminus & finis. Quamobrem de impij Iuliani Apostatæ iniquitate, qui labarum corruperat, Christi nomine & Crucis imagine, quam Constantinus addiderat, sublata, inquit: *Eò quoque audaciæ prorupit, vt aduersus magnum vexillum illud præceps ferretur, quod soluendorum la-*

Labarum vnde dictũ.

Oratione 1. contra Iulianum.

C *borum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit, principatumque, vt ita dicam, inter reliqua omnia vexilla tenet.* Hæc ille. At huius militaris signi effectus planè contrarius videbatur. Cùm enim vexillum hoc explicabatur, milites ad labores, non autem ad quietem euocabat. Nisi tamen à Constantino sic appellatum dicere velimus, vt ad vexilli illius planè admirandam efficacitatem alluderet, qua per sanctæ Crucis illi impressæ virtutem, victorias pariendi, exercitusque ac populos à laboribus & vexationibus liberandi, pacemque & tranquillitatem afferendi vim habebat; quemadmodum Romanæ vrbi quietem attulit, illamque à Maxentij tyrannide & à diaboli seruitute exsoluit. Vel fortè à Christianis sic appellatum, ex eo quòd postquam inuictum vexillum hoc ad auram euentilari visum est, sancta Dei Ecclesia, à laboribus, ab ærumnis, & à persecutionibus, quas patiebatur, liberata est. Sed de his alij latiùs.

Duo autem tantummodò dubia pro capitis huius periocha nobis diluenda

D supersunt: quorum primum illud est, Quonam videlicet pacto dici possit, Constantinum labarum, ceteraque militaria signa ad Crucis formam redegisse; cùm, vt alibi apertè docuimus, non labarum ipsum tantùm, sed cuncta penè alia præcipua Romanorum exercituum & classium militaria signa, Crucis formam & imaginem referrent? Alterum verò, an in exercitibus vnum tantummodò, vel plura labara extiterint? Et quoad primum, ceteris omnibus rationibus, quas alij adduxerunt, prætermissis, illud breuiter responderi potest, Romanorum quidem vexilla quamdam informem Crucis similitudinem casu effictam habuisse, vel, vt meliùs dicam, super humanum captum constructam, & Dei nutu, à victore ac triumphatore populo Romano in præliis delatam, in cælestis victoriæ & immortalis triumphi præsignificationem, quem Christus

Sup. lib. 5. cap. vlt.

Romani in vexillis informẽ Crucis formã casu, vel potius Dei nutu effinxere.

ſtus Dominus in ſancta Cruce, illumque ſecutus, ſub eodem vexillo, militantis Eccleſiæ populus, cuius idem Romanus populus caput conſtituendus erat, de inuiſibilibus hoſtibus ducere debebat. Sed Conſtantinum quamdam veram & eſſentialem formam & Crucium ſimilitudinem eis dediſſe, qua voluit, vt pro veris Crucium imaginibus palàm & clarè ab omnibus agnoſcerentur. Labaro nempe ipſi, tranſuerſali cornu ſiue ligno addito, ceteris verò ſignis militaribus, quæ ſigniferi deferebant, cuſpidali ferro ſingulis in eam formam adaptato, vt veræ Crucis formam obtinerent; labaro inſuper ipſi præcipuè imaginibuſque quas imaginiferi geſtabant, ſacroſancto Chriſti nomine ſuperaddito; duabuſque Græcis litteris, quas ſuperiùs diximus, in eum modum efficto, vt Crux in Chriſto, & Chriſtus in Cruce innueretur. Littera enim X vera Crucis eſt, licet decuſſatæ, imago: quam tamen in labaro atque in ceteris militaribus ſignis, non omnes vno eodemque modo efformabant, & cum alia littera illa P connectebant; quandoquidem complures rectum eiuſdem litteræ ſtipitem recta linea ſecantes, rectam inde Crucem, vt ſuperiùs dictum eſt, effingebant. A B

Constantinus in labaro & signis militaribus veram expreſsit.

Quod verò ad ſecundum dubium attinet, an in Romanorum exercitibus vnum tantùm vel plura labara extiterint, ex antiquorum marmoreis monumentis, quæ Romæ ad hanc vſque diem extant, apertè coniici videtur, in quolibet exercitu plura labara extitiſſe. In Traiani enim & Antonini cochleis columnis, quibus horum Imperatorum inſculpta ſunt facinora, diuerſa labara conſpiciuntur. Sic etiam in arcu triumphali Conſtantini, quem à medietate ſurſum, rerum antiquarum periti, marmoribus & ſculpturis, quæ erant circum arcum Marci Aurelij, exornatum fuiſſe volunt: ſicque in ipſius Marci Aurelij Antonini antiquis victoriarum monumentis, quæ hodie in Capitolio, muro ſcalarum palatij Illuſtriſſimorum almæ Vrbis Conſeruatorum affixæ ſunt, plura etiam labara cernuntur. Quod attenta conſideratione animaduertens Cardinalis Baronius, inquit: *Apparet planè hallucinatos eſſe eos, qui dixerunt id genus ſigni, nonniſi vnum eſſe ſolere in toto exercitu Imperatoris.* opinioni huic ſe adhæſiſſe oſtendens, in Romano nempe exercitu, ante Conſtantini tempora, complura extitiſſe labara, quæ cantabra tum vocarentur. At poſtquam labari nomen & vſus à Conſtantino inuectus eſt, vnum tantummodò in vniuerſo exercitu labarum extitiſſe. Cui tamen ſententiæ Sozomenus [a] & Nicephorus apertè obſiſtere videntur, quorum verba apertè innuunt in Romanorum exercitibus, etiam ante Conſtantini tempora, vnicum extitiſſe labarum, idque Romani Imperij primarium ac præcipuum vexillum; quod ante Imperatorem deferri conſueuerat, & à militibus adorabatur. Quinimò ſi eidem Nicephoro integra fides in hoc habenda eſſet, nihil omnino ambigendum videretur, vexillum hoc ipſum, iam inde à longè vetuſtioribus Conſtantini temporibus, labarum appellatum fuiſſe. Dum enim agit de ea Conſtantini expeditione, qua ab vrbe Roma caſtra mouit aduerſus Maximinum Imperatorem, vel potiùs Orientis tyrannum, cùm ob eius ſceleſtiſſima facinora, tanta dignitate indignum ſe præbuerit, inquit: *Juſſerat autem Conſtantinus Magnus Crucis ſignum præferri, quod à Romanis anteà labarum dicebatur, ſignis militaribus aliis longè præſtantius, quòd à militibus præferri & adorari lege cautum fuerit.* C D

Plura in Romanorũ exercitu labara fuiſſe videntur, quæ cantabra appellabant.

Annal. Tomo 3. anno Christi 312.

At vnicum in Conſtantini exercitu labarũ.

[a] Lib. 1. c. 4.

Lib. 7. c. 37

Ex quibus omnibus firmiter argumentari poſſe videmur, in quolibet Romanorum exercitu ante Conſtantinum plura fuiſſe labara, cùm in antiquis marmoreis monumentis diuerſa cernantur. Ego enim quamlibet legionem labarum ſuum habuiſſe puto: & cùm Imperator in exercitu præſens aderat, vnum inter cetera præcipuum extitiſſe, quod ante perſonam ipſius ferebatur; à ceteris tamen non forma quidem, ſed colore & ornatu longè diſtans. Quemadmo-

A admodum enim cetera labara velamen transuersali ligno appensum, diuersis aliis coloribus tinctum habebant, non extensum quidem, sed crispis quamplurimis ex vtroque cornu hinc inde decurrentibus complicatum, omnique ornatu spoliatum, præter ora, quæ fimbria erant circumdata, & hastile eorum, quod ex nudo ligno constabat; sic Imperatorium labarum, hastile & transuersale cornu auro obductum & vndique contectum habebat. Velum eius erat purpureum, auro & gemmis intextum, & aurea fimbria circumdatum; totumque hinc inde extensum & explicatum, nullaque ruga crispatum; vt Imperatoris & consanguineorum eius imagines, quæ eidem appictæ vel intertextæ erant, apertè conspici possent. Vnde statim illo apparente ac pertranseunte, à militibus adorabatur. Verùm enimuerò in rebus antiquis, quorum plena notio non suppetit, & in quibus per coniecturas incedere cogimur, nihil certi asserere tutius est, veritatem, vt nos quoque nunc facimus, suo loco relinquendo.

B Cùm autem magnus Constantinus labarum ad Crucis formam redegisset, illudque magnificentissimo splendidoque ornatu illo, quem inuicti & sacrosancti signi illius dignitatem, Imperatoriamque maiestatem decere censuit, illustrasset, quinquaginta insignes iuuenes, animi virtute & corporis robore præstantissimos, ex satellitibus suis delegit, vt vexillum illud cùm explicatum esset, semper circumuallantes, in illius gestandi & in præliis muniendi curam intenderent, vt testatur Eusebius his verbis: *Quapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis in primis eximij, vt in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nil aliud impositum erat negotij, quàm vt vallarent vndique vexillum, præsidiis munirent, singulique ordine illud ipsum humeris gestarent.* Hæc ille. Labari autem custodes & gestatores hi, Præpositi laborum vel labarorum appellabantur, & Imperatorio priuilegio clarissimi censebantur, Senato-

Quinquaginta iuuenes à Constantino delecti quibus labari gestandi & conseruandi cura incumberet.

De vita Constantini, lib. 2. c. 8

C riaque dignitate decorati, vt in Codice Theodosiano & Iustinianeo expressa lege cautum est, quod superiùs [a] ostendimus. Narrat Eusebius [b], idque ex ipsius magni Constantini Imperatoris ore se audiuisse testatur, huius sacrosancti labari insigne quoddam miraculũ quod ad Christi Domini & sanctę Crucis honorem & gloriam silentio nullo pacto prætereundum est: *Contigit*, inquit, *in prælio quodam* (quod Nicephorus illud esse tradit, in quo Maximinus deuictus est) *cùm in media belli dimicatione ingens fortè fremitus & turbatio repentina exercitum occuparet, ille qui vexillum hoc portabat humeris, inter præliandum primùm præ formidine exhorrescere cœpit: deinde alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. Postquam autem alter accepit, isteque fuit ex acie egressus, & extra vexilli præsidium locatus, telo coniecto in ventre confossus est, morteque sopitus concidit. Atque vt iste timiditatis & diffidentiæ pœnas luens, ibi mortuus iacuit; sic ille, qui salutare trophæum sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio euasit incolumis: adeò vt sæpè cùm*

[a] Sup. lib. 5. cap. 12.

[b] De vita Constant. lib. 2. c. 9.

D *tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat saluus extiterit, & vexilli hastile tela emissa exceperit. Atque istud omnem planè superat admirationem; tum quòd tela ab hostibus iacta, sic intra exiguum illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa hærescerent: tum quòd ille qui illud ipsum gestabat, mortem effugeret: immò verò, vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incommodive aliquando acciperent. Neque certè hæc nostra est oratio, sed ipsius Imperatoris, qui præter alias res, hanc etiam nobis coràm memorauit. Qui vbi diuina potentia has duas primas victorias fuisset adeptus, de cetero, exercitu ordine instructo, vlteriùs processit.* Hæc Eusebius. Hoc autem insigne planè miraculum non Eusebius tantùm, sed Sozomenus [c] & Nicephorus [d], aliique ad posterorum memoriam prodidêre; affirmantes, compertum fuisse, neminem ex sacrosancti huius labari gestato-

Miraculo defensi, qui labarum gestabant.

[c] Lib. 1. c. 4

[d] Lib. 7. cap. 37.

ftatoribus in grauem calamitatem vmquam incidiffe, neque in bello vulneratum, aut in hoftium poteftatem deueniffe. Quod fanè poft Eufebium ipfum, Sozomenus etiam fic litteris commendauit: *Dicitur nullum vmquam militem qui munere figni huius geftandi fungebatur in bello (quod fanè credibile eft) in grauem aliquam calamitatem incidiffe, aut vulnus accepiffe, aut captiuum abductum fuiffe.* A

Quemadmodum igitur hi, qui pij & Chriftiani Imperatoris labarum geftabant, in quo facrofancta & inuicta Crux erat efficta, clypeo eius protecti, hoftium tela deuitabant; fic nobis quoque firmiter credendum eft, quòd fi eamdem viua fide ac pio affectu cordibus infculptam feremus, falutarique eius figno frontem ac pectus noftrũ armabimus, tuti erimus à fagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurfu & dæmonio meridiano, id eft, ab omni aperta inimicorum calumnia & perfecutione protegemur: à malo occulto, à peccato fcilicet, quod confcientia non fentit, liberabimur, & à dæmonio meridiano, qui ad decipiendum nos fub rerum mundi huius falfa & apparente B pulchritudine in Angelum lucis fe transformat, protegemur. Quinimmò infernus ipfe totus nihil nobis officere poterit. Sicque cum Regio ipfo Propheta audenter concinendi ac dicendi nobis facultas erit: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt*: per gloriofi triumphatoris ac Redemptoris noftri virtutem & gratiam; qui inuifibilibus hoftibus noftris in fancta Cruce fua deuictis atque reuinctis, cum Patre & Spiritu fancto viuit & regnat per infinita fæcula fæculorum. Amen.

Pfal. 90.

CAPVT XIV.

Quòd magno Conftantino Imperatori Crucis fignum in cælo ter apparuit, cuius virtute ingentes atque infignes victorias reportauit.

ADEO firma & ftabilis erat apud Deum iam præordinata illa determinatio, vt fancta Ecclefia Catholica à diris perfecutionibus liberata, magni Conftantini Imperatoris munere libertatem tandem ac pacem confequeretur, vtque vrbs ipfa Roma Imperij caput à tyrannorum manibus, à diaboli feruitute, & à Gentilitatis erroribus eruta, totius Chriftiani orbis moderatrix veræque Religionis magiftra conftitueretur, vt Principi huic ad tanti facinoris expeditionem excitando & impellendo non femel tantùm, fed ter Crucis fignum è cælo commonftrauerit; futurum profectò hoc pacto affeuerans, eum fub hoc inuicto ac gloriofo vexillo de hoftibus victoriam certiffimè relaturum. Quamobrem ad inftitutum hoc Nicephorus afferit, Conftantinum primam Crucis vifionem è cælo habuiffe, cùm Romæ aduerfus Maxentium decertaret. In quo nihilominùs, vti Græcus, longinquus, & rebus non rectè cognitis, quoad locum, deceptus eft. Etenim non Romæ, dum contra Maxentium bellum gereret, fed in Galliis, dum adhuc de expeditione illa ancipiti penderet animo, cælefti ac diuina vifione illa dignatus eft: qua confirmatus & animo incenfus, ad tantum facinus aggrediendum viriliter fe accinxit. Sic enim non folùm innuit, fed apertè etiam teftatur Eufebius his verbis: *Imperatori igitur ifta precanti, obnixeq; flagitanti, vifio quædam diuina, & inprimis admirabilis apparuit.* Et Eufebio ipfi, multo magis quàm Nicephoro in hoc credendum eft, non tantùm vt illorum temporum Scriptori, fed tamquam ei, qui hæc ab ipfius Imperatoris ore acceperat. C D

Ter Crucis fignũ è cælo Conftãtino monftratũ.

Lib. 7. c. 29 & lib. 8. c. 3

De vita Cõftantini, lib. 1. c. 22.

Cùm primùm igitur Conftantinus, exercitu confcripto atque inftructo, labarum ceteraque militaria figna ad Crucis formam, vt à Chrifto Domino ei præ-

A præceptum fuerat, redegiſſet, ceteraque ad expeditionem illam neceſſaria comparaſſet, admirabili velocitate vſus, Italiam verſus caſtra mouit, cuius finitimas inſignioreſque vrbes impius tyrannus Maxentius validiſſimo militum præſidio communierat, duobus inſuper maximis ac fortiſſimis exercitibus per varias prouincias in ſtatione collocatis, vt illi ſeſe obiicientes, tranſitum ei præcluderent, quò Romam pertingere nequiret; vbi ipſe, alio longè validiore exercitu, ſuperbiſſimo delectu & duriſſima conquiſitione collecto, circumuallatus, morabatur; vt Senatum Populumque Romanum, peſſimum illius regimen & ſceleſtiſſima facinora nauſeantem, in officio contineret. Prima autem repugnantia, quam Conſtantinus ſtatim ſuperatis Alpium iugis, ad Italiæ ingreſſum inuenit, Secuſia ciuitas fuit, quæ in faciem eius portas claudere non eſt verita: ſed plus laboris illi fuit, vt inquit Nazarius, in ea à militum direptione & incendio ſeruanda, quàm in capienda. Ad Taurinorum autem vrbem deinde appropin- In Panegyrico Conſtantini.
B quanti, primus Maxentij exercitus illi occurrit, tanta militum numeroſitate inſtructus, vt campum latè iacentem equitum turmis oppleret, quorum atrox viſu & formidoloſus erat aſpectus. Nam ex his erant, quos Romani clibanarios, Græci cataphractos, nos autem vulgariter *huomini d'arme* appellamus; quibus munitiſſima & grauis armatura erat; nec eadem deerat equis. Quorum tamen ferocitas & armorum horror protinus in victoriæ miraculum tranſlatus eſt; quamuis enim pænè innumerabiles haberentur, à ſtrenuiſſimis tamen Conſtantini militibus, ſine alicuius ipſorum interitu, ad vnum trucidati ſunt. Quod euidentiſſimum miraculum fuiſſe conſtat, ſanctæ Crucis virtuti, quæ in labaro ac ceteris Conſtantini exercitus vexillis coruſcabat, iure prorſus adſcribendum; vt veraciter tum dici potuerit, ferrum ceſſiſſe ligno. Quamobrem ad huius planè admirabilis victoriæ inſtitutum Cardinalis Baronius inquit: *Hic namque primùm quanta vis eſſet ſanctiſſimæ Crucis, qua labarum Conſtantinus conſecrarat, expertus eſt.* *Miraculoſa prorſus victoria Cõſtantini cõtra Maxẽtium, Crucis virtuti adſcribẽda.* Annal. Tomo 3. anno Chriſti 312.

C Inde verò Conſtantinus iter ſuum audacter atque impauidè proſecutus, poſtquam ad Brixiæ vrbem ſecundum Maxentij exercitum, quem ductabat Ruricius, profligaſſet, eumdemque demum cum duce ſuo debellaſſet ac diſperſiſſet, vrbeſque Veronam, Mantuam, Aquileiam, ac cetera omnia præſidia, quæ tyrannus trans Padum communierat, admirabili celeritate, ac paruo admodum negotio expugnaſſet, Romam verſus ſigna direxit, ad cuius proſpectum tandem nullo alio in via facto obice, magnis itineribus intra pauciſſimos dies aduentauit: vbi Maxentius, numeroſis tremendiſque productis copiis, trans pontem Miluium, nouiſſima armis experturus, expectabat. Quamobrem conſertis manibus, Conſtantinoque ipſo inter primas acies pugnante, & ſacroſancto Crucis vexillo illum ſemper antecedente, incredibili robore ac felicitate hoſtium equitatum in fugam vertit; qui inordinata atque horribili fuga illa
D non ſibi ipſi tantùm, ſed vniuerſo exercitui extremam intulit ruinam, peditum inſtructas acies perturbans, peſſumdans, ac proterens; quæ cùm ſecus Tiberis ripam ſtatiua caſtra haberent, nec locus illis eſſet quò pedem referre, aut fugâ ſalutem ſibi comparare poſſent, omnes ferè trucidatæ ſunt. Quamobrem cùm Maxentius flumen traiicere, & Vrbem ex fuga vellet repetere, tanta fuit fugientium militum multitudo, quæ ſecum pontem lintribus ab eo conſtructum preſſit, vt ſolutis ac depreſſis lignis, tantam ponderis vim ſuſtinere non valentibus, ipſe vnà cum ceteris omnibus in amnem prolapſus ac ſubmerſus ſit. Scribit Euſebius, impium tyrannum pontem illum, dedita opera, ea arte ac malitia conſtrui feciſſe, vt ad omnem artificis nutum, nullo negotio ſolui poſſet; ea nimirum mente, vt Conſtantinus illo conſpecto, in eius occupationem totis niſi- *Maxentius Tiberi merſus, totuſq; exercitus eius proſtratus.* Lib. 9. cap. 8 In vita Cõſtantini, Lib. 1. cap. 32

bus intenderet; & ſtatim cùm pedem in illum intuliſſet, vnà cum ſatellitibus A ſuis in Tiberi mergeretur. Verùm enim verò Deus, qui Conſtantino opem ferebat, ſceleſtiſſimum tyrannum doloſam & captioſam machinam illam in ſuam ipſius perditionem & interitũ fabricaſſe permiſit. Vnde illi planè contigit quod olim Propheta cecinerat: *Lacum aperuit, & effodit eum; & incidit in foueam, quam* Pſalm.7. *fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcẽdet.* Adeò autem expedita fuit Conſtantino felicitas in tam valido ac numeroſo exercitu abſque ſuorum ſanguine debellando, vt tum longè apertiùs quàm anteà, quanta vis & poteſtas ſanctæ Crucis eſſet, ipſe & vniuerſus exercitus eius agnouerit; tumque certo certiùs didicit, quòd manus Dei eſſet cum illo. Non enim ibi dubio Marte pugnatum eſt, ſed in eum modum manus conſertæ ſunt, perinde ac milites eius ad impios illos plectendos diuinitus adducti fuiſſent. In Panegyrico Conſtantini. Quamobrem inquit Nazarius: *Non enim qui bellorum euentus ſolet eſſe, per varios & volubiles caſus Mars dubius errauit, nec fortunæ viciſſitudo, quæ plerumque proſperis rebus triſte aliquid adglutinat, victorum lætitiam vulnerauit; ſed tanta hoſtium & tam ampla cædes, tam felix & incruenta victoria fuit, vt credas non bello ancipiti dimicatum, ſed ſolas impiorum pœnas expetitas.* B

Ideoque confecto prælio, vbi de ſceleſtiſſimo ac miſero Maxentio in Tiberi ſubmerſo atque extincto ad Conſtantinum perlatum eſt, cadauer eius vt vrinatores diligenter expiſcarentur iuſſit. Tumque verè agnoſcens, ſe tam admirabilem victoriam Dei optimi maximi præſidio ac præcipuo munere aſſecutum, ingentes gratiarum actiones diuinæ maieſtati perſoluit: ſi minùs voce & verbis, corde ſaltem & animo concinens, (cùm perfectè adhuc Chriſtianus non eſſet, diuinarumque Scripturarum ſcientiam nondum eſſet aſſecutus) quòd magnus Dux ac Propheta Moyſes, & Iſraëlitæ tum cecinêre, cùm crudelem tyrannum, & pertinaciſſimum perſecutorem ſuum Pharaonem, cum omni eius exercitu, incredibili lętitia & admiratione, Maris rubri vorticibus obrutum con- C Exod.15. ſpexerunt, dicentes: *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt; equum & aſcenſorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Dextera tua Domine percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?* Talis igitur fuit admirabilis victoria illa, quam Conſtantinus ad pontem Miluium aſſecutus eſt; quamque non ipſe tantùm & vniuerſus exercitus eius, ſed poſteri etiam ſanctæ Cruci meritò adſcripſerunt. Vnde de eadem agens Prudentius, dum contra Symmachum Præfectum Vrbis & Chriſtiani nominis hoſtem inuectus, ſanctæ Crucis virtutem & gloriam decantaret, quaſi cum ipſa Vrbe Roma loqueretur, inquit:

Cõtra Symmachũ lib 1

Hoc ſigno inuictus tranſmiſſis Alpibus vltor,
Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus, D
Cùm te peſtifera premeret Maxentius aula.

Et paulò inferiùs ſubdit:

Teſtis Chriſticolæ Ducis aduentantis ad Vrbem
Miluius, exceptum Tiberina in ſtagna tyrannum
Præcipitans, quânam victricia viderit arma
Maieſtate regi, quod ſignum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint ſtemmate pila.
Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat; ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Poſt

Caput Maxentij hastili impositũ, & Romam delatum.

A Post hæc autem, impij & crudelis tyranni cadauere in flumine reperto, sectum caput summæ hastæ affigi, & ante exercitum Romam deferri iussit. Ipse verò instructis aciebus, explicatisque signis, victor ac triumphans Vrbem ipsam versus iter arripuit. Vbi ad tam gloriosæ ac prorsus admirabilis victoriæ nuntium, dici non potest, neque vlla cogitatio assequetur, qualis quantaque fuerit lætitia, gaudium, & exultatio, qua omnis ordo, omnis status, omnisque hominum conditio & sexus affectus est, cùm dura & crudelissima Maxentij tyrannide, quæ tanto tempore & tam miserè illos oppresserat ac diuexauerat, sese liberatos cernerent. Quamobrem statim perfractis carceribus, multi Senatorij, patritij atque equestris ordinis illustres & venerabiles viri, multique optimi ac nobiles ciues, qui diutina carceris maceratione squallentes, eiusdem tyranni iussu in eum contrusi, & iniustissimè diuexati asseruabantur, extracti sunt: eiusque statuæ, insignia, & memoriæ per vniuersam Vrbem protinus abactæ atque B protritæ fuêre: &, vt summatim dicam, nullus post Vrbem ipsam conditam, aut felicior aut iucundior Romæ dies illuxit. Extra Vrbem effuso ordine, ad gloriosum victorem, patriæque & Romani Imperij liberatorem honorificè excipiendum, Senatus vniuersus lætabundus & venerabundus processit. Inter quos multi Senatores squallido ac macilento vultu conspiciebantur, qui nuper è compedibus & catenis soluti, atque carceribus educti, pileati procedebant; hoc pacto sese à dura & acerbissima seruitute ereptos significantes: qui cùm in conspectum Imperatoris venissent, statim ad genua eius prouoluti, pedesque illius magno cum animi affectu osculantes, de sua & patriæ liberatione ingentes humilesque illi gratias persoluerunt. Deinde verò pertranseunte labaro, in quo sacrosanctum Christi nomen & Crucis signum coruscabat, præ gaudio illacrymantes, ac reuerenter se inclinantes, illud adorauêre: non quòd Senatus ille Crucem reuerà adorare voluerit, cùm adhuc Christianus non esset, sed vt C receptam à Romanis labarum Imperatoris sui adorandi consuetudinem obseruaret; illud verò præcipuè, quo auspice tanta parta victoria, libertatem, vitam, tranquillitatem, & pacem assequebatur. De quo notatu planè digno facinore sic Prudentius:

Ibidem.

Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squallens carcereis, aut nexus compede vasta,
Complexusque pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum, Christique verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Constãtinus gratiis Deo ad D. Petri sepulchrum persolutis, ingreditur Romam ingenti omniũ gaudio & gratulatione.

Considerate admodum & meritò censuit Cardinalis Baronius, Constantinum post tantam partam victoriam nequaquam per Miluium pontem, via D Flaminia Vrbem ingressum fuisse, sed potiùs ea ad læuam relicta, per Neronis prata iter fecisse; & post debitas gratias ad Principis Apostolorum sepulchrum Deo persolutas, (quippe qui admirabilem victoriam illam Christo Domino & sanctæ Crucis virtuti acceptam referebat) viæ se Triumphali immisisse; & per mediam Vrbem incedentem, & gloriosum planè triumphum ducentem, ad Palatinum collem demum appulisse, & in Imperatorium palatium se recepisse. Nemo prorsus illa die se domi continuit, sed omnis ætas, omnis ordo, tum plebeiorum tum nobilium, per Vrbem effusus, summa cum alacritate & auiditate locum sibi præoccupare studebat in viis, quà cunctis desideratus victor ac triumphator transiturus erat. Cumque tyranni teterrimum & ceruicibus abscissum caput, quod lanceæ summitati infixum ferebatur, conspexissent, cui

licet mortuo, ferocitas tamen & superbia adhuc inerat, ita vt nec mors ipsa horrendæ frontis minas vicisse videretur; vniuersa plebs altis clamoribus & exsibilationibus illud prosequens & irridens, sceleraque & crudelitates illi exprobrans, infinita propemodum ludibria & improperia contumeliosissimis vocibus in illud inijciebant. Tumque sacro & victore pertranseunte labaro, omnes genu flectentes, illud adorauêre. Ipso verò apparente Imperatore, longè altiùs voces extollentes, faustis ac lætis acclamationibus eum consalutantes, dicebant: Pio, felici, inuicto, & magno Flauio Constantino Augusto, patriæ liberatori, gloria, triumphus, felicitas, imperium, salus & vita. A

Posthæc Senatus vt aliquam notatu dignam immensi officij præberet testificationem, quo pro ipsius & patriæ liberatione, magno ipsi Constantino deuinctus erat, vtque aliquod grati animi monumentum ostenderet, magna sedulitate & celeritate, ad tantæ victoriæ memoriam ad posteros transmittendam, & in ipsius Constantini gloriam sempiternam, Arcum illum triumphalem B marmoreum erigi iussit, qui ad hanc vsque diem conspicitur inter Palatinum & Cælium montem, haud longè à Domitiani Amphitheatro, quod Coliseum recentiores vulgò appellant. In cuius fronte inscriptionem illam insculpi curauit, quæ hodie etiam ibi legitur, & est eiusmodi:

Arcus triũphalis Constantino à Senatu dicati inscriptio.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO,
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS
MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO,
TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE, VNO TEMPORE, IVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS:
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

Intra fornicem ipsum à dextris: LIBERATORI VRBIS. C
Et à sinistris: FVNDATORI QVIETIS.

In qua Crucis nulla mentio, quia Christum pleriq; adhuc Senatores nesciebant.

In quo illud notandum est, quòd Romanus Senatus qui Arcum illum erigi iussit, cùm adhuc pro maiore parte Ethnicus & idololatra esset, sanctæ Crucis vexillum minimè in eo insculpi nec erigi curauit, ne se Christianum prorsus profiteretur. Sed quia æquè sciebat, Constantinum auersari deorum cultum, palamque profiteri se veri Dei auxilio & sanctæ Crucis virtute tot Maxentij exercitus, ipsumque denique tyrannum extinxisse, ne illum offenderet, inscribi noluit victoriam illam deorum ope partam: sed rursum, vt pietati illius sine veteris religionis præiudicio aliqua ex parte prospectum esset, rem ita moderatus est, vt in ipsius inscriptionis exordio, pro animi eius sententia, illa insculperentur verba: QVOD INSTINCTV DIVINITATIS: quo sanè illud tacitè innuit, & fassus est, victoriam illam, plusquam humano auxilio, id est Christi munere, & sanctæ Crucis virtute partam. Rursum verò Senatus, vt debiti sui officium maiori argumento erga Constantinum ostenderet, aliis quoque æternæ gloriæ monumentis ac muneribus, quæ illi gratiora sciret, prosecutus est, vt ex Gallicani Oratoris verbis colligitur, in secunda panegyrica Oratione, quæ de ipsius Imperatoris laudibus post victoriam habita est: *Meritò*, inquit, *tibi Constantine Imperator, Senatus signum Dei, & paulò antè Italia scutum & coronam, cuncta aurea, dedicarunt, vt conscientiæ debitum aliqua ex parte releuarent. etenim sæpè debetur & diuinitati simulacrum aureum, & virtuti scutum, & corona pietati*. Hæc ille. Quod sanè Dei signum, & aureum simulacrum, vt rectè animaduertit Cardinalis Baronius, alterius esse non potuit, quàm Christianorum Dei, id est, Christi Domini. Nam alicuius deorum Gentium aurea statua à Senatu D

A natu donari Constantinum, potiùs fuisset, muneris contumelia affectum ac delusum, quàm gratificatum esse voluisse; quem optimè sciebant Christianorum Dei præsidio niti, ipsumque ab eo propensiùs coli, ac proinde omnes Gentium deos execrari, exhorrescere, ac detestari. Nec id quidem vt nouum aut incognitum quoddam à Senatu factum fuisse censendum est; siquidem Alexander Seuerus Imperator, vt alibi diximus, Christi Domini simulacrum, inter alios quos colebat deos, in suo Larario collocarat.

At Constantinus, vt officij sui debitum exactissimè adimpleret, vtque idem Senatus ac populus Romanus, immò & vniuersus terrarum orbis indubitanter sciret, & apertè intelligeret, se victoriam eamdem reipsa Christo Domino & sanctæ Crucis virtuti acceptam referre, locis quamplurimis publicis Romanæ Vrbis columnas erigi, earumque summitatibus Crucem figi iussit, & earum basibus inscriptiones insculpi curauit, quibus eiusdem facti series, ad eius memoriam sempiternam propagandam, continebatur. *At ipse Constantinus non vnum Crucis victricis monumentum erexit.* B Quin etiam in ipsa Vrbe media, loco celeberrimo ac frequentatissimo, sui ipsius simulacrum, hastile oblongum ad Crucis formam effictum manu gestans, erigi ac statui mandauit; in cuius marmorea basi inscriptionem cælari iussit, quam refert Eusebius, suaque auctoritate, his quæ modò protulimus, fidem in hunc modum astruit: *Præsidij à Deo allati conscius, preces cum gratiarum actione Auctori victoriæ impertijt, atque illustribus inscriptionibus, collumellisque erectis, omnibus hominibus salutaris Christi signi virtutem promulgauit: inque Vrbe media, quæ præ ceteris principem locum facilè obtinet, ingens illud trophæum contra hostes erexit. Et hoc salutare signum, characteribus qui nullo modo deleri poterant in eo sculptis, Romanorum, aliorumque Imperio subiectorum, propugnaculum esse demonstrauit, palamque omnibus proposuit ad intuendum. Ac statim vbi erectum hastile ad formam Crucis in manum propriæ imaginis in statua expressè insertum, Romæ in loco celebri, ac multùm à populo frequentato locatum fuit, hanc inscriptionem Latino sermone in eo mandat incidere:* De vita Constantini, lib. 1. cap. 33 C

HOC SALVTARI SIGNO VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI: ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI, ET SPLENDORI RESTITVI.

Debellato autem atque exstincto impio Maxentio, tres dominos Romanum Imperium superstites habuit, Constantinum nempe & Licinium, atque in Oriente Maximinum Christiani nominis hostem immanissimum. Qui etsi ob rerum à Constantino feliciter gestarum famam, eidem, & Licinio eius sororio, ab initio sese satis beneuolum ostendit, non ita pòst multo tempore exacto, omni simulatione deposita, peruersam suam voluntatem atque hostilem animum apertè detexit. *Victo Maxentio Maximinus hostis succedit.* Cùm enim magna superbia & ambitione inflatus, quasi indignè ferret, æquales sibi in Imperio socios esse; in edictis, decretis, atque patentibus litteris se primum Romani Imperij moderatorem appellare cœpit. D Deinde verò paucis mensibus interiectis, vt tradit Eusebius, amicitiæ ac paci nuntio remisso, Licinio bellum indixit, modò hanc modò illam ex vrbibus eius oppugnans, exercitumque illius infestans. Demum verò infinita propemodum militum manu collecta, aperto Marte decertaturus, sese in prælio præsentauit. Sed victoria, inquit Eusebius, illum auersata qui Deo atque hominibus infensus erat, ad contrarias partes deflexit. Cùm enim maior pars militum eius occubuisset, ceteri qui supererant, cùm illum diuino fauore destitutum, & legionibus spoliatum conspexissent, ad victorem Licinium se contulêre. Ipse verò se derelictum cernens, Imperatoriis vestibus & ornamentis protinus exutis, in gregariorum militum turmas clanculùm irrepsit, incognitusque inter illos vili Eccl. Hist. lib. 9. cap. 9. iuxta Ruffinum, & ex aliorum sententia cap. 8.

atque effeminato animo fugam arripuit. Et postquam diu ruri per vicos erra- A
bundus & vagus latuisset, demum hostium manus ægrè effugiens, in penitissimas Imperij sui regiones se recepit: vbi ira atque furore percitus, multos idolorum suorum sacerdotes, vates, & aruspices, quorum falsis oraculis, vanisque auguriis victoriam ipsi promittentibus impulsus, bellum illud susceperat, crudelissimè trucidauit.

Commissum est hoc prælium in prouincia Bithyniæ, in loco qui Astacus dicebatur, in quo Constantinus ipse vnà cum Licinio interfuit, vt tradit Nicephorus; affirmans, hanc quoque victoriam sanctæ Crucis virtute partam, per quam tunc Deus potentiam suam præcipuè notam esse voluit. Cùm enim Constantinus sacrosanctum labarum, in quo Crucis signum, vt diximus, effictum erat, secum detulisset, statim vt exercitus sui acies alicubi vacillantes conspexisset, illuc labarum ipsum laborantibus & periclitantibus subsidio adesse iubebat. Ad cuius conspectum hostes tamquam puluis ante faciem venti protinus B
fugæ præcipites se dabant, vel vt stipula ab vrente & vorante flamma consumebantur. Traditque idem Nicephorus, in eadem pugna contigisse miraculum, quod superiùs exposuimus; de illo nimirum, qui terrore percitus, cùm labarum ipsum dimisisset, & commilitoni gestandum tradidisset, statim vt ab eodem vexillo seiunctus esset, telo transfixus interiit. Is verò qui illud deferendum susceperat, licet densissimus sagittarum telorumque nimbus in eum coniectus esset, incolumis tamen atque illæsus euasit. Nec multò post prælium istud, dum crudelis tyrannus Maximinus bellum instaurare pararet, in grauem ac tetram infirmitatem decidit, qua oculorum lumine orbatus, & consumptis carnibus, è vita miserabiliter excessit. Post cuius obitum, liberis eius interemptis, ac principibus omnibus illius factionis pariter exstinctis, vniuersa ac summa Imperij potestas ad Constantinum & Licinium deuoluta est.

Lib. 7. c. 37. 38. 39. & 40.

Quem item superat Cõstantinus, sanctæ Crucis in labaro virtute.

Quæ tamen, non multo posteà euoluto tempore, tota in ipsum vnum Con- C
stantinum, Deo ita volente, est congesta. Licinius enim, mali dæmonis tentatione, prauorumque consiliariorum suasione impulsus, & propria ambitione & superbia obcæcatus, affinitatis, ac beneficiorum à Constantino acceptorum, quibus sorore ei in vxorem tradita collegam suum in Imperio illum declarauerat, oblitus, clandestina coniuratione facta, in personam ipsius conspirare, malisque artibus ac proditionibus ad totius Imperij monarchiam aspirare cœpit. Et quamquam ab ipso Constantino, quem peruersa eius consilia prorsus non latebant, benigno ac paterno affectu pluries admonitus & correptus esset, sperante quòd quandoque resipisceret, prauaque in meliora studia commutaret: & licet is cognationis ac propriæ sororis intuitu, multos apertæ coniurationis tractatus contra se illi condonasset, non propterea tamen melior effectus est; sed ab vno in aliud errorum ac scelerum barathrum sese præcipitans, Christianos persequi ac pessimè exagitare aggressus est. Et quò Constantinum magis irri- D
taret, impiam ac scelestissimam idololatriam amplexatus, Ecclesiæ hostem infensissimum ac persecutorem accerrimum seipsum declarauit: demumque tot flagitia, tot scelera atque execranda prorsus in Christum & Constantinum ipsum patrauit facinora, vt ipsum ad apertum bellum illi indicendum, ac re ipsa necessariò inferendum impulerit. Et quamquam pluries collatis signis prælio superatus fuerit; nihilominùs semper rebellans, & contra pactiones, res nouas iteratis sæpè vicibus moliens, ac bellum denuò instaurans, non destitit, donec captus, & in Constantini potestatem redactus, Imperatorio titulo ac maiestate iustissimè priuatus est. Et licet clementer vita donatus, ea tamen conditione, vt in relegationis suæ confinio priuatam & quietam degeret vitam, non propterea

Licinij ingratitudo.

A propterea quieuit, donec capitali sententia damnatus, securi percussus est. Quamobrem cùm propter alterius huius etiam tyranni necem Orientis Imperium, vnà cum Occidentali, in vnum ipsum Constantinum coisset, dum ille superstes fuit, sancta Dei Ecclesia tranquilla & læta pace feliciter potita est. *Quo pariter debellato, totũ Imperium Constantino cedit.*

Post deuictum ac vltimo prælio in Bithynia debellatum Licinium, à Nicomedia castra mouens Constantinus, Byzantiis bellum intulit, qui ditioni eius se subijcere peruicacissimè renuentes, nec illi tributum pendere, nec vectigal aliquod pensitare volebant. Quamobrem consertis manibus, in primo conflictu sex millia, deinde verò in prælio altero circiter tria millia, vt tradit Nicephorus, ex Constantini militibus cecidêre. Quo prospero belli successu Byzantij elati, iam iam ad totius Imperatorij exercitus internecionem superbissimè aspirabant. Erat enim tum exercitus ipse valdè attenuatus & imminutus; nam robustiores veteranorum militum cohortes missæ fuerant ad Persarum incur-B siones frænandas, quibus Romani Imperij finitimas regiones diuexabant. Quo calamitoso prælij exitu, ingenti animi mœrore Constantinus angebatur: & dum mœstus & cogitabundus secum agitaret animo quonam remedio, accepto incommodo occurrendum esset; dumque consilij inopia vehementer afflictatus, oculos sæpè in cælum intenderet, quasi opportunum consilium, diuinumque auxilium inde certissimè expectaret, id ingenti planè admiratione dignum illi contigit, quod tradit Nicephorus his verbis: *Vespera diei erat, & Imperator languidus & mœstus inopia consilij, continuè oculos in cælum intendit; atque ibi rursum, itidem vt Romæ, cùm contra Maxentium bellum gereret, scripturam stellarum ordine atque distinctione conformatam vidit, hoc significantem: Inuoca me in die tribulationis tuæ; eruam te, & liberabo te, & glorificabis me. Stupore igitur percitus, rursus oculos in cælum sustulit, atque iterùm Crucem stellis sicuti anteà effigiatam in cælo, & inscriptionem circum eam conspexit, cuius hæc verba erant:* IN HOC SIGNO C HOSTES OMNES VINCES. Hæc Nicephorus. Atque hæc fuit secunda Crucis visio quæ Constantino è cælo commonstrata est. Qua conspecta, statim ad se reuersus, & admirabiles victorias, quas olim per sanctę Crucis virtutem adeptus erat, ad memoriam reuocans, animo confirmatus est. Ideoque postridie classicum canere iussit, prælioque Byzantiis iterùm indicto, & labaro in quo Crux sancta effícta erat, ante instructas acies constituto, secundo prælio vsus, Byzantios ipsos feliciter superauit, illorumque ciuitatem expugnauit; quam ob situs opportunitatem, aërisque salubritatem, instaurandam & ampliandam suscepit, tantaque magnificentia & splendore illam exornauit, vt pro sua ipsius habitatione illam eligens, & à nomine suo Constantinopolim appellans, longa posteà annorum serie, præcipua vrbs fuerit, in qua Imperatores residerent; ita vt ipsius antiquæ Romæ gloriam, magnificentiam & splendorem æmulata, à plerisque noua Roma appellata sit, eiusque incolæ Romanos se dixerint. *Lib. 7. c. 47.* *Constantino aduersus Byzantios præliãti iterũ Crux in cælo apparet, & in hoc signo vincit.*

D Tertia autem expeditio, in qua Crucis signum Constantino è cælo est commonstratum, illa fuit, cùm Istro fluuio, quem alij Danubium appellant, per pontem saxeum admirabili exædificatione ab ipso extructum, cum exercitu transmisso, Scythas trans flumen illud habitantes deuicit ac domuit. De cuius Crucis visione & apparitione Nicephorus inquit: *Istrum fluuium, qui Danubius quoque dicitur, ponte saxeo iunxit, eoque transito, Scythicam gentem, quæ vltra id flumen coluit, sibi subiugauit. Quo tempore ei denuò in cælo salutifera illa armatura apparuit, victoriamque eam sicuti & anteà conciliauit.* Hæc Nicephorus. Illa tamen quorumdam est sententia, Constantinum in hac expeditione haudquaquam interfuisse, sed eosdem Scythas per Gallicanum virum clarissimum & ducem exercitus sui subegisse, cui beatam virginem Constantiam filiam suam dilectissimam *Tertiò eidẽ Imperatori Crux apparet, Scythas debellaturo.* *Lib. 7. c. 49.*

ſimam matrimonio copulandam, & Conſularem dignitatem deſponderat. In quam opinionem adducti ſunt, ex his quæ leguntur in Actis ſanctorum Martyrum Ioannis & Pauli à Terentiano conſcriptis: qui quidem Martyres à ſancta Conſtantia miſſi fuerant, vt eumdem ſibi deſignatum ſponſum, in ea expeditione contra Scythas comitarentur, illique inſeruirent. In quibus Actis, dum idem Gallicanus Conſtantino relationem faceret de his quæ in illa expeditione ſibi contigerant, inter cetera inquit: *Cùm Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli concluſiſſet, ſtragemque noſtrorum plurimam edidiſſet, formidante me cum illis confligere, quòd exigua eſſet mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo; inſiſtebam ſacrificiis, & varias Marti victimas offerebam. Et quid multis moror? creuit tandem obſidio, & omnes Tribuni & milites mei ſe hoſtibus dedidère. Cùm ego autem cuperem fugæ aditum reperire, Paulus & Ioannes, quorum alter Præpoſitus, alter Primicerius eſt Dominæ meæ pietatis veſtræ filiæ Conſtantiæ Auguſtæ, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo cæli, ſi te liberauerit, fore te Chriſtianum: ſicque eris victor amplius quàm fuiſti. Fateor, ſacratiſſime Imperator, ſimul atque votum hoc ore meo prolatum eſt, apparuit mihi iuuenis ſtatura excelſus, ferens in humeris Crucem, & dicens: Sume gladium tuum, & ſequere me. Cùm ego ſequerer illum, apparuerunt mihi hinc inde milites armati, confirmantes me, atque dicentes: Nos tibi præſtamus officium. Tu ingredere caſtra, & dextra læuaque tenens gladium euaginatum, reſpice donec ad Regem ipſum peruenias. Ad quem cùm perueniſſem, proſtratus ille ad pedes meos, rogauit vt ſanguini eius parcerem: ego flexus pietate, nullum penitus ex illis occidi, nec occidi iuſſi ab aliis. Atque ita vniuerſa Thracia à Scythis liberata eſt, & Scythæ facti ſunt tributarij.*

Habentur hæc Acta apud Suriū, To. 3. c. 3. & apud alios, ſub die 26. Iunij.

Alia Gallicani aduerſus Scythas victoria, virtute itē Crucis parta.

Verùm ex his ipſis Gallicani verbis apertè colligitur, victoriam ab eo de Scythis partam diuerſam ab ea fuiſſe, quam Nicephorus tradit Conſtantinum de eadem gente retuliſſe. Nam idem Nicephorus apertè teſtatur, Conſtantinum ipſum poſt extructum pontem, quo Iſtrum iunxerat, eumdem fluuium cum vniuerſis copiis traieciſſe, Scythaſque qui vltra eum amnem incolebant ſubegiſſe. Gallicanus autem ibi aſſerit, Scythas eum in ciuitate Philippopoli, quam recentiores Trimontium & Hadrianopolim appellant, obſediſſe; quæ Thraciæ prouinciæ vrbs eſt, citra Iſtrum fluuium longo itineris interuallo ſita; vniuerſamque Thraciam, quam Scythæ occupauerant, liberaſſe. Quocircà neceſſariò fatendum eſt, has fuiſſe duas expeditiones, duoque bella populis illis illata; in quorum altero Conſtantinus interfuerit, alterum verò per Gallicanum geſſerit. Quòd autem Conſtantinus Scythas deuicerit & ſubiugauerit, plerique auctoritate graues Scriptores affirmant; atque inter ceteros his verbis teſtatur Euſebius: *Iam verò quid attinet*, inquit, *illa minimè neceſſaria recenſere, quemadmodum barbaras & immanes gentes ſub Romanum Imperium ſubiecerit; & vt Scytharum & Sauromatarum nationes, qui numquam parère populo Romano didicerant, primus is ſub iugum miſerit; coëgeritque eos vel inuitos profiteri, Romanos eſſe rerum dominos. Nam cùm ſuperiores Imperatores, vectigalia Scythis perſoluerent, ipſique Romani à Barbaris ſeruitute preſſi, quotannis tributa penderent; cùm hæc conditio Imperatori minimè ferenda videretur, alienumque exiſtimaret ab omnium gentium victoris dignitate, perinde vt maiores ſuos tributum pendere; Seruatoris ſui ope præſidioque confiſus, triumphale illud ſignum contra iſtos etiam obtendens, breui ſpatio omnes ſuperauit, & reluctantes quidem armata manu coërcens, reliquos prudentibus legationibus placans, ab inculta & fera vita, ad humanam ciuilemque traduxit. Atque aliquando tandem Romanis Scythæ parère didicerunt.* Hæc Euſebius.

De vita Cōſtantini, lib. 4. cap. 5.

Sozomenus autem ſcribit, Conſtantinum barbaras has nationes, quas ipſe Sauromatas & Gothos appellat, ſubegiſſe, poſt deuictum Licinium; affirmans eaſdem tum vltra Iſtrum regiones incoluiſſe; ſic enim tradit: *Porrò Imperator, poſt*

Lib. 1. cap. 8

A *post bellum cum Licinio gestum tam secundo fortunæ statu in prælijs contra alienas exterasque gentes faciendis vsus est, vt tum Sauromatas tum Gothos subiugaret. Ista quidem gens id temporis trans Istrum fluuium habitauit*. Hæc Sozomenus. Constantinum autem ad bellum gentibus illis inferendum perrexisse, ex Zonaræ verbis aperte colligitur; sic enim ait: *Ferunt, Constantinum in prælijs cum Licinio & Maxentio commissis, vidisse armatum equitem, signum Crucis pro vexillo ante aciem suam præferentem: ac rursus Hadrianopoli duos ei visos adolescentes, qui hostium phalanges cæderent*. Hæc ille. Tales igitur extitêre tres Crucis visiones, quæ magno Constantino è cælo apparuêre: per cuius Crucis virtutem, tot insignes admirabilesque victorias adeptus est, ipsæque eædem in magna causa fuerunt, sanctæ Ecclesiæ ampliandæ, & Domini nostri Iesu Christi fidei dilatandæ; cui laus, gloria, & imperium, per infinita sæcula sæculorum. Amen. Annal. Tomo 3. circa principium.

B

CAPVT XV.

De varijs ac diuersis alijs Crucis visionibus, quæ in cælo apparuêre; & de euentibus qui mundo ex eisdem præsignificati sunt.

CVM de tribus his præcipuis Crucis visionibus, quæ magno Constantino Imperatori è cælo apparuêre, præcedenti capite à nobis tractatum sit; concinnus nunc rerum ordo & consequentia ipsa exigere videntur, vt agamus de compluribus alijs eiusdem sanctæ Crucis apparitionibus, quæ diuersis temporibus hominibus ostensæ sunt; & de euentibus, quos futuros mundo prænuntiauêre. Ea enim tractatus huiusce nostri planè congruens est atque præcipua materia; de qua tamen, cùm multi iam ante nos scripserint, ita vt vix quidquam prodere fas sit, quod non ab alijs priùs dictum fuerit, sobriè ac breuiter C pertractantes, ab eadem vnico hoc præsenti capite nos expedire curabimus, insigniora & notatu digniora tantummodò per compendium delibantes, eosque, quibus de hoc plura attingere desiderium inest, ablegantes ad eos, quorum de huiusmodi Crucis visionibus atque apparitionibus scribere præcipuum institutum fuit. Inter quos laudem hanc sibi primùm meritò vindicarunt, Alfonsus Ciacon, qui de ea re integrum Tractatum absoluit; Cardinalis Baronius, qui infatigabili lectione, vniuersa pænè perlustrans, in immensa atque admirabili illa Annalium suorum constructione, omnia congessit; & post hos Iacobus Gretserus è Societate IESV, qui sedulitate atque solertia sua nihil prætermisit: hi verò curiosis Lectoribus cumulatissimè satisfacere poterunt.

Prima igitur Crucis visio, quæ post magni Constantini obitum in cælo conspecta est, illa fuit, quæ super sanctam Ierosolymorum vrbem apparuit in die sancto Pentecostes, Nonis Maij, circiter eiusdem diei horam tertiam, salutis D nostræ anno trecentesimo quinquagesimo tertio, qui Pontificatus sancti Liberij Papæ secundus fuit, & Imperij Constantij eiusdem Constantini filij decimus septimus; illius vrbis Episcopatus munere tum fungente sancto Cyrillo, qui tamquam oculatus testis de ea re eumdem Imperatorem per epistolam suam certiorem fecit, asseuerans, eam Crucis visionem, non momentaneam quidem, neque velociter percurrentem, sed quamplurimis horis stabilem, atque ab vniuerso eiusdem ciuitatis populo apertè conspectam, coruscisque splendoribus solis radios superantem, tantæque magnitudinis extitisse, vt à sancto Caluariæ monte, vsq; ad montem Oliuarum extenderetur. Ad cuius admirabilis & sancti atque diuini prodigij intuitum, cuncti Christi fideles ingenti admiratione, pioque timore ac lætitia affecti, illicò ad ecclesiam citatis gressibus concurrerunt, *Illustris Crucis apparitio super ciuitatem Ierosolymorum.* Epist. ad Constant. Imp. habetur in fine Catechef. Mystag. in Biblioth. Patrum, To. 2.

Deum

Deum optimum maximum adorantes & collaudantes; Saluatoremque nostrum deprecantes, vt prodigiosa illa sanctæ Crucis apparitio Ecclesiæ Catholicæ pacis, tranquillitatis, & exaltationis, faustum, felixque ac fortunatum præsagium esset. Iudæi verò & Ethnici qui Ierosolymis tunc aderant, ad tanti prodigij conspectum meritò obstupescentes, & consternati, inficias ire aut diffiteri non poterant, Christianam religionem sanctam & optimam existere, cùm illius sacra mysteria non ab hominibus tantùm, sed ab ipso cælo comprobarentur, amplecterentur, & monstrarentur: quamobrem eorum complures ad sanctam Christi Domini fidem tum conuersi sunt. Eiusdem autem Crucis apparitionis, præter eumdem Cyrillum complures alij Auctores grauissimi luculentissimum dant testimonium; & inter eos præsertim, Sozomenus [a], Socrates [b], Gelasius [c], Glycas [d], Cedrenus [e], Simeon Metaphrastes [f], Nicephorus [g], Alexander Monachus [h], Iulius Polynices [i], & alij plerique. A

[a] Lib. 4. c. 4. [b] Li. 7. c. 24. [c] De Act. Cõ. Nicæni lib. 1. cap. 4. [d] 4. part. Annalium. [e] In Comp. hist. [f] Apud Suriũ, sub die 7. Maij. [g] Lib. 9. c. 32 [h] Hist. de inuentione S. Crucis. [i] Hist. sacr.

Quid autem prodigiosa illa Crucis apparitio portenderet, idem sanctus Cyrillus in ipsa eadem Epistola, Imperatori Constantio pro animi sui sententia exposuit in hunc modum: *Atque hoc quidem prodigium, Imperator Deo dilectissime, Prophetarum testimoniis, ac verbis Christi, quæ sunt in Euangelio, prædictum, & nunc iam peractum est, & deinceps ampliùs perficietur. Nam in Euangelio secundùm Matthæum, cùm Saluator rerum futurarum cognitionem beatis Apostolis suis traderet, & per illos aliis qui cum eo versabantur, apertissimè prædixit: Et tunc, inquit, apparebit signum Filij hominis in cælo.* Hæc sanctus Cyrillus: quibus innuere videtur, Iudicij diem iam ex tunc appropinquantem, eadem Crucis apparitione prænuntiatum fuisse. At quid reuerà Dominus prodigioso signo illo futurum innuere voluerit, tempora ipsa quæ paulò pòst subsecuta sunt, apertè declarasse videntur. Cùm enim Constantius Imperator impiæ Arianæ hæresi postmodum adhæsisset, & Catholicam Ecclesiam hostili persecutione exagitare cœpisset, benignissimus Saluator noster, vt electos ac fideles suos solaretur, Crucis signum super montem eumdem ipsum cælitus commonstratum esse voluit, in quo Cruce sua hostes nostros iam deuicerat & alligauerat; quasi è cælo tacitè locutus, dulcissima verba illa iterùm repetita esse voluisset, quæ ipsemet dum nobiscum versaretur in terris, ore proprio protulerat: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* Nec sanè fefellit cæleste ac diuinum præsagium. quamuis enim amarum ac pestiferum hæresis semen Imperatoria violentia, in vniuerso pænè Ecclesiæ agro superseminatum tunc fuerit, ita vt purum ac sincerum sanctæ fidei Catholicæ triticum totum ferè obrutum ac penitus oppressum videretur, diuina tamen virtute creuit, & mirabilem in modum adeò multiplicatum est, vt, Arianâ tandem euulsâ zizaniâ, fructum fecerit centesimum. Quamobrem de his agens Cardinalis Baronius in Annalibus inquit: *Etenim cùm totius orbis Imperator bellum gesturus aduersus Catholicam Dei Ecclesiam, vexillum erexisset impietatis; & quod numquam anteà acciderat, Imperatoria fureret accensa face impietas Ariana: Christus, aduersus cuius diuinitatem bellum iuratum esset, in cælo regnans, illud ipsum quo vniuersam cum impiis debellauerat impietatem, diuinum signum supra sanctum montem, immensa claritate coruscans, cælitus demonstrauit; quò & illud auribus fidelium videretur intonuisse lingua cælesti: Confidite, ego vici mundum. Rem sanè probauit euentus; cùm diuina vitute fides Catholica eò effulserit gloriosior, quò magis existimabatur armis impietatis extincta.* B C D

Effectus seu euentus præcedẽtis apparitionis.

Ioan. 16.

Annalium Tom. 3. anno Christi 353.

Post Constantij Arianæ impietatis fautoris, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ perturbatoris interitum, occulto Dei iudicio, & pro maiori fidelium exercitio, Imperij gubernacula suscepit impius ac scelestus Iulianus, cognomento Apostata. Qui etsi per viginti annorum spatium Christianus extitisset, vel metu Constan-

A Conſtantij Chriſtianum ſe eſſe oſtentaſſet, illo tamen ſtatim demortuo, vt primùm in Imperio confirmatus eſt, Chriſtianam religionem ſolemniter repudians, impiæ adhæſit idololatriæ, idolorumque fana aperiri iubens, ſacrificia & victimas more maiorum his immolari mandauit. Quamuis benignus & miſericors Deus, quò illum ab ea impietate frænaret ac retraheret, complura admiranda illi oſtenderit atque direxerit prodigia. Inter quæ notatu planè digniſſimum illud fuit, quod ei oſtenſum eſt, cùm Illyricorum prouinciam cum exercitu eſt ingreſſus, vt illam in poteſtatem redigeret, cauſam profectionis illius prætexens, quòd rectà ad Conſtantium ſui purgandi cauſa pergeret, quòd Imperij inſignia & Auguſti titulum ſibi à militibus delatum, eo inconſulto ſuſcepiſſet. Nam cùm primùm Illyrij fines attigiſſet, vindemiarum tempore iam tranſacto, circa Nouembris initium, vites nouis vuarum botris acerbis ac minimè maturis onuſtas vndequaque conſpectas fuiſſe tradunt: deinde verò leui
B quodam imbre è cælo defluente, ſingulas guttas, tum in eius tum comitum ipſius veſtes, ſignum Crucis impreſſiſſe. Quam quidem hiſtoriam Sozomenus præcipuè proſecutus eſt, iudicium quoque prodens, quod circa prodigij illius ſignificationem à pleriſque tum factum eſt; aſſerens, Iulianum ipſum, eoſque qui illum comitabantur dixiſſe, vuas haud maturas intempeſtiuè apparentes, aliquid boni portendere; ſignum autem Crucis quod quælibet roris gutta in veſtibus ipſius ac militum ſuorum effinxerat, caſu ac fortuitò accidiſſe: ceteros verò qui ab ipſo Imperatore religione ac doctrina diſcrepabant, cenſuiſſe, oſtentorum alterum ſignificare, Imperatorem immaturo ætatis tempore non ſecùs ac immaturas vuas periturum, & Imperium eius ad exiguum tempus duraturum: alterum verò indicare, religionem Chriſtianam cæleſtem eſſe, & omnes Crucis figura ſignari oportere. Neque certè (inquit Sozomenus) vt videtur, à veritate aberrauêre: nam temporis progreſſio, vtrumque verè dictum fuiſſe de-
C monſtrauit. Hanc autem ipſam hiſtoriam Nicephorus pariter, Sozomenum ſecutus, ad poſterorum memoriam litteris commendauit.

Lib. 5. cap. 1

Cruces in veſtem Iuliani, eiusq; comitũ, cælitus decidunt.

Lib. 10. c. 2.

Illud quoque notatu planè dignum prodigium fuit, quod miſericors Deus eidem Iuliano, quò illum perterrefaceret, & ab impietate eius retraheret, oſtendit, ni malitia intellectum eius obcæcaſſet, tunc nimirum, cùm idolis ſacrificans, in victimarum viſceribus Crucis ſignum corona redimitum apparuit, vt ſuperiùs diximus. At longè notabilius illud pariter oſtentum fuit, quod Deus illi intuendum præbuit, quo tempore Iudæis poteſtatem fecit, immò illos extimulauit, vt Salomonis templum reædificarent: non quòd religionem eorum diligeret, quam potiùs execrabatur, ſed odio Chriſtianorum percitus. Cùm enim perfida gens illa, ipſo Imperatoris ærario adiuta, & ingenti pecuniarum vi, quam omnes Iudæi per vniuerſum terrarum orbem diſperſi in id opus contulerant, in vnum congeſta, magna auiditate ac diligentia, infinitam propemodum
D lignorum molem, lapidum, laterum, calcis & arenæ congeriem, aliaque ad ædificium illud neceſſaria cumulatiſſimè præparaſſet, ſtatim vt multorum hominum millium manu fodere, & antiqui templi fundamenta detegere cœperunt, vt muro ſuper eadem iniecto nouam ſtructuram erigerent, non ſolùm quidquid materiæ interdiu inde eruerant, noctu ſua ſponte in eamdem foſſam tranſlatum eſt, ſed veteris etiam ædificij fundamenta radicitus euulſa, euerſa, & diſſipata ſunt. Tum verò repentè vehementes adeò & impetuoſi venti ſpirare, turbines ingruere, tempeſtateſque horribiles oriri cœperunt, vt totam illam calcis, lapidum, laterum, ac præparatarum materierum congeſtam molem diſſipauerint, penituſque diſperſerint. At vbi prodigioſa tempeſtas illa quieuit, peruicaciſſimis Iudæis ad opus reuertentibus, terrificus atque horribilis quidam terræ-

Iudæi ad tẽpli Ieroſolymorũ reædificationẽ à Iuliano inſtigati, maximis prodigiis impediũtur

motus

motus ſtatim commotus eſt, qui vniuerſam Ieroſolymorum vrbem funditus A
euertere & obruere videbatur.

At cùm neque ob id exanimati aut exterriti perfidi Iudæi ab inchoato ope-
re deſiſtere vellent, ex defoſſis fundamentis horribiles flammarum ignes re-
pentè eruperunt, qui operariorum ac foſſorum quamplurimos combuſsêre,
ceteroſque in præcipitem fugam verterunt. Atque in ea quæ inſecuta eſt nocte
alius terræmotus concitatus eſt, qui cuiuſdam vicini porticus, ſub quo ceteri
operarij & artifices, qui in opus illud laborem ſuum locauerant, dormiebant,
fundamenta ac tectum euellens, omnes qui ibi ſe quieti dederant, oppreſſit. Ea-
dem quoque nocte, atque poſtridie, rurſus fulgentiſſima Crux in cælo apparuit.
Et in veſtibus tam Hebræorum, quàm Chriſtianorum, infinitæ propemodum
Crucis imagines conſpectæ ſunt, non in ipſa Ieroſolymorum vrbe ſolùm, ſed
Antiochiæ etiam, & in omnibus Iudææ ac Syriæ finitimis ciuitatibus & oppi-
dis; & non in hominum ac mulierum veſtibus tantùm, ſed in mappis ac ceteris B
altarium ornamentis, & in eccleſiarum libris ſimiles Cruces apparuerunt; quæ
omnes tamen in Iudæorum veſtibus nigri & atri coloris, taliſque erant tinctu-
ræ, vt quò magis illas abluere & abſtergere conarentur, tantò magis conſpicuæ
fierent. Quibus horribilibus prodigiis, Iudæi ipſi tandem conſternati atque
conterriti, non tantùm opus illud dereliquerunt, ſed eorum plerique ad ſanctam
Domini Chriſti fidem conuerſi ſunt. Nec tamen propterea cæcus ac demens
Iulianus ab impietate & perfidia ſua auerſus eſt. Hanc autem admirabilem hi-
ſtoriam complures auctoritate grauiſſimi Scriptores prodidêre; inter quos ſan-
ctus Gregorius Nazianzenus [a], ſanctus Io. Chryſoſtomus [b], Ruffinus Aquileien-
ſis [c], Theodoretus [d], Sozomenus [e], Socrates [f], Nicephorus [g], Cedrenus [h], Rupertus
Abbas [i], & alij plerique.

Cruces in veſtibus Hebræorũ & Chriſtianorum diuinitus apparent.

[a] In Orat. 2. contra Iulianum.
[b] In Pſal. 110
[c] Hiſt. Eccl. lib. 1. c. 37. 38. 39.
[d] Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 17
[e] Lib. 5. c. 21.
[f] Lib. 3. c. 17.
[g] Libro 10. cap. 33.
[h] In Iulianũ.
[i] In vita Elpidij, cap. 6. To. 5. Surij.

Aliud quoque ſanctæ Crucis oſtentum eiuſdem Iuliani Apoſtatæ tempori-
bus è cælo commonſtratum eſt, paulò antequam in expeditionem contra Per- C
ſas proficiſceretur, in qua infelicem ac nefariam vitam miſerabiliter amiſit; quæ
Crux corona quadam varietate colorum, iridis inſtar redimita, ſupra Ieroſoly-
morum vrbem apparuit, & à Caluariæ monte vſque ad collem Oliuarum ex-
tendebatur, ea longè lucidior quæ Conſtantij Imperatoris temporibus ibidem
conſpecta eſt; de qua Cedrenus: *Eo tempore*, inquit, *lucida Crux apparuit, cincta lu-
cida corona, à Golgotha vſque ad montem Olueti pertingens, ſplendidior quàm ſub Con-
ſtantio.* Cuius etiam Theophanes fuſiùs meminit. Hæc autem prodigia, & Cru-
cis apparitiones, iuxta Baronij ſupputationem, contigerunt anno ſalutis noſtræ
trecenteſimo ſexageſimo tertio, qui fuit Pontificatus ſancti Liberij Papæ duo-
decimus, & Iuliani Imperij ſecundus. Quæ oſtenta non pro eiuſdem impij
Apoſtatæ emendatione & correctione tantùm apparuerunt, ſi reſipiſcere ſciuiſ-
ſet aut voluiſſet, ſed pro fidelium ſolamine, ne in tyranni illius perſecutione ani-
mos deſponderent; ſed illud pro conſtanti firmiter tenerent, Chriſtum Domi- D
num præſtò adeſſe, qui ſanctæ Crucis ſuæ clypeo illos protegeret ac liberaret,
ſcirentque, perſecutionem illam citò finem accepturam. Quod futurum apertiſ-
ſimè præſignabat circulus ſiue corona illa iridis coloribus efficta, quæ Crucem
ipſam circumdabat. Quemadmodum enim poſt magnos imbres, iride ſerò ap-
parente, ſerenitas portenditur; ſic Crucis ſigno iride circumdato in cælo appa-
rente, ſerenitas & tranquillitas præſignificata eſt, qua ſancta Dei Eccleſia poſt
impij illius Chriſti rebellatoris necem fruitura erat. Crux autem illa quæ in
cælo apparuit, & illæ quæ in hominum veſtibus tunc impreſſæ fuerunt, cùm
Iudæi Salomonis templi reædificationem aggreſſi ſunt, illud apertè ſignifica-
uerunt, non ampliùs legem Moyſaicam, ſed Chriſtianam religionem, & Cru-
cem

Crux redimita velut iride, ſignat breue Iuliani Imperiũ, & Eccleſiæ tranquillitatem.

A cem sanctam deinceps coli debere, eamdemque priscis antiquæ Legis sacrificiis ac ritibus suppressis atque extinctis, mundo efflorituram: demumque immutabili sententiæ decreto, templo illi nouissimam desolationem & exterminium præfixisse, iuxta Danielis Prophetæ vaticinium, Christi Domini auctoritate confirmatum, cùm è templo illo egrediens, ingentesque structuras illas intuens, cuidam ex discipulis suis de eisdem loquenti respondit: *Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Marci 13.

Post prædicti impij Iuliani Apostatæ obitum, complures aliæ Crucis visiones variis ac diuersis temporibus apparuêre: quibus breuitatis causa prætermissis, à temporibus quibus Imperij gubernacula tenuerunt Iouinianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Maximus, Valentinianus iunior, ac Theodosius, ad Arcadij tempora quasi per saltum præteruolantes, breuiter attingemus hîc admirabilem Crucis, immò infinitatum propemodum Crucium visiones, quæ
B in eius exercitu apparuerunt. Intulerat is bellum Persis, ad id pæne (vt aiunt) per capillos attractus. Hi enim, dum Theodosius pater eius in humanis egit, nihil noui in Imperium moliri ausi sunt: eo autem vita functo, Christianos regionem illam incolentes variis vexationibus statim exagitare, orasque Romani Imperij finitimas incursionibus perturbare cœperunt. Quibus iniuriis lacessitus Arcadius, arma in illos mouit. Dumque exercitus eius, aciebus instructis prælio cum eisdem Persis decertaturus esset, Cruces quamplurimæ ex aëre illapsæ, in militum vestibus repentè apparuerunt, quæ felicis atque insignis victoriæ, quam tunc adeptus est, præsagium extitêre. In cuius facti memoriam, numismata quædam aurea cudi posteà iussit, in quibus Crux erat insculpta, vt Prosper Aquitanicus testatur, qui per id temporis inter humanos agebat; inquit enim: *Nostris temporibus apud Persas persecutionem factam nouimus, imperante Arcadio religioso & Christiano Principe: qui ne traderet ad se confugientes Armenos, bellum*
C *cum Persis confecit. Eo signo antequam potitus victoria, iam coëuntibus in prælium militibus, aëreæ Cruces in vestibus paruêre. Vnde etiam victor, auream monetam cum eodem signo Crucis fieri præcepit, quæ in vsu totius orbis, & maximè Asiæ, hodieque persistit.*

Rursum Cruces in vestibus militum tempore Arcadij, victoriæ contra Persas indices.

De promissionibus & prędictionibus Dei, part. 3. Promissione 34 impleta de Martyrib.

Quorum numismatum vnum solertissimus & infatigabilis, æternæque & immortalis memoriæ Cardinalis Baronius quinto Annalium suorum Tomo, sub anno Christi trecentesimo nonagesimoquinto, typis excudi curauit; estque eius formæ, quæ hîc conspicitur.

D





Non semper tamen Crucis signi & imaginis apparitiones, felices ac prosperos euentus mundo portenderunt: quin etiam quandoque infaustorum miserabiliumque successuum extitêre præsagia; cùm huiusmodi visiones plerumque hominibus ad id præcipuè commonstratæ sint, vt Christi Domini Crucis & mortis memores, tribulationes, calamitates, ac miserias, quæ in periculosa & perdifficili peregrinatione hac nostra imminent, sæpissimeque ingruunt, ma-

Crucis apparitiones non semper prosperi successus prænuntiæ.

iore constantia atque patientia perferant. Atque vt plurimùm, Dei optimi maximi peccatis nostris meritò succensentis, paternæ admonitiones sunt; vt visionibus hisce præmoniti, praua nostra facinora relinquentes, per pœnitentiam illum nobis placatum ac propitium reddere studeamus; quò animaduersiones ac supplicia, quæ ostentis hisce nobis minitatur Deus, euadere possimus. Quod diuinus ac regius Psaltes innuere voluit, cùm dixit: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* A

Psalm. 59.

Tale prorsus mundo prodigium attulêre Cruces illæ quæ Constantini quinti Constantinopolitani Imperatoris, impij patris Leonis Isauri impiissimi ac scelestissimi filij temporibus apparuerunt; qui ex eo quòd sacram Baptismatis aquam, dum in ea sacramentaliter mergeretur, stercore fœdauerat, cognomento Copronymus est appellatus. Cuius infelicis ac tyrannici Imperij initio, id est, anno secundo & tertio, vt Cedrenus testatur, Crucis signum bis in cælo conspectum est. Atque eiusdem Imperij anno sexto, in vrbe Constantinopoli, in hominum vestibus, & in ecclesiarum paramentis ac aliis supellectilibus, Cruces quamplurimæ, veluti ex oleo designatæ, repentè apparuerunt. De quibus idem Cedrenus inquit: *Constantinopoli subitò, & visu non obseruante, extitêre in hominum vestibus, & in ecclesiæ supellectile plurimæ Cruces, quasi ex oleo factæ.* Hæc ille. Præsignificauêre autem Cruces illæ ingentis mortalitatis & pestilentiæ supplicium, quod Deus Constantinopoli, & in pluribus aliis ciuitatibus & prouinciis paulò pòst immisit, in prædicti Constantini Copronymi scelerum animaduersionem, quæ non aduersus Sanctorum imagines tantùm, sed contra religiosos & quoscumque piè viuentes extendebantur. Ecclesias enim comburebat ac profanabat: Sanctorum reliquias proiiciebat, pedibus conculcabat, & igne absumebat; illorumque inuocationem impiis ac seuerissimis edictis interdicebat; sanctissimæque Dei matris & semper virginis Mariæ auxilium & intercessionem publicè negabat & respuebat; Crucesque à piis Christi fidelibus in agris, in viis, aliisque publicis locis erectas, erui, disijci, & euerti mandabat. Quibus scelestissimis facinoribus lacessitus Deus, & ad iustissimam iracundiam meritò prouocatus, horribilia & execranda scelestissimi Imperatoris flagitia in populos ditioni eius subditos seuerissimè animaduertit; non secùs ac propter Dauidis peccatum, pestilentiam in Israëliticum populum immisit: & non aliter quàm ob Sennacherib Assyriorum Regis blasphemiam, Angelus Dei centum & octuaginta militum millia nocte vna peremit. B C

In Comp. hist.

Tẽpore Copronymi ingentẽ mortalitatẽ denotarũt, ob ipsius Imperatoris scelera à Deo immissam.

4. Reg. 19.

Talis autem ac tanta mortalitas illa fuit, quam ob eiusdem impij Constantini Copronymi iniquitatem & scelera Deus tunc mundo immisit; vt in ipsa vna vrbe Constantinopoli tantùm, trecenta hominum millia occubuerint. Quamobrem horribile ac planè terrificum supplicium illud describens Cedrenus, affirmat, omnes Byzantij domos penitus tunc clausas fuisse; neque vsquam repertos, qui defunctorum cadauera sepelirent: cumque illis efferendis feretra non sufficerent, iumenta, currus, plaustra, & vehicula in illum vsum surrogata. Testaturque tam ingentem quotidie decedentium multitudinem extitisse, vt repletis iam & vrbanis & suburbanis monumentis & sepulchris, in pomœriis, in aggeribus, in propugnaculis, & in exsiccatis cisternis ac lacubus cadauera deponerentur: & his demum refertis, vix vlteriores horti & vineæ ipsæ humandis corporibus superessent. Quamobrem de hac ipsa eadem calamitate loquens sanctus Theodorus Studita, in ea funebri Oratione, quam habuit de laudibus sancti Platonis Martyris patris sui spiritualis, post multos ab eo recensitos euentus, adeò miserandos, vt sine horrore legi non possint; asserit, mortalitatem illam in vrbe Constantinopolitana tam immodicam extitisse, vt intra D

Trecẽta hominum millia Cõstãtinopoli peste mortua.

In Orat. in S. Platonẽ. exstat apud Lipom. T. 7 & apud Surium 6. sub die 16. Dec.

duos

A duos menses, vrbs illa celeberrima, & tot hominum millibus habitata, eò horroris atque miseriarum redacta fuerit, vt incolis prorsus vacua videretur, ita vt illud celeberrimum ac vulgatissimum Poëtæ dictum veritate tunc plenè comprobatum fuerit:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui. Horat. lib. 1 Epistolarũ, ad Lollium Epist. 1.

Quamquam & ipse impius Copronymus, tantorum malorum auctor, facinorum suorum condignam animaduersionem non effugerit. Nam vitam suam miserabili quoque fine conclusit, adhuc viuens de sua in æternum damnatione præsagus.

Iisdem ferè temporibus, sed in regionibus longè dissitis, nempe in Hispaniis, circa salutis nostræ septingentesimum & quartumdecimum, vel iuxta aliorum supputationẽ, septingentesimum & vigesimum quartum annum, cùm vir strenuus Garsias Eximini, militarium copiarũ ductor eximius, primus Rex electus B fuisset prouinciæ Suprarbiensis, quæ Regnorum Aragoniæ & Nauarræ fons & origo extitit; cumque parua admodum militum suorum manu, aduersus infinitam propemodum Maurorum multitudinem necessariò sibi præliandum videret, & proinde sollicitus & anxius toto cordis affectu Dei auxiliũ imploraret, cæleste quoddam signum in aëre illi apparuit; Crux nimirum rubea supra viridem quercum, aureo veluti in clypeo posita, quæ certissimum ac felix victoriæ præsagium illi attulit, vt re ipsa posteà comprobatum est. Nam cùm alacri animo viriliter decertasset, ingentes omnes illas Barbarorum acies, magna edita strage, magnoque eorum dedecore profligauit. In cuius egregij facinoris monumentum, pro suo ipsius stemmate & insigni præcipuo, Crucem posteà rubeam super viridem arborem, in parma aurea perpetuis vsibus vsurpauit. Cuius rei benè gestæ series in Chronico vrbis Valentiæ, à Martino de Viciana edito, hisce verbis Hispanico idiomate ad posterorum memoriam commendatur: *Victoria Hispanorũ cõtra Mauros Cruce cælitus apparente.*

C *Acceptado que fue por el nouello Principe el cargo y gouierno de aquellas gentes, luego entendio en las cosas de la guerra, y recobrò à Insa, que es la cabeça del partido de Sobrarbe. E pues Christo Jesu hauia incaminado la election del Principe, fue seruido, para su confortacion en tan santa empresa, darle la vision de la Cruz colorada, puesta en çima de vn verde arbol. E como Don Garci Ximenes vido la Cruz, se arrodillò en el suelo, y dando gratias al Señor, entendio que era señal de vencimiento. Y assi la tomò por insignias y armas vencederas; y dende truxò en sus escudos, pendones, y vanderas, en campo de oro vn arbol verde, con vna Cruz colorada, puesta en çima. E pues tenemos de la Yglesia, que nos dize de la Cruz, Con esta señal venceras; certissima tenemos la victoria contra los enemigos della.* Ex Chronico Valentię, lib. 3. Del Rey Don Garzia Ximenes de Sobrarbe.

Hæc autem ipsa eadem historia in Aragonensium rerum Commentariis Hieronymi Blancæ fusiùs etiam hisce verbis proditur: *Nostri*, inquit, *Aynsam occuparunt; breuique Christianorum vndique omnes suas copias eò contrahentium col-* D *lecta multitudine, castellis atque arcibus eam communire cœperunt, vt quos timebant hostium impetus sustinere possent. Mauri illicò, permagna suorum armatorum manu comparata, nostris immane excidium laturi conuenerunt. Maximam enim victoriæ spem in ingenti eorum numero reposuerant. At Garsias Rex non intra mœnia continere solùm, sed Mauris obuiàm ire posse ratus, acie cum illis dimicaturus contendit. Innumerabilem autem eorum multitudinem vt inspexit, ad extrema ventum arbitratus est; neque aliunde petendum esse quàm à diuino numine præsidium. Cumque sibi & suis necessariò confligendum videret, in diuinæque virtutis auxilio potiùs quàm in humana vlla potentia relictam spem; nostris animos addere, & ad gloriosam mortem obeundam excitare cœpit. Ipsis tunc omni spe dempta, ad necem, vt credebant, properantibus, memoriæ proditur, cæleste signum in aëre apparuisse; Crucem scilicet rubeam, supra viridem arborem, quer-* Aragonensium rerum comment. De Garsia Eximini Suprarb. Rege primo.

 cum




A

cum nomine, aureo veluti in clypeo poſitam. Qua inſpecta, certiſſimum ſibi futuræ victoriæ præſagium ſtatuentes, ad acriùs pugnandum commoti ſunt. Itaque diuinam opem, ac beati Ioannis Baptiſtæ implorantes auxilium, quòd pro fidei veritate certarent, libero curſu in Mauros irruerunt; ſummáque dimicantes contentione, tandem omnes eorum copias profligarunt. Hæc ibi. In eiſdem verò Hieronymi Blancæ Commentariis, non ſecùs ac in ciuitatis Valentinæ Chronico, delineata ſunt ſtemmata, quæ idem Garſias Eximini Rex, eiuſque liberi ac nepotes deinceps detulerunt, in hanc formam.

Garſiæ Regis ſtemma ſiue arma, cum Crucis imagine ipſi è cælo oſtenſa.

Geſtata fuêre ſtemmata hæc Crucis rubeæ ſuper viridem arborem, in aureo clypeo, à Regibus prædictis, donec Innicus Ariſta, Suprarbienſis prouinciæ Rex quintus, electus fuit. Is (B) enim dum in his campeſtribus, quæ inter Pyrenæos montes & Suprarbienſem prouinciam interiacent, aduerſus Mauros prælio decertaret, dumque pugna ipſa maiore præliantium contentione flagraret, ipſeque de illius exitu anxius, oculis in cælum intentis Dei auxilium toto cordis affectu imploraret, Crux argentea in ſcuto cyanei coloris, in aëre illi commonſtrata eſt. Qua inſpecta, certiſſimum victoriæ præſagium ſibi ſtatuit; ideoque reſumptis animis, & virili contentione dimicans, hoſtes profligauit ac deuicit. In cuius viſionis & victorię monumentum, Crucem illam eadem forma, quæ ei commonſtrata eſt, pro ſui ipſius ſtemmate deinceps geſtare conſueuit. Cuius facti memoria in Valentinæ vrbis Chronicis hiſce verbis proditur: *Eſte Rey Don Inigo Ariſta, pues fue electo por los Reynos en conformidad, bien podemos creer que fue muy accepto à Dios; pues le fue embiado ſeñal dal cielo, eſtando en los campos, que recaen entre los montes Pireneos y Sobrarbe. Donde vido en el cielo ſereno vna Cruz blanca, ſegun parece por eſte exemplo. Eſte Catholico Rey viſta la ſeñal celeſte, recordandoſe de las palabras, en fauor de la Cruz, diziendo,* Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ; *deliberò de tomarla por ſu deuiſa, y armas inuencibles.* Additurque ibi ipſius ſtemmatis typus, quod idem Rex, eiuſque ſucceſſores geſtare poſteà conſueuêre, & eſt eiuſmodi.

In Chronico Valentiæ Martini de Viciana, l. 3. Del Rey Don Inigo Ariſta.



C

Ariſtæ Regis inſignia, cũ Crucis item imagine cælitus demõſtrata.

Rex autem iſte, vt ex Aragonenſium rerum Commentariis Hieronymi Blancæ colligitur, electus fuit circiter annum Domini octingenteſimum ſexageſimum octauum. Et ſtemma hoc à cunctis Regibus ſucceſſoribus eius geſtatum fuit, ad Petrum vſque Regem Primum, qui Oſcam cepit, anno milleſimo nonageſimo ſexto, vt idem Hieronymus Blanca (D) teſtatur. Tametſi, vt idem poſteà ſubdit, nonnulli eorumdem Regum Crucem ſupra arborem in nummis interdum cuderent; ad id fortaſſe, vt prædeceſſorum ſuorum gloriæ, & priſci Suprarbienſis Regni memoriæ conſulerent.

Alia quoque admirabilis planè Crucis apparitio in Hiſpania, in Valentiæ nempe Regno contigit, cuius origo & cauſa à nobis altiùs repetenda eſt. Dum Aragonenſium Regni ſceptra teneret Iacobus huius nominis primus, poſt expugnatum ab eo Burianæ oppidum, ſex nobilitate inſignes viri Aragonenſes, iubente Rege, ab eodem oppido egreſſi ſunt, vt in proximam à Mauris occupatam regionem incurſiones facerent, ducentis & quinquaginta leuis armaturæ equitibus, vel, vt aliis placet, ſexcentis, tum equeſtris tum pedeſtris ordinis militibus

A litibus constipati, salutis nostræ nimirum labente anno ducentesimo trigesimo quinto supra millesimum: quorum primarius dux erat Berengarius Dentenzia: cumque ad conuallem de Albayada appulissent, ad castrum de Luxent, & ad castrum del Chio vernacula lingua nuncupatum vsque perrexerunt, castraque in alti montis cuiusdam vertice, qui oppidis prædictis finitimus est, loco edito, & prærupto quodam scopulo communito, quem Valentiniano idiomate *el cabezo del codo* appellant, collocarunt: eo nimirum consilio, vt eadem oppida in potestatem suam redigerent, indeque in finitimas omnes hostium regiones incursiones facerent. Verùm cùm Mauri mentem eorum intellexissent, aciebus repentè in vnum vndequaque collectis, ingenti militum manu, quæ viginti millium numerum excedebat, illos protinus circumdederunt, & in eodem scopulo obsederunt. Quamobrem, cùm omni commeatuum copia, omnique subsidij spe destitutos, sese ibi septos & vndequaque inclusos cernerent, B viam ferro sibi aperiendam, vel gloriosam mortem armis arreptis oppetendam statuêre. Sed antequam egregium hoc facinus aggrederentur, Dei optimi auxilium toto cordis affectu implorantes, peccata sua humiliter confessi sunt, diuinumque Missæ sacrificium offerri curarunt, vt sanctissimo Eucharistiæ Sacramento piè se præmunirent. Sed temporis angustia pressi, cum sacerdos id tutò exequi haud posse perspiceret, sex particulis tantùm consecratis, quibus sex duces illos saltem communicaret; ecce in eo temporis articulo, quo duces ipsi id peracturi ad sanctum altare approperabant, ingentes clamores horribilesque vociferationes & vlulatus ipsius Barbarorum exercitus repentè auditi sunt, qui concitato impetu vndequaque irruens, illos aggressus est. Quamobrem sacrosancto ac pio illo mysterio pro eo tempore prætermisso, arma protinus corripuêre, quibus hostium vim propulsarent, tantoque Dei fauore adiuti sunt, vt manus strenuè conferentes, viriliterque dimicantes, licet tam exiguo numero C constarent, Mauros tamen ipsos profligarent; quorum plerique ibi confossi occubuêre, ceterique in castro del Chio se includentes, vel per agros illos aufugientes, salutem vix sibi tandem compararunt. Dum autem Christiani cum infidelibus decertarent, sacerdos ille, qui sacrum Missæ sacrificium celebrabat, animo consternatus, ac veritus ne Barbari, colle occupato, altare profanarent, ipsumque Eucharistiæ Sacramentum violarent, inops consilij, & quid in tanto discrimine acturus esset ignorans, sex consecratas particulas illas corporali inuolutas accipiens, ac secum deferens, ducentorum ferè passuum itinere, versus castrum de Luxent, concitato gressu ab edito colle illo discessit; sacrasque particulas sub quadam arbore palmæ, inter saxa quædam condidit. Deinde verò collem versus atque altare gradum referens, ea scilicet mente, vt sacra vasa, mappas, ceteraque altaris ornamenta colligeret, ne ab impiis hostibus profanarentur, ingenti admiratione & magno gaudio perfusus, sex duces cum omnibus Christianis D militibus hilares, gloriosaque victoria potitos, & incolumes illuc reuersos esse comperit; qui sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refici vehementer efflagitabant, vt de admirabili illa parta victoria debitas Deo gratias referrent. Sacerdos verò vbi quidnam de sacris illis particulis fecisset, timens ne ab hostibus violarentur exposuit, communi voto atque consilio, facibus cereisque funalibus accensis, ipsum sequentes, ad palmæ arborem illam perrexerunt: indeque sacratissimo recuperato deposito, ad eumdem collem piè reuersi sunt.

Victoria cõtra Mauros virtute S. Eucharistia.

Sacerdos autem corporale ipsum magna reuerentia super altare collocatum, cùm explicare vellet, incredibili admiratione ac pio horrore perfusus, sex particulas illas in sanguineum colorem versas esse conspexit; eidemque corporali sic adhærescere, vt nullo pacto inde diuelli possent. Quamobrem cùm ad tanti miraculi

Petrus Antonius Beuter, parte 2. Martinus de Viciana, in Chronico Valentię, parte 3.

raculi conſpectum, extaſi ac magno ſtupore correptus, quaſi extra ſeipſum factus, quidnam ſibi faciendum eſſet, diu anceps cõſtitiſſet; tandem ſacro Corporali, ita vt explicatum & extenſum erat, manibus ſublato, ad exercitum conuerſus, magna reuerentia atque tremore illud oſtendit. Quo ſanè proſpecto, altis protinus clamoribus ſublatis, miſericordiam inclamantes, idque iteratis vocibus ſæpiùs repetentes, omnes humi prouoluti, admirabile ac miraculoſum Sacramentum illud, magna humilitate ac reuerentia, piiſque lacrymis & ſingultibus erumpentibus adorauêre. Quod poſteà non ſine miraculis in ciuitatem Darocam magna cum veneratione tranſlatum eſt, vt in prædicto Valentinæ vrbis Chronico, & ab aliis auctoritate grauiſſimis Scriptoribus enarratur; vbi ad hanc vſque diem magna pietate & veneratione aſſeruatur. Atque non ſolùm ab omnibus Hiſpaniarum regionibus, ſed ab vniuerſo orbe Chriſtiano peregrini eò confluunt, admirabile Sacramentum illud adoraturi, quod ab Hiſpanis, patrio gentis idiomate, *Los ſanctos corporales de Daroca* appellatur.

Peregrinationes ex toto orbe ad Sacramentum miraculoſum.

Effluxêre deinde centum vel circiter anni, ab eo tempore quo magnum illud myſterium & admirandum planè miraculum ibi patratum eſt, cùm ob aſſiduas calamitates, bella, & Maurorum incurſiones, quibus regio illa poſteà exagitata fuit, eorum locorum, in quibus admirabile facinus illud contigit, ex hominum memoria exoleſcente, ac penitus deficiente notitia, recuperata eſt tandem ob aſſiduas orationes, quas ſancta & nobilis quædam vidua Maria de Bidaure nuncupata, ad quam regionis illius dominium deuolùtum erat, ad Deum fundi curabat; humiliter deprecans, vtque alij deprecarentur obſecrans, vt per aliquod miraculum ſeruis ſuis reuelare dignaretur collem illum, in quo diuinum illud Miſſæ ſacrificium peractum fuerat, & arborem illam palmæ, ſub qua ſacræ particulæ iam conditæ extiterant. Anno enim treceteſimo trigeſimo quinto ſupra milleſimum, die Veneris quadam, quæ ſexta erat menſis Iulij in meridie, ſereno cælo, ſupra collem illum vbi ſex illi duces conſtitêre, Crux quædam fulgentiſſima viſibiliter apparuit, quinquaginta brachiorum vel circiter altitudinis, & viginti quinque latitudinis, prout humano proſpectu iudicari poterat; quæ ſolaribus radiis ſplendore ſuo tenebras offundere videbatur, quæque à cunctis finitimis populis illis clariſſimè conſpecta fuit; vt in eodem Valentinæ vrbis Chronico hiſcemet verbis enarratur: *Vn dia di Viernes, contado à ſeis de Iulio, del año mil trecientos y treynta cinco, al punto del medio dia, eſtando el cielo y el tiempo ſereno y repoſado, apareſcio viſiblemente en la cumbre del codol vna Cruz, muy grande, eleuada, que à la viſta humana ſe figuraua cinquenta braços en alto, e veynte y cinco de cruzero, e quatro palmos de tabla, toda reſplendeciente, tanto que al ſol eſcureſcia. Eſta Cruz celeſte fue viſta del caſtillo de Luxent, por la deuota Doña Maria de Bidaure, y de todas las poblationes de la valle de Albayda, por los moradores de ellas, y caminantes, paſtores, y trabajadores en los campos. De que todos recibieron immenſa allegria; y confirmaron por eſta ſeñal, que Dios les hazia merced, de reuelarles lo que tanto deſeauan.* Quamobrem ad illius admirabilis facti memoriam in poſteros propagandam, Eccleſia ibidem extructa eſt ſub ſancti corporis Chriſti inuocatione; & Fratrum Prædicatorum Ordinis ſancti Dominici monaſterium conditum.

Admirãda Crucis apparitio, in miraculoſi Sacramenti memoriam.


Martinus de Viciana, in Chronico Valentiæ, parte 3.

Sed remotiora tempora prætermittentes, ne caput hoc in prolixam nimis ac tædioſam longitudinem extendatur, breuiter agemus de quibuſdam Crucis apparitionibus, quæ hiſce noſtris temporibus conſpectæ ſunt. Inter quas notatu planè digniſſima illa fuit, quæ ſalutis noſtræ anno quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſimum, die vigeſima octaua Ianuarij apparuit ſupra vrbem Capham, quam veteres Theodoſiam appellauêre: nobilem planè ciuitatem in Taurica Cherſonneſo ſitam, quam recentiores Tartariam minorem vocant, Cimme-

Apparitio Crucis recens anno 1567. & quid ſignificarit.

A Cimmerio Bosphoro finitimam, à Turcis occupatam; vbi à quarta noctis hora, vsque ad auroram Crux fulgentissima in cælo apparuit, supra lunæ orbitam constituta, quæ tunc concaua & cornuta mundo ostendebatur, ea prorsus forma, quam magnus Turcarum tyrannus pro stemmate deferre solet. Atque super ipsius Crucis eminentiorem cuspidem lucidissima stella quædam refulgebat. Et paulò antè, id est decimo sexto eiusdem mensis die, supra eamdem vrbem tres soles conspecti fuerant, circulo quodam circumdati, qui ab ipsius medietate sursum candidus erat, deorsum verò variis coloribus iridis instar effictus. Soles autem ipsi, & Crux quæ apparuerat, eiusdem prorsus formæ & imaginis sese ostenderunt, quam hîc subiicimus:

B



C Quæ admirabilis Crucis apparitio eo præcipuè tempore facta est, quo nobiles Iustiniani Genuenses, quorum ditioni Chios insula suberat, quique Monenses dicebantur, ab improba & rapacissima Turcarum auiditate, eiusdem insulæ dominio iniquissimè spoliati, & inde eiecti, in eam vrbem deportati sunt. Quorum nonnulli, eiusdem Crucis typum graphicè delineatum, vnà cum apparitionis illius diligenti relatione, ad cognatos & amicos in Italiam transmisêre: quidamque ex senioribus eorum qui superstites ad hanc vsque diem Romæ degunt, spectatæ probitatis viri, huius rei luculentissimum testimonium perhibent. Tres autem Soles illi, trium Christianorum potentatuum fœdus præsignauêre; nempe sanctæ Sedis Apostolicæ, Hispaniarum Regis Catholici, & Venetorum reipublicæ, qui contra Turcas in vnum coiuêre. Crux verò quæ supra Lunam apparuit, Ottomanorum domum designantem, quæ Lunæ ipsius imaginem pro præcipuo stemmate sibi vindicauit, felicis atque admirabilis eius vi-


D ctoriæ certissimum fuit præsagium, quam Christianorum classis de Turcica relatura erat in sæculorum omnium memorabili illo nauali prælio, quod in sinu Corinthiaco, ad Echinades insulas posteà commissum est, anno salutis nostræ quingentesimo septuagesimo primo supra millesimum, Nonis Octobris, diuo Marco Papæ & confessori consecrato die.

Miraculosæ Crucii apparitiones in diuersis Regni Francorum locis, anno 1591.

Demum verò recentioribus posteà temporibus, anno nimirum reparatæ salutis quingentesimo nonagesimo primo supra millesimum, diuersis in Francorum Regno locis, diuersæ Crucis apparitiones, non in ecclesiis tantùm, earumq; supellectilibus, & in altarium ornamẽtis, ac sacerdotum indumentis, sed in priuatorum quoq; hominum vestibus conspectæ sunt. Quarum primæ sese ostenderunt Corbiæ Picardiæ ciuitate, deinde in pluribus aliis eiusdem prouinciæ


A vrbibus & oppidis, veluti in Ambianis & Mondidier, ſimile ſpectaculum oblatum in ſacris corporalibus, & mappis altarium, ſuperpelliceis ſacerdotum, & veſtibus multorum ciuium. Nec multò pòſt, ſimiles Crucis imagines in ipſa Pariſiorum vrbe Lutetia, in plerìſque templis, ac locis aliis compluribus, ſuper corporalia, & altarium mappas, atque Eccleſiaſticorum & laicorum veſtes, poſt Vigiliam Paſchę, ad decimum octauum Kal. Maij palàm conſpectæ ſunt. Denuò autē, vt nemo de miraculo hoc hæſitare poſſet, in antiquiſſima & nobilitate inſigni Galliæ Aquitanicæ vrbe Bituricenſi, quam Cæſar in Commentariis Auaricum appellauit, à recentioribus autem Gallis patrio idiomate *Bourges* dicta, quæ Ducatus de Berry nunc caput conſtituitur, in eiuſdem vrbis diuerſis templis complures Crucis imagines mirabiliter apparuêre. In primis enim die vigeſima tertia Maij, quæ Dominicæ Aſcenſioni ſacra erat, in eccleſia ſancti Ambroſij, vbi quadraginta horarum continuæ preces à populo ad Deum effundebantur pro Regni illius calamitatibus auertendis, & ſeditionibus ac diſſidiis Re- B ligionis diuina ope componendis, apparuit Crux ſuper albam, camiſiam vulgariter nuncupatam ſacerdotis, qui diuinum Miſſæ ſacrificium peragebat; & poſtridie ad nonum Kalendarum Iunij, in æde ſacratiſſimæ Dei genitricis Mariæ, quæ Collegij Ieſuitarum eſt, magno numero Cruces aliæ apparuêre ſuper altarium linteamina & mantilia, quæ ſacrę Communioni à populo percipiendæ ſupponebantur, & concionatoris ſuperpellicium. Ad cuius oſtenti famam vniuerſus vrbis illius populus, conferto agmine, ad Cruces illas intuendas approperauit. Dum autem magna admiratione obſtupeſcentes, eaſdem Cruces contemplarentur, ecce nouus rumor repentè ſublatus eſt, ſimiles Cruces multis in aliis templis denuò comparuiſſe; præcipuè verò in eccleſia quam eiuſdem vrbis incolæ *Noſtre Dame au four chaud* vulgariter appellant; ſancti Vrſini, ſancti Petri, ſancti Hyppoliti, ſancti Oriſtilli, & ſacris aliis locis quamplurimis. Quamobrem deſerta protinus Ieſuitarum eccleſia, ad alias feſtini ciues conuolant, tanta- C que auiditate & curioſitate prodigioſas Crucium illarum apparitiones inſpiciendi ferebantur, vt in earumdem eccleſiarum ingreſſu ſeſe præ multitudine prementes conculcarent. Idque præcipuè contingebat in eo, quod paulò antè diximus, templo Dominæ noſtræ *Au four chaud*, quod furnum calidum Latinè dicere poſſumus; ſic enim eccleſia illa vocata eſt, ob inſigne quoddam miraculum de infante Chriſtiano, ibi à Iudæo in ardētem fornacem coniecto, & à Deipara Virgine miraculosè ſine offenſa ſeruato. Vbi inter ceteras Crux quędam duplex apparuit quæ ligni ſicci colorem referebat, trium pedū vel circiter longitudinis, cuius tranſuerſa brachia tum ſuperiora, tum inferiora, paulò plus quàm ſemipedis menſuram hinc inde obtinebant; & ſuper angulos Crucis ſuperiores imago aderat ſpineæ coronę, ad illius ſimilitudinem effícta, qua Domini noſtri caput in paſſione redimitum eſt. Ipſa autem Crux & corona eius erat formæ quam hîc apponimus: D

Inter alias, & hæc forma Crucis apparuit, cū ſpinea corona.



Harum

A Harum autem Crucium apparitionem quæ in Galliis conſpectæ ſunt, luculentiſſimum teſtimonium prodidêre multorum auctoritate grauiſſimorum virorum epiſtolæ, ad Marchionem de Piſani Ioannem de Viuona, qui in Romana Curia pro Rege Chriſtianiſſimo ordinariæ legationis munere tum fungebatur, directæ, & ad Illuſtriſſimum Nicolaum de Peleuè Cardinalem Senonenſem, beneuolentiſſimum planè Dominum meique amantiſſimum, qui eas epiſtolas perlegendi mihi copiam fecit: quique horum oſtentuum apparitiones ex diuerſorum litteris collectas, felicis recordationis Gregorio Decimoquarto ſummo Pontifici, tunc in humanis agenti, vnà cum authentica atteſtatione vrbis illius celeberrimæ Iuriſperitorum Academiæ ſibi tranſmiſſa, exhibuit. In qua atteſtatione huius Crucis typus aderat graphicè delineatus, cuius exemplar hoc ipſum quod hîc damus, cùm ille mihi concreditus fuiſſet, diligenter exarari curaui. Aliudque ſimile exemplar datum eſt Alfonſo Ciaconi ordinis Prædi- De ſignis ſanctiſſimæ Crucis, c 27
B catorum, religioſo planè, docto, & valdè curioſo viro, qui illud poſteà vnà cum aliis Crucis apparitionum imaginibus, in ſuo De ſignis ſanctiſſimæ Crucis paruo tractatu, typis excudit. Hæc autem Crucis imago, quæ Bituri apparuit, pro ea temporum conditione quæ tum vigebat, notatu planè digniſſima fuit. Pro cuius conſideratione animaduertendum, domus Guiſiæ Principes viros, Catholicæ fidei defenſores acerrimos & conſtantiſſimos, in gentilitio ſtemmate, Crucem illam quam Ieroſolymorum appellant, in hanc formam deferre conſueuiſſe.



Ex cuius Crucis media compagine, ſi tranſuerſale lignum diſſoluatur, recta trabe tantummodò
C cum brachiis eius ſuperioribus & inferioribus remanentibus, haud dubiè in duplicis Crucis imaginem, ad inſtar illius pænè quæ Bituri apparuit, redigetur; *Præcedentis Crucis interpretatio, ſaluē reſpō-dens euētui.* quæ certiſſimum præſagium attulit, Catholicorum fœdus, quod tunc temporis pro his quæ fidei ſunt, in Galliis belligerabat (cuius præcipui duces erant hi, quos ſuperiùs diximus, Guiſiorum familiæ Principes) quàm primùm diſſoluendum. Contrariarum autem partium ducem primarium, qui aduerſus Catholicam fidem tunc erat in armis, admirabili Dei diſpenſatione, quaſi nouum Paulum alterum conuertendum, & ex perſecutore efficiendum (vt re ipſa poſteà, diuina id præſtante gratia, effectus eſt) eiuſdem ſanctæ fidei Catholicæ propugnatorem & protectorem præcipuum. Qui quidem, dum hæc Italico idiomate ederemus, ab impia atque teterrima manu, in totius Chriſtiani orbis iacturam & luctum, acerbiſſima, & tantis meritis, inſignique adeò ſtrenuitate, & eminentiſſima virtute prorſus indigna morte affectus eſt. Sed nimis pro-
D fundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, nimiumque incomprehenſibilia ſunt iudi- Pſalm. 91. cia tua, ô Altiſſime. Tibi ſit laus, & gratiarum actio, honor & gloria in ſæcula Rom. 11. ſæculorum. Amen.

CAPVT XVI.

De ſanctæ Crucis inuentione, à beata Helena magni Conſtantini Imperatoris matre diuinitus reperta.

ILLA nobis præcipua mens fuit & eſt, vt hoc tractatus noſtri libro ſexto, ſanctæ Crucis honorem, gloriam, & venerationem oſtenderemus. Quoniam verò

verò hæc omnia maximè aucta ſunt, poſtquam eadem diuino afflatu à ſancta Helena eſt quæſita, Deo volente reperta, clariſſimiſque miraculis agnita; ideò de inuentione illius præſenti hoc capite tractabimus. Et vt concinno ordine procedatur, ſex à nobis ordine demonſtranda erunt. Primò, quidnam cauſæ ſanctæ Imperatricis mouerit animum, & quis ſcopus ei fuerit Crucis ſanctæ perquirendæ. Secundò, quando inuenta fuerit. Tertiò, vbi, quomodo, & cuius operâ ſit reperta. Quartò, quo pacto, & quibus miraculis agnita. Quintò, quid ſancta Helena poſt Crucem inuentam, ex ea fecerit. Sextò, de honore & veneratione, quæ poſt eius inuentionem illi cumulatiſſimè acceſſit. A

Et quod ad primum, luculentiſſimum de ea re teſtimonium perhibuit diuus Ambroſius in ea Oratione, quam habuit in funere Theodoſij Imperatoris, Honorio eius filio aſſiſtente, cùm inquit: *Venit ergo Helena, cœpit reuiſere loca ſancta; infudit ei Spiritus, vt lignum Crucis requireret: acceſſit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi eſt victoria? Quæro vexillum ſalutis, & non inuenio. Ego, inquit, in Regnis, & Crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Chriſti triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur? Video quid egeris diabole, vt gladius, quo peremptus es, obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos puteos eruderauit, nec latêre aquam paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat: promatur gladius, quo veri Goliæ caput eſt amputatum: aperiatur humus, vt ſalus fulgeat. Quid egiſti diabole, vt abſconderes lignum, niſi vt iterùm vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ ſine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus ſubiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas inſidias deprehendat. Illa, vt ſancta, Dominum geſtauit; ego Crucem eius inueſtigabo: illa generatum docuit, ego reſuſcitatum: illa fecit vt Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum, diuinum de ruinis eleuabo vexillum.* Hæc Ambroſius; ex quibus verbis ſatis apertè dignoſcitur, ſanctam Helenam, diuini Spiritus afflatu, ad Crucis ſanctæ perquiſitionem impulſam, eiuſque inquirendæ inſtitutum & ſcopum extitiſſe, vt illam veneraretur & adoraret. B C

In funebri Orat. de vita Theodoſij, Tomo 5.

B. Helena ad ſanctam Crucē perquirendam diuinitus impulſa.

Quoad ſecundum verò, id eſt, quonam tempore Crux ſancta inuenta fuerit, ea quorumdam fuit ſententia, ſancti Euſebij Papæ repertam fuiſſe temporibus: cuius forſitan opinionis imbibendæ eis anſam præbuêre ea quæ ſcripta ſunt in libro de Romanis Pontificibus, cuius originale in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur, vbi dum de eodem ſancto Pontifice fit mentio, hæc habentur: *Huius tempore, Crux Domini noſtri Ieſu Chriſti, quinto Nonas Maij inuenta eſt: baptizatuſque Iudas, pòſt Quiriacus vocatus, Crucis inuentor.* Quæ verba, complures auctoritate graues & doctrina inſignes viri, magna ſanè ratione ducti, autumant perperàm ibi adſcripta: præſertim, cùm Euſebij Cæſarienſis auctoritas his vehementer repugnet; ex cuius lectione apertè colligitur, ſanctam Helenam poſt Conſtantinum filium ad Chriſti Domini fidem conuolaſſe. Quòd ſi Conſtantinus ipſe eiuſdem ſancti Euſebij temporibus adhuc Chriſtianus non erat, multo minùs credendum eſt, ſanctam Helenam, quæ poſt illum ad fidei lumen acceſſit, cùm adhuc idololatra eſſet, tanto ſtudio ad Chriſti Crucem inquirendam ſe accinxiſſe. D

De vita Cōſtantini, lib. 3. c. 46.

Quamobrem non niſi ſolido admodum fundamento innixus Cardinalis Baronius, qui incomparabili omnium antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudioſorum iactura, dum harum rerum ſcriptioni præcipuè incumberem, ex humanis exemptus eſt, aliorum doctiſſimorum virorum opinionem ſecutus, cenſuit, ſanctam Crucem, anno poſt celebratum Nicænum Concilium fuiſſe repertam; is fuit ſalutis noſtræ annus trecenteſimus vigeſimus ſextus, Imperij Conſtantini vigeſimus primus, & Pontificatus ſancti Silueſtri Papæ decimus tertius.

Annal. Tomo 3. anno Chriſti 326.

A tius. Nam præterquam, quod verisimile admodum fuisse videtur, sanctam Helenam ad iter illud Ierosolymitanum se accinxisse, eo scilicet anno post Nicæni Concilij celebrationem, tum deuotionis ergò, tum loci propinquitate allectam, cùm in Orientalibus regionibus vnà cum Imperatore filio tunc versaretur, (quod magno incommodo suo fecisset, si ab ipsa vrbe Roma iter illud ei rectà capessendum fuisset, in ea præsertim ingrauescente ætate, qua annum propè octuagesimum, vt Theodoretus testatur, attingebat) item omnes ferè antiqui Ecclesiasticarum rerum Historici Græci, sanctæ Helenæ ad Ierosolymam appulsum, & Crucis inuentionem prædicto tempore contigisse litteris commendarunt; id est sequenti anno post Nicænum Concilium celebratum. Quamobrem Sozomenus inter ceteros inquit: *Cùm iam Concilium Nicænum venisset ad exitum, & sacerdotes omnes domum reuertissent, Imperator supra modum ideò lætatus est, quòd Ecclesiam vniuersam de doctrina fidei consentientem videret. Atque vbi pro Episcoporum concordia, pro se, pro liberis, pro Imperio denique Deo gratias* B *egisset; templum Jerosolymis circiter locum qui dicitur Caluariæ, ad honorem Dei illustrandum, ædificare instituit. Per idem ferè tempus Helena Imperatoris mater venit Jerosolymam, cùm precandi causa, tum sancta illa loca visendi. Quæ quoniam pio animo erga religionem Christianam erat affecta, visa est sibi operæpretium factura, si lignum Crucis venerandæ inuenire posset.*

Crux inuenta anno sequenti post Concilium Nicænum.

Hist. Eccl. lib. 1. c. 18.

Lib. 2. cap. 1.

Idem quoque testatur Nicephorus, addens, Helenam, cùm Ierosolymitanum iter arripuisset, iam senio valdè confectam, & ad vitæ extremum peruenisse. Cuius verba Latinitati donata hæc sunt: *Litteris porrò eis conficiendis, mater ipsa Imperatoris beata Helena, quæ illum talem genuit, administra fuit. Ipso namque Synodi coactæ anno, in somnis oraculo admonita, precationis ergò, locorumque sacrorum cognoscendorum gratia, Ierosolymam petierat. Neque se ea in re vel itineris laborem, vel senectutis molestiam remorari est passa. Ad extremum enim iam vitæ peruenerat, & de rebus* C *atque religione Christianorum piè admodum sentiebat: plurimi porrò faciebat, vt Crucis lignum, & viuificum Christi monumentum inueniret.* Idem quoque apertè innuit Socrates; nam beatæ Helenæ ad Ierosolymitanam vrbem profectionem non describit, nisi post expletam ab eo Nicæni Concilij narrationem.

Lib. 8. c. 29.

Lib. 1. c. 11. 12. 13.

Neque est cur à veræ & solidæ opinionis huius basi nos quidquam abstrahere debeat, quod in Eusebij Cæsariensis Chronico factum reperitur; Crucis nimirum inuentionem, sub anno quinto decimo Imperij Constantini collocatam esse. Nam præter id, quòd typographorum incuria complures errores in eumdem librum irrepsêre, præcipuè verò in Constantini annorum numero, vt expresse docet Baronius: his tamen non obstantibus, sanctæ Helenæ Ierosolymitanum iter, & ipsa Crucis inuentio, ibi reuerà constituta cernuntur sequenti anno post Nicænum expletum Concilium. Quandoquidem post celebrationis Nicæni Concilij commemorationem factam, in subsequente linea, quæ ad D Christi annum trecentesimum & vigesimum sextum vsque pertingit, hæc verba habentur: *Helena Constantini mater, diuinis monita visionibus, beatissimum Crucis lignum, in quo mundi salus pependit, apud Ierosolymam reperit.* Neque est quòd dubium aut scrupulum nobis ingerere debeant Ioannis Zonaræ verba, qui in Annalibus suis scriptum reliquit, sanctam Helenam, post Constantini filij sui Baptismum, assumpto secum itineris socio sancto Siluestro Papa, Ierosolymam perrexisse. Id enim pro anili fabula deputandum est: nam nec maiorum traditione aliqua comprobatur, neque antiqui Scriptoris cuiuspiam auctoritate fulcitur.

Annalium Tom. 3. anno Christi 325. & 326.

Annal. Tomo 3. in Constantini magni Imperio.

Quod autem ad tertium attinet, id est, vbi, quomodo, & cuius opera Crux sancta fuerit reperta, quædam historiæ, ac legendaria quædam typis excusa, tum

tum etiam manuſcripta circumferuntur,in quibus nonnulla inſerta & ſuperaddita fuêre, quæ non admodum ſolidæ veritatis ſpecimen præ ſe ferunt. Quamobrem Gelaſius Papa illas adeò dubias & incertas eſſe cenſuit, vt prudentis & circumſpecti Lectoris arbitrium eſſe voluerit, pretioſum à vili, & verum à falſo ſegregandi, & quid circa eadem credendum ſit, æqua lance ac recta æſtimatione iudicandi; inquit enim: *Item ſcripta de inuentione Crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inuentione capitis beati Ioannis Baptiſtæ, nouellæ quædam reuelationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt: ſed cùm hæc ad Catholicorum manus adueniunt, beati Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Ideoque incertiora prætermittentes, inſtitutæ rei huius exitum breuiſſimè expediemus, ſanctorum Patrum auctoritatem, & probatiſſimorum Eccleſiaſticarum rerum Hiſtoricorum fidem ſecuti. A

Decretū de libris authent. & apocryph. Conciliorū Tomo 2. Itē diſt. 15. cap. Sancta Romana. 1. Theſſ. 5.

Inter quos Sozomenus hiſtoriæ huius veritatem proditurus, in eò præcipuè totus incumbit, vt rei magnitudinem & difficultatem oſtendat, quam in Cruce reperienda ſancta Imperatrix habuit; ſic enim tradit: *Verùm neque illa* (ſcilicet Crux) *neque diuinum Domini ſepulchrum, tam facilè repertu erat. Nam veteres Gentiles, qui Eccleſiam perſecuti fuerant, quoniam Chriſtianam religionem recèns iam ortam concidere comprimereque omnibus opibus viribusq; laborabant; idcircò eum locum ingenti aggere ſuprà iniecto obruerunt; inque maiorem altitudinem, vti etiam nunc apparet, erexerunt. Quin etiam vniuerſo loco, tum ſepulchri vnde Chriſtus reſurrexit, tum Caluariæ, muro vndiq; circūdato, eum pro ſuo arbitratu exornare cœperunt. Nam primùm ſternunt lapidibus, deinde fanum Veneris ſuprà extruunt; poſtremò ſimulacrum in eo ſtatuunt: ad eum ſanè finem, vt qui Chriſtum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere, & vera cauſa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem: quippe cùm Chriſtiani neque eò tutò ipſi accedere poſſent, neque aliis indicare auderent; ſed contrà omnibus pro certo confirmaretur, in eo loco aliud eſſe nihil præter fanum Gentilium, & Veneris ſtatuam.* B

Lib. 2. cap. 1

En diaboli machinas, vt gloriam Crucis opprimeret.

Neque hiſce Sozomeni verbis in aliquo aduerſatus eſt ſanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, dum aſſeruit, Hadrianum Imperatorem Iouis ſimulacrum ſtatuiſſe in loco Dominicæ paſſionis. Nam ex diui Hieronymi lectione, vt Iacobus Gretſerus diligenter animaduertit, euidenter apparet, Hadrianum Imperatorem, ſiue Gentiles eiuſdem Hadriani temporibus, in Reſurrectionis Domini loco, qui & Paſſionis ipſius etiam locus erat, Iouis ſtatuam dedicaſſe: & ſuper Caluariæ montem, Veneris marmoreum ſimulacrum ſtatuiſſe. *Ab Hadriani temporibus*, inquit Hieronymus, *vſque ad Imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Reſurrectionis, ſimulacrum Iouis; in Crucis rupe, ſtatua ex marmore Veneris à Gentilibus poſita colebatur; exiſtimantibus perſecutionis auctoribus, quòd tollerent nobis fidem reſurrectionis & Crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent.* Hæc ille. Ex cuius Veneris ſtatua factum eſt, vt longa poſteà temporis progreſſione, mons Caluariæ, Venerarius diceretur. Quocircà ſanctus Ambroſius ait: *Dominus ſecundùm cæli tractum, in Venerario paſſus eſt, qui erat locus in latere Aquilonis.* C D

Epiſt. 11. ad Seuerum.

Epiſt. ad Paulinum, De Inſtitut. monach. cap. 2. To. 1.

In Pſal. 47.

Magna igitur difficultate affecta eſt beata Helena Imperatrix in ſancta Cruce inuenienda: quamuis enim diuino afflata Spiritu illius perquiſitionem aggreſſa eſſet, neſciebat tamen in qua montis Caluariæ parte lateret. Quamobrem doctos viros, & antiquitatis ſtudioſos atque peritos vndequaque perquiri iuſſit; non Chriſtianos tantùm, ſed etiam Hebræos, vt ſanctus Paulinus tradit: quos Ieroſolymam accerſitos, ſæpiùs coram ſe congregari mandauit, & ſingulorum quæſita atque intellecta ſententia, vbi primùm eius loci ſatis idoneam notionem aſſecuta fuiſſe ſibi viſa eſt, & vbinam, vel paulò propiùs, Crux ſancta reperiri

A riri poſſet, magna hominum manu ac ſedulitate effodi iuſſit; in quo ingenti ſanè molimine, non calonum ac foſſorum tantùm numeroſitatem magnam, ſed ipſorum etiam militum operam adhibuit, vt tradit Seuerus Sulpitius. Et quamquam in ipſa ſancta Cruce perquirenda, multorum virorum conſilio & operatione ſit vſa, inuentam tamen fuiſſe tradunt præcipuo cuiuſdam Hebræi indicio; qui, vt Sozomenus tradit, in partibus Orientis habitabat, & ſcripto quodam ſibi ab auis relicto, loci notitiam aſſecutus, vbi nam Crux lateret commonſtrauit. Lib. 1. cap. 1

Erat autem Hebræo huic nomen Iudas; qui cùm ad Chriſtianã fidem poſteà conuolaſſet, Quiriacus appellatus eſt. Quocircà Gregorius Turonenſis, de Conſtantini temporibus, & de Crucis inuentione diſſerens, inquit: *Huius tempore venerabile Crucis Dominicæ lignum per ſtudium Helenæ matris eius repertum eſt; prodente Juda Hebræo, qui poſt Baptiſmum Quiriacus eſt vocitatus.* Idem quoque tradit B Nicephorus, Sozomenum in omnibus, vt aſſolet, ſecutus. Et de eodem quoque habetur mentio in libro De Romanis Pontificibus, in vita ſancti Euſebij Papę. Et quamquam peculiare hoc Iudæ, à quibuſdam non ſatis probari videatur, tamen pro fabula non eſt habendum; non ob ſancti Gregorij Turonenſis teſtimonium tantùm, & aliorum quoque grauiſſimorum Auctorum qui id litteris commendarunt, ſed multo magis propter ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem, quæ in Officio Eccleſiaſtico illud recepit; & quia in antiquiſſimo Codice manuſcripto, ſiue Sanctorali vel Paſſionario, qui Romę penes Moniales ſanctæ Cæciliæ aſſeruatur, ampla de eo fides aſtruitur. Et licet Cardinalis Baronius in Romano Martyrologio nullam de eodem mentionem fecerit, & ab Officio Eccleſiaſtico illud prorſus exploſum eſſe voluerit; venerabilis tamen Beda in ſuo Martyrologio de eo commemorationem habuit, ſub die primo Maij; innuens, eumdem Iudam, ſiue Quiriacum, Epiſcopum poſteà factum, Ieroſolymis pro C Chriſti Domini confeſſione martyrium ſubiiſſe; ſic enim inquit: *Ieroſolymis paſſio ſancti Iudæ, ſiue Quiriaci Epiſcopi, cui reuelatum eſt lignum Dominicæ Crucis.* Et quamquam Sozomenus opinioni huic adhæſiſſe videatur, locum nimirum vbi Crux ſancta latebat, diuino potiùs quàm humano indicio reuelatum fuiſſe; (ſiquidem de ea re diſſerens, inquit: *Nam res diuinæ, mea quidem ſententia, humano indicio non egent, cùm Deo viſum ſit eas patefacere.*) tamen inficias non it, notitiam, quam Iudas is attulerat, inuentioni ſanctæ Crucis valdè proficuam eſſe potuiſſe. Sic itaque in comperto eſt, vbi, quando, quomodo, & cuius nam ope Crux ſancta reperta fuerit. Lib. 2. cap. 1

Crucis locus detectus, maximè à Iuda quodã Hebræo.

Agemus nunc de eo quod pro quarta propoſitione polliciti ſumus, quibus nimirum miraculis Crux ſancta agnita fuerit. Cuius rei primus expoſitor nobis erit diuus Ambroſius; ſic enim ait: *Aperit itaque humum, decutit puluerem; tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat: inimicus abſconderat, ſed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incertò hæret, vt mulier; ſed certam indaginem ſanctus Spiritus inſpirat, eò quòd duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo mediũ lignum, ſed poterat fieri, vt patibula inter ſe ruina confunderet, caſus mutaret & inuerteret. Redit ad Euangelij lectionem, inuenit quia in medio patibulo prælatus Titulus erat:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *Hinc collecta eſt ſeries veritatis: Titulo Crux patuit ſalutaris. Hoc eſt quod petentibus Judæis Pilatus reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi; id eſt, Non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ætas futura cognoſceret: non vobis ſcripſi, ſed poſteritati. propemodum dicens: Habeat Helena quæ legat, vnde Crucem Domini recognoſcat.* Hæc ille.

In Oratione funebri Theodoſij, Tomo 5.

D

Crux Domini inueni-tur, ſed confuſa cum patibulis latronum.

Illud tamen notandum, quòd in eo vbi Ambroſius innuit, diuinam Helenam Crucem Domini à latronum Crucibus per Titulum agnouiſſe, ab eo omnes

 nes

nes antiqui Scriptores apertè discrepant; & inter eos præcipuè sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, & Ruffinus Aquileiensis, eiusdem sæculi Scriptores grauissimi. Sanctus enim Paulinus ipse de eo sic tradit: *Sed cùm tres pariter Cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, iusto piorum metu, ne forsan aut pro Cruce Domini, patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abijciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimùm, quæ tam piæ solicitudinis Princeps erat, huius consilij lumen infundit, vt aliquem recèns mortuum inquiri, & inferri iuberet. Nec mora, verbum factum; cadauer illatum est, deponitur. Iacenti vna de Crucibus admouetur, sed eorum ligna mors spreuit. Postremò Dominicam Crucem prodit resurrectio; & ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum, & corpus erectum est, tremefactisque viuentibus stetit mortuus; & funebribus vt Lazarus quondam vinculis expeditus, illicò inter expectatores suos rediuiuus incessit.* A

Epist. 11. ad Seuerum.

Suscitatione mortui discernitur Crux Christi à Crucibus latronum.

Idem quoque affirmat ipse Seuerus Sulpitius Bituricensis Archiepiscopus, his verbis: *Hîc verò maior dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbauerat, ne errore mortalium, forsitan pro Cruce Domini, latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, vt aliquem recèns mortuum Crucibus admouerent. Nec mora; quasi Dei nutu, funeris extincti solemnibus exequiis deferebatur, concursuq; omnium feretro corpus eripitur. Duabus priùs frustrà Crucibus admotis, vbi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis funus excussum, & inter spectatores suos astitit: Crux reperta, dignoque ambitu consecrata.* B

Sacr. Hist. lib. 2.

Verùm Ruffinus Aquileiensis, non mortuum ad vitam reuocatum, sed mulierem quamdam languentem, ac semimortuam, à sancta Cruce sanitati redditam esse litteris commendauit. sic enim tradit: *Accidit*, inquit, *in eadem vrbe, primariam quamdam loci illius feminam, graui ægritudine confectam, seminecem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat. Is vbi cunctantem Reginam, atque omnes pariter qui aderant, videt; Adferte, inquit, huc totas quæ repertæ sunt Cruces; & quæ sit quæ portauerit Dominum, nunc nobis adaperiet Deus. & ingressus cum Regina pariter & populis ad eam quæ decumbebat, defixis genibus, huiuscemodi ad Deum precem profudit: Tu Domine, qui per vnigenitum Filium tuum salutem generi humano per passionem Crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus adspirasti in corde ancillæ tuæ, perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit; ostende euidenter ex his tribus, quæ Crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad seruile supplicium; vt hæc mulier, quæ semiuiua decumbit, statim vt eam lignum salutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cùm hæc dixisset, adhibuit primò vnam ex tribus, & nihil profecit. Adhibuit secundam, & ne sic quidem actum est. Vt verò admouit tertiam, repentè adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multo quàm cùm sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit.* C

Hist. lib. 1. cap. 7. & 8.

Item semimortua redditur sana tactu viuificæ Crucis.

Sic itaque repertam & agnitam sanctam fuisse Crucem, Ruffinus asseruit; sicque Theodoretus[a], Socrates[b], & Sozomenus[c] pariter prodidêre: tametsi idem Sozomenus paulò pòst adiecerit, Crucis quoque virtute, mortuum ad vitam reuocatum; innuens, in Crucis recognitione vtrumque miraculum contigisse: quod Nicephorus etiam litteris commendauit, inquiens: *Dicunt quoque, mortuo prorsus Crucem impositam, in vitam illum repentè reuocasse.* Quin etiam in peruetusto libello illo De locis sanctis, à Beda in compendium redacto, asseritur, & in eo loco, vbi Crucis virtute defunctus ille ad vitam reuocatus est, ad tanti miraculi memoriam ad posteros propagandam, excelsam columnam defixam fuisse; ait enim: *In medio autem Ierusalem, vbi Cruce Domini superposita, mortuus reuixit, columna excelsa stat.* Additque, columnam illam in æstiuo solstitio nullam prorsus D

a Lib. 1. c. 18.
b Lib. 1. c. 13.
c Lib. 2. c. 1.
Lib. 8. c. 29.

A prorsus vmbram transmittere solitam, ex quo argumentabatur, vrbem Ierosolymam in medio terrarum orbe constitutam, in illius Prophetici dicti comprobationem: *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Psalm. 23.

Scribit præterea Sozomenus, tres Cruces illas seorsum in alia quadam parte speluncæ, vbi sepulchrum, ex quo Dominus resurrexit, detectum fuerat, repertas fuisse, & in altera eiusdem loci parte inuentum fuisse Crucis titulum. Socrates verò testatur, clauos quibus Dominus Cruci affixus est, in eodem monumento vbi sepultus fuerat, repertos. Ex quibus, dubium hoc apud curiosi cuiuspiam animum fortasse oriri poterit, dicetis: Si veritati id innititur, quod nos iam alibi diximus, inuiolabili nimirum consuetudine apud Hebræos receptum esse, instrumenta quibus damnati enecati erant, iuxta ipsorum cadauera sepeliendi, quid causæ esse potuerit, quòd sancta Crux, in ipso Christi sepulchro inuenta non fuerit, vt claui ipsi ibidem reperti fuère? Cui dubitationi hoc facilè responsum reddi potest; nimirum, Cruces euellendi, præcipuum executorum iustitiæ B ministerium extitisse; qui cùm Christum Dominum iam mortuum vidissent, non fregerunt ei crura, sed Iosepho ab Arimathia, & Nicodemo, ceterisque qui ad pium opus illud conuenerant, permiserunt, vt corpus eius è Cruce deponerent, iuxta facultatem ipsis à Pilato concessam. Ideoque illud refigentes sepelierunt, & iuxta illud clauos quoque, quos è sacro ligno euulserant, Cruce loco suo in ministrorum iustitiæ potestate relicta; qui cùm duobus latronibus crura suffregissent, statim post eorum mortem illos humauerunt, & iuxta illos, tres ipsas Cruces, non procul admodum ab horto in quo Dominus sepultus fuerat. Quamobrem mirum non est, si Crux sancta, in ipso Christi sepulchro vnà cum clauis reperta non fuerit: de quorum ac tituli inuentione, quoniam alibi egimus, eam hîc repetere superuacaneum duximus; ideoque hæc missa facientes, ad eorum narrationem pergemus, quæ quinto loco tractanda proposuimus, ostendemusque, quidnam beata Helena post venerabilem Crucem inuentam de ea egerit. C

Claui seorsim inuenti à Cruce, & vnde id factum.

Scribit Theodoretus, sanctam Imperatricem, post sacratissimam Crucem inuentam, eo pacto quo superiùs dictum est, illius partem in Constantini filij sui Imperatorio palatio collocandam transmisisse, alteram verò argentea capsa inclusam, Episcopo Ierosolymitano tradidisse; & monuisse, vt posteritati, quasi in salutis nostræ testimonium & recordationem, diligenter asseruandam curaret. Quam Crucis portionem à sancta Helena Ierosolymis relictam Sozomenus maiorem fuisse affirmat; eamdemque ad suam ipsius vsque diem, in eadem vrbe, argentea capsa inclusam custodiri, alteram verò ab ipsa Constantino filio delatam; sic enim ait: *Huius autem Crucis salutaris iam tum inuentæ maxima pars adhuc etiam Ierosolymis in capsa argentea custoditur, reliqua verò ab Imperatrice ad filium Constantinum deportata est.* Lib.1.c.18. Lib.2.cap.1.

Partẽ maiorẽ S. Crucis Ierosolymis Helena reliquit, partem reliquã filio Imp. transmisit.

D Quanta autem reuerentia, pietate, & fide Constantinus ligni sanctæ Crucis portionem illam sibi à pia matre delatam susceperit, his verbis innuit Socrates: *Vnam, inquit, Crucis partem in theca argentea occlusam, pro monimento his qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi reliquit: alteram verò mittit Imperatori. Quam vbi is receperat, ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omnino saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide porphyrite confectam collocata est.* Hæc ille. Lib.1.c.13. Huius autem Crucis diuisionis in eum modum quem superiùs diximus, meminit etiam Ruffinus Aquileiensis[a]. Sed meritò censuit Cardinalis Baronius[b], sanctæ Crucis portionem illam, quæ in Constantini simulacro inclusa fuit, vt Socrates tradit, haud magnam esse potuisse; reliquum verò Romam delatum, in ec-

[a] Hist. lib 1. cap. 8.
[b] Annal. Tomo 3. anno Christi 326.

in ecclesia sanctæ Crucis in Ierusalem ab ipso Constantino extructa, collocatum fuisse. A

Censuêre quidam beatam Helenam in sanctæ Crucis diuisione id studiosè curasse, vt per medium in duas æquales partes ita secaretur, vt duæ integræ esse Cruces viderentur; ita vt pars illa quæ Constantinopolim delata est, & altera quam Ierosolymis argentea capsa inclusam reliquerat, ambæ integram Crucis formam & imaginem retinerent. Cui opinioni inhæsisse videtur Ado Treuerensis Archiepiscopus: is enim dum in suo Martyrologio de sanctæ Crucis Exaltatione commemorationem facit, inquit: *Eodem die, Exaltatio sanctæ Crucis, quæ ab Helena Constantini matre inuenta, ita per medium est secta, vt Crux Constantinopolim sit portata, & Crux Ierosolymis thecis argenteis sit reseruata.* Quæ tamen opinio nullo solido veritatis innititur fundamento: immò ex directo repugnare videtur his quæ veteres Historici scripsêre, & inter eos præsertim Sozomenus; qui, vt iam dictum est, affirmat, maiorem Crucis portionem ad sua vsque tempora in argentea theca Ierosolymis asseruari. Ex quibus euidenter patet, in duas æquales partes non fuisse diuisam, cùm maior eius pars ibi custodiretur. Neque ad opinionis huius fauorem id pertrahi videtur posse, quod legitur in peruetusto tractatu illo De locis sanctis, à Beda in compendium redacto, dum agitur de eo Crucis ligno, quod Constantinopoli asseruabatur. Nam ibi nil aliud dicitur, nisi quòd in templo sanctæ Sophiæ eiusdem vrbis quædam particulæ ligni sanctæ Crucis asseruabantur; nimirum pars transuersalis ligni, & partiuncula quædam directæ trabis in duo frusta concisa. B

In Martyrol. 18. Kalend. Octobris.

De locis sanctis, cap. 20.

Nunc autem, quinque ex his quæ in capitis huius initio tractanda proposuimus expeditis, sextum & vltimum superest pertractandum; id est de honore & veneratione, quæ sanctæ Cruci cumulatissimè accessit, postquam à sancta Helena est reperta. Ampla sanè adeò, copiosa & magnifica materia, vt si pro rei dignitate ac magnitudine de ea scribendum esset, vix integra volumina sufficerent: quamobrem pro tempore satis erit, si pauca quædam, velociter pertranseuntis instar, breuissimè delibauerim. Primùm igitur sanctæ Crucis honor ac veneratio mirum in modum aucta est, postquam à sancta Helena reperta, & miraculis, quæ diximus, agnita fuit. Tunc enim non solùm ab ipsa Imperatrice, à sancto Macario Ierosolymorum Episcopo, & à ceteris qui aderant adorata est, sed maior ipsius pars illa, quæ argentea capsa inclusa Ierosolymis relicta fuit, ab eiusdem vrbis Episcopo, ter in anno, ex edito quodam suggesto publicè posteà atque solemniter ostendebatur, à populis veneranda & adoranda; id est, in solemnitate Paschali, in festo Exaltationis ipsius sanctę Crucis, quod die quartadecima Septembris celebratur, & per omnes dies Octauæ eiusdem festi, nec non in media Quadragesima. Quamobrem infinita propemodum piorum hominum multitudo tunc Ierosolymam confluebat, non ab vrbibus ac prouinciis finitimis tantùm, sed à remotissimis etiam Christiani orbis regionibus. Cuius piæ consuetudinis vsu receptæ, quoad Paschatis celebrationem attinet, meminit sanctus Paulinus his verbis: *Crucem Episcopus vrbis Ierosolymitanæ quotannis, cùm Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit.* Quod verò ad festum exaltationis Crucis, luculentissimum testimonium perhibet Andreas Ierosolymitanus, Archiepiscopus Cretensis, in ea Oratione[a] quam habuit in ipsa sanctæ Crucis Exaltationis die. De eodem quoque meminit Nicephorus[b], dum de sancta Maria Ægyptiaca loquitur; quæ cùm Ierosolymam ad id præcipuè perrexisset, vt sanctam Crucem adoraret, dum in eius Exaltationis celebritate populo ostendebatur, cùm ab inuisibili manu à templi ingressu reiecta fuisset, præteritorum pœnitentia ducta, ad Christum conuersa est; C D

Ter in anno pars S. Crucis solemniter Ierosolymis olim ostensa.

Ad Seuerũ, epist. 11.

[a] Habetur apud Suriũ To. 5. sub die 14 Sept.

[b] Lib. 17. c. 5

vt in

A vt in eius vita, quam Sophronius Ierosolymorum Archiepiſcopus ſcripſit, continetur. De ea autem conſuetudine, populo oſtendendi & adorandi ſanctam Crucem in media Quadrageſima, fidem aſtruit idem Sophronius in ea Oratione, quam ipſo die habuit de laudibus ſanctæ Crucis.

Portiones quoque illæ ſanctæ Crucis, tum quæ Conſtantinopolim tranſmiſſæ, tum quæ Romam delatæ ſunt, ſtatutis quibuſdam anni temporibus populo oſtendi, & propalàm adorari conſueuerant: pars enim illa, quæ Conſtantinopoli aſſeruabatur, tribus his ſolemnibus ac ſanctis præcipuè diebus ante Paſcha oſtendi conſueuerat, nimirum Iouis, Veneris, & Sabbati; quibus ſuper altare expoſita, ab Imperatore, ab Imperatrice, ab eorum Curia, à Clero, & vniuerſo populo adorabatur & oſculabatur, eo ordine præcipuè qui deſcriptus eſt in eo De locis ſanctis tractatu, quem Beda in compendium redegit; ſic enim ibi: *Hæc tribus tantùm per annum diebus, hoc eſt Cœna Domini, in Paraſceue, & in* B *Sabbato ſancto, populis adoranda profertur: quarum prima, capſa illa ſuper altare aureum, duos cubitos altitudinis, & vnum latitudinis habens, cum Cruce ſancta patefacta componitur: accedensque primus Imperator, deinde cunctus per ordinem laicorum gradus ſanctam Crucem adorat & oſculatur. Sequenti die Imperatrix, & omnes matronæ vel virgines idem faciunt. Tertia nihilominus die, Epiſcopi, & cuncti Clericorum gradus idem faciunt. Et ſic capſa recluſa, ad ſupradictum armarium reponitur.* Hæc ibi. quibus hæc etiam notatu planè digniſſima ſubiunguntur: *Quamdiu autem, ſuper altare manet aperta, totam eccleſiam mirus odor perfundit. De nodis enim ligni ſancti liquor odorifer oleo ſimilis profluit; cuius etiam ſi modica particula contingat, omnem ægritudinem ſanat.*

Pars item S. Crucis Conſtantinopoli tribus potiſſimũ diebus honorata.

De locis ſanctis, c. 20 apud Bedã Tomo 3.

Romæ etiam quotannis in die Exaltationis ſanctæ Crucis in Lateranenſi baſilica propalàm proponi conſueuerat portio illa ligni ſanctæ Crucis, quæ à Sergio Papa in ſacrario baſilicæ ſancti Petri inuenta fuerat, vt ſuperiùs dictum eſt, C à populo adoranda & oſculanda. Quod non Anaſtaſius Bibliothecarius tantùm, ſed Ado Treuerenſis Archiepiſcopus in ſuo Martyrologio, & alij memoriæ prodidêre. Quinetiam inde à diui Gregorij magni temporibus, qui anno paulò minùs centeſimo ante Sergium floruit, Romæ conſuetudo illa inoleuiſſe dignoſcitur, ſanctæ Crucis lignum in die Exaltationis eius populo oſtendendi & ad adorandum proponẽdi. Etenim in eiuſdem ſancti ac planè magni Pontificis operibus hæc Oratio reperitur, quæ in eodem feſtiuitatis die ab Eccleſia ad Deum fundi conſueuerat: *Deus, qui vnigeniti tui Domini noſtri Ieſu Chriſti pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, vt qui ad adorandam viuificam Crucem adueniunt, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur.*

Eiuſdẽ denique Crucis pars Romæ in Exaltationis eius feſto adorata.

In Sacramẽt. 18. Kalẽd. Octob.

Secundò, ſanctæ Crucis honor & veneratio mirum in modum aucta eſt, poſtquam à ſancta Helena reperta fuit. Tunc enim in eius memoriam & honorem templa extructa, oratoria ædificata, ſacella dedicata, & altaria erecta D fuêre. Cuius rei pium exemplum, ac generoſum initium, magnus Conſtantinus Imperator præbuit, qui poſt inuentam ab Imperatrice matre ſua ſanctam Crucem, Romę in honorem illius magnificum ac ſplendidum templum extrui iuſſit (vt ſanctus Damaſus in vita ſancti Silueſtri, & alij memoriæ prodidêre) in quadam antiqui atrij Seſſoriani parte; cuius multa adhuc veſtigia ſuperſunt in inferiori Eſquiliarum ſitu, iuxta Amphitheatrum Caſtrenſe; Veneris & Cupidinis templo, quod ibi aderat, euerſo ac ſolo æquato; idque in iuſtiſſimam impij ab Ethnicis patrati ſceleris animaduerſionem, qui vt Crucem & mortem Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ex hominum memoria obliterarent, templum & Veneris ſimulacrum in Caluariæ monte dedicauerant. Iuri namque conſonum prorſus erat, vt quemadmodum illi Crucem ſanctam ſub Veneris

Templũ celebre in honorem ſanctæ Crucis Romæ à Conſtantino erectum.

templo Ierosolymis obruerant, sic Romæ, quæ mundi caput est, Veneris templum ibi tunc celeberrimum, ab ipsa Cruce sancta conculcaretur ac pessumdaretur. Hoc autem templum sacratissimum, quod nunc vna est ex septem Vrbis præcipuis ac sanctioribus ecclesiis, sanctæ Crucis in Ierusalem appellatur. Ibi enim portio illa ligni sanctæ Crucis vnà cum eius titulo, aliisque sacris ac pretiosissimis Reliquiis, quas beata Helena Ierosolymis Romam aduexerat, magna veneratione est collocata. Quamobrem Onuphrius Panuinus inquit: *Ex Cruce porrò Dominica, sanctissima Augusta tres partes fecit, quarum vnam argenteis thecis inclusam, vnà cum titulo, Romam misit, & in basilica sanctæ Crucis in Jerusalem, in atrio Sessoriano, prope Amphitheatrum Castrense, in Esquilijs per hæc tempora condita locauit.* A

De septem Vrbis ecclesiis.

Aliud Ierosolymis ab eodem Imp. sanctæ Cruci dicatum. In Orat. de laudibus Cõstantini.

Aliud quoque splendidum ac magnificum templum in eiusdem sanctæ Crucis memoriam & honorem, idem pius ac magnus Constantinus Imperator Ierosolymis extrui iussit, vt Eusebius Cæsariensis testatur his verbis: *In media vrbe, quæ apud Hebræos primas obtinet, non modò ecclesiam amplissimam quæ ad memoriam salutaris Christi passionis ædificata fuit, verumetiam templum sanctum salutari signo Crucis dedicatum, magnificis & sumptuosis insignibus exornauit.* Hæc ille. Ipsius autem Constantini exemplum secuti complures alij Principes ac magnæ auctoritatis viri, ecclesias & oratoria in sanctæ Crucis honorem extruxêre. Inter quos sanctus Hilarus Papa, qui anno centesimo & vigesimo quarto, vel circiter, post Constantinum floruit, inter cetera, oratorium in sanctæ Crucis honorem, Baptisterio Constantinianæ basilicæ, quam nunc sancti Ioannis Lateranensis appellant, annexum extruxit, illudque pretiosis lapidibus argenteisque laminis incrustauit, vt Anastasius Bibliothecarius testatur, dum inquit: *Hic fecit oratoria tria in Baptisterio basilicæ Constantinianæ; sancti Ioannis Baptistæ, & sancti Joannis Euangelistæ, & sanctæ Crucis, omnia ex argento & lapidibus pretiosis.* Aliud item oratorium maioris amplitudinis & structuræ, in sanctæ Crucis honorem, prope Baptisterium basilicæ sancti Petri extructum est: quod Anastasius Bibliothecarius, & vnà cum eo omnes recentiores antiquitatum obseruatores asserunt à Symmacho Papa ædificatum. Quamobrem de eo scribens idem Bibliothecarius, inquit: *Item ad fontem in basilica sancti Petri Apostoli, oratorium sanctæ Crucis ex argento confessionem, & Crucem ex auro cum gemmis, vbi inclusit lignum Dominicum. Ipsa Crux aurea pensat libras decem.* Atque ad horum exemplum, complura alia pia oratoria, & insignes ecclesiæ in sanctæ Crucis memoriam & honorem, tum in Italia, tum in diuersis aliis Christiani orbis prouinciis extructæ fuêre, de quibus singillatim agere nimis longum esset. B C

Varia item oratoria ad magni illius Imp. exemplũ, à pluribus sanctæ Cruci consecrata. In vita sancti Nicolai Papæ.

In vita sancti Symmachi.

Tertiò, sanctæ Crucis honor & veneratio post ipsius à beata Helena inuentionem cumulatissimè aucta est: tunc enim ac deinceps, in vniuerso orbe Christiano variæ festiuitates in honorem ipsius institutæ fuêre; quarum præcipua & primaria in Latina Ecclesia, est Inuentionis eius solemnitas, quæ magna cum obseruantia & veneratione, tertia die Maij quotannis celebratur. D

Et quamquam in Epistolis decretalibus summorum Pontificum, inter ceteras typis excusa reperiatur Epistola quædam sancti Eusebij Papæ, in qua festum sanctæ Crucis obseruari præcipitur, asseriturq; sanctam Crucem eiusdem Papæ temporibus repertam fuisse, (quod à Gratiano posteà in Decreto translatum est) id tamen nullo pacto probatur, cùm certo certiùs constet, sanctam Crucem ipsam, non sancti Eusebij, sed sancti Siluestri temporibus fuisse inuentam, vt superiùs ostendimus. Quocircà firmissimo argumento coniectari libet, peculiarem assertionem hanc, ad sanctæ Crucis inuentionem spectantem, quæ in eadem sancti Eusebij Papæ Epistola reperitur, ibi à quoquam superadditam fuisse:

Afuiſſe: cùm nemo ſit inter ſtudioſos antiquarum ſcripturarum Eccleſiæ obſeruatores, qui ignoret, veterum Patrum Epiſtolis aliquando aliena ſcripta addita atque inſerta fuiſſe. Quamobrem in primo Tomo ſacrorum Conciliorum, quæ felicis recordationis Sixti Quinti temporibus typis excuſa fuêre, in eiuſdem Epiſtolæ margine annotatum fuit, hunc ſanctæ Crucis inuentionis articulum aliunde ibi ſuperadditum fuiſſe. Quod Iacobus Gretſerus etiam animaduertit. At quamquam omnino pro comperto non habeatur, quonam auctore feſtum hoc inſtitutum fuerit, conſtat tamen perquam antiquum eſſe, cùm in diui Gregorij operibus ipſa eadem oratio litteris commendata reperiatur, quam ſancta Eccleſia ad hanc vſque diem in eiuſdem celebritatis Officio recitare conſueuit, nimirum; *Deus, qui in præclara ſalutiferæ Crucis Inuentione, paſſionis tuæ miracula ſuſcitaſti; concede, vt vitalis ligni pretio, æternæ vitæ ſuffragia conſequamur.*

De ſancta Cruce To. 1. lib 1. c. 43.

Feſtũ Inuẽtionis S. Crucis perantiquum.

In Sacrament. To. 5.

De hac feſtiuitate agunt Beda, Vſuardus, Ado, & cetera Latinorum Martyrologia; Græci autem in Menologiis nullam prorſus de ea mentionem agunt,
B ſaltem ſub eodem menſe ac die. Cuius rei eam cauſam fuiſſe autumat Baronius, quia inter feſta mobilia ab ipſis connumerabatur. nam die tertia poſt Domini reſurrectionem, tradit conſueuiſſe eos Crucis reſurrectionem concelebrare, in eius rei memoriam, quòd cùm reperta fuiſſet, è terra quaſi è ſepultura quadam prodiens, nouis miraculis effulſit. Verùm Iacobus Gretſerus affirmat, nullam ſe prorſus huius feſti de reſurrectione Crucis commemorationem in Græcorum Ritualibus reperiſſe: oſtenditque deceptos fuiſſe eos, qui feſtum hoc imaginatione conceperunt ex verbis, quæ dixit Sophronius Ieroſolymorum Epiſcopus, in ea Oratione quam habuit ad populum de ſanctæ Crucis Exaltatione, quæ in ea vrbe die decima quarta Septembris celebrari conſueuerat; poſt dedicationem templi, quod magnus Conſtantinus Imperator extruxerat, in loco reſurrectionis Domini, quod Græci Anaſtaſin, Latini verò Reſurrectionem appel-
C labant. Quod quidem Exaltationis feſtum, idem eſſe probat, quod Crucis Inuentionis.

Secundum autem feſtum primarium in ſanctæ Crucis honorem inſtitutum, quod antiquitus longè celeberrimum habebatur, ſolemnitas eſt Exaltationis Crucis, quæ die decima quarta Septembris non ſolùm à Latinis celebratur, ſed etiam à Græcis, qui magna veneratione ac pietate feſtum hoc celebrabant; non ipſa decima quarta die Septembris tantùm, ſed per totam Octauam. Non ab eo quidem die, quo Heraclius Imperator, poſt deuictum Coſdroam Perſarum Regem, ſanctam Crucem in eo loco reſtituit, vnde eam barbari abſtulerant; ſed ex quo magni Conſtantini temporibus, vt dictum eſt, cùm inuenta fuiſſet, maiore exaltatione & gloria mundo effulſit. Hoc autem feſtum, vt teſtatur Nicephorus, ab ipſa Imperatrice beata Helena inſtitutum fuiſſe conſtat. nam de eodem, inquit: *Crucis partem maximam, diuina Helena argenteæ ciſtæ inclu-*
D *ſam, Epiſcopo ad memoriam poſterarum generationum reliquit: vbi etiam ſacram Exaltationem quotannis peragendam ſanxit.*

Feſtum Exaltationis S. Crucis, ab ipſa Helena inſtitutum.

Lib. 8. c. 28.

Quod feſtum magna poſteà ſolemnitate ſingulis annis celebratum fuit; tum verò præſertim ex quo Conſtantinus dedicationem facturus celeberrimi ac ſplendidiſſimi templi à ſe extructi in loco reſurrectionis Domini (quod Græci poſteà Martyrion & Anaſtaſin appellauêre, id eſt, glorioſæ ac ſalutaris reſurrectionis Domini teſtimonium) ad celebritatem illam conuocari & accerſiri iuſſit (vt teſtatur Euſebius) omnes Epiſcopos, qui ab Ægypto, ab Africa, ab Aſia, & ab Europa, in vrbe Tyri, ad controuerſias quaſdam conciliandas, in his quæ ad Religionem ſpectant, in Ægypti Eccleſia exortas, congregati erant. Nam non tunc quidem ſolùm, id eſt, ipſa ſtatim die poſt ſacratiſſimi templi eiuſdem dedicatio-

De vita Cõſtantini l. 4 cap. 40. 41. 43. 45.

dicationem, quam Græci Encænia appellauêre, idem Crucis Exaltationis festum magna solemnitate celebratum fuit, cùm præter ingentem eorum Episcoporum numerum, quos superiùs innuimus, infinita propemodum populorum multitudo ex omnibus Christiani orbis prouinciis eò confluxisset; sed quotannis posteà, admirabili hominum frequentia, rerumque apparatu ac cærimoniarum decore, continuatum est: tuncque ipsius Imperatoris præcepto, tantorumque Episcoporum auctoritate qui adfuêre, & communi populorum consensu, denuò institutum & approbatum est. Idque apertè colligitur ex Oratione, quam Andreas Ierosolymitanus Cretensium Archiepiscopus, die quadam eiusdem festi habuit, vbi inquit: *Cùm enim oporteret illud occultum & viuificum lignum in apertum prolatum, & sublime sublatum, tamquam ciuitatem aliquam super montem positam, aut lucernam super candelabrum, toti mundo ostendi; ea de causa, cùm primi primitus Christiani prima Regni sceptra suscepissent, cum triumpho totius simul Ecclesiæ veluti ex excelsa quadam specula, iusserunt eam in altum extolli, & ostendi toti cœtui.* A B

Vnde nomen Exaltationis S. Crucis

Hoc autem festum Exaltatio Crucis appellatum est, ex eo quòd cùm longa annorum serie sub terra sepulta Crux iacuisset, non solùm Deo ita volente detecta, in altum sublata & miraculis planè insignibus illustrata fuit, sed quotannis posteà ab Episcopo & Patriarcha Ierosolymitano, ex edito & excelso quodam loco, magna veneratione ac maiestate populo est commonstrata, & ab omnibus adorata. Locus autem, à quo Crux sancta in die Exaltationis eius populo ostendebatur, quem magnus Constantinus ingenti sumptu ac magnificentia ad id præcipuè extruxerat, à Græcis Hieratheon appellabatur, vt tradit Simeon Metaphrastes in vita sancti Theodosij Cœnobiarchæ his verbis: *Hieratheon locus est cathedræ, quam fama est excitasse Constantinum magnum, in qua mos est, qui perpetuò seruatur, vt Crux veneranda quotannis exaltetur.*

Apud Suriũ Tomo primo sub die 11. Ianuarij.

Latina autem Ecclesia, vt ex Officio Ecclesiastico colligitur, hoc festum celebrat in pij illius ab Heraclio Imperatore patrati facinoris memoriam; qui cùm sanctam Crucem recuperasset, quæ annis quattuordecim quasi captiua in Perside exulauerat, propriis humeris in templum Resurrectionis Domini ad Caluariæ montem, vnde impiè ablata fuerat, vt superiùs innuimus, illam reportauit atque restituit. Quam historiam hoc loco repetere superuacaneum ducimus, cùm in ipso Ecclesiastico Officio quotannis recitetur. At illud tamen animaduertendum est, festum hoc etiam in ipsa Latina Ecclesia Heraclij Imperio longè antiquius extitisse, vt ex sancti Gregorij magni scriptionibus colligitur, qui in libro suo De Sacramentis de eodem meminit. C

Quædam quoque alia festa per annum, in sanctæ Crucis honorem, Græci celebrare consueuerant; vtpote in media Quadragesima, Kalendis Augusti, & alia, de quibus fusiùs agit Iacobus Gretserus, apud quem curiosus Lector copiosè sibi satisfacere poterit: omnes feriæ præterea, quas nos dies Veneris appellamus, expressâ à Constantino Imperatore lege lata, sanctæ Cruci consecratæ sunt; vt Eusebius [a], Sozomenus [b], & Nicephorus [c], testantur. Sozomenus enim ad institutum hoc inquit: *Legem etiam tulit, vt tum die Dominico (quem Hebræi appellant primum diem hebdomadæ, vel Sabbati, Græci autẽ solis nomine nuncupant) tum die Veneris, omnes à iudiciis dandis, & aliis obeundis negotiis vacarent, precibusque & obtestationibus Deum colerent.* Deinde verò rationem reddens, cur legem eam sanxisset, subdit: *Diem autem Dominicum veneratus est, vtpote in quo Christus resurrexit à mortuis: diem verò Veneris, vtpote in quo Cruci suffixus fuerit.* Et quamquam recentiores posteà eam Constantini legem non obseruauerint, ita vt ab operibus seruilibus abstinerent, à quibus Dominica die abstinent; sancta tamen Ecclesia, D

[a] De vita Cõstantini, lib. 4. cap. 18
[b] Lib. 7. c. 46
[c] Lib. 1. c. 8.

Omnis feria sexta à Cõstantino solẽniter Cruci sacra declarata.

A Ecclesia, singulis quibusque per annum diebus Veneris, celebritate alia non impeditis, sanctæ Crucis commemorationem facere, & in honorem eius sacrificium Deo offerre consueuit; idque peruetusta & vsu recepta consuetudine, vt diuus Gregorius docet in libro suo De Sacramentis. Lib. Sacrament. Missa de S. Cruce in Feria vi.

Dies quoque Veneris sanctus, qui Parasceue, id est Præparatio nuncupatur, in sancta Ecclesia præcipuo ac solemni ritu semper fuit, & est consecratus: Quamobrem Ioannes Chrysostomus inter Crucis festa illum annumerat; testaturque Paulum Apostolum festiuitatem eo die celebrari præcepisse: ideoque in Homilia, quam ea ipsa die habuit, inquit: [a] *Hodierna die Dominus noster pependit in Cruce, & nos festiuitatem eius nimia lætitia celebremus; vt discamus Crucem totius spiritualis gratulationis esse substantiam*. Et paulò inferiùs subdit: *Hac de causa hodie gratulamur, quia Crucis beneficia commemoramus: sic Paulus præcepit propter Crucem, festiuitatem celebrare.* *Feria autē sexta in Parasceue ab ipso Apostolo Paulo Cruci dedicata.* [a] Homil. de Cruce & Latrone.

B Quartò, sanctæ Cruci honor ac veneratio tunc cumulatissimè accessit, cùm magnus Constantinus Imperator, ob illius reuerentiam, truculentissimum Crucis supplicium sustulit, præcipuaque lege lata, vetuit ne quis deinceps Cruci suffigeretur. Cuius rei luculentissimum testimonium perhibent Sozomenus, Nicephorus, Historia Tripartita, Sextus Aurelius Victor, Glycas, alijque veteres Historici. Glycas enim ipse, ad institutum hoc inquit: *Constantinus neminem ampliùs Cruci condemnabat, vt pretiosæ Cruci Christi religiosum hunc honorem deferret.* Quod diuus Augustinus etiam innuit, licet Constantini nomen non prodiderit, dicens: *Christus ipse, quia honoraturus erat fideles suos in fine huius sæculi, priùs honorauit Crucem in hoc sæculo; vt terrarum Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi*. Et alibi ad idem alludens, subdit: *Cùm sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Honorata est, & finita est.* *Crucis supplicium in honorē sanctæ Crucis à Constantino sublatum.* Annal. parte 4. De verbis Domini Ser. 14. c. 9. In Psal. 36. concione 2.

Legem tamen hanc Constantinus non statim post deuictum Maxentium,

C vt quidam arbitrati sunt, promulgauit. Nam rescriptum quoddam Maximo directum reperitur, sub Consulatu Volusiani & Aniani, qui fuit Imperij eius anno nono; quo seruos ac libertos, qui dominos suos ausu temerario accusare non vererentur, crucifigi iussit. Sic enim ex rescripto: *In seruis quoque vel libertis, qui dominos aut patronos accusare aut deferre tentauerint, professio tam atrocis audaciæ, statim in admißi ipsius exordio, per sententiam Iudicis comprimatur, ac denegata audientia patibulo adfigantur. PP. Kalend. Ian. Volusiano & Aniano Coss.* Crucis ergo supplicium à pio ac magno Constantino de medio sublatum fuit, sed longè tardiùs quàm plerique putauerunt. Et certè, vt ego quidem reor, non anteà quàm Crux ipsa à beata Helena matre inuenta clarissimis miraculis effulsit. Cod. Theodosiano l. 9. tit. 5. Lege vnica ad Legem Iuliam maiestatis.

Quin etiam ex his quæ veteres Historici de ea re prodidêre, apertè dignoscitur, Crucis supplicium à Constantino, in fine eius Imperij sublatum. Quandoquidem huius pij ac generosi facinoris mentionem non faciunt, nisi post omnia

D pænè ab eo insigniora gesta recensita. Et cùm huius ab eo promulgatæ legis narrationē aggrediuntur, per dictionem hanc, *Postremò*, vel *Denique*, incipiunt; hoc pacto innuentes, id in fine Imperij sui, vt dictum est, fecisse. Quamobrem Sozomenus inquit: *Postremò, supplicium Crucis à Romanis olim maleficis decretum, lege sustulit.* In historia verò Tripartita hoc litteris commendatum fuisse comperitur: *Denique supplicium Crucis, quod primitus apud Romanos erat in vsu, lege prohibuit*. Et Sextus Aurelius Victor de hoc quoque & de horribili atque inhumano planè crurium suffringendorum supplicio, quod Latini Crurifragium appellabant, ab eodem Constantino sublato, inquit: *Denique Constantinus, cunctos hostes, honore ac fortunis manentibus, texit, recepitque: eo pius, vt etiam vetus teterrimumque supplicium patibulorum & cruribus suffringendis primus remouerit.* Sozomenus lib. 1. cap. 8. Nicephorus lib. 7. c. 46. Hist. Trip. lib. 1. cap. 9. In Constantino.

Quintò

Quintò & vltimò, Crucis honor ac veneratio, postquam à sancta Helena reperta est, atque in partes secta, magnopere creuit. Tunc enim non solùm ab vniuerso orbe Christiano adorata fuit, sed quicumque minimam ligni eius particulam, parua etiam festuca non maiorem consequi poterat, beatissimum se fore censebat; illamque auro includens, ac gemmis exornans, magna prorsus pietate & veneratione secum deferebat. Cuius rei inter ceteros Patres luculentissimum planè testimonium perhibet sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm ait: *Ipsum lignum, in quo positum sanctum corpus Domini & crucifixum, quare nam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent, hinc valdè honestati, & magnificè muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum?* Idem quoque innuere tunc voluit sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, cùm breuissimis hisce verbis ait: *De ipso Crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumere & habere benedictio est.* A

Minima S. Crucis particula, maximo in honore habita.

Aduersus Gétiles Demonstratio quòd Christus sit Deus

Ad Macariú Epist. 34

Quin etiam tanta veneratione ac pietate prisci Christiani sacrosanctum Crucis lignum meritò prosequebantur, vt tamquam rarissimum ac planè cæleste donum aliqua ex eo minutissima frustula sibi ipsis inuicem transmittere & elargiri consueuerint, quæ veluti pretiosissimi atque inæstimabiles thesauri, magna auiditate ac pia lętitia excipiebantur. Cuius rei notatu planè dignissimus testis nobis sit idem sanctus Paulinus, qui cùm de manu Melaniæ nobilissimæ matronæ Romanæ, paruulum quoddam frustulum ligni sanctæ Crucis sibi à Ioanne Ierosolymorum Episcopo transmissum accepisset, illud per medium secuit, & Tharasiæ coniugis suæ nomine, illius medietatem Seuero, & Bassulæ socrui suæ dono transmisit, his associatum verbis: *Accipite magnum in modico munus, & in segmento penè atomo hastulæ breuis, sumite monumentum præsentis, & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo vim Crucis videat: dum videre vos cogitatis lignum illud, in quo Dominus maiestatis adfixus, tremente mundo pependit, exultetis cum tremore. Recordemur & petras fissas ad huius aspectum Crucis, & saltem saxorum æmulatione, præcordia nostra findamus timore diuino. Reputemus & velum templi eodem Crucis mysterio scissum, & intelligamus illius veli scissuram eò fuisse prætentam, vt audientes vocem Domini, & mysterium pietatis immensæ, non obduremus corda nostra; sed à carnalibus diuidamur, & scindamus infidelitatis velamen, vt reuelata cordis facie, salutarium Dei munerum sacramenta videamus. Non autem vobis & hoc scribimus, vt imitemini compositionem istam, qua tubello aureolo rem tantæ benedictionis inclusimus; magis enim nos tali paratu fidem vestram imitati sumus, vt vestram vobis formulam mitteremus in specie auri: quia scimus, vos vt aurum ignitum intra vos habere Regnum Dei, hoc est, fidem Crucis, qua Regnum cælorum inuaditur. Si enim, inquit, compatimur, & conregnabimus. Et ideò non ad fidei firmamentum, quia visionem fide præuenistis; sed propter meritum fidei, quam auditu receptam, factis probatis; misimus vobis in Domino ligni salutaris donum, vt Crucem & corpore possideretis, quam tenetis spiritu.* B C D

S. Paulinus ad Seuerum Epist. 11.

Rom. 8.

Infinita propemodum similia adduci possent exempla donorum ligni sanctæ Crucis, quibus elargiendis prisci Christiani piè sese inuicem prosequebantur, quæ breuitatis causa prætermittuntur. Illud tantùm pro capitis huius periocha superaddimus; flagrans nimirum adeò extitisse desiderium, quo verè pij sæculorum illorum Christi fideles æstuabant, sacrosancti ligni illius particulam aliquam quantumuis etiam minimam assequendi, vt planè necessarium fuisse videretur, vt Christus Dominus, quo ardenti ac sanctæ illi fidelium suorum auiditati factum esset satis, miraculum illud in eodem ligno renouaret, quod in quinque panibus ita multiplicandis iam patrarat, vt numerosis illis

quinque

A quinque millium hominum turbis saturandis sufficerent. Quandoquidem nemo Ierosolymam, loca illa sancta veneraturus, proficiscebatur, qui quasi in laboris & itineris sui remunerationem, sanctæ Crucis ligni frustulum aliquod, quantumuis etiam minimum, non expeteret; ita vt cùm innumeri pænè essent, qui illuc accedebant, vniuersum ferè orbem terrarum ligno sanctæ Crucis repleuerint ac ditauerint, vt sanctus Cyrillus Ierosolymorum Archiepiscopus, qui oculatus testis fuit, testatur dum inquit: *Beatus hic mons Golgotha, in quo nunc propter eum qui Crucifixus est in illo, applaudimus, & ligno Crucis vniuersus terrarum orbis per partes repletus est.* Et alibi ad institutum hoc subdit: *Lignum Crucis, ad hodiernam diem apud nos apparens, & apud eos qui secundùm fidem ex illo capientes, hinc vniuersum orbem ferè iam repleuerunt.* Et denuò id repetens alibi ait: *Sic enim nunc negarem Crucifixum, argueret me hic Golgothas, cui nunc omnes proximè assistimus: argueret me lignum Crucis, quod per particulas per vniuersum orbem B sparsum est.* Catech. 4. Catech. 10. Catech. 13.

Quapropter benignus Dominus ac Redemptor noster Christus, pro fidelis populi Christiani solatio, sanctæ Cruci suæ eam virtutem & gratiam impertiri dignatus est, vt viuam vim in mortua & arida materia retinens, infinitorum propemodum hominum desiderio satis quotidie facere posset, lignum suum illis commodans, nullo sui detrimento aut imminutione accepta. Quamobrem sanctus Paulinus inquit: *Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pænè quotidie hominum votis, lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam venerantibus.* Cuius permanentis virtutis, & inconsumptibilis soliditatis rationem & causam idem sanctus Paulinus in id refert, quòd sacrosanctum lignum illud de sanguine illius carnis biberit, quæ mortem passa, corruptionem non vidit: carnis inquam incarnati Verbi æterni, quod cuncta creauit ex nihilo, C & cuius omnipotentiæ nihil impossibile censendum est. Ipsi verò sit laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

O res stupeda! Crux semper cōmunicatur, & tamē non minuitur.

Ad Seuerū, Epist. 11.

CAPVT XVII.

Crucem sanctam adorandam esse, non ex eo tantùm quòd sancti Patres id diuersimodè nos docuerunt, suaserúntque; sed quia Christus Dominus illam honorauit, & Spiritus sanctus per Prophetarum ora id nobis præcepit: & quanam adorationis specie adoranda sit.

D SANCTI Patres, Catholicæ Ecclesiæ Magistri & Doctores, qui omne studium suum ad Dei honorem, & ad fidelium salutem direxêre, plurifariàm nos docuerunt, sanctam Crucem venerandam & adorandam esse. Quamobrem sanctam & Catholicam eorum doctrinam nos sequentes, ad Dei gloriam, ad sanctæ Crucis honorem, & ad piorum Catholicorumque Lectorum solatium & profectum, iuxta eorundem sacrorum Ecclesiæ Doctorum, tam veterum quàm recentiorum, recta & orthodoxa dogmata, omni disceptatione prætermissa, breuiter ac resolutè procedentes, toto hoc capite in illud incumbemus, vt ostendamus ac probemus, sanctam Crucem omni pietate venerandam & adorandam esse, & quanam adorationis specie sit colenda: illud præcipuè, antequam vlteriùs progrediamur, animaduertentes, ea nimirum omnia, quæ in præsenti hoc capite dicturi sumus de Crucis honore atque adoratione, non solùm

lùm ad sacrosanctam ac primam Crucem illam spectare, in qua Saluator noster pependit, & quam pretioso sanguine suo consecrauit & sanctificauit, sed ad omnes etiam Crucis figuras & imagines, quæ ad illius primæ Crucis similitudinem construi solent. Quamquam prima illa & beata Crux non solùm inter imagines, sed inter sacras Reliquias annumeranda & veneranda sit; vtpote quam Dominus sacratissimi corporis sui contactu sanctificauit. Et quæ de tota & integra Cruce illa hoc loco dicimus, eadem de qualibet etiam sacrosancti ligni illius particula & frustulo intelligenda sunt. Nam & si quælibet primæ Crucis particula imaginis illius formam non habet, quæ ad totam integram Crucem solùm pertinere videtur (cùm tota integra Crux tantùm Christi crucifixi sit imago) singulæ tamen illius particulæ ac frustula, inter Reliquias omni auro & lapide pretioso acceptiores annumeranda sunt. Ceteræ verò Cruces, ad primæ Crucis illius imaginem & similitudinem constructæ, Reliquiæ non sunt, sed tantùm imagines; & nihilominùs eodem cultu & honore omnes venerandæ & adorandæ sunt, cùm omnes sint imagines, eamdem rem sacram, id est Christum Dominum pro nobis crucifixum, repræsentantes. At de Crucis imaginibus ratiocinandi occasione modò prætermissa, de prima illa sacratissima & vera Cruce Domini nunc tantùm agemus.

Discrimen inter primã Christi Crucem, & eius imagines.

A

B

Primò igitur sanctè elaborauerunt, & ingenij aciem in illud intenderunt Doctores Ecclesiastici, & Catholici Theologi, recentiores verò præcipuè, vt probarent ac docerent sanctam Crucem venerandam & adorandam esse, idque ex variis argumentis, ac diuersis rationibus ex sacrarum Scripturarum fonte desumptis, & ex communi & antiquo Ecclesiæ vsu. Atque inter eos præcipuè Robertus Cardinalis Bellarminus, sacri Collegij ornamentum & decus, ac sanctæ Ecclesiæ Catholicæ clarum, & adhuc viuens, ac numquam extinguibile lumen: & post ipsum, Iacobus Gretserus è Societate IESV, de sancta Cruce optimè meritus. Primùm igitur, ratione ex sacris Scripturis desumpta, inquit idem Bellarminus, probatur, lignum Crucis venerabile esse: nam Scripturę testantur, Christum non crucifixum casu, vel inuitum, vel propter sua peccata; sed ipsum sponte elegisse Crucem, & elegisse vt altare summi sacrificij, quo placaretur Deus; vt scalam sibi ad Regnum, & instrumentum liberationis generis humani; ac demùm vt instrumentum, quo diabolum vinceret, ac de eo triumpharet. Ex quo sequitur, Crucem illam veram à Deo mirificè fuisse honoratam, & nobis omnibus amabilem & venerabilem esse debere. Quòd autem Christus Dominus Crucem sponte elegerit, luculentissimum testimonium perhibet Isaias, cùm inquit: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Idque ipsum ex compluribus aliis Scripturæ locis comprobatur. Sed testis nullus certior, & omni exceptione maior ipso Domino nostro inueniri potest, qui dixit: *Ego pono animam meam, vt iterùm sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso*. Quòd Crux fuerit ara summi sacrificij, patet; quia Christus ipse, qui summum sacrificium est, in ea sacrificatus fuit, vt testatur Apostolus ad Hebræos. Vnde alibi inquit: *Pacificans per sanguinem Crucis*, id est, per sanguinem in Cruce, quasi in altari fusum. Quamobrem diuus Ioan. Chrysostomus ad institutum hoc inquit: *Vide sacramentum. Ecce ipse se offert. Vides quemadmodum fuit & sacrificium & sacerdos, & altare Crux fuit*. Quòd Crux sancta, scala fuerit Christo ad Regnum, & ad nominis sui exaltationem in vniuersa terra, fidem adstruit Apostolus his verbis: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quòd ipsa eadem Crux sancta instrumentum fuerit liberationis nostræ, apertè probatur ex multis figuris, quas superiùs libro tertio recensuimus, & explicauimus.

De imaginibus lib. 2. cap. 2. To. 1.

Rationes variæ cur signũ Crucis sit venerandum.

C

Isaiæ 53.

Ioan. 10.

D

Heb. 7.

Coloss. 1.

In Hom. 1. de Cruce & latrone.

Philip. 2.

Auimus. Ac denique quòd fuerit trophæum erectum contra diabolum, qui in illa expoliatus atque deuictus est, & quòd Christus Dominus de eo in illa triumphauerit, apertè innuit Apostolus, cùm dixit: *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*. In quo illud animaduertendum est, vt alibi diximus, quod Origenes legit: *Triumphans illos in ligno Crucis*. Coloss. 2. Homilia 8. in Iosue.

Secundum argumentum, quòd Crux veneranda & adoranda sit, ex diuinis mysteriis ducunt, quæ ab ipsa Crucis forma & figura significantur, quorum pleraque superiùs explicauimus, iuxta ea quæ sancti Irenæus, Gregorius Nyssenus, Augustinus & Hieronymus, nec non Theophylactus, & alij sacri Doctores scripsère. Diuus enim Augustinus præcipuè docet, Crucis figuram, totam Christianam significare perfectionem, ita vt eius profundum, fidem designet; sublimitas spem, latitudo charitatem, & longitudo perseuerantiam. Et sanctus Irenæus asserit, duo Crucis brachia, sub vno Saluatoris titulo, duos significare populos, Hebræum nempe & Gentilem, sub vno capite Christo, & in vna fide inter se connexos, iuxta quod idem Dominus noster inquit: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Tradunt denique, ipsam Crucis imaginem, effectus ipsos repræsentare, quos Christi passio produxit, ita vt supremum lignum significet quòd per Christi passionem cælum apertum est, & Deus placatus; lignum inferiùs terræ defixum, innuat infernum expoliatum, & diabolum deuictum; transuersum verò quod Orientem & Occasum respicit, vniuersum orbem redemptum designet. Epist. 119. 120. To. 2. B Lib. 5. c. 17. in fine. Ioan. 12.

Tertium argumentum trahunt ab ipsius Crucis inuentione, asserentes, inde multiplex testimonium sumi, quòd ligni Crucis veneratio Deo placeat: tum verò præcipuè ex eo, quòd per tot sęcula illęsa perseuerauerit, in tam ingenti Ethnicorum & Iudæorum hostium multitudine, qui vt illam omnino perderent, & memoriam eius obliterarent, summo studio enixi sunt: quodque diuino tandem afflatu reperta sit, ac tantis miraculis agnita; eo nimirum tempore, quo tutò à Christi fidelibus adorari poterat; dum Christianus ac religiosus Imperator, orbis terrarum gubernacula tenebat. Et consideremus quòd si anteà reserata fuisset, regnantibus persecutoribus, illam potiùs ad ludibrium, quàm ad honorem excepissent; si autem diu post Constantini tempora eadem Crux sancta inuenta esset, eo interim spatio debito honore caruisset. C *Crux cur non reuelata vel ante, vel post Cōstantini æuum.*

Quartum argumentum, quòd sancta Crux coli & adorari debeat, sumitur ex infinitis propemodum miraculis, quæ cùm primæ ac veræ Crucis sacrosanctique ligni eius frustorum per vniuersum orbem terrarum diffusorum virtute, tum etiam per illius imagines & signum Crucis patrata sunt; quorum nonnulla hoc ipso libro superiùs enarrauimus. Quòd si nos tanti facimus, & inter res nobis charissimas asseruamus gemmam vel lapidem siue etiam herbam, cui admirabilis aliqua insit virtus; cur non potiùs Crucem sanctam venerabimur & adorabimus propter tot tantaque miracula, quæ virtute eius per totum mundum facta sunt? D

Quintum verò argumentum, quo probatur Crucem venerandam & adorandam esse, illud est; quòd quemadmodum sacræ imagines venerantur ob sacræ rei quam repræsentant honorem ac reuerentiam, sic Crux veneranda imprimis & adoranda est, tamquam imago Christum Dominum in ea suffixum ac mortuum repræsentans. Prætereà sacrosancta & vera Crux illa, in qua Redemptor noster pependit, cùm vt iam dictum est, ex sacratissimi corporis eiusdem Domini contactu sanctificata, & pretioso sanguine eius tincta & irrigata

 fuerit,

Exod. 3. Iosue 5. De Imagin. Sanct. lib. 2. cap. 27.

fuerit, tamquam sanctissima reliquia est veneranda & adoranda. Quamobrem idem Cardinalis Bellarminus concludens, inquit: *Si locus, in quo Angelus stetit, terra sancta est; cur non magis Crux, vbi stetit Christus? Si sudaria & semicinctia Pauli honorabantur, propter contactum; cur non magis Crux, Christi sanguine respersa? si Sacramenta honorantur, quia instrumenta gratiæ; cur non Crux, quæ instrumentum est redemptionis?* A

Pro vltimo tandem argumento probatur, Crucem sanctam adorandam esse ab antiqua & continuo vsu recepta cōsuetudine Ecclesiæ; quæ non tantùm sanctam ac veram illam Crucem, in qua Dominus noster pependit, sacrosanctasque eius reliquias, id est illius fragmenta, sed & ceteras quoque eius imagines, & Crucis signum magno semper in pretio & honore habere consueuit, vt sancti Iustini Martyris, Tertulliani, Lactantij Firmiani, diui Cypriani, aliorumque veterum Ecclesiæ Scriptorum auctoritatibus suffulti, superiùs probauimus. Ex quibus apertè patet, in quàm grauem errorem prolapsi sint hæretici, qui religiosum ac sanctum hunc Crucis cultum temerè impugnare B ausi sunt; & quantum à veritate distent Centuriatores Magdeburgenses, qui scripserunt, Sergium Papam primum omnium extitisse, qui Crucem adorandi & deosculandi morem introduxit. Nam Sergius in Pontificatu sedit anno Domini sexcentesimo octuagesimo octauo; & de Crucis adoratione, tamquam de re non temporibus suis tantùm, sed iam antiquis vsibus recepta, meminit Euagrius, qui annis circiter centum ante Sergium Pontificem floruerat; asseritque se, cùm puer adhuc esset, qui scholam petebat, à parentibus suis ad Apameæ vrbem vnà cum aliis ductum fuisse ad sanctam Crucem adorandam & osculandam, quæ à Thoma eius ciuitatis Episcopo populo ostendebatur. Quinimò sanctus Ioannes Damascenus testatur, Crucis adorationem Apostolorum traditionem extitisse.

Cent. 7. c. 17. 6. col. 191. *Diu ante Sergium Pōtificē Crux in Ecclesia culta & adorata.* Lib. 4. c. 25. De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 17.

At ex his quæ prisci sancti Patres scripsêre, Crucis cultus & adoratio longè C apertiùs ac magis authenticè etiam probatur. Hi enim non solùm multifariàm, multisque modis nos docuerunt, Crucem venerandam & adorandam esse, sed ad eam piè adorandam efficacissimis suasionibus nos adhortati sunt. Ac primùm quidem nobis innuere & ostendere pergunt sancti Patres, Crucem venerandam & adorandam esse, ex multis laudabilibus epithetis, excelsisque ac gloriosis titulis, quos eidem sæpè tribuere consueuerunt. Ex quibus apertè dicere possumus, eam omni honore esse dignissimam, ab omnibusque religiosè adorandam. Inter quos sanctos Patres Ioannes Chrysostomus videtur præ ceteris omnibus, pro sua pietate, ac profectu nostro, in id magis elaborasse, ac fusiùs sese extendisse. Quamobrem etsi alibi in hoc ipso Tractatu nostro quosdam iam ex honorificis & gloriosis titulis, quos ille sanctæ Cruci tribuerat, recensuerimus; tamen ad ipsius sanctæ Crucis honorem aliquos ex his repetere, & complures alios hoc loco superaddere non omittemus. D

Homilia de Cruce & latrone To. 3. Homilia de Cruce Dominica, & De adoratione pretiosæ Crucis. *Tituli amplissimi quibus S. Chrysostomus alijq; Patres Crucem honorāt, vnde meritò eius cultus comprobatur.*

Crux Christi igitur, inquit idem Chrysostomus, argumentum est totius spiritualis gratulationis, totius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium abunda largitio, salutis indicium, lætitia nostra, sol iustitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, dux cæcorum, errantium via, baculus claudorum, consolatio pauperum, refrænatio diuitum, superborum destructio, pœna malè viuentium, triumphus aduersus dæmones, deuictio diaboli, pædagogus adolescentium, sustentatio inopum, desperatorum spes, gubernator nauigantium, portus periclitantium, murus obsessorum, mater orphanorum, defensor viduarum, consiliatrix iustorum, requies tribulatorum, custos paruulorum, caput virorum, finis senum, lumen in tenebris

A bris ſedentium, magnificentia Regum, ſcutum perpetuum, ſapientia inſenſatorum, libertas ſeruorum, philoſophia Imperatorum, lex impiorum, præconatio Prophetarum, annuntiatio Apoſtolorum, gloriatio Martyrum, abſtinentia Monachorum, Virginum caſtitas, Sacerdotum gaudium, Eccleſiæ fundamentum, orbis terrarum tutela, profanorum templorum deſtructio, idolorum depulſio, ſcandalum Iudęorum, perditio impiorum, inualidorum virtus, ægrotantium medicina, emundatio leproſorum, paralyticorum requies, eſurientium panis, ſitientium fons, nudorum protectio, clauis paradiſi, Crux pretioſa, Crux vitalis, diuini doni ſignificatrix, ſpiritualis nobilitatis ſignum, theſaurus certus atque ſecurus, ſanctitatis documentum, ſalus fidelium, gloria Eccleſiæ, hoſtium debellatrix, gladius Chriſtianorum, ſcutum, lorica, galea; firmum ac tutiſſimum præſidium; refugium, corona, & præmium certaminis; bonorum omnium theſaurus, & boni totius ſumma.

B Sanctus quoque Iacobus Apoſtolus[a], vt dictum eſt, Crucem pretioſam, viuificantem, & glorioſum Chriſtianorum cornu appellauit. Sanctus verò Martialis[b], diui Petri diſcipulus, armaturam inuictam contra ſatanam, galeam caput munientem, loricam pectus protegentem, & ſcutum maligni hoſtis tela repellens illam eſſe dixit. Martyr Ignatius[c] trophæum aduerſus diaboli potentiam, & principium damnationis mortis ac ruinæ eius illam vocauit. Lactantius Firmianus[d] ſignum immortale, ac murum inexpugnabilem. Iulius Firmicus Maternus[e], immortalem ſummitatem, ſanctæ virtutis altitudinem, glorioſi operis connexionem, venerabile Crucis ſignum, vexillum fidei, venerandæ legis ſignum, & magnum triumphorum titulum. Sanctus Ambroſius[f] in beatæ Helenæ Imperatricis perſona loquens, Crucem appellauit victoriam, ſalutis vexillum, Chriſti triumphum, æternæ vitæ palmam, gladium quo diabolus peremptus eſt; redemptionem, vitam, ſalutem, diuinum ſignum, immor-

C talitatis remedium, & ſalutis ſacramentum. Sanctus Auguſtinus[g], totius venerationis digniſſimum monumentum; amicis præſidium, inimicis obſtaculum, & triumphale vexillum. Sanctus Athanaſius[h] Crucem beatam & viuificantem, mortis triumphatricem, diaboli expultricem, & Chriſti gloriam & honorem appellauit. Sanctus Gregorius Nazianzenus[i], dulce pondus, & ſalutis datricem. Sanctus Ioan. Damaſcenus[k], ſcutum, armaturam, & trophæum aduerſus diabolum, iacentium leuamentum, ſtantium firmamentum, baculum ſenum, ouium virgam, reſipiſcentium adiutricem, proficientium fructum, animæ & corporis ſalutem, malorum omnium expultricem, bonorum omnium cauſam, extinctionem peccatorum, plantam reſurrectionis, lignum æternæ vitę, lignum pretij inæſtimabilis, ſacroſancti corporis & ſanguinis contactu ſanctificatum, & lignum quod adorari decet.

[a] In Liturgia
[b] Epiſt. 1. cap. 8.
[c] In Epiſt. ad Philipp.
[d] Lib. 4. c. 27
[e] De errore profan. Relig.
[f] Orat. de obitu Theodoſij.
[g] Lib. 2. De viſitatione infirmorũ.
[h] Serm. De Cruce.
[i] Carmine ad Helen.
[k] De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 12.

Sanctus Paulinus[l] Crucem appellauit munimentum præſentis, & pignus

D æternæ ſalutis, ac ſalutare lignum. Caſſiodorus[m], humilium inuictum fulcimentum, & ſuperborum depreſſionem, Chriſti victoriam, diaboli perditionem, inferni deſtructionem, cæleſtium ciuium confirmationem, mortem infidelium, & iuſtorum vitam. Sanctus Ephræm Syrus[n], Chriſtianorum armaturam inſuperabilem, mortis victricem, fidelium ſpem, mundi lucem, paradiſi apertionem, hæreſium expultricem, Monachorum fulcimentum, fidei firmamentum; magnam ac ſalutarem cuſtodiam, Orthodoxorum perpetuam, pretioſam, & viuificam gloriam. Andreas Ieroſolymitanus[o], Archiepiſcopus Cretenſis, vir ſanctiſſimus, Crucem ſanctam, ſpem Chriſtianorum appellauit, deſperatorum ſeruatricem, portum eorum qui tempeſtate iactantur, infirmorum medicinam, vitiorum expultricem, ſanitatis datricem, mortuorum vitam, impie-

[l] Epiſt. 11. ad Seuerum Sulp.
[m] In Pſal. 4.
[n] De vera pœnit. c. 3.
[o] Homil. de exaltatione Crucis, apud Surium Tomo 5. ſub die 14. Sept.

impietatis proſcriptionem, blaſphemiæ obſtructionem, ſceptrum Regni, diadema pulchritudinis, figuram non ſcriptam, potentiæ virgam, fidei propugnaculum, baculum ſenectutis, cæcorum ducem, lucem eorum qui ſunt in tenebris, inſipientium eruditricem, infantium magiſtram, peccati deletionem, pœnitentiæ documentum, vitæ conciliatricem, mortis ſolutionem, interitus alienationem, ignis extinctionem, fiduciam apud Deum, clauem Regni cælorum, cuſtodiam in nocte, turrem in die, ducem in tenebris, refugium ſupplicibus, amicis ſolatium, patronam, tutricem, adiutricem, in tentationibus opitulatricem, in periculis ſeruatricem, in neceſſitatibus auxiliatricem, in mari gubernatricem, in ærumnis refrigeratricem, robur imbecillorum, laborantium requiem, alimentum eſurientium, ieiunantium vigorem, aliptam athletarum, tegumentum nudorum, comitem peregrinorum, diuitum caſtigatricem, pauperum procuratricem, viduarum protectricem, orphanorum tutricem, magiſtratuum honorem, Regum potentiam, belli ducum victoriam, ſacerdotum gloriam, monachorum adiutricem, virginum cohabitatricem, caſtitatis ſignaculum, coniugij vinculum, ciuitatum cuſtodem, domorum tutelam, pacis diſtributricem, charitatis adminiſtratricem, mundi reconciliationem, confinium deſcriptionem, cæli altitudinem, terræ profunditatem, creatæ naturæ coagmentationem, terræ quæ apparet longitudinem, orbis terrarum latitudinem, Saluatoris paſſionis caput & ſummam Chriſti gloriam, Chriſti fidelium arrham, immortalitatis plantam, Apoſtolorum coronam, Prophetarum ſpeculam, Martyrum gloriam, libertatis contractum, Regni donatricem, peccati ſolutionem, bonorum operum datricem, vitæ theſaurum, & Eccleſiæ ornamentum.

Sanctus Nilus [a] diui Ioan. Chryſoſtomi contemporaneus, Crucem ſalutarem appellauit, per quam ſolam humanum genus in libertatem aſſertum eſt, & per quam ſalus deſperatis vndique annuntiatur. Coſmas Ieroſolymitanus [b], lignum celebre, & vitæ datricem illam nuncupauit. Rabanus [c] ſanctam ſalutis lucem, vitam, veram redemptionem, inclytam ac ſemper benedictam. Magnus Conſtantinus Imperator [d], ſalutare lignum, & verum fortitudinis argumentum. Theodoſius Imperator [e], venerabile Chriſtianæ Religionis ſignum, fidei noſtræ ſymbolum, & ſanctam Crucem appellauit. Iuſtinianus Imperator [f] ſignum ſalutis noſtræ, venerandam & verè pretioſam Crucem eſſe dixit. Alijque priſci ſancti Patres, & auctoritate viri grauiſſimi complures, ſanctam Crucem ipſam diuerſis aliis excelſis ac glorioſis titulis ornauêre: ex quibus apertè diſcere poſſumus, eam omni pietate à nobis venerandam & adorandam eſſe.

[a] Epiſt. ad Olympiod. citatur in 7. Syn. act. 4.
[b] In Hymno in Exaltat. S. Crucis To. 8. Biblioth. PP.
[c] In opere de S. Cruce fig. 27.
[d] Apud Euſebium l. 1. de vita Cōſtant. c. 33.
[e] Co. Theod. l. 16. Tit. 10. & Tit. 8.
[f] Authen. 5. 123. 131.

Secundò, ad ſanctam Crucem venerandam & adorandam nos ſancti Patres inducere voluerunt, admirabilia quæ fecit, & ingentia beneficia quæ per ipſam accepimus, nobis ad memoriam reuocantes. Nam quiſquis ea attenta mentis acie diligenter conſiderauerit, ingratus planè, beneficiorum immemor, ac ſenſus expers meritò dici poterit, ſi Crucem venerari & adorare renuerit, vel ſi ceteris ne illam venerentur diſſuadere tentauerit. Quamobrem ad inſtitutum hoc inquit Euſebius Cæſarienſis: *Eſt quidem iſtud & incredibile dictu, & cogitatu planè admirabile, quòd ſolum, ſimul ac in terris ſalutare hoc ſignum viſum fuit, omnes commentitias fabulas, quæ ab initio de dijs confictæ fuiſſent, omnium oculis ſubiecit; & ſicut errorem tenebris obruit & obliuione, ſic lumen mente ſola perceptum, quo hominum animi illuſtrantur, vnum videlicet ac verum Deum omnibus patefecit. Iſtud igitur eximium & admirabile Crucis ſignum tot tantorumque bonorum hominibus cauſa extitit, cuius vi & facultate, quæ parua erant ſublata ſunt; quæ autem antè non erant, iam apud omnes claris pietatis radiis elucent.* Et paulò ſuperiùs, dum res à magno Conſtantino geſtas ſummis laudibus efferre pergeret, hæc quoque protulerat: *Imperator autem triumphale*

In Orat. de laudib. Cōſtantini.
Præclariſſima Crucis beneficia, ob quæ omnē ipſa venerationem promeretur.

A *triumphalê signum honorat, diuinitatem quæ in eo est, re ipsa expertus. Nam isto hostium multitudines in fugam versæ, isto Dei aduersariorum inanis ostentatio compressa, isto petulantes maledicorum impiorumque linguæ ad silentium compulsæ, isto barbara hominum genera subiugata, isto potestates dæmonum aspectum fugientium abactæ, isto superstitiosæ astutiæ, & erroris ludibria refutata; isti denique cumulatam omnium bonorum quibus fruimur expletionem acceptam referens Imperator, columnellas triumphales, quibus illius decus illustretur, vbique terrarum collocauit.*

Trophæum Jesu salutare Crux, inquit sanctus Cyrillus Ierosolymorum Episcopus, *omnes congregauit. Hoc Persas seruire fecit, hoc Scythas cicurauit, hoc Ægyptios à cattis, & canibus, & variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit; hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum incantationumque auertit imposturas: hoc cum Iesu apparebit in cælo.* Catech.13.

Crux, inquit diuus Ioan. Chrysostomus, noxia mortiferaque venena extinxit, infirmitates sanat, cicutæ vim eludit, dæmones fugat, belluarum venenatarum morsus curat, tenebras discutit, terrarum orbis fines illuminat, inferorum portas aperuit, cælorum orbes laxauit, paradisi aditum renouauit, diaboli neruos fregit, orbem terræ conseruauit, errorem expulit, veritatem reuocauit, terram cælum fecit, homines fecit Angelos, mortem deleuit, cælum aperuit, terram expiauit, naturam nostram in Regium solium reduxit, & diaboli tyrannidem dissoluit. De pretiosæ Crucis veneratione, Tomo 1.

Innumera bona, ait S. Athanasius, *per Crucem contigêre: conculcata namque mors est, & in exilium relegata maledictio: infernus cessit in prædam, peccatum est abolitum, transgreßio sublata, natura hominum ab affectuum seruitute liberata, diabolus est ligatus, plantata est salus, resurrectio est patefacta, malitia est abacta, vita est orta, idololatria dissoluta.* In dictis & interpret. S. Scripturæ Quæst. 128

Sanctus Augustinus in Sermone, qui in Appendicem decimi Tomi reiectus
C est, quique ab aliis diuo Ioanni Chrysostomo tribuitur, materiam hanc latiùs prosecutus, inquit: *Crux innumerabilium nobis bonorum extitit causa. Hæc nos de erroribus liberauit, hæc nos sedentes in tenebris illuminauit; hæc nos ex diabolo expugnatore reconciliauit Deo, & ex alienatis restituit in domesticos; de longinquis proximos fecit, de peregrinis reddidit ciues. Hæc est enim inimicitiarum interemptio, pacis firmamentum, & omnium nobis bonorum thesaurus. Propter hanc iam non erramus in solitudinibus; viam enim veritatis agnouimus, nec iam extra Regnum sumus; ianuam enim Regis intrauimus: iam ignitas diaboli sagittas non timemus; fontem enim vitæ quo extinguerentur, inuenimus. Propter hanc iam in viduitate non sumus; sponsum enim recepimus. Non expauescimus lupum; quia bonum pastorem inuenimus. Propter hanc non formidamus tyrannum; Regi enim adhæremus.* Feria vi. De Cruce & latrone, Sermone 49. In Appendice de diuersis, Tomo 10.

Per nullum aliud, inquit sanctus Ioan. Damascenus, *mors primi parentis destructa est, primi parentis peccatum solutum, infernus spoliatus, resurrectio donata, virtus nobis contemnendi præsentia mortemque ipsam elargita, ad antiquam beatitudinem regreßio reparata, portæ paradisi patefactæ, natura nostra in dextris Dei sedet, filij Dei & heredes facti sumus, nisi per Crucem Domini nostri Jesu Christi.* De fide Orthodoxa, lib.4. c.12.

Tertiò, ad sanctam Crucem adorandam nos inducere & impellere voluerunt sancti Patres, affirmantes se ipsos illam adorasse. Quamobrem diuus Augustinus, siue quiuis auctor antiquissimi illius tractatus De visitatione infirmorum, qui inter opera eius circumfertur, inquit: *Dominicæ Crucis venerabile monimentum, quod & nos omni veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem Crucifixi nostri veneramur.* Deinde verò poëticè, sanctè tamen colludens, super quadam Crucifixi imagine, quam piè venerabatur & adorabat, pio affectu ac deuoto spiritu incitatus, in hæc quæ sequuntur carmina prorupit; ex *Crux sancta sanctorũ Patrũ exemplis & monitis adoranda.* De visitatione infirm. lib.2. cap.3.

quibus peruersi hæretici, qui super sacrarum imaginum veneratione nos irrident, asserentes nos argentum, siue aurum, vel alias insensatas materias quibus imagines prædictæ constructæ sunt, adorare, discere poterunt, quid sancta Dei Catholica Ecclesia in eisdem sacris imaginibus veneretur & adoret. A

Nec Deus est, nec homo, præsens quam cerno figura:
Sed Deus est & homo, quem signat sacra figura;
Verus homo, verusque Deus, tamen vnus vterque.
Probra Crucis patitur, mortem subit, & sepelitur:
Viuit idem, Crucis hæc per signa triumphat ab hoste.
Id notum vobis Crucis huius littera reddit:
Scilicet ipsius nota sunt Crux & Crucifixus:
Hæc & ego veneror, IESVM *quoque semper adoro.*

De fide Orthodoxa, lib.4.cap.12. Et sanctus Ioannes Damascenus ad institutum hoc quoque dixit: *Ipsum nimirum pretiosum lignum, & per quam verè venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, vt sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis, decenter adorandum.* Et paulò pòst de aliis ceteris Crucibus, quæ figuræ & imagines sunt veræ ac pretiosæ Crucis illius, in qua Dominus ac Redemptor noster pependit, subdit: *Adoramus etiam figuram pretiosæ & viuificæ Crucis; tametsi ex alia materia facta est; non materiam venerantes (absit enim) sed figuram, tamquam Christi signum.* B

Quartò, non solùm testati sunt sancti Patres, se Crucem sanctam adorasse; sed vt nos quoque ad illam piè adorandam libentiùs induceremur, causas etiam cur ipsi illam adorauerint, nobis prodidêre. Quapropter Rupertus Abbas inter ceteros inquit: *Adoramus Crucem, fidei præsidium, spei firmamentum, charitatis solium, misericordiæ titulum, pietatis argumentum, gratiæ vehiculum, pacis vexillum. Adoramus Crucem quæ superbiam excidit, inuidiam obtriuit, culpam correxit, pœnam destruxit. Crucem Christi adoramus, quia ianua est cæli, clauis paradisi, diaboli destructio, hominum erectio, captiuitatis nostræ solatium, & libertatis pretium. Crucem adoramus expectationem Patriarcharum, promissionem Prophetarum, Regum triumphum, & Sacerdotum dignitatem. Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos subleuat, pauperes honestat. Crux tenebrarum excidium, lucis infusorium, mortis effugium, vitæ nauigium, salutis imperium. Quidquid Deo proficimus, quidquid acquirimus, quidquid speramus, adorandæ Crucis est fructus. Per Crucem Christus ad se traxit omnia. Regnum Patris, sceptrum Filij, sigillum Spiritus sancti, totius est testimonium Trinitatis.* (De diuinis Officiis, l.6. c.21. To.2.) C

Quintò denique, non satis sibi fecisse putauerunt sancti Patres, vt nos ad sanctam Crucem adorandam allicerent, quòd excelsis ac gloriosis titulis illam ornauerint & celebrauerint, quòd admirabilia quæ fecit, & beneficia quæ per ipsam accepimus, nobis ad memoriam reuocauerint; quòd testati sint, se ipsos illam adorasse, causasque cur illam adorauerint, vt dictum est, nobis prodiderint; sed omni conatu & efficacia ad illam adorandam nos impulerunt, & adhortati sunt. Quamobrem diuus Ioan. Chrysostomus, populos suos inuitans, vt ad sanctæ Crucis adorationem piè ac reuerenter accederent, in ea solemnitate, quam Græci in media Quadragesima ad sanctæ Crucis honorem concelebrabant, illam propalàm in ecclesiis populis adorandam exponentes, inquit: *Quia igitur hodiernus dies pretiosæ Crucis venerationi constitutus est, huc adeste omnes: eam cum metu & desiderio amplectamur: resurrectionis enim Christi splendorem emittens, donis muneribusque suis omnes illustrat & sanctificat; ob eamque causam eam completò in animis nostris gaudio salutemus.* (De adoratione pretiosæ Crucis Tomo 1.) Et auctor tractatus illius De visitatione infirmorum, qui sancto Augustino à quibusdam tribuitur, Christi fideles ad eamdem quoque adorationem inuitans atque alliciens, inquit: *Adijcitur enim* (De visitatione infirm. lib.2.cap.3.) D

A *enim super Crucem quædam hominis inibi patientis imago, per quod salutifera Iesu Christi nobis renouatur passio. Hanc complectere humiliter, venerare suppliciter.* Et Lactantius Firmianus eosdem fideles monens, vt in ingressu ecclesiæ genu flecterent, & Crucem piè adorarent, ait: In Carm. De passione Domini.

Flecte genu, lignumque Crucis venerabile honora.

Verùm enimuerò Crucem sanctam non ob id tantùm venerari & adorare debemus, quia sancti Patres nos ad id inuitarunt, sed quia Dominus ipse noster illam honorauit, & Spiritus sanctus per ora Prophetarum id nobis præcepit. Quòd autem Dominus noster Crucem suam honorauerit, locis compluribus sanctus Augustinus fidem adstruit; qui attenta mentis consideratione expēdens admirabilem honorem, quo Christus Crucem suam prosecutus est, cùm ab infamis ac probrosæ mortis instrumento, illam in Imperatorum frontes transtulerit, inquit: *Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid seruat fidelibus suis?* Et alibi eadem ferè repetens subdit: *Nihil erat tunc in carne intolerabilius Cruce, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo?* Et perinde ac si numquam satis admirari posset ingentem gloriam & honorem, quo Redemptor noster Crucem suam prosequi dignatus est, eadem ferè repetens atque exaggerans, ait: *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine sæculi, priùs honorauit Crucem suam in hoc sæculo; vt terrarum Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi. Et quod cum magna insultatione persecutores Iudæi Domino procurarunt, magna fiducia serui eius, etiam Reges, nunc in fronte portant.* Hæc Augustinus. Sedulius verò, mentis aciem attenta consideratione in incomparabilem honorem illum dirigens, quo Christus Crucem suam tunc ornauit cùm propriis membris suis illam illustrare dignatus est, sic cecinit:

Crux meritissimò hominibus honoranda, quam ipse Christus Deus honorauit: In Psal. 36. B Tractatu in Ioan. 36. Concione 2. Ser. 18. De verbis Domini, cap. 9.

Pax Crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, pœnam vestiuit honore,
C *Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,*
Ipsaque sanctificans in se tormenta beauit.

Operis Paschalis lib. 4

Quòd autem Spiritus sanctus per ora Prophetarum nobis præceperit, vt Christi Crucem sanctam adoremus, luculentissimum testimonium nobis perhibet Regius Psaltes, cuius lingua Spiritus sancti aspiratione impulsa, hæc verba protulit: *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* quasi diceret: Verus Messias, incarnatum Verbum, & Dominus noster exaltatus erit in Cruce: ideoque vos electi atque fideles eius, eamdem sanctam Crucem adorate, quæ scabellum pedum eius tunc erit, cùm clauis illi affixi erunt; scabellumque re ipsa sacrosanctum erit, quia per diuinorum membrorum contactum, & per pretiosi sanguinis irrigationem sanctificabitur. Quamobrem ad institutum hoc ait Euthymius: *Scabellum verò pedum Christi, vt hominis, montem Golgotha esse dicemus, in quo fuit crucifixus; vel ipsam Crucem, in* D *qua illius pedes clauis confixi sunt.* Et diuus Hieronymus, licet hoc loco per scabellum, corpus Dominicum præcipuè intelligere videatur, in quo diuinitatis maiestas quasi scabello quodam insidere quodammodò dici potest, hæc quoque nihilominùs ad sanctæ Crucis significationem applicauit, quibus inquit: *Sed & ad Crucem Dominicam, & ad animam sanctam hæc referenda sunt.*

Psalm. 98. *Imò quam Spiritus sanctus, per ora Prophetarũ adorari præcepit.* In Psal. 98. In Psal. 98.

Alibi quoque per os eiusdem Regalis Prophetæ, Spiritus sanctus monitos nos esse voluit, vt sanctam Crucem adoremus, cùm dixit: *Introibimus in tabernaculum eius; adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Quo loco non solùm nobis innuitur, quàm sanctæ Crucis adoratio Deo sit accepta & grata, sed illud planè videtur, quòd Spiritus sanctus oculis mentis ipsius Dauidis intuendum dederit pium ac laudabilem morem quem obseruaturi erant, & ad hanc vsque Psal. 131.

diem locis compluribus obseruant Christi fideles Catholici, qui vbi ecclesiam ingressi sunt, ad Crucem adorandam rectà tendunt. Quamobrem, perinde ac in eorum persona loqueretur, inquit: Nos introibimus in tabernaculum Dei, id est in sanctam ecclesiam, de qua scriptum est, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus:* & adorabimus locum, in quo steterunt pedes eius, id est, sanctam Crucem, in qua Christi Domini nostri pedes confixi fuêre. Quòd autem per locum, in quo Domini pedes steterunt, Regius Psaltes sanctam Crucem hîc intelligere voluerit, sanctus Ioan. Damascenus fidem astruit, dum de hoc agens dicit: *Quòd verò Crucem significet, ostendit, quod sequitur: Surge Domine in requiem tuam. sequitur enim Crucem resurrectio.* Idem quoque affirmat S. Ioan. Chrysostomus, qui Christi fideles inuitans & adhortans, vt magna pietate ac reuerentia ad Crucem adorandam accederent, in ea solemnitate, quam Græci in media ieiuniorum hebdomada, ad sanctæ Crucis honorem celebrare consueuerant, inquit: *Hodierno die Christi Ecclesia alter paradisus esse monstratur, quæ & sanctum pretiosæ Crucis lignum proponit, & passionis Christi præsidium Crucem facit, & eiusdem resurrectionis præmium. Hodie Propheticum verbum completum est: Adorabimus enim in loco, in quo Dei nostri pedes steterunt.*

Apoc. 21.

De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 12.

De adoratione pretiosæ Crucis Tomo 1.

A

B

Quamobrem in huius rei obseruantiam & executionem, in sacris Conciliis generalibus, præsertim verò in Sexta, in Septima, & in Octaua Synodo, expressi Canones de Crucis adoratione editi fuerunt. Quinimò in Sexta Synodo Crucem adorandam non solùm sancitum est, sed expresse cautum, omnes Crucis imagines solo ac pauimento insculptas, delendas & obliterandas, ne pedibus conculcarentur: decernendo, cunctos qui Crucis imagines deinceps solo imprimerent, anathematis mucrone feriendos. Ipsius autem Synodi hæc sunt verba: *Cùm Crux nobis viuifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, vt ei per quam ab antiquo lapsu saluati sumus, eum quem par est honorem habeamus. Quamobrem & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione, victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. Eos itaque qui deinceps Crucis signum in solo construunt, segregari decernimus.*

Sextæ Synodi decretũ, ne Crucis signum solo insculpatur

Sextæ Synodi Canon 73.

C

Cùm autem hactenus Crucem adorandam esse sufficienter probauerimus, reliquum est, pro capitis huius periocha, vt ostendamus ac magis præcisè explicemus, quanam adorationis specie colenda sit non illa vera ac pretiosa Crux tantùm, in qua Saluator noster pependit, sed ceteræ omnes Crucis imagines & figuræ. Etenim adorationis omnium earum vna est eademque ratio. In quo negotio, omni ambiguitatis ac disceptationis materia prætermissa, doctrinæque Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis adhærentes, & eorum qui illum sequuntur, inter quos insigniores sunt Caietanus, Capreolus, Gregorius de Valentia, & cum his alij non pauci, quorum sententia in scholis communior est ac magis trita, cui recentiores etiam adhæserunt, atque inter eos præcipuè Iacobus Gretserus è Societate IESV, in eruditissimo tractatu suo De Cruce Christi; asserimus, Crucem colendam esse latria, hoc est, cultu diuino; non quidem per se, sed per aliud; non absolutè, sed cum habitudine & relatione ad prototypum, id est ad primum exemplar, qui est Christus crucifixus.

Crux latria cultu adoranda cum relatione ad prototypũ, qui Christus est crucifixus.

D

In qua adoratione cum distinctione illa procedendum est, quam superiùs innuimus; videlicet, si agatur de prima & vera Cruce illa, in qua Dominus ac Redemptor noster pro nobis pati dignatus est, dicimus duplici modo colendam esse. Altero quidem in quantum Christi in ea extensi & affixi imaginem repræsentat; altero verò, in quantum ex Christi Domini membrorum contactu, & pretiosi sanguinis eius irrigatione sanctificata fuit. Quamobrem non

solùm

A solùm tota & integra Crux illa, sed singulæ portiones eius & frustula, quamuis *Prima Crux Christi non tantum integra, sed singulæ eius particulæ veneranda.* etiam minima, tamquam pretiosissimæ reliquiæ, veneranda atque colenda sunt. Atque vtroque modo sacratissima Crux illa latriæ cultu adorari debet. Si verò agatur de ceteris Crucibus, quæ ad primæ illius imaginem & similitudinem ex auro, vel argento, aut lapide, siue ex ligno, vel qualibet alia materia construi solent; dico eas tantummodò adorandas esse, in quantum referunt Christi Crucifixi imaginem, quam latriæ cultu adoramus. Quocircà diuus Thomas inquit: *Si ergo loquamur de ipsa Cruce in qua Christus crucifixus est, vtroque modo* In 3. parte Summæ, quæst. 25. art. 4. *est à nobis veneranda: vno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi; alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quòd eius sanguine est perfusa: vnde vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ. Si verò loquamur de effigie Christi, in quacumque alia materia (vtputa lapidis vel ligni, argenti vel auri) sic veneramur Crucem tantùm vt imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ.*

B Quoniam verò huic doctrinæ magnis vociferationibus obstrepere solent hæretici, asserentes nos idololatriam contrahere, dum insensatam materiam cultu diuino veneramur; ideò operæpretium erit, rationem hoc loco apertiùs prodere, cur id à nobis fiat. Dicimus ergo breuiter cum sancto Thoma, scire nos vtique, quòd honor seu reuerentia non debetur nisi rationali naturæ: creaturæ autem insensibili honorem vel reuerentiam non deberi, nisi ratione rationalis naturæ: & hoc dupliciter, vno modo, in quantum repræsentat rationalem naturam; alio modo, in quantum ei quocumque modo coniungitur.

Primo modo consueuerunt homines venerari Regis imaginem; secundo modo, eius vestimentum. Vtrumque autem venerari solent homines, eadem veneratione qua venerantur Regem. Si ergo imago materialiter consideretur, in quantum est quædam res, vtputa aurum, argentum, lignum, vel quælibet C alia materia, perspicuum est quòd nullus honor vel reuerentia illi debetur: sed si formaliter consideretur, in quantum imago est creaturam aliquam rationalem repræsentans, cui meritò honor & reuerentia debeatur, hoc casu idem honor ac eadem reuerentia impendenda est imagini, quæ impenditur ipsi rei *Eiusdē generis honos impendendus signo, & rei signatæ.* quam repræsentat. Vt exempli gratia, si imago erit alicuius Sancti, qui illo adorationis genere venerandus sit, quam duliam vocant, imago eius quoque dulia veneranda est. Si autem beatissimæ virginis Mariæ erit, quæ hyperdulia veneranda est, imago quoque illius eadem hyperdulia est veneranda. Si verò imago ipsa sit Christi Domini, qui vt verus Deus latriæ cultu adoratur, ipsa eadem quoque imago latriæ adoratione colenda est.

Crux ergo secundo modo considerata, quatenus est imago, Christum crucifixum repræsentans, cultu latriæ est adoranda. Sed si nudè primo modo considerararetur, in quantum ex auro aut argento, siue ligno, vel ex aliqua quacum-D que materia constructa esset, nullus prorsus honor illi deberetur. Quod & sanctus quoque Ioannes Damascenus loco superiùs citato innuit, cùm ait: *Adoramus* De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 12. *etiam figuram pretiosæ & viuificæ Crucis, tametsi ex alia materia facta est; non materiam venerantes (absit enim) sed figuram, tamquam Christi signum.* Quasi per ipsa eadem vocabula, quibus Theologi in scholis vtuntur, diceret: Nos Crucis imaginem non adoramus materialiter, sed formaliter; quatenus imago est, & repræsentandi vim obtinet. Deinde verò, vt materiam hanc apertiorem redderet, rem ipsam praxi subiiciens, adiecit: *Materia, ex qua Crucis figura exprimitur, siue sit aurum, siue lapides pretiosi, aut alia quæuis materia, post figurationem, si dissolui contingat, non ampliùs adoranda est.* Hæc Damascenus. Quæ tamen de materiebus hisce intelligenda sunt, ex quibus Cruces illæ, quæ imagines tantummodò sunt,

con-

constrtuuntur. Nam fragmenta omnia veri ligni Crucis illius, in qua Dominus ac Redemptor noster suffixus est, licet Crucis formam non habeant, & quantumuis minima sint, tamen adoranda sunt, vt superiùs dictum est, quia omnes pretiosissimæ ac sacratissimæ sunt reliquiæ. A

De Cruce præterea, vtroque modo considerata, apertè sic inquit sanctus Athanasius: *Figuram Crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, vt si quis infidelium id in nobis reprehendat quòd veneremur lignum, possimus duobus inter se disiunctis lignis, & Crucis dirempta forma, ea tamquam inutilia reputare; & infideli persuadere, quòd non colamus lignum, sed quòd Crucis typum veneremur.* id est quòd nos Crucem adoramus, vt imaginem Christum Dominum Crucifixum repræsentantem; quæ ratio statim desinit, postquam Crux dissoluta est. Obstrepere igitur cessent hæretici: non enim tam stupidi & vecordes sumus, vt insensatas materias, quibus sacræ imagines & Cruces constructæ sunt, adorare velimus, sed solidissima ratione innixi, & pro officij nostri munere, id quod repræsentant, in eisdem adoramus; quod & ipsi facerent, vt muneri ac saluti suæ consulerent, ni malitia intelligentiæ eorum tenebras offudisset, & corda ipsorum obdurasset. B

In Quæst. ad Antiochū, Quæst. 16.

Quòd autem Crux latriæ cultu sit adoranda, præter ea quæ hactenus dicta sunt, sanctorum quoque Patrum auctoritate probatur, qui litteris commendarunt, imagines, & consequenter Crucem, vno eodemque cultu cum prototypo coli; idque ob eam quam ipsi rationem afferunt: nimirum, quòd honor imaginis ad prototypum transit. Ad cuius rei institutum inquit sanctus Basilius: *Quemadmodum principatus, & potestas vna est, quæ nobis dominatur: sic etiam glorificatio nobis vna est, non multæ; propter quod imaginis honor ad exemplar seu ad prototypum transit.* Ex quibus argumentatur Iacobus Gretserus, vnum & eumdem honorem esse Crucis & prototypi: quia alioqui non diceretur transire ad prototypum, sed in imagine terminari. Quòd si imagines, inquit, honorarentur alio quodam inferiore honore, quàm prototypum, vt quidam volunt, tunc non posset is transire ad prototypum, cùm honor inferior non competat prototypo. His ad materiam hanc apertiùs elucidandam addatur exemplum à Damasceno allatum, qui ad institutum hoc inquit: *Quemadmodum honor qui exhibetur benignis gratisque conseruis, beneuolentiæ ad communem dominum præ se fert indicium, sic & imaginis honor ad prototypum imaginisque veritatem transfertur.* Ad hoc quoque sanctus Athanasius: *Qui adorat*, inquit, *imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cùm ipsa imago nihil aliud sit quàm Regis forma atque species.* Ideoque idem Athanasius affirmat, quòd si ipsa Regis imago loqui posset, ei qui illam intuetur, diceret, Ego & Rex vnum idemque sumus; quia ego in illo, & ille in me est, quoad repræsentandi modum. Ex quibus ipse concludit, quòd qui Regis imaginem veneratur, in eadem ipsum quoque Regem adorat. Quæ omnia Cruci competunt, imaginis nomine in Crucem commutato. Et diuus Augustinus, *Qui veneratur*, inquit, *vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit; non hoc veneratur, quod videtur & transit* (id est non per se, tamquam vltimum honoris terminum) *sed illud potiùs, quò talia cuncta referenda sunt.* Si ergo Christus honoratur per Crucem, tamquam per signum eius, necesse est (subdit idem Gretserus) vt in Crucis veneratione latriam adhibeamus, cùm hæc sola Christo, vtpote Deo, competat. C D

De Spiritu sancto, c. 18.

Imaginis honos transit ad prototypum.

De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 17.

Contra Arianos, Ser 4 circa principium.

De doctrina Christiana, lib. 3. c. 9

De sancta Cruce, To. 1. lib. 1. c. 57.

Ex supradictis ergo omnibus, & ex aliis compluribus quæ breuitatis causa prætermittuntur, firma hæc conclusio elici potest, nimirum quòd sanctorum Patrum auctoritate, & totius sanctæ Ecclesiæ Catholicæ consensu, Crux latriæ cultu est adoranda; non quidem tamquam honoris præcipuus & vltimus terminus,

A minus, ſed vt medium quoddam, cuius interuentu honor ad ipſum Chriſtum deferatur. Ad quod ratio quoque ipſa nos allicit. Nam ea quæ alicuius magnæ auctoritatis viri propria ſunt, illa eodem cultu afficimus, quo ipſum cuius ſunt, vt apertè patet, cùm alicui veſtito aut coronato Principi honorem exhibemus. Verè enim tunc veſtitum aut coronatum honoramus, nec duobus quidem actibus, ſed vno. Cùm igitur imagines præcipua quadam ratione & ordine repræſentationis prototypi ſui ſeu rei ſignificatæ propriæ ſint, & cùm eius vicem ſubeant, & ad hoc inſtitutæ ſint, vt coram ipſis prototypon honoretur, neceſſariò ſequitur, nos cùm rem quampiam per imaginem veneramur, eodem cultu imaginem ipſam afficere, licet non eodem modo. Non enim in cultu eſt diuerſitas, ſed in cultus modo.

Verùm Cardinalis Bellarminus aſſerit, hanc imaginum adorationem non fieri niſi per accidens; quomodo adorantur veſtes Regis, cùm Rex veſtitus adoratur; vt iuxta exemplum à ſancto Thoma allatum ſuperiùs diximus; cùm certum ſit, veſtes Regis non honorari niſi per accidens: eſtque eius ſententiæ, videlicet, quòd cultus qui propriè debetur imaginibus, ſit quidam cultus imperfectus, qui analogicè ſiue reductiuè ad cultus illius ſpeciem pertineat, qui prototypo ſiue primo exemplari debetur. Deinde verò apertiùs ſe explicãs, ſubdit, quòd Chriſti imaginibus non debetur cultus latriæ ſimpliciter, ſed cultus quidam ſine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, vt imperfectum ad perfectum. Idque firmiſſimo quodam probat argumento. Sicut enim, inquit, ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris: ſed imago eſt ipſum exemplar analogicè, & ſecundùm quid: nam homo pictus eſt homo ſecundùm quid, & analogicè: ergo etiam imagini debetur cultus imperfectus & analogicus.

De Imagin. lib. 2. c. 23. 24. 25. To. 1

B

Cultus idẽ imaginis & prototypi, ſed analogicè.

Prætereà, ſubdit idem Illuſtriſſimus Bellarminus, imago reducitur ad ſpeciem exemplaris: nam homo pictus, & equus pictus, differunt ſpecie: ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris. Et fortè beatus Thomas, & beatus Bonauentura, & alij, inquit, hoc ſolum dicere voluerunt, cùm dixerunt, eodem cultu coli imaginem & exemplar. Ita enim eorum ſententiam interpretatur Gabriel. Quod ſi ita eſt, ſubdit idem Bellarminus, omnes conuenimus: concludenſque affirmat, quòd Chriſti imagines, & conſequenter Crux, adorari debet minori cultu quàm ipſe Chriſtus; ſed tali cultu tamen, qui analogicè & reductiuè ad latriam pertineat.

C

Crux igitur, vt ſuperiùs dictum eſt, inexpugnabilibus rationibus, ſanctorumque Patrum auctoritate, totius ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, & omnium Theologorum Orthodoxorum, qui de fide & de Chriſtiana Religione rectè ſentiunt, vnanimi voto ac ſententia, latriæ cultu adoranda eſt: eo ſcilicet modo, quem diximus, & vt ijdem ſacri Theologi docent. Inter quos, quoad latriæ cultum quo Crux ipſa adoranda eſt, nulla eſt diſcrepantia, ſed tantùm in modo, vt ſuperiùs innuimus. Et hæc de ſanctæ Crucis adoratione hactenus dixiſſe ſufficiat. Coram qua genuflexus, & humiliter ad terram prouolutus, enixè illum deprecor, qui vt nos ab æterna morte liberaret, propter admirabilem infinitæ charitatis & miſericordiæ ſuæ exceſſum, voluntariam mortem in ea oppetere elegit, vt tantam nobis gratiam impertiri dignetur, qua Crucem ſanctam ea cordis puritate ac pietatis affectu colentes, ipſum adoremus ac benedicamus, vt in hac vita, in mortis articulo, & in die iudicij, ſub clypeo & vmbra huius inuicti & glorioſi vexilli, protecti ac tuti eſſe mereamur ab inuaſionibus & rapina antiqui ac truculentiſſimi illius tyranni, cuius iniqua poteſtas iam in ipſa Cruce compreſſa atque proſtrata eſt; ita vt cum omnibus electis in Paradiſo ad eius

D

gloriam

Antiph. 3. 1. Noct. in die Exaltat. S. Crucis.

gloriam concinentes, in æternum dicere valeamus: O Crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cælitem præparasti? Amen. A

CAPVT XVIII.

Quòd sancta Crux in nouissimis diebus gloriosa & fulgida in cælo apparebit.

ACTIONES excellentissimæ, inquit Philosophus, ab excellentissimis virtutibus producuntur, in quolibet subiecto optimè operantibus. Quamobrem cùm Redemptor noster Iesus Christus non solùm sit virtus excellentissima, sed verus ille virtutum Deus, qui creaturis suis omnem virtutem impertitur; quemadmodum in cunctis operibus suis est perfectissimus ac B magnificentissimus, ita & in sancta Cruce sua honoranda non satis sibi fecisse visus est, neque adhuc satis sibi facere videtur, quòd excelso ac diuino honore ipsemet illam affecerit, & tot tantisque admirandis planè modis ab hominibus honorari fecerit (vt pro exilis ingenioli nostri viribus hactenus ostendimus) sed nec contentus erit efficere, vt nouis quotidie gloriæ & honoris gradibus exaltetur in terris, donec in cælo tandem sole ipso ac luna splendidiorem conspiciendam statuat: vt ipse qui veritas numquam fallens est, innuit, cùm de Iudicij die ad discipulos suos loquens, inquit: *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.*

Christus in omni opere perfectissimus, etiam perfectissimè suã Crucem honorauit.

Matth. 24.

Et quamquam nonnulli infelices hæretici, inimici Crucis Christi, similes his quos non nisi flens reminisci poterat Apostolus, & inter eos præsertim Caluinus, Musculus, & alij quorum super hunc locum meminit Maurolatus in sua C Catena, honorem hunc sanctæ Cruci auferre conantes, ac prædecessorum suorum exemplum secuti (de quibus sanctus Athanasius inquit, *Sacrosanctam quoque Crucem cauillis proscindunt, itidem vt Ethnici*) Christi Domini verba funibus (vt ita dicam) pertracto quodam ac peruerso sensu interpretari velint, dicentes, *Tunc parebit signum Filij hominis*: id est, tunc apparebit Filius hominis adeò manifestè, perinde ac si dato signo cunctorum oculos in se conuertisset. His tamen nugis non obstantibus, omnes antiqui Patres, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ sacri Doctores, concordibus votis in eam eunt sententiam, verba nimirum illa de Cruce intelligenda. Sic enim eadem interpretati sunt & exposuerunt Origenes, Cyrillus Ierosolymitanus, Ioannes Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Hilarius, Beda, Theophylactus, Euthymius, & alij plerique, quos breuitatis causa prætermittimus.

Hæreticorũ interpretatio, de signo Filij hominis in cælo apparituro, refutata.

De Incarnatione Verbi Dei, contra Paulum Samosatẽsem.

Quamobrem sancta Ecclesia in solemni die Inuentionis sanctæ Crucis merito concinit: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Neque obstare debet scrupulus quem aliqui iniicere voluerunt, asserentes Dominum tunc de signo suo, non autem de Cruce locutum fuisse. Nam pro vero signo Domini, Crux sancta intelligenda est. Quinimmò nullum aliud signum, præter Crucem Domini ac Saluatoris nostri, signum Christi vel signum Filij hominis appellari potest. Quocircà sanctus Cyrillus Ierosolymitanus ad institutum hoc inquit: *Signum verum & proprium Christi est Crux.* Et Theophylactus testatur, Christum Dominum Crucem hoc loco signum appellasse, tamquam trophæum suum, suumque regium vexillum: *Signum autem dicit Crucem, inquit, tamquam trophæum, & insigne regium.* Et Bellarminus in eam quoque sententiam subdit: D

Crux certò apparebit in die Iudicij nouissimi

Catech. 15.

In Matthæi cap. 24.

A subdit: *Neque obstat illud Ecclesiæ; Hoc signum Crucis erit in cælo. nam etiam vera Crux dici potest signum Crucis, id est, instrumentum habens figuram Crucis.*

Et non solùm affirmant sancti Patres, & sacri Doctores, quorum sententias superiùs in medium adduximus, quòd iuxta Christi Domini verba, Crux in nouissimis diebus cùm viuos & mortuos iudicaturus adueniet, in cælo conspicienda sit, sed ipso quoque sole ac luna splendidior sit apparitura. Atque inter ceteros, vt ab antiquioribus incipiamus, Origenes: *Sicut,* inquit, *in dispensatione Crucis, sole deficiente, tenebræ factæ sunt super omnem terram; sic & signo Filij hominis apparente in cælo, deficiet solis lumen, & lunæ adhuc & stellarum, quasi consumptum à multa virtute signi illius.* Deinde verò apertiùs seipsum explicans, ac declarans quòd per signum illud Crucem intellexerit, rationemque reddens, cur Crux talis in cælo tunc apparere debeat, subdit: *Signum enim Crucis hîc intelligimus, vt videant iuxta Zachariam & Ioannem Iudæi quem compunxerunt, & signum*
B *victoriæ.*

Et quidem sole & luna splendidior.

In Tractatu 30. in Matth.

Sanctus autem Cyrillus Ierosolymitanus, idem quoque affirmans, nimirum signum illud, quod iuxta Christi Domini nostri verba in eius secundo aduentu in cælo conspiciendum est, Crucem existere; rationemque prodens cur tunc ibi sit apparitura, inquit: *Lucidum Crucis signum præcedet Regem, atque demonstrabit eum qui priùs fuerat crucifixus; vt videntes qui anteà illum pupugerunt, & illi insidiati sunt Iudæi, certent tribus cum tribubus, dicentes: Hic est alapis percussus; hic est, in cuius faciem spuerunt illi; hic est, quem ligarunt; hic est, quem anteà crucifixum spreuerunt. Quò fugiemus à facie iræ illius? dicent, cùm Angelicis exercitibus circumdabuntur; & nusquam sanè fugere poterunt.*

Catech. 15.

Et sanctus Ioan. Chrysostomus docens ac monens Christianum, ne Crucem verecundetur, ait: *Noli committere, vt te tanti boni pudeat, ne tui etiam Christum pudeat, quando cum maiestate sua veniet, & signum coràm apparebit, superabitque solis*
C *radios lumine. Crux enim tum apparebit, mittens vocem aspectu suo, atque pro Domino apud omnes orbis terrarum homines verba faciet; docebitque nihil ab eo prætermissum esse, quod ad illorum salutem pertineret.* Et alibi idem magnus Pater, postquam ostendit, signum illud, quod in die Iudicij in cælo conspiciendum est, Crucem esse, docet quonam pacto fieri possit, vt sole tunc splendidior appareat; sic enim inquit: *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo: hoc est, Crux ipsa. Crux enim sole fulgentior videbitur: obscurabitur enim sol, Crux autem apparebit; quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? Vt magno cumulo Iudæorum impudentia opprimatur, Crucem in suam iustificationem secum habens, in iudicium veniet; non vulnera solùm, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens. Tunc plangent tribus: non enim accusantibus opus erit, cùm Crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt; quia Crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt.* Et post pauca subdit: *Crucem autem secum*
D *habebit, vt peccatum ipsorum sine accusatione condemnetur: veluti quis lapide percussus, ipsum lapidem, vel cruentas vestes in testimonium ostendat.*

In Oratione Non esse verendum confiteri S. Crucem, Tom 1. in fine.

In cap. Matth. 24. Homil. 77. Tom. 2.

Adeoque pro firmo & constanti idem Chrysostomus apud semetipsum habuit, Crucem sanctam in die Iudicij lucidissimam ac fulgentissimam in cælo conspiciendam esse, vt id ipsum locis quamplurimis operum suorum replicauerit, præsertim verò in Homilia prima de Cruce & latrone, vbi de eodem sic tradit: *Sicut,* inquit, *coruscatione flammante, superfluum est de coruscatione requirere: sic post præsentiam requirere non necessarium est si venit Christus; sed vtrùm cum Cruce veniat, requiramus. Non enim hanc quæstionem aliquando obliuione prætereo. Et audi: Tunc, inquit, tunc quando veniet, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Tanta enim lux ipsius luminis praclarescet, vt eius radiis lumina clara vincantur. Tunc*

In Hom. de Cruce & latrone, Tom. 3.

Mmm & stellæ

& stellæ cadent, & tunc signum videbitur Filij hominis in cælo. Vidisti gloriam signi, id est Crucis. Solis lumen reddetur obscurum, lunæ non dabitur gratia; sed illud lumen radiabit & lucebit. Et sicut Imperatorem regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris portare consueuerunt, & his eius declaratur aduentus; sic Domino de cælo veniente, Angelorum cœtus & Archangelorum multitudo illud signum portabunt humeris excelsis, vt regalem nobis aduentum nuntient. A

Diuus quoque Augustinus non vno quidem, sed operum suorum locis compluribus affirmat, signum Filij hominis, quod in secundo aduentu Domini in cælo conspiciendum est, Crucem esse: idque præcipuè declaratur in Sermonibus ad Fratres in eremo, qui ipsi tribuuntur; vbi dum de Iudicij die & pœnis inferni agitur, hæc habentur: *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo, quod est Crux Christi: in cuius lumine omnium manifestabuntur abscondita cordium.* Et Theophylactus, ea quæ sanctus Ioan. Chrysostomus anteà dixerat, imitatus, ipse quoque subdit: *Crux tunc apparebit in cælo supra solem fulgens, ad arguendos Iudæos. Veniet enim Christus, contra Judæos habens Crucem, vt magnam iustificandi materiam & testimonium: veluti si quis lapide percussus, ostendat lapidem.* B

Ad Fratres in eremo, Serm. 63.

In Matthæi cap. 24.

An ipsa Crux, in qua Christus pependit, in cælo sit apparitura?

Nec desunt doctrina & fama insignes Auctores, qui opinioni huic adhæsisse videntur, quòd sacrosancta & vera Crux illa, in qua Redemptor noster passus est, cuius pretiosum lignum in multa fragmenta diuisum, per orbem terrarum hodie sparsum est, diuinâ potentiâ sit iterùm conglutinanda, & in integrum restituenda, & in die Iudicij ante Dominum apparitura, quando cum magna gloria & maiestate viuos & mortuos iudicaturus adueniet. Sic enim inter ceteros sentire videtur Thomas Valdensis [a] Theologus grauissimus; idemque colligitur ex verbis sancti Ioannis Chrysostomi [b], vbi inquit: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum; & ideò audi quòd cum ipsa veniet, & cum ipsa secundam gloriosam suam præsentiam faciet.* Quibus tamen verbis notãdum est, diuum hunc Patrem oratoris more hoc loco locutum fuisse, asserentem, Christum Dominum Crucem suam in cęlum tulisse, gloriam hanc hoc pacto innuentem, quam Crux hodie in terris adepta est, qua non secùs ac si in cæli medio splendesceret, per vniuersum orbem clara atque illustris effecta est. Vel id fortè dixit, ad id respiciens, quod in futurum faciendum est, perinde ac iam factum esset: ad indicandum, quòd Christus Dominus in die Iudicij Crucem suam instaurans, & in integrum restituens, illam in cælo fulgentem apparere faciet, vt dictum est, cùm mundum iudicaturus adueniet. Optimè enim sciebat Chrysostomus, sanctam Crucem in fragmenta complura dissectam fuisse, sanctumque lignum eius in diuersis mundi partibus per frustula venerari, vt ex scriptionibus ipsius satis apertè colligitur; præcipuè verò ex Sermone, siue Tractatu illo suo, cui titulus est, *Demonstratio aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus:* ex oratione, quam habuit De veneratione Crucis, in media Ieiuniorum hebdomada, & ex Homilia 84. in Ioannem, vbi agit de modo, quo Crux sancta à beata Helena reperta fuit. C D

[a] Tomo 3. tit. 20. c. 158

[b] In Hom. 1. de Cruce & latrone, Tom. 3.

Atque opinioni eidem, quòd sancta & vera Crux ipsa illa sit quæ iuxta Domini nostri Iesu Christi verba, in tremendo Iudicij die, clara & refulgens in cælo conspicienda est, plurimùm arridere videntur verba illa sancti Ephræm Syri, qui de finali Iudicio agens, inquit: *Cùm viderimus pretiosam ac viuificam Crucem in cælo lucentem, & omnes fines terræ vltra solis claritatem illustrantem: vbi verò viderint omnes regium istud ac tremendum sceptrum in cælo reuelari; iam tunc agnoscent singuli continuò ipsum quoque Regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est.* Et paulò superiùs hoc quoque dixerat: *Sancta Crux rursus in consummatione sæculi, cùm secundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, cum gloria, & Angelicorum exercituum infinita*

Lib. De vera Pœnitentia, cap. 4.

Argumenta probabilia pro parte affirmante.

A *infinita multitudine apparebit in cælo; inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentumque cælestis Imperatoris annuntians.* Quam opinionem magnopere confirmare videntur carmina Sibyllæ illius, quæ, vt superiùs quarto huius Tractatus libro diximus, de eo sic præcinuerat:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit! Sibyllinorũ
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis, Orac. lib.6.
Cùm renouata Dei facies ignita micabit. in fine.

Et sanè quidem non nisi apparente admodum ac probabili ratione, Auctores prædicti opinionem hanc imbibisse videntur, cùm Saluatoris nostri omnipotentiæ haudquaquam difficile factu sit, sanctam Crucem suam denuò conglutinare ac redintegrare, licet infinitis propemodum fragmentis per vniuersum terrarum orbem sparsa sit atque diuisa: non secùs ac per ipsius virtutem, mortuorum corporum nostrorum membra iterùm connectentur & congluti-
B nabuntur, licet in infinita propemodum frustula variis in locis sparsa atque disiecta, & quamquam in cinerem redacta, & ventorum vi circumflata, & in aëre dissipata fuerint, vt alibi ostendimus. Neque satis sibi fecisse quidam visi sunt, priuilegium hoc sanctæ Cruci tribuentes; sed addunt etiam illam incor- Refert Frã-
ruptam in cælo perpetuò asseruandam, non secùs ac gloriosa corpora, cùm re- ciscus Sua-
demptionis nostræ instrumentum & sacrosanctum altare extiterit, in quo mun- rez 3. parte
di Redemptor se ipsum æterno Patri in holocaustum obtulit. Et quamquam D.Thom.
hæc fortasse nimis exquisita speculatio videri possit, eam tamen silentio præ- quæst. 59.
terire noluimus: ex ea enim euidenter patet, quantæ æstimationis apud com- a.6.disp.57
plures pios viros sacrosancta & vera Crux illa Domini extiterit. quæst. 2.

Alij tamen putant, non illam ipsam veram Crucem ligneam, in qua Saluator *Auctores*
noster pependit, in nouissimis diebus lucidam ac refulgentem in cælo conspi- *propendẽtes*
ciendam, sed quamdam eius imaginem & figuram ex aëre lucidissimo, siue ex *in partem negantem.*
C igne condensato effictam, vt Abulensis[a], Iansenius[b], & alij prodidere. Sed hæc [a] In Matth.
est quæstio pertinaci contentione ex professo non disceptanda, cùm nobis satis c.24 q.172.
sit, illud pro constanti firmiter tenere, signum videlicet Filij hominis, quod Do- [b] In Concord. Euã-
minus noster prædixit, in cælo appariturum, cùm viuos & mortuos iudicaturus gel.c.123.
adueniet, Crucem fore. Verùm quando præcipuè appariturа sit, adhuc indecisum & indeterminatum remanet. Nam quorumdam illa est opinio, quòd statim post Antichristi mortem Crux in cælo sese ostendere incipiet, per dies plures ante vniuersale Iudicium, vt apertè colligi videtur ex verbis Chrysostomi, siue, vt aliis placet, Augustini, quæ superiùs retulimus; quibus Crucis apparitio in cælo, comparatione siue exemplo introitus Imperatoris in vrbem quampiam demonstratur, ante quem milites Imperatorium vexillum deferre solent. Quæ verba, maiore etiam stili apparatu & ornamento, à Iuliano Pomerio, qui Lib.3. Pro-
prius fuit Archidiaconus, deinde verò Archiepiscopus Toletanus, relata sunt. gnost. Habentur in
D Ex qua sanctæ Crucis apparitione, vt optimè notauit Cardinalis Bellarmi- Tom.9.Bi-
nus, multiplex argumentum ducitur, excelsi ac diuini honoris, quo Christus blioth. Pa-
Dominus Crucem suam decorauit, & in futurum decorabit. Primò, quia Chri- trum.
stus ipse, signum suum illam appellauit, id est vexillum Filij Dei. Nam si Imperatoris vexillum milites adorabant, vt superiùs ostendimus; multo magis vexillum Christi Imperatoris Imperatorum, & Regis Regum, adorandum est. Secundò, quia in cælo, loco excelso & honorabili prospiciendum statuet. Tertiò, quia Angelorum manibus feretur, vt sanctorum Ioan. Chrysostomi & Augustini auctoritate suffulti superiùs docuimus. Et quartò, quia sole & luna fulgentior ac splendidior apparebit, vt ijdem sancti Patres, & alij plerique testantur.

Sic itaque cùm in hoc Tractatu nostro conscribendo, à prisca Crucis in-

Epilogus Auctoris, quo se Deo & Cruci piè commēdat.

famia ac probro, quo olim in mundo notata erat, initium deduxerimus, ac per- A
currentes admirabiles & infinitos propemodum modos, quibus Dominus noster illam in terris honorare voluit, præsertim verò postquam propriis membris suis pro salute nostra illā illustrare dignatus est, non humanis intellectibus tantùm, sed Angelicis etiam spiritibus admirabilem, amabilem, ac venerabilem eam constituens; ostendimus tandem, diuina fauente gratia, quòd idem Dominus noster eamdem sole lucidiorem, luna fulgentiorem, ac stellis clariorem in cælo cōspiciendam statuet: atq; hîc ego cum benedictione diuina, Triumphantis & gloriosæ Crucis Tractatui coronidem imponens, in eiusdem Crucis conspectu humiliter genuflexus & humi prouolutus, mentemque, cor, ac brachia mea erigens ad te omnipotentem, benignum ac misericordiarum Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui pro humani generis salute, Vnigenitum tuum ante omnia sæcula ex te genitum, carnem sumere, & in ligno Crucis crudelem mortem pro nobis oppetere voluisti; te puro ac sincero cordis affectu B
humiliter adoro, tibique ingentes gratias ago, quòd mihi misero peccatori ac minimo seruo tuo, licet indigno, ac multorum peccatorum pondere grauato, gratiam impertiri dignatus es, librum hunc conscribendi & ad finem perducendi, in quo dilecti Filij tui passionis & Crucis alta & admiranda mysteria, humili quidem & inculto stylo, sed sincero ac pio affectu (vt tu qui omnium cordium scrutator es, optimè nosti) pertractantur.

Te Domine Iesu Christe fili Dei viui, æternum Verbum, æternique Patris omnipotens virtus, & infinita sapientia, qui sanctæ Crucis tuæ decore mundum vniuersum exornas; quique nos plusquam teipsum diligens, ne morti addicti in æternum moreremur, in eadem Cruce pro nobis mori voluisti; pronus adoro, ac benedico, maximasque tibi gratias habere & agere debeo, quòd non dedignatus sis efficere, vt ego vilis vermis, peccatorum fœtore inquinatus, & ignorantiæ tenebris obrutus, passionis & Crucis tuæ sacrosancta mysteria tra- C
ctarem: quinimmò tali auxilio ac fauore me prosequi dignatus es, vt à cœpto opere, neque materiæ altitudo atque profunditas, neque delictorum meorum aut incapacitatis & ignorantiæ meæ conscientia absterrere potuerit; ita vt ad tui ipsius gloriam (qualecumque illud sit) ad finem perduxerim.

Tibi Spiritui sancto Paraclito, à quo omnis afflatus optimus procedit, totis cordis mei visceribus humiles gratias refero, quòd non solùm ad opus hoc incipiendum sancta aspiratione tua me induxisti atq; impulisti, sed in laboribus me confirmasti, in illius compositione me adiuuisti, & ad illud feliciter finiendum me direxisti. Humiliterq; te deprecor, vt si in libro hoc, fragilitatis aut ignorātiæ meæ culpa, aliquid fortè scripserim non satis aptè & conuenienter dictum; siue quod non rectè intellexerim, vel quod à sanctæ Fidei Catholicæ puritate & candore (quod à me semper absit) quouis modo deuium esset; visitatione tua, & semper inerrantis luminis tui splendore sic me illustrare digneris, vt illud aptè D
digneque corrigam: non semel, sed ter, & millies eo casu testatum faciens, id prçter rectam ac sinceram intentionem meam accidisse; meque omnia quæ hîc, & alibi in toto vitæ meæ cursu scripsi, correctioni & censuræ Catholicæ, Apostolicæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam omnis veræ, solidæ, ac salutiferæ doctrinæ matrem ac magistram in terris constituisti, humiliter subiicere.

Te summam, incomprehensibilem ac tremendam Maiestatem, adorandam Trinitatem, & inseparabilē Vnitatem, Deum viuum & verum, vniuersi Creatorem, tota anima, tota mente, toto corde, totis viribus, totaq; virtute mea reuereor, laudo, benedico, adoro, tibique pronus omnem supremum ac diuinum cultum adhibeo. Tu es illuminatio mea, salus mea, virtus mea, beatitudo mea,

fortitudo

A fortitudo mea, gaudium meum, lætitia mea, felicitas mea, ſpes mea, & deſiderium meum. Ah tu mihi ſis, obſecro, laborum finis; tu præmij ac retributionis pretium; tu defatigati curſus, fluctuantiſque nauigationis & ærumnoſæ peregrinationis huius meæ ſcopus & quies. Tu qui bonorum omnium es largitor, clementiſſime ac benigniſſime Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui gratiæ tuæ dono præcipuo me dignum effeciſti, qui opus hoc conſcriberem, & abſoluerem; concede mihi, vt verè tibi ſit gratum & acceptum; atque ad tui ipſius gloriam, ad Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti laudem, ad ſanctæ Crucis honorem, ad proximi profectum, & ad animæ meæ, & eorum qui illud legerint, ſalutem vergat.

Et tu triumphatrix & glorioſa Crux, arbor excelſa & ſalubris, quæ altitudine ac pulchritudine tua omnes cedros Libani ſuperas: tu arbor ſpecioſa, quæ in ſecundo Domini aduentu, ſplendore tuo ſereniſſima & beatiſſima dona omnibus iuſtis & cunctis Chriſti fidelibus portendis: ô arbor benedicta & ſancta, B quæ per Domini noſtri affixionem in te ſanctificata & glorificata es, & vitalibus fructibus nobilitata, cæleſtique benedictione locupletata: arbor, quæ ramis ac brachiis tuis per vniuerſum terrarum orbem dilataris ac propagaris, radicibuſque tuis infernum penetras, & altitudine tua ad cælum pertingis. O ſancta, beata, potens, & venerabilis Crux, iuſtorum ſolatium, peccatorum ſpes, vitæ futuræ pignus, Redemptoris gloria, bonorum ſemita, iuſtorum via, ſcala cæli, porta paradiſi: grus, quæ ab infimo ac profundo inferni ſinu ſanctos Patres iam ſubleuaſti & extraxiſti: rota, quæ ab ima & miſera hac lacrymarum valle fideles ad ſupernam ac beatam patriam erigis atque perducis: per te veram vitam nos poſſidebimus, ac per te mercedem æternam conſequemur. O Crux inclyta, illuſtris, & ſereniſſima, ô lignum vitæ ac ſalutare, fidei noſtræ firmum & ſolidum fundamentum; Crux, quæ per optatiſſimam & glorioſam Chriſti victo- C riam benediceris, & à cunctis electis hilariter honoraris. O Crux Regis fortiſſimi tremendum ſceptrum, ara Dei altiſſima; Crux quæ aſpectu & forma tua nos ad Chriſtianam perfectionem euocas: nam parte tua ſublimi ad amorem Dei, & tranſuerſali ad proximi dilectionem nos allicis. Crux pacis admirabile inſtrumentum, quæ terrena cæleſtibus perpetuo fœdere conciliaſti & coniunxiſti: Crux Angelorum inſtauratio, cæli gaudium, mundi remedium, hominum ſalus ac redemptio, dæmonum ruina, & inferni deſtructio. Crux ſpes æternæ vitæ, te reuerēter veneror, ac pronus adoro: & per te honorem & gloriam Saluatori noſtro referens, pro mea in te reuerentia & pietate illum humiliter precor, vt cùm viuos ac mortuos iudicaturus adueniet, cumque clara & refulgens in cælo apparebis, tu non ſis nobis terrori, ſed gaudio atque lætitiæ; ita vt ego & cuncti fideles ſub clypeo tuo protecti, & ſub lumine ſplendoris tui qui ſignatus eſt ſuper nos, in fidem recepti, exterminati non ſimus à fulminea & formidabili ſen- D tentia ipſius miſericordis & iuſti, benigni ac tremendi, pij & ſeueri Iudicis æterni, Paſtoriſque dulcis & benigni; & vt liberati ab horrendis ac vltricibus flammis, quæ omnes impios inconſumptibiliter abſorbebunt, benignè ſuſcipiamur, ac piè aſſeruemur in dilecto electarum ouium grege; vt in æternum laudemus, benedicamus, & adoremus Creatorem noſtrum, Inſtauratorem noſtrum, Redemptorem noſtrum, & Dominum Deum ſalutis noſtræ; qui viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Crucis nominibus, & formis. In qua Crucis forma Christus mortuus; & ex quo ligno Crux Christi constructa. Quàm antiquus crucifigendi mos, & quibus potissimùm nationibus vsitatus. Reges & Principes quidam in Crucem olim acti. Cur Saluator Crucem potiùs quàm aliud mortis genus elegerit. De sanctæ Crucis Titulo, & de triginta Argenteis quibus Dominus venumdatus, ac denique de singulis Passionis eius insignioribus instrumentis

LIBER SECVNDVS.

CAP.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

LIBER QVINTVS.

Cap.

LIBER SEXTVS.



IN-

INDEX RERVM

IN SEX LIBROS

DE TRIVMPHANTI ET GLORIOSA

CRVCE.

primi

B.

C.

Christi

Cornua,

D.

& Cru-

Eccle-

F.

GABI-

G.

sed

K.

L.

M.

O.

P.

Passeri

Prophe-

S.

Turca

ERRATA.

Pag.24. in margine.	Anagoricarum	*lege*	Anagogicarum
Pag.119. lin.28.31.	Baiaret	*lege*	Baiazet
Pag.257. lin.12.	singalare	*lege*	singulare
Pag.577. in margine	Anthentic.	*lege*	Authentic.
Pag.593. lin.23.	an ctorum	*lege*	Sanctorum



CENSVRA.

GLORIOSISSIMÆ CRVCIS *(quam,*vt eleganter B.Leo, *Iudæorum iniquitas ad pœnam, & Redemptoris potentia ad gloriam parauerat)* Triumphum, primùm à IACOBO BOSIO deſcriptum, etiam prælo committendum iudico: vt in quo nihil deprehendi, quod non ad ſacræ pariter & profanæ Hiſtoriæ lucem, pietatis Chriſtianæ augmentum, & Meſſiæ principatum, vt qui per Crucem regnauit, illuſtrandum, faciat quàm plurimum. Quin & ſacratiſſimi huius Ligni myſteria, virtutes, & ſymbola, typique in proſcenium hîc adducuntur: vt Crucem ceu tabulam naufragantibus in hoc mari amaritudinis oblatam omnes amplectamur, ſimulque comprehendamus, *quæ ſit altitudo & latitudo, longitudo & profundum.* Datum Antuerpiæ in Seminario Epiſcopali, XVIII. Aprilis, M. DC. XV.

Laurentius Beyerlinck
Archipresbyter Eccleſiæ Cathedral.
Antuerp. & librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum eſt: ne quis IACOBI BOSII *De Triumphanti & Glorioſa* CRVCE *Libros ſex, ad ſacræ & profanæ Hiſtoriæ lucem & Chriſtianæ pietatis augmentum vtiliſſimos,* prçter Balthaſaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem excudat, aut alibi excuſos in Inferioris Germaniæ ditiones venales importet. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XII. Maij, M. DC. XV.

Signat.

De VVitte.


ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD BALTHASAREM ET IOANNEM

MORETOS FRATRES.

M. DC. XVII.


LABORE ET CONSTANTIA



57.


SENAT·POPQ·ANTVERP·SCHOL·SOC·IESV·MECŒNAT·PERP